Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ioan. Sleidani De statu religionis et reipublicae, Carolo Quinto, Caesare, commentarij : cum indice luculentissimo.

https://hdl.handle.net/1874/430188

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

IOAN · SLEIDANI
DE · STATURE
RELIGIONIS
ET · REIPUBLICA

H. fo.
169







H. fo.
169



LIBRAIRIE
Ancienne et moderne
de A. DURAND.
7, R. des Grès, Paris.

1187

H. fol. 169

IOAN. SLEIDANI,

DE STATV RE= LIGIONIS ET REI= PVBLICAE, CAROLO QVINTO, CAESARE,

Commentarij.



UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK STRASSBURG

CVM *Indice luculentißimo.*

M. D. LV.

AVTHOR TYPOGRAPHIS. S.

LIbrario ſum uſus ad hoc meum inſtitutum Vuendelino Rihelio, cui certè iuuentus non parum debet, ipſius adiuta fideli miniſterio & opera. Et licet diſpendium ille ſe poſſe magnum ſubire uideret, in hac multorum cupiditate, qui rem quoquo modo facere ſtudent, & quæſtum undecunque captant, tamen, ut hac quoque parte publicè prodeſſet, periculum fecit, & procudendum uolumen ſuſcepit. Quare uos omnes obſecro maiorem in modum, ut liberaliter agatis atque candidè: neque tàm, quid utile ſit uobis, quàm quid honeſtum, conſideretis. Nam ex uobis omnibus nemo eſt, qui non ſit laturus grauiter atq; moleſtè, ſi quod ipſe, dubio & incerto euentu, maximoq; ſumptu primus excudiſſet opus, & quidem recens nec antè uiſum, id alius quiſpiam, è ueſtigio, tanquam è manibus ei præripiat, & debitum emolumentum interuertat. Magis autem hortor atque moneo, ne, quàndiu lucis mihi dabit uſuram Deus, iſtud fiat: ne, dum aliena cum iniuria quis commoda ſua quærit, inopinato fortè damno afficiatur. Nam qui primus hoc in ſe munus recepit, eius ego, cum dabitur occaſio, præ cæteris omnibus rationem ſum habiturus in poſterum.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AVGVSTO, ELECTORI, SAXONIAE DVCI, LANTGRAVIO TVRINGIAE, MARCHIONI Miſniæ, Imperij Archimareſcallo, Domino ſuo clementiſsimo, Ioannes Sleidanus S. P. D.

MVLTOS ET VARIOS RERVM HVMANARVM CAſus ac regnorum mutationes diuerſi nobis authores prodiderunt, Illuſtriſſime princeps: Deus autem iſta docere nos ipſe, tanquam ſua uoce uoluit, multò antè quàm acciderent. Et de ſummis quidem illis mundi quatuor Imperijs, eorúmque uiciſſitudine ac ſucceſſione, per Danielem nos erudijt. cuius prædictiones, magna ſui parte, iam nobis expoſitæ ſunt & obuiæ, ſuauiſſima quadam & conſolationis plena cognitione. Religionis autem & doctrinæ tum immutationes tum certamina & idem uates prædixit, & ſecutus eum Paulus apertè quoque prænunciat. ea uerò cuiuſmodi ſint, non ab uno traditum eſt & literis explicatum. Sed illa, quæ in noſtrum hoc tempus incidit, omnium eſt maximè illuſtris uiciſſitudo. Romanum Imperium, quod & fore poſtremum, et longè potentiſſimum, & diuiſum iri propheta dixit, ad ſummam tenuitatem, ex illa immenſa uaſtáque mole redactum eſt, uti conſtat, & intra Germanię tantùm limites conſiſtit, & uaria fuit eius ac dubia ſubinde fortuna, partim ob inteſtina mala, partim ob exterorum factiones. Tandem uerò Cæſarem nobis dedit Deus, quo non fuit à multis iam ſeculis potentior: nam ad hunc unum ampliſſima regna confluxerunt & hæreditates, ut opulentiſſimæ, ſic etiam ad res, terra marique, diuerſis locis gerendas, inprimis opportunæ. Et ſicut ipſe reliquos omneis Germaniæ Cæſares, inde à Carolo magno, potentia uincit, ità quoque propter ea, quæ in ipſius ætatem atque gubernationem inciderunt, maximè conſpicuus eſt ac memorabilis. In ijs uerò primum locum obtinet religionis mutatio: quæ ſimul cum illius regni primordio ſumpſit initium. Nam tunc, quum Cæſar Maximilianus è uita migraret, non ſupra quatuordecim menſes fuit hęc agitata cauſa: cùm autem hic eligeretur à ſeptemuiris, eodem prope tempore laceſſitus prodijt in palæſtram Lutherus, & Lipſiæ palàm cum Eccio diſceptauit, ac tunc primùm excitata fuerunt utrinque ſtudia. Diligenter ergò conſiderandũ eſt huius Imperium, & è ſuperiorum

temporum memoria iudicandum. Nam certi quidam ac præ cęteris illuſtres fuerunt à Deo ſingulis temporibus excitati uiri principes, cùm aut religionis mutaretur aut reipublicæ ſtatus. eiuſmodi ſunt Cyrus, Alexander Macedo, C. Iulius Cæſar, Conſtantinus, Carolus magnus, Ottones quoq; Saxones, & nunc is, de quo loquimur, Carolus Quintus. Eſt autẽ eius generis hæc mutatio, de qua uerba facimus, ut ſine ſtupore nemo de illa poſſit, qui modò rem teneat, & admiratione ſumma cogitare. Nam & tenue fuit ac ferè contemptũ initium, & totius orbis odium ac impetũ unus tantùm homo ſuſtinuit: & hic ipſe tamen ſopiri poterat atque ſedari, ſi, quam principio deferebat, accepta fuiſſet ab eius aduerſarijs conditio. Silentiũ enim promittebat, modò idẽ illi facerent: cùm autẽ id recuſarẽt, ac reuocationem ei præſcriberent, in eoque permanerent, ille uerò, niſi demonſtrato prius errore, non ſe poſſe mutare ſententiam diceret, creuit diſſidium, & ad Imperij conuentus delata res deinde fuit, & nunc in eam ſe diffudit, uti uidemus, amplitudinem. Quibus autem id rationibus effectum ſit, quid pontifices, quid academiæ, quid reges atque principes moliti ſint, quomodò ſuam ipſe cauſam, Vuormaciæ, coram Cæſare principúmque concilio defenderit, quomodò multi doctrina præſtantes uiri ſeſe illi coniunxerint, quomodò res identidem agitata fuerit in comitijs, quomodò tentatæ conciliandi rationes, quomodò Cæſarem alióſque reges non ſemel pontifices interpellarint, quomodò ſpem emendationis & concilij ſubinde fecerint, quæ ſint excitatæ perſecutiones atque ſupplicia, quæ facta fœdera & coniurationes, quomodò non per Germaniam tantùm, ſed alijs etiam in locis hæc fuerit propagata religio, quomodò nonnulli defecerint, alij uerò conſtantes permanſerint, cuiuſmodi natæ ſint per hanc occaſionem, turbæ, ſimultates atq; bella: hæc, inquam, tanta, tanque uaria præterire ſilentio, neque literarum cõmendare monumentis, neminem eſſe puto qui non piaculum eſſe iudicet. Adhæc, cuiuſmodi fuerit reipublicæ ſtatus, hoc Cæſare, totos nunc annos triginta ſex, quæ geſſerit ipſe bella, qui fuerint interea motus atque turbæ, quæ regnorum atq; prouinciarum fortunę, minimè quo que prætereundũ fuit. tametſi, quæ ſit in hoc argumento ſeruata ratio, pòſt indicabitur. Etenim, ut latiſſimis finibus regnat hic Cæſar, ità quoque grauiſſimi ſeſe illi oppoſuerunt aduerſarij. maxima ſunt igitur atq; ſumma, quæ noſtra hæc uidit memoria, hoc rerũ potiunte Cæſare. Porrò, ſuperioribus aliquot annis, nõnulli magna uirtute & doctrina uiri, quum iſtarum rerum mentio nonnunquam fieret,

cœperunt

cœperunt mihi esse monitores, ut quicquid in hæc tempora, præci-
puè uerò causam religionis incidisset, literis mandarem: & hortaban
tur quidem, nõ quòd ipse hoc optimè prestare possem, aut quòd nõ
alij multò magis essent idonei, sed quòd illa me uiderent exercitatio-
ne delectari cumprimis, ideóq; fore putabant, ut naturę quodam im
pellente stimulo, non malam operam in eo fortasse nauarem. Ego sa
nè, qui non ignorarem, quantum esset mihi pelagus ingrediendum,
& quàm ea res alium posceret, ingenio maiori præditum & uberta-
te dicendi, licet propè desperarem illud à me posse confici, tamen au-
thoritate uictus eorum, qui tale de me iudicium facerent, statui rem
tentare: & ab eo tempore, quo Lutherus Indulgentias uenales op-
pugnare cœpit, initium sumens, & ad disputationem usque Lipsi-
cam, institutam à Georgio principe, rem perducens, illud, quod ità
composuissem, ueluti specimen aliquod, ijs, qui mihi fuerant autho-
res, Vuormaciam, ubi tum erat Imperij conuentus, ante annos decẽ,
legendum misi atq; cognoscendum. Hi postea per literas, & coràm
etiam, magis, uti pergerem, instabant: sed incidit non multò pòst lu
ctuosum Germaniæ tempus, exorto bello, quod ut passim literarũ
studijs et artibus impedimentũ intulit, ità mihi quoq; rationes meas
& institutũ interuertit atq; tardauit. Nec enim progredi licebat, ut
optabam, & subinde fuit interponenda mora: sed ubi primùm ab il
lis incommodis respirare licuit, & prę sertim his tribus proximis an-
nis, omne ferè studium huc & operam contuli, neque prius conquie
ui, quàm ad optatum finem esset peruentum. De religione quidem
potissimùm et inprimis est institutũ opus, uerùm politica tamen etiã
propter ordinẽ inserenda putaui. Iam ad narrationẽ totam quod at-
tinet, ea cuiusmodi sit, legendo quisque facilè deprehendet. Historiã
nihil magis decet quàm ueritas atque candor. Ego certè, ne quid in
ea parte posset in me desiderari, diligenter incubui: nec enim ex ua-
no quicquam hausi, uel auditione leui, sed scribendi materiam mi-
hi suppeditarunt acta, quæ studiosè collegi, de quorum fide nemo
dubitare possit. Interuenit etiam uerè nobilis & prę clari uiri, Iaco-
bi Sturmij, subsidiũ & opera, qui per annos amplius triginta uersa-
tus in publicis & arduis negocijs, maxima cum laude, quum sua me
non dedignaretur amicitia, quæ fuit ipsius humanitas, dubitantẽ &
hę rentẽ aliquandò in uadis atque scopulis, peritus ipse gubernator,
subinde reduxit in uiam æquabilem minimé q; salebrosam, & maio-
rem operis partem, ante morbum, quo sublatus interijt, meo rogatu
perlégit, et quorum oportuit, diligenter admonuit. De rebus exter-

nis, præsertim Gallicis atque Britannicis, multa quoque fit mentio: sum autem & hic eandem secutus rationem, et nihil, quod nõ sit compertum atque testatum, inserui, & Gallica quidẽ ipse magna sui parte spectaui, nouem ijs annis, quibus hospitiũ illa mihi præbuit. Nam plæraque supplicia & incendia, quorum fit mentio, multa deinde facta decreta, & in quosdam ecclesiæ ministros à theologis Parisinis actio instituta, & aliquantò pòst edita religionis dogmata, et factiones aulicæ, meum illud in tempus, quum ijs locis essem, incurrerunt. Bellicas autem res, & quicquid est eiusmodi, non quidem omitto, neque sanè potui, sed tamen ex professo nõ sumpsi tractandas. nam, ut paulò suprà dixi, causæ religionis hic est potissimùm dedicatus labor. Itáque lectorem, cùm ad id genus loca perueniet, admonitum esse uolo, ne prolixiorem aliquam narrationem expectet: nec enim instituti mei fuit, & ex aliorum libris, qui sibi partem hanc scribendi sumpserunt, haurire licebit, quicquid in eo desiderabitur. Alterũ, quod in historia seruandũ esse dixi, candor est, ne quid uidelicet tribuatur affectui: quod etsi difficile uidetur, quoniam à paucis præstatur, & quanquàm me diligenter illud cauisse, non omnibus fortasse persuadebo, tamen, ne qua suspitione grauer ante tempus, etiã atq; etiam obtestor. Opus hoc meum confectum est totum ex actis, ut dixi, magna diligentia collectis, quorum etiam bona pars typis iam antè procusa fuit, partim latino, partim sermone populari, quędam Hetruscè, quædam etiam Gallicè. Habet autem orationes multas & postulata & responsa, complures etiam accusationes & refutationes: hæc omnia, nudè, simpliciter, & bona fide, prout quæque res acta fuit, recito: nec enim de meo quicquam addo, nec ullum interpono iudicium, sed id lectori liberũ relinquo, nulla etiam utor rhetoricatione, nec in ullius hominis inuidiam aut gratiam aliquid scribo, stylum accommodo solùm, meisque uerbis utor, ut perpetua & æquabilis ubique sit oratio, & in suum quæq; locum digero, sicut ordine consecuta sunt. Primis illis annis, Leo pontifex & Adrianus acerbè multa dixerũt in Lutherum: horum ego scriptis ut nihil detraho, sic etiam responsis Lutheri nihil addo, neque uel querimoniã illorum deteriorem, uel huius efficio meliorem defensionem. Qui secuti sunt pontifices, Clemens atq; Paulus, & hic quidem inprimis, quum iam longè latéque esset Lutheri propagata doctrina, digressi ab eius persona, principes etiam uiros atque ciuitates odiosissimè criminati sunt: hic eandem rationem sequor, & per totum adeò uolumen his insisto uestigijs. Itáque lectorem obtestor, ut præiudicium

omne

omne deponat, et rem ipſam prius cognoſcat, et laborẽ hunc meum, qui ſanè maximus fuit, fauore proſequatur & beneuolentia. Nam certè, niſi quæ cauſæ me principiò mouerunt, uti ſcriberem, eædem, uti pergerem & moleſtiam omnem exhaurirem, incitaſſent, iamprídem deſtitiſſem ab incœpto, quum tanta ſeſe uarietas oſtenderet & amplitudo. Sed animus & robur acceſſit, primùm, quòd cogitarem iſtud ad gloriam Dei pertinere, qui ſuam omnipotentiam & admirabile conſilium hoc noſtro tempore ſic patefecit: deinde mouit me communis utilitas. nam & per Germaniam pauci rem actam tenent, & exteræ gentes comperti nihil quicquam habent, & præiudicijs occupati multorum animi, ſecus quàm oportet, de plæriſque pronunciant. Adhæc, poſteritatis habui rationẽ, ſi tamen lucem ac diuturnitatem ſcripta mea ferre poterunt. Huc accedit, quod eius generis plęraque neque uerè neque moderatè ſunt ab alijs prodita literis: & extat cuiuſdam, noſtræ nationis, liber, ante ſextum annum editus Moguntiæ, criminationibus, calumnijs, nugis, conuicijs refertiſſimus: & his proximis annis editi ſunt Florentiæ tomi duo, quorũ author prolixè quidem & amplè ſuorum temporum hiſtoriam tractat, ſed ubicunqꝫ de rebus Germanicis loquitur, præſertim de religione, morbum animi prodit: nam & incomperta ferè ſunt & falſa & calumnioſa quæcunque ſcribit, ut luculenter demonſtrari poteſt. mitto tot orationes, epiſtolas, præfationes, quæ typis euulgatæ, cùm res iſtas attingunt, non maleuolè tantùm & inuidioſè omnia tractant, ſed à ueritate quoqꝫ longiſſimè recedunt. His inquam de cauſis progrediendum eſſe, neqꝫ committendum putaui, ut rei geſtæ ſeries uel ad hanc noſtram uel ad futuram ætatem tranſmitteretur mendoſa. Quid enim in hoc genere turpius, quid minus ferendum, quàm ea, quæ peritiorem debent reddere lectorem, falſis narrationibus deprauari? Magiſtratus nimirum intereſt, prouidere, ne quid licenter in eo fiat. habet autem hoc uitij noſtra hæc ætas, ut eiuſmodi ſcriptores plæricꝫ gratiam captent, &, dum uni alicui placere ſtudent atqꝫ gratificari, de multis male mereantur, & complures in errorẽ abducant. Ego ſanè, quod ſine oſtentatione dictum eſſe uelim, ità ſum affectus, ut ſi quid in hoc opere minus uerè perſcriptum eſſe ſcirem, diſpuncturus illud ſim, & lectorem ipſe moniturus ultrò, ne fidem habeat. Sed planè cõfido, futurum, ut nulla mihi uanitas obijci poſſit: quantum enim ſtudiũ meum his aliquot annis & diligentia interuenerit, ut exactè ſingula cognoſcerem, & multi uiri boni teſtari poſſunt, & res ipſa docebit, uti ſpero. Cæterùm, etſi complector ea, quæ in

huius Cæsaris gubernationem uenerunt, licet ille superſit, & rempublicam gerat, quanquam in eius ætatem incurrere possunt adhuc fortasse multa, tamen, quoniam anteacta primam & potissimã & maximam partem sibi uendicant, diutius illa nolui desiderari, flagitantibus multis, non Germanis modò, sed exteris etiam, uiris doctis, ut ipsis in eo gratificarer. Impendent hauddubiè grauissimi motus & miræ uicissitudines: quod & scriptura sacra non ambiguè nec obscurè prænunciat, & præsens rerum status omninò significat, ità quidem, ut ijs, qui uolent huc animum applicare, non sit defutura scribendi materies: uerùm, quæ me causa mouit uti scriberem, publica nimirum utilitas, ea mihi nunc etiam persuadet, ut quæ scripta sunt, & his uiginti quinque comprehensa libris, in manus hominum exire patiar. Hunc uerò laborem meum, & quicquid est impensum operæ, tibi uolui, princeps illustrissime, consecrare totum, qui genus & originem ducis ex ea familia, quæ huic doctrinæ perfugium & hospitium prima dedit, cuius pater auidè complexus est illam, cuius frater ad educationem iuuentutis in literis atque pietate maximas facultates contulit, cuius etiam socer præclarum nomen inter reges obtinet, propter hanc ipsam causam. Et quoniam his illorum uestigijs tu quoq; magna cum laude insistis, opus hoc, quod multis proderit, uti spero, non ingratum tibi futurum esse confido. Celsitudinem tuam Deus incolumem seruet. Dat. decimo Cal. April.

M. D. LV.

IOAN.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE Statu Religionis & Reipublicæ, Carolo Quinto, Cæsare, Liber I.

LEO DECIMVS, PONTIFEX ROMANVS, EX FAmilia Medicea, Florentinus, pro sua, quam in omneis Christiani nominis ecclesias habere se putabat, quadam usurpatione maiorũ, potestate, missis per omnia regna literis atq; diplomatis, omnium delictorum expiationem ac salutem æternam pollicebatur, interuentu pecuniæ, quam quisque daret, ad eámque rem qui mittebantur quæstores, ac huius tanti beneficij prȩcones, æraria passim per omneis prouincias cõstituerant: nec id modò, uerumetiã editis libellis dogmata sua defendebant, in Germania præsertim. Hanc uerò condonationem peccatorũ, suo quodam uocabulo, iam olim recepto, nominabant Indulgentias. adhæc, ouis, lacte, cãseo, carne uescendi facultatẽ diebus uetitis, precio uendebant. Erat tùm Vuittembergæ, quod est ad Albim, oppidum Saxoniæ, Martinus Lutherus, theologus, Augustinianus: is concionibus illis & quæstorum libellis excitatus, cùm uideret uulgò credi quod illi iactabãt: cœpit monere homines, agerent prudenter, neque merces illas tantì compararent: quod enim his rebus impenderent, multò posse collocari melius. Fuit hoc anno salutis humanę supra millesimum quingentesimum, decimo septimo. Vt autẽ maiori cum fructu rem ageret, pridie calendas Nouembris ad archiepiscopum Moguntinum, Albertum Brandeburgicũ, datis literis, quid illi doceant, exponit, & populo sic esse persuasum queritur, quasi pecunia comparatis illis diplomatis, de salute nihil amplius dubitare debeant, quasi nullum possit admitti tantum scelus, quod eius rei beneficio non sit condonatum: quasi eorum animæ, qui crucientur igni purgatorio, simulac nummus in arculam sit iniectus, in cœlum è uestigio subuolent, solutæ pœnis: ostendit mandatum esse Christi, ut doceatur euangeliũ, & episcoporum esse proprium munus, ut rectè populum erudiant. cõmonefacit igitur officij & orat, ut pro sua authoritate libellos editos aboleri iubeat, & declamatoribus illis meliorẽ docendi rationẽ

præcipiat, ne grauius aliquod ex eo diſſidiũ oriatur, quod omninò futurũ ſit, niſi coherceantur. Cauſa, cur ei ſcriberet, hęc erat, quòd ad ipſum, propter Magdeburgenſem eccleſiam, cuius erat etiã antiſtes, earum rerum omnium cura pertineret. Cum iſs literis unà mittebat themata, quæ nuper diſputandi cauſa Vuittembergę promulgarat, numero ad nonaginta quinq;. iis & de purgatorio & uera pœnitentia, & charitatis officio, déque indulgentiis copioſè diſputat, & quęſtorum conciones immoderatas impugnat, ſed indagandæ ſolùm ueritatis cauſa, ſicut dictũ eſt. Nam & ad diſputationem inuitabat omneis, qui uellent in medium aliquid adferre, & eos, quibus adeſſe coràm non uacaret, ut ſcripto ſententiam ſuam oſtenderent, orabat, & proteſtatus, nihil adfirmare, ſed ſanctæ eccleſiæ iudicio rem omnem ſubmittere, uerùntamen Thomæ Aquinatis, & id genus alia ſcripta non ſe recipere demonſtrabat, niſi cum ſacris literis & patrum decretis conſentiant. Moguntinus ad ea nihil reſpondit: & non multò pòſt, Ioannes Tecelius Dominicanus, Francofurti, quod eſt ad Viadrum flumen, Brandeburgicæ ditionis oppidum, alia quædam themata, Lutheranis omninò contraria diuulgat, quibus & pontificis poteſtatem, & fructum indulgentiarum, & eam, quæ paſſim tunc erat in templis erecta iuſſu pontificis, crucem ligneam, uehementer prædicabat, ità quidem, ut cum Leone decimo Petrum apoſtolum, & crucem, in qua pro nobis uitã Chriſtus profudit, cum hac põtificia componeret. Cùm autẽ ad diſputationem Vuittembergę propoſitam, reſiſtendi cauſa nemo ueniret, & quæ diximus themata, ſummo cum applauſu legerentur à multis, Lutherus explicationem eo-

M.D.XVIII. rum ſcribit ualde prolixam, & primùm ad Hieronymum epiſcopũ Brandeburgicũ, cuius erat ditioni ſubiectus, deinde ad Ioannẽ Stupicium, Auguſtinianæ familiæ uicarium mittit, rogans, ut ad pontificem curet perferri: ſed & ipſe, Iunio menſe datis ad Leonẽ literis, exponit, quàm temerariè quæſtores illi doceant, et quàm agant auarè, freti ipſius uel abuſi potius authoritate: non ſe dubitare quin ſit grauiter delatus, uerùm iniuriã ſibi fieri: cõcionibus enim quęſtorũ & libris nimium ineptis coactũ, edidiſſe quędam diſputandi ſolùm gratia, quę nunc apertius declaret: orare, ne criminationibus illis fidem habeat: Fridericũ Saxoniæ principẽ electorem, ea eſſe prudentia & integritate, & erga religionẽ obſeruantia, ut, ſi uera eſſent quæ delata ſunt ab aduerſarijs, non ſit paſſurus prouinciam ſuam ad eum modum contaminari: ſed & academiæ Vuittembergicę cõſimilem

eſſe

esse uoluntatem: breuiter, omnia sua scripta, uitam quoque & salutem ipsius arbitrio atque potestati sese permittere: quicquid ab ipso profectum fuerit, eo loco futurum apud se, ac si dimanasset à Christo, & tanquam ex oraculo aliquo dictum esset, neque capitis recusare pœnam, si quidem ita uideatur ipsi. Præter alios, qui ipsius themata & his adiunctam explicationem oppugnabant, Ioannes Eccius theologus aduersariũ quoque scriptum, obeliscos, edit. huic respondet Lutherus: nihil sacræ scripturæ, nihil è scriptis patrũ, sed sua quædam ipsum adferre modò somnia, iam olim praua consuetudine nimiùm in scholis recepta. Post Eccium, Syluester etiã Prierias Dominicanus, palatij, quod uocant, sacri magister, contrà scripsit, edito dialogo, cum præfatione ad Leonem, ualde confidenter & animosè, dum ait uelle se periculum facere, num ità sit ferreus & inuictus Lutherus, ut conuelli non possit aut superari: qui si respondeat, tum se daturum esse multò maiora & diligentius elaborata. Lutherum etiam compellat, & se, quanquam sit ætate grauis, iámque longo tempore in eiusmodi palæstram non descenderit, pro Pontificatu Rom. nihil non esse facturum demonstrat, & ipsum, ut ad sanitatem redeat, hortatur, & prius quàm disputationem ingreditur, themata quædam adfert, ueluti sententiæ suæ fundamentum, quibus & Pontificem Romanum, totius ecclesiæ caput, & ecclesiam Romanam omnium esse primam ac præcipuam, in ijsque rebus affirmat errare non posse, quæ ad fidem atque religionem pertinẽt, sed ne cõcilium quidem, cui pontifex Rom. interfit: sacram quoque scripturam accipere uim omnem & authoritatem ab ecclesia & à Pontifice Rom. tanquam à regula fidei longè certissima: qui contrà sentiat, aut ecclesiæ Rom. doctrinam non sequatur, aut eius elenet potestatem, hunc esse dubio procul hæreticum: eo posito fundamento, uenit ad disceptationem. Huic scripto Lutherus deinde respondet, & ad Syluestrum præfatus, ipsius themata suspicere se magis, quàm intelligere dicit. deinde secutus illius exemplum, muniẽdi sui causa, themata quoque sibi sumit ipse, uerùm è sacris petita literis, quibus ostendit, non quibuslibet hominum doctrinis habendam esse fidem, sed omnia prudenter expẽdi oportere, & quod uerbo Dei consentaneum sit, amplectendum ac præter eam doctrinam, quæ sit à Prophetis & apostolis relicta, non esse recipiendam aliam, quamlibet etiam sit speciosa: qui proximè ad illam accesserint scriptores, admittendos, de cæteris doctrinis faciundum esse iudicium:

ad indulgentias quod attinet, non licere quæstoribus aliquid in eo fingere noui, sed iuris pontificij præscriptum in eo sequendum esse. pòst objicit, quòd scripturæ testimonium nullum adducat, quòd Thomæ tantum opiniones recitet, qui & ipse plęraque omnia pro suo arbitratu sine scripturarum authoritate tractarit. itaque reijcit utrunque,& id non Pauli solùm iussu, uerùm Augustini quoque se facere confirmat exemplo: Iureconsultis admodum esse familiare, ut dicant, non licere quicquam pronunciare, nisi ex præscripto legis: in rebus autem sacris multò minus debere tolerari, si quid absque testimonio scripturæ dicatur: præceptum esse Pauli, ut qui populo erudiendo præsunt, instructi sint, non syllogismis aut uarijs hominum decretis, uerùm sana doctrina, diuinitus inspirata, nobisque relicta: quia uerò præceptum hoc plęrique sint aspernati, densas admodum tenebras incidisse,& inutilium quæstionum uim maximam inundasse. Cùm ad hunc modum sibi strauit uiam, uenit ad confutationem, & sub finem ait nihil se moueri comminationibus ipsius atque uerbis ad ostentationem compositis: etiam si capitis pœna sibi subeunda sit, uiuere tamen,& immortalem esse Christum, cui sit omnis tribuenda gloria: si posthac in aciem prodire uelit, alijs utendum esse armis, alioqui fore, ut cum Thoma non admodum excipiatur commodè. Syluester ad ea rescribit. ualde sibi placere, quòd Romani põtificis arbitrio se permittat: cupere etiam ut ex animo & uerè dixerit. Ambitionem & assentationem ei Lutherus obiecerat: ea remouet à se, quantum potest: Thomam uerò strenuè defendit, eiúsque doctrinam omnem, ab ecclesia Rom. sic esse receptam dicit & approbatã, ut etiam quibuscunque scriptis anteferatur: ipsum autem, qui de tanto uiro parum sit locutus reuerenter, obiurgat, & honorificum sibi ducit, uocari Thomistam: sed tamen aliorum quoque scripta sibi esse cognita, quod aliquando sit declaraturus. Huic præfationi libellũ subiungit, Epitomen: in eo Rom. pontificis potestatẽ mirificè commendat, ita quidem, ut concilijs & omnibus planè decretis eum præferat, & ab eius authoritate uim scripturæ dependére omnem affirmet. Thomas iste natus illustri genere, totum sese dedit literarũ studijs, et Italia relicta, Coloniam primùm, deinde Luteciam profectus, inter sui temporis uiros doctos principem locum obtinuit, uarijs editis libellis, quibus & theologica tractat & philosophica. fuit ordinis Dominicani, discipulus Alberti Magni. Mortuum Ioannes XXII pontifex retulit in numerum diuorum, quinquagesimo circiter

citer anno pòst, quàm è uita decesserat. Pontificiam dignitatem mirificè propugnauit. nam & principatum in omneis episcopos & uniuersam ecclesiam atque reges, & iurisdictionẽ tàm ciuilem quàm sacram ei tribuit, & ad salutem esse necessarium, ut omnes ei subsint, eúmque plenam habere in ecclesia potestatem, & ipsius esse congregare concilium, & in eo facta decreta confirmare, quinetiam à synodis ad ipsum rectè dicit appellari. breuiter, nihil ei non asscribit, hoc solùm adimit, quòd noua dogmata fidei, uel, ut ut uocant, articulos condere non possit, nec etiam eos abolere, qui sunt nobis per apostolorum manus atque patrum relicti. De indulgentijs quoque passim multa scripsit, in ijsque largiendis pontificem planè regem constituit. Mortuus esse dicitur ad annum salutis M.CC.LXXIIII. Vulgò doctorem uocant angelicum, ob acumen ingenij. Syluestri scripto, Lutherus epistola solùm ad lectorem respõdet, & hunc eius libellum ita conflatum esse totum dicit ex mendacijs & horrendis nominis diuini contumelijs, ut Sathanam eius authorem appareat fuisse: quod si Pontifex & Cardinales idem sentiant, si Romæ quoque sic doceatur, iam non esse dubium, quin Roma sit ipsissima sedes antichristi: fœlicem esse Græciam, fœlicem Bohemiam & omneis, qui diuortiũ ab ea fecerint: miseros autem esse, qui cum ea commune quid habeant: nisi Põtifex illum coërceat, nisi cogat ut scripta reuocet, dissentire se ab eo profitetur, ac non modò non agnoscere ecclesiam Rom. sed habiturum esse deinceps illam, ut sentinam aliquam impurissimam, & locum impietati consecratum: excogitari quotidie noua & inaudita Pontificis Rom. præconia, callidè nimirum & insidiosè, ut ne concilio legitimo possit esse locus, quandò quidem & ipsum adulatores anteferant concilio, & ab eo, tanquam à certissimo iudice, scripturæ totius intelligentiam esse petendam cõfirment: quòd si pergant ita furere, suisq; prestigijs orbem terrarum ludificare, nihil aliud superesse remedij, quàm ut magistratus in ipsos animaduertat: fures, latrones & id genus alios maleficos pœna capitis plecti, sed multò esse æquius, ut hi lõgè nocentissimi Reip. hostes, communi hominum studio & opera comprimantur: Pontificis enim eandem esse, quæ sit omnium hominum, sortem & conditionem, eúmque non minus teneri præceptis diuinis, quàm quemuis etiam infimi gradus hominem: qui secus doceant, maximam eos iniuriam facere maiestati diuinæ. Tunc etiam acerbè scripsit in Lutherum Iacobus Hogostratus Dominicanus, Pontificem ad uim

atque flammam exhortatus. Ei paucis admodum respondens Lutherus, animum exprobrat crudelem & sanguinarium, & hominis imperitiam falsè ridet ac monet ut ita pergat: hoc enim ad ueram gloriam comparandam inprimis conferre, cùm quis ab indoctis & uitiosis improbatur: de Leone autem Pontifice meliora se sperare dicit. Dum hæc, more scholastico, scriptis utrinque geruntur, Maximilianus Cæsar conuentus agit Augustæ Vindelicorum, quò & Leo X legatum deinde misit, Thomam Caietanum Cardinalem. ei conuentui septemuiri principes omnes aderant, qui propter ius creandi Cæsaris dicuntur electores. de bello Turcico deliberatum hic fuit. Nam Turcarum Cæsar Selymus, deuicto nuper Sultano, Syriam & Aegyptum in suam ditionem redegerat. Caietanus autẽ orationem habuit exhortatoriam, & Pontificis nomine thesauros ecclesiæ pollicitus in hoc bellum, Maximilian. Cæsarem, ut ecclesiæ defensorem, de auxilijs implorabat. Ad hoc tempus Leo X Cardinalem creauit archiepiscopum Moguntinum Albertum, & hoc in conuentu per Caietanum inaugurari iubet ceremonijs & sacris in eà re consuetis. Cæsar deinde nouum Cardinalem è templo domum reducit, ac munera mittit, regiam lecticam, equos, & stragulam uestem multam, ualde preciosam: Põtifex autem dono dabat pileum, auro, gemmis & margaritis intextum, & ensem deaurata uagina. Nam plærique omnes episcopi Germaniæ, tam ciuilem quàm ecclesiasticam iurisdictionem obtinent. Hunc autem honorem ei detulisse Leo creditur, ut ecclesia Romana defensorem haberet in Germania, nobilitate generis & dignitate conspicuum. etenim licet episcopi sint omnes fide & iureiurando deuincti Rom. Pontifici, tamen hi, qui dicuntur Cardinales, multò sunt illi magis obligati: deinde non ignorabat, quantum hic posset in rebus Imperij, qui principum electorum esset primus ac ueluti consul perpetuus, antiqua consuetudine. Maximilianus, de controuersia Lutheri certior factus, Augusto mense dat literas ad Leonem. audire sese, quemadmodum Lutherus multa disputarit & pro concione dixerit, in quibus pleraque uideantur esse hæretica: hoc eò magis dolere sibi, quò pertinacius ille suam doctrinam defendat, & quò plures habere dicatur suorum errorum approbatores, & in his quidem nonnullos magni nominis: hortatur, ut ipse, pro sua, quam habeat, potestate summa, quæstiones omneis ociosas & inutiles rescindat, omnem quoque sophisticen & contentiones uerborum inhibeat, qui enim his rebus

operam

operam dent, nocere plurimùm reipublicæ Christianæ, quandóquidem hoc solùm spectent, ut quod ipsi didicerunt, hoc laudetur ab omnibus & recipiatur: diligenter quidem esse cautum ætate superiori, ut idonei constituantur doctores, ac omnis fugiatur sophistica: præceptum autem hoc fuisse paulatim contemptum, ità quidem, ut mirum uideri nõ debeat, si, quos aliorum oportuit esse doctores, ij sæpius aberrarint: hos nimirùm esse in causa, quòd prisci illi scriptores, sacrarum literarum interpretes, multò iam tempore & negle cti iacuerint, & facti sint mendosiores: his etiam imputandum esse, quòd multæ nostris temporibus exortæ sint in re literaria turbæ, & quòd hæc ipsa nunc sit nata de indulgentijs plena periculi disceptatio: magnitudinem rei sanè postulare, ut nascenti malo medicinam faciat, priusquàm longius euagetur atq; serpat: nam esse moræ coniunctum periculum: quicquid ipse decreuerit, hoc se laudaturum, & ut per Imperij prouincias omneis locũ habeat, curaturũ esse. De scriptis aduersarijs Lutheri & Syluestri suprà diximus: cùm is & munus publicũ Romæ haberet, ac causam exagitaret, Leo citat Lutherum, & denunciata pœna, Romã uenire iubet. pòst, ad suum in Germania legatum Caietanũ dat literas Augusti mensis die uigesimo tertio. quia non in academijs tantùm, sed ad populum etiam, ac editis per Germaniã libris, Lutherum audiat tueri quasdam opiniones impias & à sententia ecclesiæ Romanæ alienas, quę fidei sit & religionis magistra, se, qui paterno quodã affectu cuperet illius reprimere temeritatem, Hieronymo episcopo Asculano, ad quem istud propriè pertineat, mandasse, Romã illum euocaret, ut & accusationibus responderet, & fidei suæ rationẽ redderet: Asculanũ fecisse quidem imperata, sed illum nõ modò ad sanitatẽ non rediisse, uerumetiã in hæresi pertinacem, multò edidisse deteriora scripta, magno certè suo cum animi dolore ac perturbatione: det igitur operam, ut Augustam perducatur, in eóque Germaniæ principum & Cæsaris opẽ imploret, &, cùm adductus erit, custodias ei ponat, quò Romæ deinde sistatur: quòd si sponte resipiscat & delicti culpam deprecetur, ignosci iubet, & ecclesiæ restitui, quæ pœnitentes nunquam excludere soleat: sin minus, tum ei sacris interdicat: mandat etiam ut huic edicto pareant omnes: qui secus fecerint, ecclesiasticis quidem adimit omnia quæ possident bona, simul spem omnem & facultatem ulla consequendi deinceps tollit: alios uerò, ciuilem functionem obtinentes, & esse infames, & ab honoribus remoueri, &

ſacra ſepultura carere, & priuari omnibus, quæ uel ab ſe uel ab alijs etiam acceperint, beneficijs aut præfecturis iubet: qui uerò fidelem operam in eo præſtiterint, ijs uel communem illam & plenam delictorum remiſſionem concedi, uel etiam munus aliquod largiri præcipit, & huic edicto ſubijcit omneis, unum modò Cæſarem eximit, nec ullius uel immunitatem uel priuilegium uult aliquid contrà ualere. Eodem quoque die, ad Fridericum Saxoniæ principē, qui tùm erat Auguſtæ, ſcribit. inter alia Saxonicæ domus ornamenta, proprium hoc illi ſemper fuiſſe, quòd religionis eſſet obſeruantiſſima: non eſſe igitur ueriſimile, quenquam eius familiæ ſic à ſuis degeneraſſe maioribus, ut illū, qui de religione Chriſtiana minus bene ſentiat, protegere uelit & patrocinio ſuo iuuare: uerúntamen, magno cum animi dolore complures audire ſe quotidie & graues de Luthero querimonias, homine perdito, qui ſui ordinis et profeſſionis oblitus, multa proteruè, quæ ſint aduerſus eccleſiam Dei, faciat, magna quadam confidentia, dum iactat principis fauore & tutela munitum ſe, nullius authoritatem uereri: non ſe quidem dubitare, falſò iſtud ab eo ſpargi, ſed tamen hæc pauca uoluiſſe ad ipſum perſcribere & admonere, ut ſui ſuorúmque maiorum dignitatis & ſplendoris perpetuò memor, non modò culpam, ſed culpæ quoque ſuſpitionem omnem fugiat: ſibi certò cōſtare, multa illum docere, prorſus impia & hæretica: ſe, ſuíque palatij magiſtrum, diligenter eius opiniones omneis habere notatas: hanc nimirùm eſſe cauſam, cur & illum citarit, & legato ſuo cardinali Caietano, quid in eo præterea fieri uelit, iniunxerit: & quia religionis hoc ſit negotium, & ad eccleſiam Romanam hoc munus, de cuiuſq; fide cognoſcendi, propriè pertineat, hortari ſe atque mandare, ut interpellatus à ſuo legato, det operam & efficiat, ut in ſuam ille poteſtatē ueniat, quod et Deo gratiſſimum obſequium, & ipſi totíq; familiæ priuatim futurum ſit ualde honorificum: quòd ſi Romæ habita quæſtione, nihil in eo culpæ fuerit deprehenſum, fore, ut ſaluus & incolumis domū reuertatur: ſin autē crimen aliquod in eo reſederit, tunc ipſum, qui nocentem hominem diutius ferre noluerit, extra culpam eſſe futurum: ea quoq; ſe predi tum eſſe clementia, ut nec ſit oppreſſurus immerentē, nec reſipiſcentem à ſua gratia repudiaturus. Ad hunc modum nihil intentatum relinquebat, ut illum opprimeret. hoc etiā anno datis literis ad Gabrielem Venetū, ordinis Auguſtiniani promagiſtrum, hortatur, ut Lutherum, qui ſit eius ſodalitatis ſacerdos, ac in Germania res nouas moliatur,

moliatur,ac noua dogmata tradat, ab incepto reuocet, ea authoritate, quam ipsi det præfectura, & diligenter sollicitet, tùm literis tùm per doctos internuncios: celeriter autem id esse faciundum: sic enim fore non difficile, modò natam flammã extinguere: nam ea quæ iam primùm oriuntur atque surgunt, non sustinere paulò maiores impetus: uerùm si differatur, donec malum sumpserit uires, uerendum esse, ne possint incendio pòst adhiberi remedia: nam labem istam indies augescere, neque uideri quicquàm ità metuẽdum, atque moram: incũbat igitur huc omni studio, labore, cogitatione, diligentia, quandoquidem imperium in ipsum habeat. Vbi citatum se, Lutherus, & Romam euocatum esse uidit, multùm sollicitabat, ut de sua causa per Germaniam alicubi cognosceretur, idoneis constitutis iudicibus, in loco minimè opportuno iniuriæ. Cùm autem id impetrari non posset, academia Vuitembergica, missis ad Leonem literis, xxv. die Septembris, egregium Luthero dabat & amplum uitæ ac eruditionis testimoniũ: illum quidem ob themata quædam esse Romam euocatum, sed propter imbecillam ualetudinem et uiæ periculũ ei non esse integrũ: rogant, ut de ipso non secus atq; de uiro bono sentiat: disputandi solùm non definiendi causa quædã ab eo fuisse proposita, quæ in deteriorem partem interpretati sint, & admodũ exacerbarint aduersarij: se quidem nihil aduersus ecclesiam admissuros, & rogatos à Luthero non potuisse non testimonium hoc ei dare, cui ut fidem habeat, uehementer orant. Cum ijs literis alteras quoq; mittunt ad Carolum Miltitium Germanum, Leonis cubiculariũ. Exponunt, quo modo Lutherus, nullo suo merito sit apud pontificem in magnũ adductus odium, ità quidem, ut Romam citatus, impetrare adhuc non potuerit, quò de causa per Germaniam alicubi cognosceretur: se quidem ità esse non erga religionẽ modò, sed erga sanctã quoq; Romanam ecclesiam affectos, ut, si quod in Luthero crimen hęreret, aut impius error, non sint eum toleraturi: sed illum ea esse tum eruditione, tùm uitæ integritate, sic etiam esse de ipsis, déque academia tota meritum, ut in hoc rerum statu deesse ipsi non possint: Fridericum quoq; principem, pro sua, tùm fide, tùm prudentia, nisi bonũ uirum esse iudicaret, non fuisse illi diuturnam aliquam concessurum impunitatẽ: apud pontificẽ ergò pro sua gratia & familiaritate perficiat, ut ei nõ Romæ, sed in Germania decernantur iudices nõ suspecti: nihil se dubitare, quin ille sit facturus homine Christiano & theologo dignum officium, & declaraturus, quàm nulla sit ab ipso quæsita, temerè, uel

præter cauſam litigandi occaſio: id autem eò ſe uehementius petere, quò maiorem ſpem habeant, ipſum, qui ſit Germanus, commendatione quadam naturæ & communis patriæ, non eſſe defuturum in cauſa tàm honeſta, calumnijs propemodum oppreſſo & de ſalute periclitanti Germano. Præter hanc amicorum interceſſionem, Fridericus etiam princeps Caietanum interpellat Auguſtæ, rémque eò deducit, ut ſolutus neceſſitate proficiſcendi Romam Lutherus, Auguſtam euocaretur, apud Caietanum dicturus cauſam. Quò cùm uenisset initio menſis Octobris, triduum ibi fuit antè, quàm Caietano loqueretur. nam ij, quibus eum Fridericus commendarat, qui finitis comitijs domum redierat, uetabant, ne prius illum accederet, quàm ipſi publica fide cautum eſſet à Maximiliano Cæſare. ea demùm impetrata, uenit: & cùm humaniter excepiſſet, nolle ſe dicebat Caietanus in diſputationem cum eo uenire, ſed controuerſiã amicè componere. ſimul duo quædã pontificis mandatu proponit. primùm, ut ad ſanitatem redeat, & quos diuulgaſſet errores, reuocet: alterum, ut ab eiuſmodi ſcriptis, quæ tranquillitatem eccleſiæ perturbarent, in poſterum abſtineat. Lutherus ad ea, ſe nullius erroris ſibi conſcium eſſe reſpondet, & ſi quid errarit, demonſtrari petit. Ibi Caietanus obijcit, in thematis ipſum affirmare, Chriſti ſeruatoris merita, nõ eſſe thesaurum indulgentiarum: eam ſententiam aduerſari Clementis ſexti decreto: deinde, acceſſuris ad ſacramẽtum, neceſſariam eſſe fidem, ità quidem, ut certò ſtatuant peccata ſibi condonari: ne hoc quidem eſſe uerum. Lutherus, & lectum ſibi decretum illud pontificium eſſe dicit, & quid de eo ſentiret, oſtendit, & Thomæ Aquinatis facta mentione, ſcripturæ ſacrę authoritatem longè præferendam ei cõfirmat. Tùm ille pontificis dignitatem prędicans, omnibus eum ſcripturis atq; concilijs anteponit, et concilij Baſilienſis, quod diuerſum ſtatuiſſet, abrogationem recitat: Gerſonem quoq; Pariſienſem, et alios eius ſententiæ approbatores, damnat. Lutherus contrà, pontificis maiorem eſſe, quàm ſit concilij, authoritatẽ, negat, ſuæq; ſententiæ laudatores, inter alios, nominat theologos Pariſienſes. Ad multa diſceptatione, cùm ipſis non conueniret, Lutherus deliberandi ſpaciũ petit. poſtridie redit, & pręſentibus aliquot teſtibus atque ſcriba, conſiliarijs quoq; Cęſaris quatuor adhibitis, eccleſiam ſanctam Romanam à ſe reuerenter coli profitetur et obſeruari: ſi quid etiã alienum ab ea dixerit, nolle ratũ habere, ſed quia ſit admonitus & iuſſus, ut errorem deponat & deinceps abſtineat, ait exiſtimare, nihil ſe pronunciaſſe,

quod

quod uel à ſacra ſcriptura, uel à patrum ſententijs, uel à põtificum decretis, uel à recta quoque ratione diſcrepet: non ſe quidem negare, quin labi poſſit atque falli: hoc enim eſſe humanum: ideóque deferre ſe cognitionem legitimæ & ſanctæ eccleſiæ, totámque cauſam eius iudicio permittere: nec id modò, uerumetiã quouis in loco ſuæ doctrinæ rationem eſſe redditurum: hoc ſi non placeat, ſcripto reſponſurum ipſius argumentis, quæ fortè adducet, neque recuſare, quò minus academiæ Germanicæ, ſed & Pariſienſis, iudicium ſuum interponant. Caietanus iterùm urgebat, uti pridie fecerat, illud Clementis decretum, quaſi pro ſe faceret. tandem, ut ſcriptum exhibeat, permittit. eius autem hic erat ſenſus. Quo tempore themata ſua promulgarit, & eorum pòſt explicationem ſcripſerit, lectum antea ſibi fuiſſe decretum Clementis, uerùm animo ſuo nõ ſatis fuiſſe factum: nam etſi cautum ſit, Pontificis Romani decreta non minus quàm Petri apoſtoli uocem eſſe recipienda, tamen hoc ità debere accipi, modò cum ſacris literis conueniant, nec à maiorũ decretis aberrent: Petri quidem uocem eſſe ſacroſanctam, ſed tamen illum grauiter à Paulo reprehenſum, neque doctrinam eius receptam fuiſſe prius, quàm eccleſiæ, quæ tùm erat Hieroſolymæ, conſenſus interueniret: audiendas omnium eſſe uoces, uerùm ad Chriſti uocem, qui ſolus falli non poſſit, oportere cuncta referri: decretum illud pugnare cum plurimis ſacræ ſcripturæ locis, & hanc fuiſſe cauſam, cur tunc temporis illud thema in medium adduceret, & poſtea commentarijs etiam ueſtire non dubitauerit: ab eo quidem tempore propoſitum ſibi fuiſſe, non mouere ullam grauiorem ſuper eo diſputationem, & aliorum potius audire ſententiam: nunc uerò, etſi malit ab alijs erudiri, præſertim à Pontifice Romano, tamen, quoniam urgeatur neceſſitate quadam defendendi ſua, facturum ſe periculum, & daturum operam, ſi qua ratione decretum illud cum ſuis thematis conciliare poſſit. Hac uſus ad illum præfatione, rem ipſam aggreditur, & facta quadam explicatione, decretum illud, pro ſe facere demonſtrat, uerùm ità, ne uel Pontificis, uel etiam ipſius hoc ipſo uelit imminutam eſſe dignitatem. Pòſt ad alterum accuſationis caput accedit, & multis adductis ad ſuum inſtitutum ſcripturæ locis, fidem eſſe, quæ coram Deo nos faciat iuſtos, copioſè demonſtrat: itáque rogat, ut benignè ſecum agat & errorem doceat: nam eorum, quæ protuliſſet è ſacris literis, tantam eſſe uim, ut ſua credat niti ueritate, quam deſerere non poſſit, eò quòd magis obediendũ ſit Deo, quàm hominibus:

illam ergò reuocandi conditionem præduram, ſibi remitti petit, & pontificem reconciliari: non arrogantia, non ullius gloriæ cupiditate ſe in hanc paleſtram ueniſſe: nihil etiam optatius euenire ſibi poſſe, quàm ſi ueritas patefiat, &, ſi quid adferatur ab aliquo magis eruditum atque pium: orare ſe, ne ſuam ipſe conſcientiam uulnerare cogatur. Scriptum hoc Caietanus oblatum ab illo ſuſcepit, & ubi legiſſet, leuiter æſtimabat. pollicitus tamen illud mittere ad pontificem, ualde inſtabat, ut reuocaret: niſi faciat, pœnas à pontifice iam conſtitutas minatur: ſimul abire, niſi reſipiſcat, & in poſterum à ſuo colloquio iubet abſtinere. Lutherus tertiò poſt hanc cõminationem die, qui fuit dies Octobris xvij. dat literas ad illum officij plenas & beneuolentiæ. Caietanus enim, obiurgato Luthero, ſicut diximus, & à ſe dimiſſo, priuatim egerat cum Ioanne Stupicio, familiæ Auguſtinianę uicario, ut illum ad reuocationem ſpontaneam impelleret. In ijs ergo literis commemorat Lutherus, quid ſecum egerit Stupicius: nihil uidelicet eſſe prætermiſſum ab eo, quòd hominem fidelem & amicum præſtare deceat: agit gratias pro ipſius erga ſe beneuolentia, quam è Stupicij ſermone cognorit, quò quidem ualde ſit recreatus, & ità quidem, ut nemini malit quàm ipſi gratificari: fatetur nimis acrem ſe fuiſſe, & parùm obſeruantem dignitatis põtificiæ, uerùm importunitati quæſtorum hoc omne tribuendum eſſe: petit ſibi condonari factum, & maiorem deinceps modeſtiam pollicetur, & pro concione quoque ſe pontifici poſthac ſatisfacturum confirmat: ad indulgentias quantum pertinet, nullam ſe poſthac mentionem eſſe facturum, ſi modò ſuis aduerſarijs eadem lex feratur: ut autem à ſe promulgatam & adhuc defenſam ſententiam reuocet, non ſe poſſe cum bona conſcientia præſtare, quandiu ſacræ ſcripturæ teſtimonijs non demonſtretur error: petit ergò cauſæ cognitionem ad pontificẽ deferri: nihil enim ſibi fore iucundius, quàm ſuper eiuſmodi controuerſijs audire uocem eccleſiæ. Cùm ad eas literas Caietanus nihil reſponderet, biduò pòſt, amicorum ſecutus cõſilia, præſertim, quia uoces illæ quaſdam minaces emiſerat, diſcedit, relicta quadam appellatione, quę pòſt affigeretur palàm, & ſub tempus abitionis denuò ſcribit ad Caietanum. nihil à ſe prętermiſſum officij: peditẽ, & tenui ualetudine, longiſſimo confecto itinere, Auguſtam ueniſſe, quò ſuam erga pontificem declararet obſeruantiã: nunc autem, quando & parùm ſit reliquum uiatici, & hoſpiti ſuo, Carmelitarum domui nolit diutius eſſe grauis, rediturum ſe eſſe domum,

præſertim

præsertim,cùm & ipse conspectum suum non ferat,& colloquio interdixerit: ex amicis plærosque omnes consuluisse,ut ab ipso prouocet ad pontificem:se quidem hoc sua sponte non fuisse facturũ,quòd non admodũ putet esse necessarium, sed tamen illorum admonitiones non sibi fuisse integrũ repudiare,uel ideò cumprimis, quòd existimet Fridericum quoq; principem malle prouocationem hanc interponi,quàm temerè quicq; & incõsultò reuocari. Appellatio fuit certis uerbis ad hunc ferè modũ concepta: quæstionem illã de indulgentijs, uariè tractatam à multis,nunc̃q; fuisse certò definitam:in eiusmodi uerò quæstionibus dubijs liberum esse, præsertim theologis, disputare: hoc etiã se fecisse tunc,cùm declamatores quidam non temerariè solùm et incircumspectè scriberent atq; docerent,uerumetiã miris artibus populũ expilarent: & fecisse quidem non affirmandi, sed ueritatis cognoscendę causa: disceptationẽ quoq; omnem & doctorum hominum iudicio & Leonis arbitratui permisisse:illos autẽ excogitasse uarias contra se calumnias,& grauiter ad pontificem accusasse,rémq; eò deduxisse tandem,ut Asculano et Syluestro Prieriati causa cõmitteretur:ab ijs euocatum se fuisse Romam,sed quòd uterq; suspectus,alter etiã ad eius rei iudicationẽ minus esset idoneus: deinde,quòd de præsentissimo periculo,si Romã iuisset,nemo quisq; dubitaret,quòd etiã à suo magistratu iuberetur manere,his de causis atq; etiã metu omninò tali, qui in constantissimũ quemq; cadere possit,se orasse principem Fridericũ,efficeret,ut causę cognitio deferretur in Germania uiris aliquot peritis & idoneis,in loco nõ suspecto, nec ad iniuriam opportuno: põtificem igitur legato suo, Cardinali Caietano rem omnem mandasse,quòd haud dubiè factum sit aduersariorum suorum impulsu,qui de Caietani mente ac uoluntate compertum haberent. Et quanq; hic ipse nõ iniurià suspectus uideri poterat,se tamen obtemperasse:illũ uerò statim à primo congressu mandasse,ut sua reuocaret: se tùm respondisse, facti sui rationem se redditurum uel disputatione præsenti uel scripto,& non academijs tantùm, sed etiam ecclesiæ Romanæ iudicio uelle rem totam subijcere: uerùm his omnibus nihil emollitum,mandasse perpetuò reuocationem,et cùm extorquere non posset,comminatum esse graues pœnas tùm sibi,tùm alijs etiam, qui suæ essent sententiæ. Cùm ergò talibus præiudicijs ualdè se grauari sentiat,eam ob causam, à pontifice Romano minus edocto, quantùm quidem ad hoc pertinet, prouocare se ad pontificem rectius edocẽdum, atque hoc ità protestari palàm.

Porrò, decretũ illud Clementis extat in ea iuris põtificij parte, quam dicunt Extrauagantem. Ibi Clemens pontifex, tempus illud, uti uocant, Iubilæum, centesimo quoque anno præfinitum à Bonifacio octauo, redigit ad quinquagesimum, & de Christi seruatoris beneficio locutus, una guttula sanguinis ipsius liberari potuisse genus humanum demonstrat: cùm uerò tantam sanguinis copiam profuderit, ut toto corpore nihil esset in eo sani, nihil aspectu miserabilius, omne illud quod superfluum fuit, maximi thesauri loco reliquisse dicit in usum ecclesiæ, ac diuo Petro, qui sit cœli clauiger, eiúsque deinde successoribus mandasse, ut eum thesaurum in homines uerè pœnitentes atque peccata sua confessos diffundant, et tanquam œconomi distribuant, pœnámque temporalem peccatis debitam, eis remittant: huc etiam ait accedere Mariæ uirginis & omnium sanctorum merita, sic, ut inexhausta sit condonandi materies atque facultas. Ex hoc igitur decreto Caietanus uim indulgentiarum asseuerabat: Lutherus autem Petro & successoribus nihil esse commissum dicebat, præter claues ac uerbi ministerium, quo Christus iubet, fiducia sui, delictorum annunciari remissionem credentibus: hanc esse ueram et genuinam scripturæ sententiam: quòd si decretum Clementis idem sentiat, placere, sin minus, non se posse illud approbare: quod præterea dicatur de sanctorum meritis, repugnare totum sacris literis: homines enim, quicunque tandem illi sint, nõ modò non facere plus quàm oporteat, sed ne illud quidem, quod debent, posse præstare, neque suis meritis, uerùm sola Dei misericordia fieri saluos: nam omnibus orandum esse quotidie, ut debita seu delicta nostra Deus pater nobis condonet, nec in iudicio contra nos cõsistat, ne condemnemur. De põtificis potestate quod Caietanus adfert, sic habet. In concilij Constantiensis quarto & quinto consessu cautum fuit, ut etiam pontifex Romanus obediret synodi decretis. idẽ deinde sancitũ fuit atq; repetitũ in Basiliensis concilij consessu tertio & duodeuigesimo: sed Eugenius quartus, cùm nollet ad Basiliense uenire, quanquàm sæpe monitus atque citatus, irritum pronunciauit illud, & alterum indixit Ferrarię, quò Grẹcorũ etiam Imperator penultimus, Ioannes Palæologus cũ patriarcha Constantinopolitano Iosippo uenit & episcoporũ turba. fuit hoc anno salutis, M. CCCC. XXXVIII. Ferraria deinde Florentiam iuerunt omnes, atque ibi de consensu Grẹcorum fuit inter alia decretum, ecclesiam Romanã habere principatum, pontificémque Romanum esse Petri principis apostolorũ

ſucceſſorem, & uerum Chriſti uicarium, & totius eccleſiæ caput, & Chriſtianorum omnium patrem atque doctorẽ, ipſíq; traditam eſſe à Chriſto plenam poteſtatem paſcendi & gubernandi uniuerſam ecclesiam. Huic nunc inhæret decreto Caietanus, & pontificem concilijs anteponit. nam & ante annum ſextum, quo tempore nondum erat Cardinalis, uerùm ordinis Dominicani magiſter, orationem habuerat in altero conſeſſu Lateranenſis concilij, de quo poſtea dicetur, & in Cardinales aliquot, qui ſeceſsionem fecerant, multa locutus, Conſtantienſe pariter & Baſilienſe concilium obliquè perſtrinxerat, quòd patres eo tempore ius & authoritatem in pontificem ſibi uendicaſſent: rectè factum igitur ab Eugenio, qui factionem illam repreſſerit, neque ſuam poteſtatem ſit paſſus imminui. Eam orationem, Iulius ſecundus pontifex, in cuius gratiam iſta dicebantur, in acta referri deinde iuſsit: Caietanus autem, Leone, pontifice, Cardinalatum eſt conſecutus. Gerſon, de quo loquitur, theologus Pariſienſis magni nominis, uaria ſcripſit: interfuit autem concilio Conſtantienſi, & decretum ibi factum, quo cauetur ut pontifex concilio ſubſit, editis libris ualde celebrat, & dignum eſſe dicit, quod templis omnibus atque locis publicis ad ſempiternam memoriam inſcribatur: nam eos admodum eſſe pernicioſos adulatores, qui tyrannidem hanc in eccleſiam inuehunt, quaſi neque parére debeat concilio pontifex, nec ab eo iudicari poſsit, quaſi concilium ab ipſo uim omnem atque dignitatem accipiat, quaſi conuocari non poſsit, niſi de ipſius uoluntate, quaſi nullis legum teneatur uinculis, neque factorum ab eo poſsit exigi ratio. Longè nimirùm hæc eſſe repudianda monſtra uerborum, quæ cum legibus & cum æquitate pugnent ipſáque ratione: penes concilium enim eſſe poteſtatem omnem eccleſiæ, & à pontifice licere ad illud appellare, & eos qui rogant, utrum pontifex maior ſit an eccleſia, perinde facere, ac ſi quærant, num parte ſit maius totum: etenim & creandi pontificis & iudicandi & loco remouendi facultatem atque ius ad concilium pertinere, ac nuper id demõſtratum eſſe Conſtantiæ: cùm enim ſuper eo nonnulli dubitare uiderentur, & pontifici pluſculũ tribuerent atq; deferrent, definitam hanc ibi fuiſſe quęſtionem priusquàm Ioanni XXIII. magiſtratus abrogaretur. Hæc & id genus alia multa ſcribit in eam ſententiam Gerſon: itaq; nunc à Caietano reijcitur. mortuus eſt autem anno ſalutis M.CCCC.XXIX. Cæterùm, ſchola Pariſienſis idem quod ille, ſentit, & immenſam illam

pontificum usurpationem his ueluti cancellis includit, & mensibus aliquot antè, quàm Lutherus de indulgentijs aliquid ederet, à Leone decimo prouocauit ad concilium, ob antiquatam legem siue sanctionem pragmaticam, quæ literarum studiosis per Galliam admodum est utilis, & ad honores etiam patefacit aditum. Post abitum Lutheri, Caietanus dat literas ad Fridericum principem, Octobris die xxv. uenisse Lutherum Augustam, sed non prius locutum sibi, quàm Cæsaris interuenisset cautio: ualde se mirari, tàm exiguam sibi fidem haberi: post multam actionem se paterno quodam affectu monuisse hominem, ut ad sanitatem rediret: et licet pertinacior esset, tamen cum Stupicio & alijs quibusdam rationem inijsse conciliationis, ità quidē, ut & ecclesiæ Romanæ sua dignitas, & illi suus constaret honos: cúmque iam bona quædam essent eius rei iacta fundamenta, Stupicium primò, pòst etiam Lutherum abijsse clāculum: quod omninò sibi præter expectationem acciderit: Illum præ se ferre quidem, quasi disputandi & cognoscendi tantùm causa rem istam agat, in concionibus autem ad populum asseuerare omnia, quod minimè sit tolerādum, quandoquidem & ab ecclesia Romana discrepet eius doctrina, & ualdè sit perniciosa. quòd certò possit affirmari. Monet igitur, ut existimationi suæ consulat & conscientiæ, ut Lutherū aut Romam mittat, aut è suis finibus ejciat: fieri non posse, ut negocium hoc tàm pestiferum diu consistat: neque dubium esse, quin Romę sint peracturi iudicium, & se quidē, quod sui sit officij, rem omnem & commissam fraudem nunciasse pontifici: orat, ne fidem illis habeat, qui de Lutheri scriptis uidentur nō pessimè sentire, néue maculam istam atque labem honestissimę familiæ suæ inurat, quemadmodum sæpe sit pollicitus. Ad eam epistolam, xix. die Nouembris allatam, Fridericus princeps octaua die Decembris respondet. pollicitum se fuisse, curaturum, ut Augustam Lutherus ueniret: id quoniam factum sit, nihil à se posse præstari magis: ipsum uerò inuicem promisisse, fore ut Lutherum amicè dimitteret: nunc uerò, quòd illum indicta causa uoluerit ad reuocationem cogere, mirum hoc sibi cumprimis uideri: plurimos enim esse, non suæ tantum ditionis, uerùm alijs etiam in locis, uiros eruditione & uirtute præstantes, qui doctrinam illius minimè damnent: eos autem qui se illi obiecerint, auaritia fuisse & odio, propter interuersum emolumentum, impulsos: quòd si demonstraretur illius error, se, qui & gloriam Dei spectet, & conscientiæ suæ consultum esse cupiat, iampridem sua sponte fuisse.

te fuisse facturum in eo Christiani principis officium: prorsus igitur hoc sibi pręter opinionem euenisse, quòd scribat actionem in illũ iri continuatũ Romæ: quòd etiam à se petat, ut uel Romæ sistatur, uel è finibus exterminetur, id sibi non esse integrum: primò, quod illius error nondum sit commonstratus, deinde, quòd maxima sit istud futurum academiæ Vuitembergensis, à se constitutæ, iactura, quæ & multis ornata sit doctis atque studiosis hominibus, & Lutherum, ut hominem de se benè merentem magna complectatur beneuolentia: se quidem illi hanc ipsius epistolam, ut legeret, misisse: illum uerò, quod & antea non semel sit professus, affirmare, se paratũ esse, disputationẽ in loco non suspecto subire, & aliorum, qui rectius aliquid adferre possint, iudicia pati, uel etiam scripto respõdere: sibi certè uideri ęquum esse, ut hoc ei concedatur, atq; etiam petere ut ità fiat, quò tandem uideri possit, & quamobrem pro hæretico sit habendus ille, & quid sibi præcipuè sequendum sit: quemadmodum enim sciens & intelligens, nullum errorem approbare, & sicut inuitus admodum ab ecclesiæ Romanæ obseruantia discedere uelit, ità quoque se non posse illum, nisi detecto primùm errore atque crimine, damnare. Caietani literas Fridericus ad Lutherum misit, ut paulò suprà dictum est: Lutherus ergò principi statim respondet. quod ad Caietanum, nisi prius impetrata cautione Cęsaris, non iuerit, amicorum id fuisse factum consilio: quæ de indulgentijs déque fide in sacramentis necessaria scripserit, illum uoluisse reuocari: se quidem de priori non admodum laborare, sed ut alterum diffiteatur, quoniam in eo salutis nostræ summa posita sit, non se posse facere: pòst demonstrat, à pontificijs loca scripturæ deprauari & aliò detorqueri: commemorat etiam, quid singulis diebus actum sit, & quomodo Caietanus tandem ad minas deuenerit: certè, nihil tàm optare se, quàm ut doceatur, quid erret: meliora docenti libenter obtemperaturum: quòd si tantùm operæ propter se tenuis conditionis hominem illi suscipere recusent, saltem uel ad ipsum principem uel ad Cęsarem, uel aliquem magni nominis episcopum Germanię perscribant, aut disputationẽ liberam alicubi decernant: eos hęc omnia sibi adhuc denegasse: quòd si in eo perseuerent, facilè posse iudicari, suá ne an illorum interueniat culpa: cùm igitur ad sæuitiam hortantur & immanitatem, non oportere ipsum his illorum uocibus permoueri: nam annotare, qui uidebuntur, errores, & scripto comprehensos in Germaniam emittere, multò illis esse facilius, quàm sibi

magno ſumptu & præſenti uitæ periculo, Romam, ut de ſuis erroribus cognoſcat, proficiſci: quòd ille demum iactet, fore, ut in iudicio res peragatur Romæ, niſi uel eò ſe conferat, uel extra fines eijciatur: non ſe recuſare exilium: ſatis enim ſibi conſtare, quàm non poſſit ullo in loco eſſe tutus in his aduerſariorum inſidijs & maleuolentia: futurum quoq; ſibi longè grauiſsimum, ſi quidem ſui cauſa quis in periculum incurrat: itáq;, ne quid illi moliantur, exceſſurum ſe finibus iam & tota regione, quocunque Deus duxerit: proinde gratias agit, & ſalutem ei precatur, ſibi uerò gaudet atque gratulatur ipſe, quòd pro nominis Chriſti gloria Deus aliquid ſe perferre uoluerit. Poſthęc, academia Vuitembergica, nono calendas Decembris dat literas ad Fridericũ principem. ex Luthero ſe cognouiſſe de Caietani literis, quid & ille petat, & quid ipſe inuicẽ Auguſtę detulerit: cùm ergò Lutherus et errorem ſibi demonſtrari cupiat, & ſanctę eccleſiæ Romanę ſeſe permittat, orare, det operã, ne quid illi grauius in eum ſtatuant, ſed erranti uiam è ſacris literis commonſtrẽt: ipſum quidem de Leonis humanitate benè ſperare, ſed uereri plurimùm, ne tranſuerſum rapiant adulatores aduerſarij, et eccleſię nomine abutantur. Fridericus, & ſi pontificijs morem non gerebat, &, ne qua Luthero uis inferretur, diligenter cauebat, ut ex ijs quæ commemorata ſunt, ſatis apparet, tamen in eum uſq; diem, Lutheri nec ſcriptum legerat ullum, nec audierat conciones, ut ipſemet in quadã fatetur epiſtola, quam Auguſtæ ſcripſit ad Raphaẽlem Riarium cardinalem, à quo fuerat amicè pro ueteri inter ipſos notitia cõmonefactus, ne Lutheri ſuſciperet patrocinium. Interea dum hæc gerũtur, Leo defectionem aliquam metuens in hoc rerum ſtatu, quinto Idus Nouembris, nouo quodam edicto ſancit indulgentias, eámq; dicit eſſe eccleſiæ Romanæ, quæ magiſtra ſit reliquarũ omnium, doctrinam, ut Petri ſucceſſor, pontifex Romanus, & Chriſti uicarius, poteſtatem habeat hoc tantũ beneficium largiendi, ſic quidẽ, ut non uiuis tantum, ſed & mortuis in purgatorio proſint: hanc eſſe recipiendã omnibus doctrinã, niſi ab eccleſię conſortio uelint ſeparari. Decretum igitur hoc ad Caietanũ mittit, ut omnibus innoteſceret: is mandatũ ſecutus, Lincij, quod eſt ad Danubiũ, Auſtrię oppidũ, librarijs atq; teſtibus adhibitis, edictũ promulgat, & in exemplaria multa deſcribi curat, eáq; pòſt menſe Decembri per Germaniam mittit epiſcopis, & nomine Leonis mandat, graui cõſtituta pœna, ut è ueſtigio ſuis denuncient et religioſè cõmendent atq; præcipiant. Lutherus, quoniam

è Caietani

è Caietani literis acceperat, fore, ut contra se Romæ iudicaretur, no uam interijcit appellationem, Nouembris die xxviij. Initio profitetur, nolle se Romani pontificis rectè sentientis authoritatem conuellere, multò minus ab ecclesia dissentire: uerumtamen, quia pontifex pari sit cum reliquis mortalibus cõditione, fieri posse ut erret & delinquat, nec illi hoc esse tribuendum, quasi ipse unus falli non possit aut labi. docet hoc exemplo Petri, quem aberrantem in sana doctrina Paulus grauiter & apertè reprehenderit: quòd si pontificis tantæ sint opes atque facultates, ut & quiduis impĕret, nec ullius mandato cohiberi possit, iam ijs, qui sibi uim ab eo fieri putent, unicum superesse remedium, appellationem. postea commemorat, quomodo Caietani cardinalis nimia coactus asperitate, ad pontificem prouocarit, cuius in humanitate præsidium aliquod sibi reliquum esse putaret, cùm & æquissimas proponeret conditiones, & omnia se facturum profiteretur, errore sublato: iam uerò, postquàm hac appellatione contempta, reiectis etiam conditionibus, nihil opis aut salutis à pontifice sperandum esse uideat ex Caietani literis ad Fridericum principem datis, adductum extrema necessitate prouocare se à pontifice ad futurum concilium, quod illi sit modis omnibus præferendum. Posthæc, Leo Carolum Miltitium, de quo suprà diximus, in Germaniam mittit, & Fridericum aurea rosa donat, quæ multis cum ceremonijs atque pompa solet quotannis à pontifice & consecrari, & singularis beneuolentiæ causa cuipiam donari. Datis etiam literis ad Degenartum Pheffingerum, ex Friderici cõsiliarijs, uirum nobilem, rogat, ut in ijs, quæ suo nomine sit acturus cum Friderico Miltitius, bonam operam nauet, ut Lutherus, Sathanę filius coherceatur, & ne qua labe Saxonica domus, honestissima semper habita, & religionis admodum obseruans, contaminetur. In eandem quoque sententiam scribit Georgio Spalatino. quóque magis persuadeat, ait se totum in hoc esse, ut noxias herbas ex agro Christi reuellat & extirpet. Ad eundem ferè modum procancellarius etiam illius, ad Degenartum scribens, orat, ut Fridericum ad maiorũ imitationem hortetur, ne quid illorum memoria committat indignum. Miltitius in Saxoniam ubi uenit, exhibita rosa, negotium sibi commissum strenuè agebat: eo cognito, Lutherus, Martij die tertia dat literas ad pontificem, ualde quidem demissas. grauiter se delatum ad principem Fridericum, quasi proteruius in ecclesiam Romanam egerit; non mediocriter autem eò se cõmoueri: nam ipsius ab se alie- M. D. XI X.

ationem animi, ualde sibi grauem esse, neq; tamē interim apparere, quid, aut qua ratione sit agendū: urgeri se perpetuò, ut sua reuocet: quòd si ex usu & dignitate ecclesię Romanę possit aliquid hac ratione confici, non se recusaturum, sed esse complures in Germania prę-stanti ingenio et eruditione uiros, qui de tota controuersia rectè iudicare possint: itáq; fore, ut, etiamsi reuocet, hoc ipsum tamen ad ecclesiæ Romanę dedecus atq; detrimentum magis quàm ad dignitatem pertineat: iniuriam enim se nullam ipsi fecisse, uerùm quæstores illos atq; declamatores potius, qui auaritia ducti, fœda quædā & ignominiosa dixerint ad populum: ab ijs delatum se grauiter & accusatū esse præter omne suum meritū: se quidem erga Romanam ecclesiam & ipsum quoq; sic esse affectum, ut nihil in eam moliri cogitet: tantam enim eius ecclesiæ potestatem esse, ut præter unum Christum in rebus humanis, nihil ea sit excellentius: orare, ne suis aduersarijs fidē habeat: de indulgentijs nullam se posthac mentionem esse facturum, modò suis inimicis inuicem mandetur silentiū: pro concione quoq; se uelle cōmonefacere populum, ut de ecclesia Romana piè sentiant & honorificè, nec alienam temeritatem aut auaritiam huic asscribāt, néue suum imitentur exemplum, qui quodammodo coactus ab aduersarijs, parùm reuerēter illam atq; dignè tractarit: breuiter, omnia se facturū pacis causa: hoc unum modò spectasse in omni actione, ne qua labes ecclesię Romanę per alienam improbitatem aspergeretur, néue populus impia doctrina falleretur: hanc solicitudinem atq; diligentiam non posse in ullam adduci reprehensionē: de rebus medijs et non necessarijs nihil se magnopere laborare, modò in animis hominū nullus resideat error aut persuasio falsa. Prius quàm Miltitius in Germaniā uenit, Maximilianus Cæsar è uita migrauit in Austria, die XII. Ianuarij. Erant tùm electores, Albertus Moguntinus, Hermannus Coloniensis, Richardus Treuericus, archiepiscopi: Ludouicus Palatinus, Fridericus Saxoniæ dux, Ioachimus Brandeburgicus Marchio: Bohemię principatū obtinebat Ludouicus Vngarię rex. Hi pro consuetudine Imperij à Moguntino cōuocati, Iunio mense, Francofurti, quòd est ad Mœnum flumen, oppidū, conueniunt: Bohemię rex legatū eò misit Ladislaum Sternebergum. Initium sermonis facit Moguntinus, et de magnitudine rei multa locutus, ad cōcordiam eos hortatur, & multis in mediū adductis exemplis, quantum malorum inuexerit in Germaniā, patrum memoria, electorum dissensio, demonstrat: ut autē nunc omnes idem uelint atq; sentiant, tanto ma-

tò magis requiri, quò grauius à Turca periculũ immineat & ab alijs, qui Germanię diuulsionem quęrunt. Ambiebant Imperij dignitatem duo, Carolus Austriacus, qui ante annum tertium, Hispanię regi Ferdinando, auo materno successerat, & Frãciscus Galliæ rex, qui ante annum quartum deuictis Heluetijs ad Marignanum Mediolanensem principatũ tenebat. Et Caroli quidẽ legati sub hòc tempus Moguntiam usq; uenerunt, quòd Francofurto quinq; milliaribus abest: Gallici uerò Confluentię substiterunt, quod est archiepiscopi Treuirensis oppidum, ad Rheni & Mosellæ cõfluentem: utriq; per literas & internuncios, principem quisq; suum electoribus commendant, & quęcunq; possunt adhibent argumẽta, quibus persuadeant: Galli cumprimis, qui suã causam non tàm esse gratiosam facilè intelligebant, eò quòd lingua, moribus, institutis à Germania differrent. Superatis Heluetijs, ut dixi, Galliæ rex Insubriam tenebat: sed quòd ad sui regni salutem propè necessariã esse duceret Heluetiorum amicitiam, magnis iacturis & pollicitationibus eam anno sequenti redemit. Nunc ergò cùm in hunc casum res deuenisset, à morte Maximiliani, missis ad ipsos legatis, quamobrem cupiat designari Cæsar, exponit, ac simul petit, ut suã causam apud electores adiuuent. Illi, quo tempore amicitiam cum eo pepigissent, ecclesiam Romanam & Imperium sese dicunt excepisse: ad Imperij uerò maiestatem pertinere, ut sint electorum liberrima suffragia: non ergò sibi licere, libertatem hanc ulla significatione suę uoluntatis impedire. Sic dimissis legatis, dant literas ad septemuiros, & quid ille cupiat, quid etiã ipsi responderint, exponunt, & ne rationẽ eius habeant, sed Germanum aliquẽ principẽ eligant, hortantur, & de sua uoluntate prolixè pollicentur. Sed & Leoni decimo scribunt, et quoniã sit ipsius inaugurare et confirmare designatũ Cęsarem, petũt, eò totus incumbat, ne munus hoc ad externum aliquem principẽ deferatur. Ad hęc ille, audire se, quendam ad hunc honorẽ aspirare, cui per leges nõ liceat: nam reges Neapolitanos esse pontificis Rom. beneficiarios, & fide data iam olim sic esse pactum, ne Romanum Imperium appetant, sed ut alterutro sint contenti: huius etiã rei se cõmonefeciisse iam principes electores. Hac oratione designabat Carolũ Austriacum: post deuictos enim Heluetios ab rege, quòd fuit anno salutis humanæ M. D. XV. Idib. Septemb. & abductũ in Galliam Maximilianum Sfortiam principẽ, Leo pontifex, fortunã secutus, Decembri mense Bononiã uenerat, et ibi cum Frãciscо rege uictore diu multúmq; collocutus amicitiã firmauerat:

& hæc quidem causa fuit inter alias, quamobrem in ipsius partes magis iam inclinaret. Quòd autem de regno Neapolitano dicit, sic habet. Cùm Manfredus, Friderici secundi Cæsaris filius nothus, ecclesiam Romanam uexaret armis, Clemens IIII. pontifex, qui præfuit anno salutis M. CC C. LXV. ut illum reprimeret, fecit id, quod eius antecessor Vrbanus IIII. erat facturus, uti quidem memoriæ proditum est, & Carolum prouinciæ Galliæ ac Andegauiæ comitem, cùm in Italiam uocatus uenisset, Siciliæ regem atque Neapolis pronunciat, ea conditione tamen, primùm, ut accepti beneficij nomine, quotannis ecclesiæ Romanæ persoluat aureorum millia XL. deinde, ne Romani Imperij dignitatem ullo tempore uel ambiat, uel oblatã ultrò suscipiat. Vbi uentum est ad deliberationem, Moguntinus, communicato prius consilio separatim cum Saxoniæ duce Friderico, cuius erat authoritas permagna, rem inchoat, & de tribus omninò sententijs ait esse quæstionem. an Galliæ rex Franciscus, an Hispanorum rex, Carolus, an uerò Germanus quispiam sit eligendus. Ad Gallum quod attinet, legibus, inquit, nostris & iureiurando nos arbitror impediri, quibus cautum est, ne decus hoc Imperij transferatur ad exteros: quin autem peregrinus ille sit princeps, nulli dubium esse puto. Deinde, etiamsi natio non impediret, tamen è Republica non est. quia fines ac ditionem suam Gallus amplificare uolet, & Carolo, quem odit, bellum faciet: imò, iam illud denunciauit: itáque fiet, ut Germania maximis motibus implicetur. nos autem prouidere decet, ne ciuile bellum excitemus. Ad Caroli ditionẽ pertinet Austria: si Gallus hanc oppugnet, ut omninò faciet, an eam prostituemus? itáne de nobis & Imperio meritus est Maximilianus Cæsar? Illis autem regionibus oppressis, an incolumem diu nobis libertatem nostram fore putatis? Mediolanensem agrum suis finibus nuper adiecit: idem in Germania conabitur. Magnificis autem illorum promissis minimè nos oportet commoueri: nam cupiditas & ambitio plærunque rapit homines transuersos, ut ab officio discedant. Multi fuerunt olim in Gallia uiri principes: nunc autem in angustum redactus est eorum numerus: nam rex propè solus omnia tenet: animi fortitudinem ei tribuunt: sed ad monarchiam illa spectat: nobis autem inprimis est aristocratia retinenda. De bello Turcis inferendo grandia pollicentur: optabile quidem istud esset, ac inprimis omnium maximè salutare: neque nescio, quanti sit momenti, Germaniæ cum Gallijs & Italia facta coniunctio: uerùm ille

potentiam

potentiam atq; uires omnium primò uolet in Caroli prouincias experiri: tentabit Belgium, aggredietur Neapolim, eámq;, uelut sibi debitam & hæreditariam recuperare uolet. quid? an ut ista faciat, nos illum armabimus? Nec est, quòd de rebus incertis atque dubijs uaticinari me quis dicat: iam enim exercitum ille conscribit. Quoniam igitur & lege & iureiurando & charitate communis patriæ impedimur, equidem profiteor & censeo, minimè illum esse creandũ. Nunc ad reliquas partes ueniam: ut ne Carolus eligatur, moueri nonnullos è uobis puto, quòd à nostris finibus remota sit Hispania, quódq; per illius absentiam non commodè sit habitura Germania, uel propter bellum Turcicum, uel ciuiles etiam dissensiones. Ego sanè, non solùm ista fateor, sed dum attentius cogito, moueor etiam & propè inhorresco: nam & hoc mihi uenit in mentem. si quando Cæsar iratus ueniat in Germaniam, & Hispanos adducat, libertati nostræ magnum fore periculum: cogito etiam posse fieri, ut Imperij dignitatem hanc uix ægrè nobis aliquando restituant Hispani, &, si uirtute uiribúsque suis Mediolanum recuperent, futurum, ut sibi retineant. Itáque propè satius esse uidetur, nostræ gentis aliquem creari, qui sit idoneus, exemplo maiorum, qui sæpe, præteritis externis, contenti fuerunt indigenis. Non equidem istud negare uelim, sed alius tunc erat temporũ status, & ætas multò fœlicior. Nunc uerò, si quis erit Cæsar infirmior, an, qui sunt ditionis Caroli, Belgas & Austriacos, dicto fore putatis audientes? Quòd si Gallus etiam arma sumet in Carolum, ut omninò facturus est, uel in Belgio, uel Italia, num ociosus erit spectator, num patietur nouus hic noster Cæsar, ut Imperij bonam partem exteræ nationes diripiant? Imò, quę nunc sunt tempora, credibile est, fore, ut Imperatore suo contempto, Germaniæ principes, alij se coniungant Austriacis, alij Gallis. Friderico tertio, Cæsare, Carolus Burgundiæ dux, per Germaniam, Philippus autem Maria, dux Mediolani, per Italiam bellum circumtulit, impunè quidem, sed nobis id certè dedecori fuit: illud etiam turpius, in Austria circumsessum Cæsarem, imò finibus tunc fuisse pulsum ab Vngaris. Et tamen eo tempore Cæsari fuerunt coniuncti Bohemi: meus etiam auus Albertus Brandeburgicus & Saxoniæ dux eiusdem nominis. Id si tùm accidit, quid hodie sit expectandum, uidetis, quum stipẽdijs serunt alij principes alijs addicti. Mitto, quàm multæ possint incidere causæ, quamobrem obedientiam præstare principes atq; ciuitates recusent. Nunc etiã de religione uidẽtur

imminere grauiſsimi motus. Etenim, de indulgentijs, de poteſtate pontificis, de legibus eccleſiaſticis natę ſunt diſputationes, quę nunc quidem ſanabiles adhuc uidentur, ſed paulò pòſt magnam ſecum trahent ruinam, & eccleſiæ mutationem: nam & plærique ſubſcribunt, & fortiſsimæ gentes cauſam hanc agunt, Saxones ac Heluetij: neque ſanari malum iſtud poterit, niſi per concilium: imbecillior autem Cæſar, quomodo concilium uel coget uel etiam defendet, maximè, ſi cæteri reges aduerſentur? Supereſt quoque Turcicum bellum, quòd nobis planè non modò defendendum, ſed inferendū eſt etiam, ut amiſſa recuperemus, & Græciam inprimis libertati reſtituamus: hoc autem ut fiat, opus eſt multarum nationum copijs: eas uerò Cæſar, ſi potētiæ parum & authoritatis habeat, quomodo comparabit? His ergo de cauſis præpotentem aliquem creandum, & Carolum Auſtriacum cæteris Germaniæ principibus anteferendum eſſe duco, & ſi quæ ſunt incommoda, quæ deterrere poſsint, ea longè eſſe puto illis minora, quę ſunt naſcitura, ſi quidē ad alium quempiam rei ſumma deferatur: nam & origine eſt Germanus, & multas obtinet prouincias, Imperij beneficio, neque communem patriam aliqua uolet opprimi ſeruitute, & de non transferendo Imperio, uel imminuendo iure ac libertate noſtra, fidem nobis dabit per iuſiurandum. Magnæ ſunt nimirùm, quas dixi, cauſæ, ueruntamen, nec illę me permouerent, niſi de ipſius indole compertum eſſet: nam & religionem & iuſtitiam & pudicitiam amat, & ſæuitiam omnem odit, & ingenio certè ualet. hæ ſcilicet uirtutes illum officij perpetuò cōmonefacient, ut rempublicam curet. Qui familiariter norunt, ualde prædicant: &, ſi patrem eius Philippum, ſi auum Maximilianū conſideremus, dubitare non poſſumus. Ætate quidem eſt non magna, ſed tamen idonea nunc & matura rebus gerendis: utetur etiam auiſui conſiliarijs, & Germaniæ principibus aliquot delectis. Dixi quidem antea, permagnum in eo fore incommodum, ſi quidem à Germania diutius illum abeſſe contingat: ſed ea de re certis legibus cum ipſo tranſigetur: deinde, quoniam & ipſe peramplas habet in Germania regiones, fieri non poteſt, quin eas aliquando reuiſat. Turca pellendus erit à Pannonijs, ab Italia uerò, Galli: conſtituenda erit & emendanda eccleſia, multis etiam alijs auxilia ferenda: quæ dum cogito, minùs eò moueor quod propter eius abſentiam metuendum eſſe uidetur: nam & inſitus animi uigor, & patriæ charitas, & ipſa rerum neceſsitas, eum, ut ſubinde ad nos redeat, exuſcitabunt. Vbi

dicendi

dicendi finem Moguntinus fecit, hortatus, ut singuli dicerent: collegæ, paucis collocuti, Treuirensem monent, ut succedat: nam huius erat celebre nomen propter singularem industriam usúmq; rerum. prefatus igitur nonnulla de quodã uate, qui Maximilianum dixerat ultimum fore Cesarem Germanum, nunc, inquit, eò mihi res propemodum spectare uidetur, quandóquidẽ Moguntinus, qui sanè prudenter multa dixit, omninò suadet, ut ad externum deferatur Imperij summa. sed ualde miror, cur Gallo præferat Hispanum? Certè dolet mihi Germaniæ conditio: quòd si maiorum insisteremus uestigijs, nihil opus erat alieno præsidio: nunc autem, quandò peregrinos euocamus, quid aliud quàm seruitutem nobis cõparamus ipsi? uerùm hac omissa querela, quem Moguntinus, eundem & ego sequar ordinem, déque lege & iureiurando primùm dicam. Legis autem illius hanc opinor esse causam atque fundamentum, ne, si quis eligeretur externus, & qui domicilium non habeat in Germania fixũ, Imperij decus hoc sensim ad alienigenas transferretur. Si quidẽ hæc est mens atq; sensus eius legis, nõ magis eligi potest Hispanus, quàm Gallus. Iam uerò, si Carolus, quoniam habet ditionis Imperij prouincias, ideò creari potest, necesse est, ut idem in Francisco ualeat, qui & Insubriam & Arelatense regnum obtinet, quæ sunt reipublicæ nostrę partes. Duobus ergo propositis, uideamus, utrum sit præstabilius. Sanè, quo tempore Gallia fuit coniuncta Germaniæ, quòd fuit Franconum ætate, florentissimũ extitit hoc nostrum Imperium: et quidẽ eius temporis recordatio nõ mediocriter me delectat, quoties in historiarum lectionem & res anteactas incido. Nunc autem planè consimilis est oblata nobis occasio, quæ certè minimè prætermittenda uidetur. sentiunt idem exterę quoque gentes, pontifex Romanus, Veneti, principes omnes atque ciuitates Italiæ. Gallica nimirùm gens & origine nobis est coniuncta, & ijsdem propè legibus utitur atque moribus, & amorem omnem atque beneuolentiam nostris hominibus prestat: deinde, propter uicinitatem ualde nobis est ac Italis opportuna. Si quis orietur tumultus, erunt ilicò parati exercitus, ad quos alendos Gallia subministrabit pecuniã: & si uel Pannoniam uel Italiam inuadet Turca, sicut planè facturum arbitror, pacata nunc uidelicet Asia, nónne erit optatissimum habere tàm propinquum & florentem Imperatorem, utriusque nationis uiribus instructum? Hispani uerò, licet prædicentur bellicosi, quid tamen unquam præclarè gesserunt in Italia, sine Germanorũ auxilijs?

Ad hæc, quia longissimè à nobis absunt, non est quòd ullum ab eis auxiliũ in tempore expectemus: quòd etiámsi uelint, tamen non multùm nobis poterunt commodare: nã quia nauigationibus perpetuis exhauritur Hispania, nõ potest ullas maiores emittere domo copias. huc accedit, quòd Gallos habebimus commilitones & laborũ omnium socios: Hispani uerò, si quid rectè gestum erit, omnem ad se gloriam traducent, & uictorijs nostris fruentur, & prouincijs ipsi præerunt. Tunc demùm seruitutem nostram serò deplorabimus: uerùm hac omissa collatione, ueniam ad electionem. Si Galliæ rex assumetur, non erit ulla per Italiam belli causa: nam Mediolanum iam ante tenet: ne quid autem Neapoli moliatur, nos ei suasores erimus, & planè quidem persuadebimus: idem est facturus de Belgio, modò & illi quiescant. Cur autem ad nos magnopere Belgium pertinere putemus, nõ uideo: sunt quidem nobis uicini, multo iam tempore, sed societatem nobiscum aut fœdus nullum habent, nec Imperij leges ad se quicquam pertinere ducunt, nec ad publicos usus quicquam contribuunt, non magis quàm Britanni uel Scoti: Cùm ergò maxima sit Galliæ regis potentia, cùm Insubriam habeat pacatam, cùm sit à rebus omnibus paratissimus, multò suscipiet ampliora, magísque gloriosa, bellum uidelicet in Turcam geret, & omneis eò uires conuertet, ut à Pannoniæ finibus & Italiæ pulso uastatore, tutam efficiat Germaniam. Si uerò Carolum ei præferemus, Deum immortalem, quantos excitabimus in Italia motus? uolèt ille recuperare Mediolanum, & erit bellum diuturnũ, & interea dum sic conflictabitur omnium pulcherrima prouincia, Turcæ uires omneis in Vngariam expedient. his obsecro quis resistet? quis iustum opponet exercitum? hæc sanè consideranda sunt paulò diligentius, neque leuiter prætereunda: Iam, Italici belli qui sit futurus exitus, incertũ est. Gallus quidem uictor, Neapolim affectabit, & fieri potest, ut pontifex, illius impulsu, nostram electionem rescindat: ex eo quanti sint orituri motus, nemo nõ intelligit. Contrà, si Carolus rerũ potiatur, non est, quòd Italiam nobis redditum iri putemus. occupatã perpetuò sibi retinebunt Hispani: nec id modò, sed nec Imperium quidem hoc nostrũ è manibus facilè dimittent. Vt Neapolim sibi seruarẽt, in cuius possessionẽ quomodo uenerint, satis nõtũ est, quid non pertulerunt? In Italiã igitur nequaq; sunt euocandi. Nunc de utroq; rege nonnulla dicam. placido & modesto ingenio Carolũ esse, nõ dubito: sic enim à multis prædicatur, sed cùm ætate sit adolescens, quomodo

potest

poteſt de illis uirtutibus, quæ in ſummo principe requiruntur, iudiciũ in eo fieri? Talem reſpublica deſiderat, qui pręter alia conſtituat & emendet eccleſiæ ſtatum, quod Moguntinus etiam prudenter admonuit. hoc ſanè Franciſcus rex omnium rectiſimè poterit pręſtare: nam & ingenio ualet & iudicio, & de religione ſubinde cum doctis hominibus conferre ſolet, & legit ipſe multorũ ſcripta. deinde, præſens temporum ſtatus principem requirit atque ducem, rei militaris peritum, diligentem, fortunatum. Cedò, quis hac in parte palmam eripiet Franciſco? iam eius cognita eſt & explorata uirtus: de Carolo nihil habemus comperti, niſi quòd indoles aliquid promittit: ille uerò ſuos maiores omnes rerum geſtarum magnitudine uincit: Heluetios enim, fortiſsimam, & inde à C. Cæſaris ætate propè inuictam gentem, prælio nuper ſuperauit: non eſt igitur tanto duci præferendus adoleſcens. Moguntinus incommodum quidem eſſe dicit, ſi quidem Carolus à Germania diutius abſit, ſed tamen ocioſos animo hic eſſe iubet: ego autem ſummi rem eſſe periculi puto, Cęſarem extra fines Imperij longinquius abeſſe: quis enim Turcarũ impetus, quis repentinos tumultus, quis offenſiones atque motus ciuiles cohercebit? orta tempeſtate, quis nauim gubernatore deſtitutam ſeruabit? Abſens nihil propè certi de rebus noſtratibus cognoſcet: falſò multa deferentur ad ipſum: habebit in concilio nõ Germanos, ſed Hiſpanos tantùm: edicta ſubinde faciet & ad nos tranſmittet tempore alieniſsimo. Poſtea, ſi calumnijs & criminationibus aliquorum irritatus, in Germaniam aliquando uenerit, adducto milite peregrino, qualem huius Imperij fortunam fore putatis? Quapropter, ſi uobis ità uidetur, et ſi fata uolunt, ut in hoc tempore diadema noſtrum capiti ſuo rex alienigena ſuperimponat, equidem Gallum cenſeo præponendum Hiſpano: ſi uerò lex prohibet creare Gallũ, ualeat eadem in Hiſpano, neque ſubtili quadam interpretatione Carolum pro Germano ducamus, uerùm aliquem ex omni principum numero circumſpiciamus, qui nullum habeat niſi in Germania domicilium, qui ſit origine, moribus, ingenio, lingua, Germanus. Incommoda multa Moguntinus in contrarium adduxit, & propter infirmitatem tenuémque fortunam, contemptibilem fore putat eiuſmodi Cæſarem: atqui ſi deligamus idoneum, ſatis habet Germania neruorum atque potentiæ, qua ſuſtineat hoc onus. Qui fuit undecimus ante Maximilianum, Cæſar, Rudolfus, non magnum quidem attulit robur, ſed uirtute pręſtabat, & quod pertenuè tunc erat,

multisque bellis afflictum Imperium, ità restituit, ut uicinis regibus metum adferret. Quàm præclarè senserint etiam exteri principes, ac in his Ludouicus XII. Galliæ rex, de Maximiliano Cæsare, solùm propter ingenium atque uirtutem, non ignotum uobis esse puto: nimirùm fuit semper illustre Germaniæ principum nomen & fama celebris: ea nondum est extincta, sed uiget incolumis, & sunt inter alias, Germaniæ tres hodie præcipuæ familiæ, Bauarica, Saxonica, Brandeburgica: sunt in ijs etiã nonnulli præstantes uiri. Si quem igitur ex illis rerum summæ præficiemus, & nostris copijs adiuuabimus, ut certè debemus, non est quòd exteros metuamus: modò idem sentiamus & uelimus omnes, in tuto res erit. omissis ergo peregrinis, è medio nostrorum hominum cœtu quempiam deligamus: non deerit successus, & sunt testimonia multa domestica nostrorum uirtutis: ex ijs unum recitabo. Pannoniæ rex Mathias, bellator potens ac fortunatus, bellum aliquando parenti tuo, Friderice, denunciauit: sed cùm exercitum sibi iustum opponi uideret, impetum & ardorem omnem facilè remisit. Sic etiam nunc rationem inueniri posse puto, quemadmodũ nostrę gentis Cęsar aliquis designatus, & domi retineat & foris auhoritatem. Tertio loco uerba facit Saxoniæ dux, Fridericus, & ubi Gallum excludi lege, Carolum uerò Germanum esse principem, inq; Germania domicilium habere demonstrasset, opus esse reipublicę aliquo præpotente dicebat: sed qui cum Carolo sit conferendus, neminem se talem nouisse: placere ergò sibi, ut is renuncietur Cæsar, uerumtamen certis legibus, ut & Germaniæ sua libertas constet, & ea, de quibus facta sit mentio, pericula uitentur. Hanc demùm sententiã ubi reliqui comprobassent, Treuericus, Germaniæ fatum, inquit, & iam impendentem agnosco mutationẽ: sed tamen, quia uobis ità uisum est, à uestro iudicio uoluntatem meã non remouebo. Fuit hoc Iunij die XXVIII. Iam multa nox erat. itáque disceditur & postridie rursus conuenitur. Ibi cœptũ est agi, cuiusmodi conditiones Carolo sint ferendæ: disceptata res fuit per aliquot dies: ubi demùm conuenissent, perscriptæ leges Moguntiam ad Caroli legatos mittũtur: cùm eas illi recepissent, in literas referuntur singulorum suffragia, sicut fieri consueuit, & obsignantur. Ad Fridericum Saxonẽ pridie fuerat delatum Imperium, sed is ingenti animo recusabat, & suo suffragio Carolum, sicut diximus, designabat, & oblatam eo nomine magnam pecuniæ uim à legatis Caroli reiecit, & suis, ne uel teruntium acciperent, mandabat. Con-

uocata

uocata deinde nobilitate ac omni multitudine, Moguntinus in æde diui Bartholomæi, pro concione, Carolum, Austriæ principem & regem Hispaniarum, in demortui locum Maximiliani, Romanorum regem declarat, & quòd tanta consensione sit electus, Deo gratias agendas esse dicit, & ut illi fidem omnem ac officium præstent, hortatur, & in ipsius laudationem digressus, quamobrem ex omnibus unum hunc elegerint, demõstrat. Eam orationem subsecutus est multitudinis & ordinum applausus & admurmuratio. Pòst hæc, legati, qui iam propius accesserant, & uno solùm aberant milliari, uocantur. Hi erant, Mathæus Cardinalis Salisburgensis, Erardus episcopus Leodinus, Bernardus episcopus Tridentinus, Fridericus Palatinus, Casimirus Brandeburgicus, Henricus comes Nassouius, Maximilianus Sibeburgius & alij quidam consiliarij: cùm uenissent, habita communi deliberatione de republica interim administranda, dum Carolus in Germaniam ueniat, Casimiro principi negotium datur, ut conductis copijs ac suo loco dispositis, prouideat, ne quid accidat incommodi. postea, datis ad Carolum literis, electores, & missa legatione, rem omnem denunciant: legationis erat princeps, Fridericus Palatinus: uerùm interea nonnulli priuatim in Hispaniam contendunt eius rei nuncij, quos inter unus Francofurto dicitur nono die Barchinonem uenisse. Palatinus ad exitum Nouembris appulit, & septemuirorum literas reddit: Earum hæc erat summa. ut delatum Imperiũ accipiat, & omni postposita mora, quàm primùm in Germaniam accedat. Carolus per Mercurinum Cattinariũ liberaliter respondet. ac licet grauissimi uideantur impendere motus, hinc à Gallis, illinc à Turcis, tamen nõ se posse dicit neque uelle deesse communi patriæ, præsertim, cùm tanti principes tale de se iudicium fecerint, & hoc ab se requirant: itáque delatum honorem atq; munus habere gratũ, & primo quoq; tempore uela facturum, ut ad Imperij fines perueniat. In eadem propè uerba rescribit electoribus, atque ita Fridericũ honorificè donatum ab se dimittit. Sic ergò factus est Cæsar, eius nominis quintus, undeuiginti natus annos. Repulsam Galliæ rex eò grauius tulit, quò maius impẽdere suis rebus periculum ab illo sciebat: nam cuiuis alij dignitatem hanc deferri malebat quàm Carolo, cuius & iam antè suspectam habebat, & hac ratione mirabiliter augeri uidebat atque confirmari potentiam. Auri uim maximam, ut sui haberetur ratio, profuderat: idem à Belgis quoque factum esse dicitur, sed nihil hic affirmare possum.

Caroli uerò progeniẽ paulò repetemus altius. Galliæ rex, Carolus quintus, cognomento prudens, fratri suo natu minimo Philippo, Burgundiæ principatum ad se delatum dedit. Philippus uxorem postea duxit Ludouici Flandriæ comitis filiam unicam, Margaritam, ex eáque filium procreauit Ioannem: huic natus est Philippus: fuit hic Caroli pater, bellatoris, qui cæsus ante Nanceium, filiam reliquit, amplissimarum regionum hæredem, Mariam: ea demùm nupsit Friderici tertij Cæsaris filio Maximiliano, & Philippum edidit. Is in matrimonium duxit Ioannam, Ferdinandi Hispaniæ regis filiam, ex eáque suscepit Carolum ac Ferdinandum. Grauida Ioanna Flandriam petijt, & Gandaui Carolum peperit, anno salutis M.D. Februarij die XXIIII. Hic aliquid est per occasionem addendum de Ferdinando, Cæsaris auo materno: is erat Arragoniæ rex atque Siciliæ, & in matrimonio habuit Elisabetham, Ioannis secundi, regis Hispaniarum filiam, hæredem, pòst etiam adeptus regnum Neapolitanum: liberos autem ex ea genuit Ioannem, Isabelam, Ioannam, Mariam, Catharinam: Ioanne mortuo & Isabela sine liberis, totius regni successio, legibus patrijs uenit ad Ioannam natu proximam sororem. hac ratione, quicquid habuit Burgundiæ dux, longè certè potentissimus, quicquid Hispaniæ rex Ferdinandus, id uniuersum ad Carolum Ioannæ filium peruénit: nam Austriacæ domus possessiones, in hæreditatis diuisione, Ferdinando cesserunt. Itáque multis à sæculis potentiorem nullum habuit Germania Cæsarem. Patrem Carolus amisit sex annorum puer, auum uerò Ferdinandũ, XVI annorum adolescens, ab eiúsque morte profectus in Hispanias, ibi permansit, donec Cæsar creatus, Germaniam peteret, ut infrà dicetur. Et quoniam ad hunc locum peruenimus, non erit alienum de modo creandi Cęsaris quædã explicare. Carolus Bohemiæ rex, Cæsar, eius nominis quartus, anno salutis M.CCC.LVI. legem hac de re tulit, bullam auream uulgò nominant: eius legis hęc inter alia sunt capita. ut mortuo Cęsare, archiepiscopus Mogũtinus, ubi primùm resciuit, cęteris electoribus ilicò denunciet & diem constituat, ut intra tertium mensem Francofurti præsto sint ipsi, uel ipsorum legati cum plenis mandatis, noui Cæsaris aut Romanorum regis eligendi causa: quòd si Moguntinus negligat, cæteri collegæ nihilo secius intra tempus illud conueniant, & comitatum habeant singuli non supra ducentos equites, cùm oppidum ingredientur, et in his armatos, ad quinquaginta: qui nec ipse uenit, neque legatum etiam mittit, aut

ante

ante confectum negotium discedit, ius electionis, eo quidem tempore, amittat: magistratus Francofurtensis omnem fidem electoribus præstet, ac durante comitio, neminem præter electores ipsorúmque familiam intromittat: ubi conuenerint omnes, in æde diui Bartholomæi sacrum fiat, quò sancti spiritus imploretur gratia: deinde singuli iurent, uerbis præeunte Moguntino, nihil se facturos in ea re ullius uel pacti, uel mercedis uel largitionis uel pollicitationis causa: pòst, ad actionem ueniant, neque prius illinc discedant, quàm creato Cæsare: quòd si res ultrà diem trigesimum differatur, omnibus alijs detractis cibarijs, præter panẽ & aquam nihil eis detur: quem maior pars elegerit, hic eòdem loco sit, ac si communibus omnium suffragijs, nemine repugnante creatus esset: ad hunc modũ designatus Cæsar, omnium primò confirmet electoribus omnia priuilegia, & quicquid ad ipsorum dignitatem, decus, libertatem ac immunitatem pertinet. præter hæc cauetur etiam atque statuitur, quemadmodum alter alteri per suos fines tutum iter præstare, quem quisque locum in consessibus obtinere debeant, quomodo sint exquirenda suffragia, quod cuique sit obeundum munus, cùm Cæsar publicè quid agit aut prandet. Ad hæc, ut interregni tempore, penes Palatinum sit summa rerum per Sueuiam, Franconiam & oram Rhenanam: penes Saxonem uerò, ijs in locis, quæ iure utuntur Saxonico: ut electori mortuo succedat natu maior filius aut frater consanguineus: ut electoris locum, qui est infra XVIII. annum, expleat proximus agnatus, donec ille adoleuerit: ut electores quotannis conueniant, de que republica deliberent: ut Francofurtum sit sedes electionis, Aquę uerò Granenses, Belgiæ oppidum, primæ inaugurationis: ut electorũ filij, primis ab annis, Italicam, Latinam & Illyricam linguam addiscant, quò sermonem cum multis gentibus communicare possint.

Dictum est antea de legibus, quas Caroli legati, prescriptas ab electoribus, ratas habuerunt, interposita cautione, sicuti fieri consueuit, & illius nomine confectis ea de re literis. Conditiones autem sunt eiusmodi. Tueatur rempublicam Christianam, pontificem & ecclesiam Romanam, cuius sit aduocatus: ius æquabiliter administret, & paci consulat: leges omneis Imperij, præcipuè, quam auream uocant bullam, non modò confirmet, sed de ipsorum consilio, cùm res ità feret, amplificet etiam: senatum in Imperio constituat, ex Germanis delectum, qui rempublicam gerat: iura, priuilegia, dignitatem principum & ordinum Imperij minimè

conuellat aut imminuat: electoribus liceat, cùm erit opus, inter se cõ uenire, déque republica deliberare: nullum autem ipse, quò minus id faciant, impedimentum eis inferat, nec in malam partem accipiat: multitudinis & nobilitatis fœdera uel societates initas aduersum principes, aboleat, & ne tales in posterũ fiant, lege prohibeat: de rebus Imperij nullum fœdus aut pactum faciat cum externis, nisi de septemuirorum assensu: facultates Imperij neque distrahat, nec oppignoret, nec alio quouis modò deteriores faciat, & quæ sunt ab alijs nationibus occupata, uel ab Imperio diuulsa bona, primo quoq; tempore recuperet, sic tamen, ne quid fraudi sit illis, qui uel priuilegio uel iure nituntur: Si quid etiam uel ipse, uel ipsius familiæ quispiam possideat, quod sit Imperij, non acquisitum legitimè, reddat interpellatus à septemuiris: cum uicinis alijsque regibus pacem & amicitiam colat, neque pro rebus Imperij, nisi de ordinum omnium, præcipuè septemuirorum uoluntate bellum suscipiat ullum intra uel extra fines Imperij: peregrinum quoque militem nullum in Germaniam adducat, nisi consentientibus illis: quòd si autem bello petatur ipse uel Imperium, liceat uti quibuscunque præsidijs: cõuentum Imperij nullum edicat, neque uectigal aut tributum imperet, nisi de cõsensu electorum: conuentus etiam non agat extra fines Imperij: negocijs publicis præficiat non exteros, uerùm Germanos, ex nobilitate delectos, & conficiantur literæ omnes Latino uel populari sermone: extra fines Imperij nullum ordinem in ius uocet: quia Romę multa fiunt aduersus pacta quondam inita cum põtificibus, det operam apud pontificem, ne qua fraus priuilegijs fiat & Imperij libertati: quomodo mercatorum monopolia ualde pernicioſa Germaniæ coherceri debeant, rationem ineat cum electoribus, ac rem sępe deliberatam ad exitum perducat: portorium nullum aut uectigal imponat, nisi assentiantur electores: neque literis commendatitijs, electorum, qui sunt ad Rhenum, uectigalia deteriora faciat: si quam habet actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur, uim autem nullam adhibeat ijs, qui se cognitioni legitimæ sistunt: neminem indicta causa proscribat, sed iuris ordinem in eo sequatur: Imperij bona, quæ fortè uacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat: si quam alienam prouinciam auxilijs ordinum acquiret, Imperio cõiungat: si publicum quid suis copijs atque Marte recuperabit, Reipublicæ restituat: quod interregni tempore Palatinus atque Saxo publicè egerint, ratum habeat: consilium nullum

ineat,

ineat, quò dignitatem Imperij, suæ familiæ peculiarem & hęreditariam faciat, sed liberã & integram permittat septem uiris eligendi facultatem, iuxta Caroli quarti legem & iuris pontificij præscriptum: quod secus factum erit, irritũ habeatur: ubi primùm licebit, in Germaniã sese conferat, inaugurationis causa. Cùm ista legati per iusiurandũ probassent illius uerbis atque nomine, sicut dictũ est, singulis electoribus eius rei literas dederunt obsignatas. fuit hoc Iulij die tertio. De pontificio iure quod dicunt, ad Innocentij tertij pontificis epistolam decretalẽ pertinet, quæ profitetur, electores principes Germaniæ ius habere creandi Cæsaris liberũ, & Imperij dignitatem non à successione pendére, sed ab electione. Vixit autẽ Innocentius anno salutis humanæ circiter millesimo ducentesimo. Nunc ad Lutherum reuertamur. Ad hoc ferè tempus, Erasmus Roterodamus, quum alijs de rebus Friderico Saxoniæ duci scriberet Antuerpia, Lutheri quoque meminit, eiúsque libros magno cum applausu dicit à uiris bonis atque doctis euolui, sed & uitam illius à nemine reprehendi, quòd absit ab omni suspitione tùm auaritiæ tùm ambitionis: theologos uerò Louanienses, quòd audiant illum ualde grauari authoritate cardinalis Caietani, triumphare nunc, & in concionibus atque conuiuijs omnibus eum insectari, uelut hæreticum & antichristũ: id sibi ualde displicere, præsertim, cùm ille disputandi causa quędam proposuerit, quum iudicio se submiserit omnium, quorum oportuit, & quorum non oportuit: ipsi uerò, neq; monuerint hominẽ amicè, neque docuerint, nec erroris adhuc conuicerint, sed turbulentis & seditiosis tantùm clamoribus rem agant: hũc autem agendi modum prorsus indignum esse Christianæ professionis hominibus, maximè uerò theologis: nec enim hæreseos temerè quenq; insimulandum esse. In eadẽ propè uerba scribit etiam ad Moguntinum & ad Campegium cardinalem, & sophistas theologos atque monachos insectatur, qui linguarũ & eloquentiæ studium ac puriorem omnẽ doctrinam ferre non possint. Luthero quoque tùm scribit Louanio ualdè amanter, et ipsius epistolã sibi redditam esse dicit, quę & ingenij demonstret acumen & animũ spiret Christianum: ipsius autẽ libris magnam ibi tragœdiam excitari, séque grauem sustinere tùm inuidiam tùm suspicionem theologorũ, nec excusando tamen quicq; proficere: per Angliam esse multos, & magni quidem nominis, qui de lucubrationibus ipsius optimè sentiant: se quoque degustasse cõmentarios eius in psalmos, et sperare magnam allaturos

utilitatem, sibi quidem uehementer placere: sed unũ esse, cuius ipsum uelit admonere. nempe, ciuili modestia plus posse proficí quàm impetu: detonandum potius in eos, qui pontificum abutuntur authoritate, quàm in ipsos pontífices: de rebus inueteratis, quæ subitò reuelli non possint, disputandum esse ualidis & confertis argumentis potius, quàm asseuerandũ, & affectibus nihil hic oportere tribui. Hæc autem admonere se, non ut faciat, sed ut ineo, quod facit, progrediatur. Rebus ad hunc modum exacerbatis, & multis in Lutherum excitatis aduersarijs, instituta fuit Lipsiæ disputatio, quod est Misniæ oppidũ, Georgij Saxoniæ ducis, qui patruelis erat Friderici. Venit eò Lutherus, Philippo Melanchthone comitatus, qui superiori proximo anno Vuitembergã uenerat, accersitus à Friderico, literas Græcas docendi causa. uenit etiã eò Ioannes Eccius, theologus animosus & audax. Die præscripto, qui fuit dies quartus Iulij, disputationis factum est initium ab Eccio, qui propositis aliquot thematis, hoc uoluit esse postremum, eos, qui Romanam ecclesiam affirment ante Siluestri pontificis ętatẽ non fuisse primam & prȩcipuam omnium, errare: nam qui Petri principis apostolorũ sedem atque fidem obtinuit, semper agnitum fuisse pro successore Petri, & Christi uicario in terris. Huic themati contrarium aliud promulgabat Lutherus. eos, qui Romanæ ecclesiæ principatum tribuant, niti solùm frigidissimis pontificum decretis, quæ facta sint annis ab hinc quadringentis: ea uerò decreta esse contraria & historijs omnibus, ante annos mille conscriptis, & sacris literis, & concilio quoque Niceno, quod sit omnium maximè celebre. Ingressus ergò disputationem Eccius, illud suum thema postremum arripit, déque potestate Romani pontificis & primatu, disputationis initium esse uoluit: uerùm Lutherus breui quadam usus prȩfatione, demonstrat, argumentum hoc, quia ualdè sit odiosum & non necessarium, se maluisse præterire, & id quidem pontificis gratia: dolere autem sibi, quòd ab Eccio sit eò pertractus, & cupere nunc suos adesse coràm aduersarios: grauiter quidem se ab illis accusatum, quòd autem cognitionem causæ nunc atque lucem defugiant, non rectè ab ipsis fieri. Eccius quoque præfatus, ait non se litem hanc excitasse atque turbam, sed Lutherum, qui & in sua illa thematum explicatione prima, negarit pontificem Romanum ante Syluestri tempora fuisse reliquis dignitate & ordine priorem, & apud Caietanum affirmauerit, Pelagium pontificem ad suum arbitrium detorsisse multa scripturæ loca:

quòd

quod cùm ità sit, omnem eius rei culpam in ipsum esse cõferendam. Prima igitur concertatio fuit de Romani pontificis monarchia, quã Eccius iure diuino dicebat institutam, & Lutherum dissentientem uocabat Bohemum, eò quòd eiusdem quoque sententię fuerat olim Ioannes Hussus. Hanc criminationem à se remouens Lutherus, ostendit ecclesiam Christi longè latéque diffusam & propagatã fuisse uiginti circiter annis antè, quàm Petrus Romæ constitueret ecclesiam: hanc igitur non esse primam omnium aut præcipuam, iure diuino: pòst, aliud Lutheri thema de purgatorio, tùm illa de indulgentijs, de pœnitentia, de condonatione culpæ & pœnæ remissione, déque sacerdotum potestate, Eccius impugnat. Decimoquarto demum die disputationis fuit exitus, quæ quidem instituta fuerat, non Lutheri, sed Andreæ Carolostadij & Eccij causa: cùm autem Lutherus Carolostadiũ comitatus eò uenisset, audiendi gratia, pertractus ab Eccio, qui fidem ei publicam à Georgio principe impetrabat, ad congressum descendit. Alacer enim erat Eccius & confidens, ob argumenti conditionem, in quo certam sibi uictoriam pollicebatur. Lutherus omnem postea disputationem edidit, et ex aduersariorum scriptis atque dictis, ingeniosa quadam animaduersione colligit uaria doctrinæ capita, prorsus, ut inquit, hæretica, quò uidelicet demonstret, illos, dum in gratiam pontificis omnia loquuntur atque scribunt, & dum studio tuendæ causæ longius euagantur, admiscere plurima, quæ propius inspecta, multùm sæpe contineant erroris & impietatis. Docebat hoc tempore Tiguri, in Heluetijs, Vlrichus Zuinglius, qui sub initiũ huius anni uenerat eò, uocatus, cùm antea Glaronæ & in eremo, quem uocant, Diuæ uirginis, docuisset. Non multò pòst uenit illuc, missu pontificis, indulgentiarum, ut aiunt, præco, Samson Mediolanensis, Franciscanus, ut pecuniam emungeret: ei sese fortiter opponit Zuinglius, ac impostorem esse docet.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber II.

DE CAROLO MILTITIO, QVEM LEO X. AD FRIdericum principem miserat, antè diximus. is animaduertens causam indies magis atque magis exacerbari, multa, quæ ad reconciliationem facerent, tentabat, et permissu Friderici, cùm Luthero semel & iterum collocutus, rationem inire cogitabat sanandi uulneris: cùm autem occasione disputationis Lipsicæ, quam odiosè tractauerat Eccius, doctrinam suã Lutherus magis illustraret ac patefaceret, Miltitius primores aliquot ordinis Augustiniani conuocat: communicato consilio iudicabant omnes, ad componendum dissidium inprimis fore idoneum, si quidem Lutherus datis ad pontificem literis, honorificum ei testimonium præberet. Horum
M.D.XX. itaque monitu scribit illi, ad sextum Aprilis diem. Etsi ad cõcilium ab ipso prouocarit, tamen interea suas preces ad Deum pro salute ipsius effudisse: magno sibi dari crimini, quòd ipsius nomen atque dignitatem læsisse dicatur: eam criminationem admodum sibi dolere, & hanc esse causam, cur nunc ad ipsum denuò scribat. In reprehendendis erroribus atq; uitijs acrem se quidẽ fuisse, de ipso autem præclarè semper scripsisse, quod & libris suis demonstrari possit: quòd autem falsam doctrinam adeò liberè perstringat, illud à se fieri tùm Christi tùm prophetarum & apostolorum exemplo: sed quò minus id genus reprehensiones ac salutares admonitiones locum habeant, id adulatorum fieri nequitia, qui auribus hominum seruiant: spectare se gloriam Dei, & hoc solùm agere, ut ueritas illucescat: hoc si possit obtinere, libenter in rebus alijs cõcessurum: ut autem à ueri professione discedat, fieri non posse. Ad aulam deinde Romanam transit, uti uocant, eámque dicit esse magis, quàm fuit olim aut Babylon aut Sodoma, corruptam atque sceleratam, et ad illius impietatem nihil adijci posse, ne ab ipso quidem antichristo: uehementer itáque sibi dolere, quòd ipse, uelut agnus inter lupos, ibi uersetur: indignam esse Romam, cui uel ipse uel ipsius consimiles uiri boni præsideant: multa se quidem scripsisse, quæ ad doctrinæ pertineant emendationem

nem

nem atque uitæ, non quòd Romam sanari posse credat, uerùm ut saltem aliquos ab illo uitiorum ergastulo liberaret: multò ipsi præstare, si uel tenui sacerdotio contentus, uel è suis copijs & patrimonij facultatibus uitam toleraret, remotissimus ab illis pestibus & assentatoribus, qui suis cupiditatibus & ambitioni nomen ipsius et authoritatem obducant: Bernardum deplorasse pontificis Eugenij conditionem, tunc, cùm adhuc esset aliquantò Roma purior: nunc uerò, quandò sit omnium locorum totius orbis terrarum fœdissima sentina & inexhausta quædam colluuies, multò rectius ipsum, qui præsideat ibi, deplorari posse: hanc esse causam, cur ità sit inuectus: pertinere hoc non ad ipsius ullam contumeliam, sed ad salutem potius, & optandum esse, ut qui sunt ubique uiri præstantes ingenio & eruditione, uim omnem & neruos ad illius monstri conferant oppugnationem: libellis aliquot editis, cùm frustrà se moliri uideret, ab incepto uoluisse desistere, & ijs qui secum essent in eodem collegio, studium & operam omnem impendere cogitasse: uerùm tunc fuisse excitatum Ioannem Eccium, qui placidas illas cogitationes & optatum ocium sibi prorsus euerterit: institutam ab illo disputationem contra se ualdè odiosam & acrem, de pontificis Romani principatu: qua quidem re nihil ille perfecerit aliud, quàm quòd urbis Romanæ scelus atque turpitudinem magis patefecerit. Posthæc, actionem illam cardinalis Caietani paucis commemorat, in illiúsque tùm potestate fuisse dicit, causam componere, si uoluisset: huic ergò non sibi tribuendum esse, quicquid ab eo tempore sit natum turbæ: uenisse postea Carolum Miltitium, qui cùm paci magnopere studeret, impeditus etiam fuerit importunis Eccij disputationibus, qui reuera sit ipsius hostis, & incendium hoc primus omnium inflammarit: cùm uerò sit à Miltitio suíscp maioribus interpellatus, ut ad ipsum demisse & officiosè scribat, nihil uoluisse, quod ad reconciliationem pertineat, omittere. primùm igitur esse, ut suos aduersarios cohibeat, ne tàm asperè contrà se tumultuentur: deinde, ne scripta sua reuocare cogatur, nec ad præfinitum modum interpretandi scripturam alligetur: euangelij doctrinam, quæ libertatem animis hominum adferat, non posse certis astringi finibus: hæc si permittantur sibi, facturum se quiduis: contentionem omnem admodum sibi displicere, uerúntamen, si conuicijs, ut antehac semper, & iniurijs petatur, non se defuturũ causæ: in ipsius iam esse potestate, ut litem componat, si uidelicet cognitionẽ eius ad se recipiat, et utrique

parti sílẽtium iniungat: inprimis autem sibi caueat ab adulatoribus, eorúmque uoces, tanquam Sirenum blanditias atque scopulos, aure surda præternauiget, qui diuinitatem ipsi tribuant, & totius orbis monarcham esse prædicant, & omnibus concilijs anteponunt: nihil enim esse pernicioſius hoc genus parasitis: fidem potius illis habendam esse, qui suæ conditionis ipsum & officij commonefaciant: & quoniam in uitæ genere periculi pleno uersetur, tanquam in medio mari, quod fluctibus uarijsque procellis agitatur, ideò se liberè ad ipsum & sine adulatione perscribere, & hoc ipso ueri amici præstare officium. Postremò, librum à se recens conscriptũ, de libertate Christiana, illi defert, paucis eum cõmendans, quòd ueræ doctrinæ summam complectatur. Veris initio Cæsar soluit ab Hispanijs, & in Angliam profectus, ab Henrico rege, qui materteram eius Catharinam habebat in matrimonio, liberalissimè tractatur. pòst in Belgium uenit, maximis omnium congratulationibus exceptus. Ad hoc ferè tempus, Fridericus princeps grauiter ægrotabat: Lutherus ergò rogatu quorumdam libellum ei conficit, cõsolationis plenum, Tessaradecadem uocat, & scriptis ad eum literis, mandatũ esse Christi dicit, ut inter alia charitatis officia, quæ nos inuicem exhibere oportet, ægrotos quoque subleuemus: itáque se, qui & peculiariter sit ipsi deuotus, & non uno nomine deuinctus, hunc libellum, ipsius gratia collegisse, cùm aliud non possit aut habeat quod præstet: in rebus humanis sic esse comparatum, ut si malè sit adfectum corpus, reliqua membra condoleant, & ęgritudinem illam ad se priuatim unumquódque pertinere putent: nunc ergò, cùm ipse decumbat, meritò populum esse in lachrymis atque luctu: nam & Germaniæ magnam partem, in ipsum, uelut in singulare quoddam ornamentum suum atque præsidium, oculos & mentem habere defixam. Posteà libellum edit de ratione confitendi peccata, cuius hæc ferè sunt capita. non esse nitendum fiducia confessionis, uerùm promissione Dei condonantis peccata: omnium primò confitendum esse Deo, & oportere cõfitentem odisse peccatum & cupere uitam emendare: peccatorum omnium enumerationem non esse necessariam, imò propter innumerabilem humani cordis prauitatem et immundiciem & securitatem, non posse præstari: discrimen etiam esse diligenter faciendum inter peccata commissa contra præceptum Dei & contra leges humanas. postremò, de uotis, ut uulgò dicunt, aliquid adijcit, & carnificinam illam deplorat animorum, quam homines auari & indocti

indocti exerceant. sed de uotis peculiarem deinde libellum emisit. Alio quodam in scripto dixerat, utile sibi uideri, si quidem authoritate concilij permitteretur omnibus integra cœna Domini, uel ut ipsi loquuntur, sub utraque specie: hoc illius dictum, eò quòd Lateranensis concilij nouissimi decreto contrarium esset dicerent, multi grauiter tulerunt, & in his Ioannes Episcopus Misenus, qui suæ ditionis ecclesiasticis omnibus interdicebat, ut eo suppresso libello populum docerent, sub utrálibet specie cœnam Domini repręsentari totam. Eo cognito, respondet Lutherus, eiúsque mandati culpam, non in episcopũ, sed in paucos aliquot indoctos & quietis impatientes homines cõfert, & ad hos ipsos oratione conuersa, demonstrat: hoc suum uotum quòd optet, à concilio fieri tale decretum, nullam mereri iustam reprehensionẽ, non magis quàm si dicat, optare se, ut decreto concilij sacerdotibus liceat uxores ducere: Pium secundum, pontificem Romanum aliquandò idem dixisse & optasse: non ergò sibi uertendum uitio, quòd idem optet: Lateranensis hoc esse concilij mandatum, non se diffiteri: sed tamen ineptum esse, uelle sententiam hanc confirmare nouo concilij decreto, quod cum uetustissimis conciliis & antiquissimo ecclesiæ more pugnet: Bohemos percipere cœnam Domini totam, eóque à nobis uituperari, qui solùm retinemus dimidiam: illos quidem urgere Christi institutum, & morem inde ab apostolis deductum & obseruatum ad nostra ferè tempora: nos autem, quod illis obijciamus, aut quo possit ipsorum error demonstrari, nihil adferre, præter illud Lateranense: quod ualde sit friuolum argumentum atque leue: cuiusmodi enim fuerit illud concilium, satis esse notum, nam etiam à Romanis ipsis deridéri: & ut summæ sit auhoritatis, tamen, quòd causam non possint antiquiori documento probare, perquàm hoc esse ridiculum. Porrò, quod ad Lateranense concilium attinet, ità res habet. Iulius secundus, cùm esset creatus pontifex, iureiurando promiserat inter alia, concilium se habiturum esse intra biennium. Fuit hoc anno salutis M. D. III. Cùm autem bellis Italiam turbaret, nunc Venetorum, nunc Galliæ regis, nunc Ferrariæ ducis, nunc Bentiuolorum Bononiensium hostis, cardinales, numero ad nouem, secessione facta, cùm Mediolanum uenissent, concilium indicunt, ad urbem Pisanam. Inter hos erant præcipui Bernardinus Cruceius, Gulielmus Prænestinus, Franciscus Cossentinus, ijsque sese cõiunxerant Maximiliani Cæsaris & Ludouici XII.

Galliarum regis procuratores, qui idem agebant. Indictum uerò fuit concilium anno salutis M. D. XI. Maij die XIX. ut calendis deinde Septembris inchoaretur. Indicendi causam adferunt, quòd ille iusiurandum uiolarit, quòd tot annorum pontifex concilij spem nullam præbeat: & quoniam grauissima sint crimina, de quibus ipsum accusare uelint, non se potuisse diutius deesse reipublicæ. Erat ipsorum consilij, remouere illum magistratu, quem per largitionem & ambitum acquisisset. Et quoniam hæ literæ tutò non poterant ad eũ perferri, palàm eas affigunt Rhegij, Mutinæ, Parmæ, quæ tùm erant pontificiæ ditionis oppida, & ipsum, ut sese ad prę̃scriptum diem sistat, monent. Iulius, ea re cognita, XV. calendas Augusti respõdet. se, cardinalem, nihil optasse magis quàm concilium: id regibus, id uniuerso collegio cardinalium esse compertum: hac nimirùm de causa pontificem Alexandrum sextum sibi fuisse uehementer infestum: eiusdem quoque nunc sese uoluntatis esse: uerùm Italiæ statum aliquot nunc annis admodum fuisse turbulentum, eiúsque rei seminarium esse relictum ab Alexandro, neque potuisse cogi concilium in ea temporum difficultate. Postea refutat illorum indictionem, propter temporis angustiam & incommoditatem loci: nam & Pisanam urbem esse deformatam atque laceram superiorum annorum bellis, & omnem agrũ circà deuastatum, neq; tutò posse eò perueniri propter Florentinorum et Senensium simultatem: ad hęc, illos nõ habere conuocandi potestatem, et falsas esse conuocationis causas: itáque grauissima denunciata pœna mandat, ne quis omnium illis pareat. Ipse uerò concilium indicit in proximum annum, ad XIX. Aprilis diem inchoandum Romæ, in æde Lateranensi: subscripserunt huic diplomati uiginti unus cardinales. Hoc enim artis esse pontificiæ dicunt, quandò concilium declinant, ut alterum alicubi loco ipsis opportuno denuncient. Posthęc, aduersarios cardinales monet, ut ab incepto desistant, & impunitate proposita, Romam ueniant: non obtemperantes, Octobris die XXIIII. proscribit, & nominatim treis illos, de quibus antè diximus, ut hęreticos, scismaticos & læsę reos maiestatis, eiúsque diplomatis exempla mittit ad Maximilianum, cæteróſque reges. Et quia Galliæ complures episcopi erant adiuncti cardinalibus, hos quoque proscribit, nisi desistant, & intra certum tempus sese purgent. Cardinales cõtrà cùm aliquoties illum, ut ad concilium ueniret, frustrà citassent, editis literis in octauo consessu, ab omni tàm ciuili quàm sacra iurisdictione illum suspendunt, &

omnibus

omnibus in uniuersum mandant, ne deinceps ei pareant. fuit hoc anno M. D. XII. mensis Aprilis die XXI. Cæterùm, etsi concilium Pisis translatum fuit Mediolanum, nomẽ tamen retinuit, ut Pisanum dicatur. Erat tùm Papiæ iureconsultus magni nominis, Philippus Decius: hic edito scripto cardinalium causam aduersus pontificẽ defendebat. Maximilianus inito posteà fœdere cũ Iulio & Ferdinando Hispaniæ rege, discedit à societate cardinalium, et episcopũ Gurcensem, Mathæum Langum, mittit Romã, ut interfit concilio: hunc deinde creat cardinalem Iulius. Gallię uerò regem Ludouicum XII. inhærentẽ proposito, & nuper fusis ad Rauennã ipsius copijs victorem, fulmine suo percellit, eiúsq; regnum in prædam exponit. sed à quinto confessu, die XXI. Februarij mensis, anno M. D. XIII. mortem obit ac successorem habet Leonem decimũ. Is deinde rem cõtinuat, et quia tranquillior tum erat reipublicę status, multę uenerunt eò regum atque principũ legationes. Cardinales etiã, quos diximus, morte Iulij remissiores facti, cùm supplices cõdonari sibi culpã petissent, in gratiam à Leone recepti, dignitatẽ atq; bona recuperarunt, ut in quadam ad Maximilianum epistola Leo demonstrat. Exitus concilij fuit anno M. D. XVII. Martij die XVI. quum à morte Iulij, septem modò fuissent habiti confessus, toto quadriennio: nam ultra duodecimum non est peruentum. Iam, ad actionem quod attinet: uariæ fuerunt ibi recitatæ orationes in laudem Iulij ac deinde Leonis: de suscipiendo etiã in Turcas bello multa dicebantur, déque reformandis ecclesiæ moribus, item de immortalitate animæ, quoniã id in dubium Romæ uocabatur, déq; Bohemis ab errore reuocandis in uiã. Et hoc esse crediderim, quod Lutherus ait in eo cõcilio fuisse de eucharistia decretum. Nam ex Bohemis plærique cœnam domini cõtendebant integram esse communicandam omnibus. alioqui decretum nullum ea de re speciatim ibi factum est, quod quidem extet: uerùm in concilio Constantiensi sancitum de eo fuit in confessu decimo tertio, sicut infrà dicemus per occasionem. Dum ea quæ suprà diximus, in Saxonia geruntur, theologi Louanienses ac Colonienses, Lutheri libros aliquot, nempe ad Syluestrem Prieriatem, conciones etiam de pœnitentia, de excommunicatione, de indulgentijs, de præparatione ad mortem, facto decreto damnant, ut impios & irreligiosos & incendio dignos, quorum etiam author sit ad reuocationem cogendus. His rebus cognitis, Lutherus ad singula suæ doctrinæ capita, quę illi damnarant, respondet, in eiusque responsi prę-

fatione conditionem atque sortem ipsorum deplorat. Quum superioribus aliquot annis Capnionem oppugnarent, se spem adhuc aliquam de ipsis retinuisse: nunc autem, quandò claram euangelij doctrinam delere studeant, & tempore deteriores euadant, Deum in ipsos hauddubiè grauiter concitatum esse: quòd si ità pergant, & si hanc ipsorum licentiam nemo coherceat, fore, ut sublatis è medio sacris libris, pro suo arbitrio quiduis decernant: ideóque sibi hæc omnia cogitanti, uel regnare nunc antichristum, uel propediem esse regnaturum, uideri: magnopere sibi dolere, quòd ità se comparent, nam iræ diuinæ magnitudinem ex eo satis intelligi posse: in omni ipsorum actione atque doctrina, nihil esse firmi, nihil certi, sed fluctuare ipsos animis, & nunc hanc, nunc illam opinionem suscipere defendendam: fuisse quondam ab academia Parisiensi damnatum Gulielmum Occam, & tanquam impiè sentiret, eiectum, nunc autẽ in scholas esse receptum & celebrari: quantùm etiam Parisinis tribuatur dogmatis, uel ex eo satis apparére, quòd uix etiam domi recipiantur, foris quidem illa non habere locum: ab Anglis enim prouerbio dici, quòd mare non transeant, ab Italis, quòd alpes, à Germanis, quòd rhenum non transmittant: Ioannis Pici Mirandulani dogmata, magnis odijs & acerbitate damnata, nunc esse in summo precio, nec sine præstantissimi ingenij admiratione legi: Laurentium quoque Vallam eodem fuisse modo tractatum, sed homines literatos & iudicio præditos, multò sentire aliter, in eiúsque scriptis magno cum fructu uersari: litem illam aduersus Capnionem, sic ab ipsis exagitatam esse, ut suam & ignorantiam & obstinatam malitiam uix ullo tempore magis patefecerint: mirabilia uidelicet esse consilia Dei: Iudæos olim fuisse peculiarem ei populum, sed cùm euangelij lucem fugerent, & Christi beneficium aspernarentur, repudiatos, locum dedisse gentibus: ità quoque nunc fieri, ut qui sint & haberi uelint pontifices atque theologi, quíque summam potestatem atque ius in ecclesia sibi uendicant atque sumunt, reuera nihil præter inanem titulum habeant, alij uerò procul ab hac ostentatione remoti, nomen illud atque titulum iure sibi possint arrogare: breuiter, omneis omnium temporum uiros bonos & eruditos ab ipsis perpetuò fuisse diuexatos, neque tamen ullum proferri posse documentum, quo demonstrent, solidis & ueris argumentis esse pugnatum, ac non potius mera fraude, insidijs atque tyrannide: talem etiam fuisse actionem illam in Ioannem Hussum &

Hiero-

Hieronymum Pragenſem, cuius quidem rei memoria ſit ad omnem duratura poſteritatem: ſed inprimis admirari ſe temeritatem ipſorū, qui tot exemplis commonefacti non deſiſtant tùm ſibi tum reliquis academijs ignominiam & maculam inurere ſempiternam: ut enim maximè firmo fundamento nitantur ipſorum actiones, & ut ueræ ſint atque legitimæ ipſorum ſententiæ, quas hucuſque pronunciarunt in multos inſignes uiros, tamē, quantum ad hanc ſuam cauſam & præſentem litem pertineat, iniquè factum ab ipſis & maleuolè, quòd ad hunc modum graſſentur: ſi quid peccarit, non debuiſſe ſtatim in peſsimam partem interpretari, ſed cogitare ſecum, id eſſe proprium hominis: debuiſſe potius lenitatem et manſuetudinem adferre ad ſuorum dogmatum dijudicationem: quòd autem ueluti furore quodam agitati, promiſcuè omnia damnent, in eo prodere ipſos animi ſui morbum & odij uirulentiam: Ariſtotelem ipſis in ſummo eſſe precio, & nihil ab eo dictum eſſe tàm abſurdè uel alienè à noſtra religione, quod non defendant, quod non aliqua interpretatione, quantúmuis longè petita circumueſtiant, quò ſuus illi conſtet honos atque nominis exiſtimatio: ſibi uerò non modò nullum tale beneficium aut adiumentum præſtari, ſe non ſolùm, ſi qua parte ſit nudus, ab ipſis non ueſtiri, uerumetiam quibus in locis atque partibus optimè ſit ueſtitus et armatus, magna cum iniuria denudari: potuiſſe nimirum aliud adhiberi remedium, quod erat, ſi ſe cōmonuiſſent, ut ſua ſcripta uel explicaret uel emendaret, uel non pertinaciter defenderet: quòd ſi tum non obtemperaſſet, errore commonſtrato, licuiſſe ipſis agere, quemadmodum Chriſtus præcepit: adhæc, facere ipſos non leuem iniuriam pontifici Romano, quòd libellum ei dicatum & inſcriptū ad ſe rapiant, & hac ſua condemnatione, ueluti prę iudicio quodam uideantur illi negligentiam & ignauiam exprobrare: quòd autem in pontificem hoc admittant, nō eſſe nouum aut mirum in ijs, qui diuinas etiam leges audaciſsimè contemnant. Gulielmus Occam, de quo uerba facit, Ludouico quarto, Cæſare, floruit ad annum ſalutis M. CCC. XX. & inter alia de ſummi pontificis poteſtate ſcripſit. quo quidem in libro queſtiones octo uariè tractat & multipliciter. An munus pontificium ſimul & Cæſareum ab eodem adminiſtrari poſſint: an Cæſar à ſolo Deo, nō etiam à pontifice Romano poteſtatem acceperit: an authore Chriſto pontifex et eccleſia Romana facultatē habeant, ut Cæſari cæteríſque regibus iuriſdictionem committant exercendam: an Cæſar electus plenum habeat

hoc ipso ius administrandi rempublicam: an cæteri reges, præter Cæsarem & Romanorū regem, eò quòd à sacerdotibus inaugurantur, aliquam ab eis accipiant potestatem: an eiusmodi reges ullo modo subiecti sint inaugurantibus: an, si nouum adhiberēt sacrificum, aut diadema sibi sumerent ac imponerent ipsi, titulum atque potestatem regalem amittant: an septemuiri principes electores tantum iuris conferant electo Cæsari, quantum cæteris regibus legitima successio. Multis in utranque partem expositis argumentis atque rationibus, ut dixi, pro magistratu ciuili plærunque decidit, & per eam occasionem meminit Ioannis XXII. pontificis, qui tùm uixit, & leges fecerat, uti uocant, extrauagantes, insertas iuri pontificio. quas quidem omneis ait à multis repræhendi, tanquam hæreticas & omninò falsas: deinde recitat errores animaduersos ab alijs, in illius non modò libris, uerumetiam sermonibus, & homines sanos mirari dicit, tantam illis haberi fidem: sed hoc nimirum esse tempus, de quo Paulus ad Timotheum scripsit, fore, ut homines, uera neglecta doctrina, nouos quærāt magistros, qui seruiant ipsorū auribus, & ad fabulas abducant: hunc enim esse præsentis temporis statum, ut plærique omnes, non, quæ Christi, quæ fuerit apostolorum, quæ doctrina patrum, inquirant, sed quid pontifex fieri uelit atq; iubeat, auscultent. De Capnione Reuchlino quod ait, ità res habet. Ioannes Phefercornus, Christianæ professionis Iudæus, Maximilianū Cæsarem diu multúmque solicitauerat, ut libri Iudæorum aboleren tur omnes, quòd essent impij plenique superstitionis, & impedirēt, quò minus ad Christianissimum illi conuerterentur: itáque nihil illis permittendum esse, præter biblia. Maximilianus tandem Vrieli mandat archiepiscopo Moguntino, ut academijs aliquot & Iacobo Hogostrato inquisitori, & Ioanni Reuchlino det negotiū exquirendi ac deliberandi, quid fieri conueniat, & an sit ex usu nostræ religionis, ut biblijs exceptis, reliqui omnes exurantur libri. fuit hoc anno M. D. X. Reuchlinus, qui & iureconsultus erat, & Hebraicæ linguæ peritissimus, acceptis à Moguntino literis, quid sui esset cōsilij, perscribit, & Hebræorum libros ait esse tripartitos, historicos, medicos, Thalmudicos, & hos quidem, non eiusdē esse generis omneis: in ijs autem etsi multa sint ridicula atque superstitiosa, tamen in hoc esse perutiles, quòd ad illorum refutdãos errores atq; deliria magnopere conducant. Hanc suam sententiam archiepiscopo mittit obsignatam: Phefercornus autem ubi resciuit, magnam excitat tragœdiam,

& euul-

& euulgato libro illum oppugnat, & tanquam Iudæorũ uindicem atque fautorem traducit. Capnion, ut existimationi suę consuleret, contrario scripto respondet, eóque multas in se cõcitauit academias, Colonienſem inprimis. erant tum in ea præcipui nominis Iacobus Hogostratus, Arnoldus Tongrus: & hic quidem inuectiuam in eũ emisit, conatus idem, quod Phefercornus, demonstrare, ac libellum inscribit Maximiliano Cęsari. Postea litem aduersus eũ instituunt, & agitata res fuit apud Moguntinum, cuius ad iurisdictionem reus pertinebat. actor erat Iacobus Hogostratus: eum Reuchlinus ut inimicum atque suspectum recusabat, & initio quidem per procuratorem: cùm autem nonnulli intercederent, uenit ipse Moguntiam, comitatus aliquot nobilitate generis & doctrina præstantibus uiris, quos ei dux Vuirtembergicus Vlrichus adiunxerat: quum ibi frustrà pacis nonnullæ rationes proponerentur, ille ad pontificem Romanum prouocat. Is rem delegat episcopo Spirensi, Georgio Palatino, simúlque mandat, ne quis prętera de causa cognoscat. Colonienses autem, nihil eo commoti, librum Capnionis damnant, citra contumeliam tamen, ut aiunt, authoris, et Februario deinde mense, anni M. D. XIIII. exurunt. Tulit hoc indignè Spirensis, & quoniam actor more consueto per interualla citatus non comparuerat, secundum Capnionem pronunciat, eiúsque librum approbat, & Hogostratũ damnat in sumptum litis resarciendum. Ille uerò, ut sententiã hanc irritam faceret, Romam petit: interim theologi sodales Parisinam academiam solicitant, & per Leodiensem episcopum, Erardum Marchianum, qui tunc erat Gallicarũ partium, Ludouico regi XII. causam cõmendant. Itáq; Parisienses, à multa deliberatione librũ & ipsi damnant, ut incendio dignum, & authorẽ ad reuocationem cogendum, & libros Thalmudicos rectè damnatos olim à pontificibus, et à suis antecessoribus crematos esse iudicant. fuit hoc eodem anno, postridie calẽdas Augusti. Princeps Vuirtembergicus intercesserat apud eos per literas, ipse quoq; Reuchlinus amanter scripserat, quòd ipsorũ fuisset aliquãdo discipulus, et unà mittebat à Spirensi latã sententiã, sed id frustrà fuit. Hogostratus, Romã profectus, diligẽter causam agit, sed erãt cardinales, qui propter insignẽ eruditionẽ amabant Reuchlinũ: in his erat Adrianus, cuius extat de lingua latina liber. Leo tandẽ delectis aliquot rem cõmittit: & cùm hi magis in Capnionẽ propenderẽt, Hogostratus, qui supra tertium annũ ibi commoratus fuerat, nulla re perfecta domũ reuertit. Incredibile autẽ est,

quantum inuidiæ sibi conflarint hoc facto Colonienses theologi: nam quicunque erant uiri docti per Germaniam, uarijs emissis in illos atque facetis libellis, Reuchlinum propugnabant, falsè deridentes illos, ut homines barbaros, linguarum & omnis literaturæ politioris hostes. commẽdabat etiam eum cardinalibus, & quibus opus erat, Erasmus Roterodamus, & extant eius hac de re missæ Romam epistolæ. Theologi Louanienses, antequam euulgarent suam de Luthero sententiam, cum Adriano cardinali Derthusensi, Batauo, qui fuerat ipsorum aliquandò collegij & ordinis, ac tum erat in Hispanijs, rem omnem communicarant. & ab illo cõfirmati, censuram emittunt. Cùm ergò tàm graues atque multos haberet aduersarios Lutherus, epistolam scribit ad nuper creatum Cæsarem, Carolũ quintum, & deprecatus ueniam, quòd ad tantum principem, ipse, tenuis conditionis homo scribat, ait causam esse grauem, cur ità faciat, & omninò talem, quæ ad gloriam Christi pertineat: editos ab se libellos aliquot, qui multorum sibi conciliarint offensionem, sed nullo suo merito: nam inuitum ad hoc certamen à suis aduersarijs esse pertractum: multò se maluisse latére, sed hoc suum esse præcipuum & unicum studium, ut puram euangelij doctrinam contra falsas hominum leges patefaciat: complures eruditione ac uirtute præstantes uiros eius rei posse testimonium dicere: hanc nimirum esse causam omnis odij & indignitatis & periculorum & contumeliæ & incommodorum, in quibus nunc ferè per triennium uersetur: ut autem res componeretur, nihil ab se prætermissum: sed quò sæpius ipse pacis proponat conditiones, eò magis aduersarios exacerbari: frequenter sese multúmque ab ijs flagitasse, ut errore commõstrato meliora doceant, illos autem præter atroces iniurias & conuicia nihil propè respondere, & hoc spectare solùm, quomodo & se pariter & euangelij doctrinam extinguant: his ergò de causis adhibere se nunc supremum remedium, & Athanasij exemplo confugere ad ipsum, uelut ad aram præsidiúmque legum: orare, ut doctrinæ Christianæ tutelã suscipiat, séque contra uim & iniuriam omnem defendat, quousque de causa constiterit: nullam se petere defensionem, si malam sustinere causam conuictus fuerit: petere solùm, ut cognitio fiat, neque prius aliquid pronuncietur: hoc ad ipsius officium pertinere, & idcircò tributam ei potestatem hanc à Deo summam, ut ius reddat & seuerè conseruet, útque tenues ac infirmos contra potentiorũ iniurias defendat. In eandem ferè sententiam deinde scribit ad omneis ordines,

ac pau-

ac paucis repetit, quemadmodum inuitus ad hanc cõtentionem descenderit, & quàm acerbis odijs agitetur, cùm hoc solùm spectet, ut ueræ doctrinæ propagatione homines à falsis et nimium inueteratis persuasionibus eripiat: deinde, quàm multa fecerit pacis impetrãdæ causa, commemorat, quomodo silentium non semel promiserit, ea conditione tamen, ut aduersarijs eadem quoque lex poneretur, petens meliora doceri, & bonorum uirorum censuram atque iudiciũ subire paratus: uerùm hæc sua postulata nullum habuisse locum adhuc, & aduersarios omne genus iniuriarum & cõuitiorum in se coniecisse: quòd cùm ita sit, orare, ne criminationibus illorum fidem habeant: si quid autem à se scriptũ sit nimis uel acerbè uel leuiter, hoc se propemodũ fecisse coactũ ineptissimis eorum & immodestissimis libellis in se conscriptis. postremò, quas antehac semper obtulit componendi dissidij rationes, eas nunc etiam offert, de eóq; contestatur. Non multò pòst, ad Albertum archiepiscopum Moguntinum cardinalem ualde scribit demisse. quòd sit apud ipsum uocatus in odiũ, eò sibi magis dolere, quòd ab illis hoc existimet fieri, qui sua scripta soleant & laudare & tueri: sed siue uerè siue falsò illi criminentur, in utróq; tamen inesse peccatũ: nam si falsum deferãt, hoc ad ipsum, qui tantum sustineat onus, qui q; tam multis præsit ecclesijs, magis quàm ad se pertinere: Dauidem ipsum ab adulatore Siba fuisse in fraudem inductum: uix igitur ullum esse principem, qui id genus hominum insidias euitare possit: sin autem uera sit ipsorum criminatio, iam sanè multò fuisse æquius, ut errorem sibi commonstrarent ac meliora docerent. quod ipsum à suis aduersarijs crebrò quidem, sed frustrà tamen hucusque postularit: esse omninò genera hominum duo, qui sua scripta damnent, unum eorum, qui nunquàm legerint, alterum, eorum, qui legant quidem sed animum adferant odij plenum & amarulentum, & ab his, omnia sua, quantumuis rectè & Christianè dicta, deprauari: quòd si tẽpus aliquod ipse dare uelit ijs perlegẽdis, nõ dubitare se, quin secus atq; illi, sit iudicaturus. Orare igitur, ne calumnijs credat, & suspitionẽ omnem siniſtram deponat, & rem totã exactè cognoscat: hoc enim ad ipsius, & plurimorũ, quos in suam curam acceperit, salutẽ pertinere: nam quoniam & audiri postulet & à doctioribus erudiri, forè, si nõ impetret, ut ueritas ipsa plurimũ uioletur: et quia de ipsius ingenio ac humanitate benè speret, tùm etiam, quòd in ea prouincia, quæ propriè ad ipsius curam ecclesiasticã pertineat, natus sit & educatus, non potuisse non ad ipsum hæc perscri-

bere. Moguntinus ad ea respondet. ualde gratum esse, quòd promittat non obstinatè sua uelle defendere, sed meliora docentibus ultrò cessurum: ad se quantum attinet, etsi religio sibi ualde sit cordi, tamen ipsius legendi lucubrationes ocium adhuc sibi defuisse: proinde nihil hoc quidem tempore de illis pronunciare, & iudicium illis deferre, ad quos ea res propriè pertineat, qui que iampridem susceperint eam expendendam: optare se nihilo secius, ut & ipse & quicunque alij sacrorum interpretes, reuerenter & modestè & religiosè, absque contumelia & inuidia rem omnem tractent: audire se magno cum animi dolore, summis contentionibus, & à magnis quibusdam hodie disputari de pontificis Romani primatu, de libero arbitrio, & id genus alijs friuolis opinionibus, quæstiunculis & nugamentis, quæ ad pietatem nihil magnopere conferant: uocari etiam hodie in dubium à nonnullis ea, quæ pridem recepta sint & confirmata communi ecclesiæ consensu & authoritate conciliorum. quale sit illud de cœna Domini & communione sacramenti: & quoniam hæc etiam populariter fiant, nec ad uulgus dissimulentur, pessimas ex eo nasci & periculi plenas, multarum rerum occasiones: non uidere se, quomodo hæc uel ab ipso uel ab alijs cum fructu pietatis ad eum modū tractari possint: quòd si remotis omnibus docti priuatim de his rebus amicè conferrent, posse tolerari: neque se reprehendere quòd uerum à se doceri dicat, modò id fiat absque amarulentia & authoritatis ecclesiasticæ contemptu: nam si pio affectu leniter ac modestè uerum profiteatur, fore ut consistat, sin autem fastus aut maleuolentia quædam huc ipsum impellat, non posse firmum aut diuturnum esse: nam si quis Dei beneficijs abutatur, eum hauddubiè grauem in se uindictam accumulare. In eandem ferè sententiam & eodem die scribit etiam Lutherus ad episcopum Merseburgensem. quod ad doctrinam attinet, bona se conscientia niti, nec aliud docere, quàm quod Christus & apostoli docuerunt: sed quoniam suæ professioni mores atque uita non respondeant, optare, ut à docendi remoueatur officio: nullum se captare lucrum, nullam spectare gloriam, sed hoc solùm, ut æterna ueritas omnibus innotescat: qui sua damnent, eos uehementi quodam odio concitari, & suis affectibus falsò pontificis Romani nomen obducere: multos exterarum gentium uiros, eruditione & ingenio prestantes, datis literis gratulari sibi de suis scriptis, & permagnas agere gratias: quò magis etiam credat sanam se doctrinam proposuisse: rogat igitur, ut paternè secum agat & erranti

uiam

uiam commonſtret: adhuc quidem impetrare ſe non potuiſſe, ut res cognoſceretur, licet omnibus precibus flagitarit: nunc etiam longè ſibi foregratiſsimum, ſi quis errorem ſibi eripiat: obſtinatè nihil ſe facturum eſſe. Epiſcopus ad ea reſcribit. ſollicitum ſe uehementer ac ſæpe de ipſo fuiſſe. neque parum ſibi dolere, quòd librum inter alios emiſerit de cœna domini, quo multi non leuiter ſint offenſi: populũ etiam ſuæ curæ peculiariter commiſſum, eo dogmate ualde commoueri, quod ſibi cumprimis doleat. Ipſius deinde aſperitatem ſcribendi reprehendit: atque ut exteris probetur ea ratio, ſe tamen probare non poſſe, uerùm optare, ut ad actionem iſtam animum adferat Chriſtianum, & ab omni uacuum perturbatione: minus reuerenter etiam ab ipſo tractari pontificem Romanum, quod & non deceat, & alioqui ualde ſit indignũ: itáque monet, ut illam ingenij dexteritatem accommodet ad alia, quæ plus in commune proſint, & ut cõtentionem omnem acriorem remittat: quòd autem demonſtrari ſibi petat errorem, ſéque tractabilem eſſe futurum polliceatur, ait non ſe poſſe iam literis ad ea reſpondere, ſed coràm aliquandò prolixius acturum. Erat Friderico principi tunc temporis aliquid Romæ negotij, quod Valentino Ditlebio commendarat, homini Germano. Is nunciabat, & hoc et quæcunque alia ipſius negocia Romæ parum eſſe grata, propter Lutheri temeritatem & immodeſtiã, qui & contra pontificem & eccleſiam Romanã & ſenatum cardinalium odioſè multa ſcripſerit & acerbè, quem quidem hominem ipſe foueat & defendat, ut plærique omnes confirment. His acceptis literis, Fridericus reſpondet. nunquam ſui fuiſſe propoſiti, ut ſuo patrocinio Lutheri doctrinam propugnaret, & ne nunc quidẽ eius eſſe animi, neque ſibi iudicium ſumere ullum eorum quæ doceat: audire ſe quidem ipſius dogmata ualde probari uiris doctis & iudicio prædi tis, uerùm ſe nihil quicquam pronũciare, & illi ſua permittere defendenda: duas autem ab eo conditiones oblatas eſſe iampridem, & adhuc deferri: primùm, ſi fide publica idoneè caueatur, coràm legato pontificio, quicunque tandem ille ſit, rationem ſe redditurum eſſe doctrinæ ſuæ: deinde, ſi demõſtretur error, paratiſſimè diſceſſurũ à ſententia, de eóque palàm eſſe conteſtatum: & quanquam ſatis hoc ipſo feciſſe uideri poſsit, tamen multò antè commonefactum à ſe, uoluiſſe decedere finibus, niſi Carolus Miltitius aliud ſuaſiſſet: huic enim fuiſſe uiſum, ut in ijs locis maneret potius, quàm ut aliò ſe reciperet, ubi maiorẽ fortaſſe nactus libertatẽ, editurus eſſet acriora multò, quàm

adhuc fecisset: itáq; nullam de se male suspicandi causam idoneã adduci posse: sperare etiã nihil sibi fraudi futurũ apud pontificem: grauiter enim molestéq; sese laturũ, si uulgò persuadeatur, errorẽ ullum suo tempore natũ, ab se defendi et cõfirmari. Pòst, familiarius ipsum appellat ijsdem literis, propter cõmunem patriam, & audire se dicit, in eã contentionis acerbitatem nunq; fuisse rem deuẽturam, nisi Eccius & id genus alij quidam ex diuersis locis, atq; etiã ex urbe Roma litem excitassent: eorum scriptis admodum atrocibus impulsum ac propè coactũ respondisse Lutherũ, & occasione uelut in manus atq; sinum delata, patefecisse multa, quę, nisi lacessitus ad eũ modum, non fuerit dicturus unq;: hoc ità sibi deferri à uiris doctis, qui rem omnẽ teneant, & ipsum quoq; non diffiteri Lutherũ: in eos ergò totius turbæ conferendã esse culpam, qui dum pontifici fortasse gratificari uoluerunt, non mediocriter eum lęserint: non eundem esse nũc, qui fuit olim, Germanię statũ: excitari uidelicet ingenia pręclara, literas omneis bonas & artes efflorescere, & in discendis linguis ad uerã eruditionem necessarijs, complures utilem operam nauare: breuiter, eam nunc esse temporũ conditionem, ut etiã homines plebei, magno quodam teneantur cognoscẽdæ scripturę desiderio: quapropter multos ità putare, si cõditiones à Luthero iamdudũ propositę reijciantur, et ecclesiastica potestas uim suã in illum cõuertat, indicta causa, fore, ut multò magis omnia exasperẽtur, et pòst ad compositionẽ res difficillimè deduci possit: illius enim sic esse plurimorũ animis infixam doctrinã, ut, nisi legitimè tractetur, et scripturę sacrę testimonijs ac solidis argumẽtis doceatur error, maximi sint per Germaniã & pleni discriminis orituri motus, unde nec ad põtificem nec ad quemuis aliũ ulla sit utilitas reditura. Cùm hęc ille scripsisset ad calendas Aprileis, pontifex, Iulij mensis die sexta, missis ad eum literis, quòd nihil habeat cum Luthero cõmune, homine prorsus impio, ualde sibi gratum esse dicit: antea se præclarè semper de ipso propter uirtutis opinionem sensisse: cùm autẽ uiri graues hoc sibi constanter nunc affirment, non mediocriter auctam esse, qua sit antè complexus eũ, beneuolentiam: nimirũ hoc ità decere ipsum, eiusq; totam familiam, quæ magnũ semper honorẽ ecclesiæ Romanæ detulerit: singularẽ quoq; prudentiã ipsius ex eo satis apparére, quòd intelligat, non illũ à Christo, sed ab humani generis hoste Sathana in orbẽ terrarũ immissum, qui ad insaniam usq; sit ambitiosus, qui & Vicleui et Hussi & Bohemorũ hæreses antè damnatas resuscitet, qui popularẽ auram captet,

qui

qui falsa scripturę interpretatione simplicibus occasionem peccandi præbeat, qui continentiam profliget, qui delictorum confessionem & huic annexam pœnitẽtiam eneruet, qui Turcas fauore prosequatur, qui prophanis & impuris uocibus omnem ecclesiæ disciplinam euertat, qui pœnas hæreticorũ deploret, breuiter, qui conetur summa miscere profundis & sacra prophanis, qui sit eò superbiæ progressus atque dementiæ, ut conciliorum & pontificum Romanorum authoritate contempta, suam unius opinionem audeat omnibus aliorum iudicijs anteferre: prudenter itáque factum esse, quòd homini tàm pestilenti nõ sit familiaris, quòd nullum ipsius errorem approbet, quòd maiorũ suorum moribus insistat: cùm eius rei mentio fit apud uiros graues atque peritos, magnopere ipsius commendari uirtutem: se uerò inprimis agere magnas gratias Deo, quòd talem ei mentem dederit: toleraſſe aliquandiu proteruiam illius ac temeritatem, ea spe, fore, ut ad sanitatem rediret: nunc autem, quandò suis monitis atque mansuetudine nihil profecerit, cogi se uiolentum adhibere remedium, quòd metuat, ne cõtagione sua plures ille corrumpat: conuocato igitur cardinalium senatu, & cum doctissimis uiris re communicata: post multam & grauem deliberationem, decretum se fecisse, præmonstratore spiritu illo sacro, qui ecclesiæ Romanæ nunquam desit: eo decreto recitari plurimos illius errores, ex infinitis collectos, quorum alij sint palàm hæretici, & cum religione Christiana pugnent, alij uerò bonos mores deprauent, & uitæ honestatem omnem eneruent, & ad nullum non maleficij genus homines inducant: eius autem decreti exemplar se ad ipsum mittere, ut uideat, quàm prodigiosos errores ille sathanæ minister defendat: suam uerò hanc esse mentem, primùm, admoneat illum, ut omni deposita superbia, desistat ab instituto, deponat errorem, ab eóque palàm & solenniter discedat: hoc si recuset facere intra diem præfinitum, det operam, ut custodiæ mandetur: ita fore, ut à sua domo & à Germania quoque labem omnem depellat, et magnam nominis gloriam sibi comparet, qui nascens illud incendium, patriæ futurum longè funestissimum extinxerit, facturum quoque rem Deo cumprimis gratam. Decretum uerò illud, sanè quàm prolixum, fuit editum ad XVII. calendas Iulij. Primùm, adductis aliquot scripturæ locis, & ad suum propositum accommodatis, Leo pontifex, Christum, deinde Petrum, Paulum reliquósque diuos implorans, ut impendens ecclesiæ periculum auertant, grauissimè queritur, nunc demum exoriri

doctrinã, quæ & damnatas iam olim hæreſes ac nouos etiam errores & meram contineat impietatem: hoc eò ſibi dolere uehementius, quòd ea peſtis ortum habeat in Germania, quæ non ſolùm magna ſemper obſeruantia fuerit in eccleſiam Romanam: uerùm pro huius quoque dignitate uitam aliquando profuderit, & acerrimas ſuſceperit dimicationes: in recenti adhuc eſſe memoria, quantis animis & quo ardore Bohemos oppugnarint & Huſſitas: nuper etiam academias aliquot priſtinæ uirtutis atque roboris præclarum edidiſſe documentum: quia uerò ſibi ſuæque curæ ſit à Chriſto demandata totius orbis Chriſtiani multitudo, non ſe poſſe diutius ad tantam rem conniuere: pòſt, recitatis Lutheri dogmatis, aduerſari ea dicit charitati Chriſtianæ, & reuerentiæ, quam omnes eccleſiæ Romanæ debeant: itáque congregationem feciſſe cardinalium ſenatus & aliorum, qui quidem à multa diſceptatione pronunciarint, ea minimè recipi oportere, quòd & concilijs & patribus & eccleſiæ fidem derogent: de illorum ergò conſenſu ac uoluntate doctrinam hanc omnem damnat, & pro ea quam habere ſe dicit, poteſtate, mandat omnibus, ut eam defugiant, graui conſtituta pœna ſingulis, pro ſua cuique dignitate & ordine ac uitæ genere: mandat etiam magiſtratui, præſertim Germano, ne quid eius doctrinæ comprobent aut defendant: libros quoque Lutheri, quibus iſta continentur, iubet exhiberi atque incendi. commemorat deinde, quàm egerit amanter atque paternè, ut illum ad ſanitatem reuocaret, quomodo per legatos eum ſit adhortatus, quomodo Romam euocarit, quomodo de profectione cauerit, & uiaticum promiſerit: illum uerò contempta citatione, ad concilium à ſe prouocaſſe, contra Pij & Iulij II. decretum, quo ſit cautum, ut qui ſic prouocant, pœnam ſubeant hæreticis conſtitutam: ideóque ſibi tunc integrum fuiſſe quidem, aduerſus illum agere pro ipſius merito, ſed tamen pro ſua manſuetudine longius quoddam tempus atque moram indulſiſſe, ſi fortè, tanquam filius prodigus, calamitate ſua melior effectus, ad gremium eccleſiæ redire uellet: eius etiam animi erga illum adhuc quidem eſſe: uehementer itáque per omnia ſacra rogare tàm ipſum quàm ſocios, ut deſinant perturbare eccleſiam: id ſi faciant, multam eis beneuolentiam pollicetur. Luthero tamen mandat interim, ut à docendi munere diſcedat: deinde dies LX. præfinit, intra quos ad ſanitatem redeat, & ſuos ipſe libros aboleat, & doctrinam ſuam publicè deteſtetur: niſi pareat, damnat & proſcribit, ut hæreticum, & pœnam le-

gibus

gibus constitutam iubet irrogari;& sacris interdicit,et mandat omnibus,ut aditum ipsius atq; sermonem defugiant, nec ullã rem cũ eo communicent:qui secus fecerint, ijsdem legibus pœnisq; subijcit, & decretũ hoc omnibus in templis ac populi cõuentibus,certis diebus recitari iubet. De Pio quod dicit,decq; Iulio põtifice,sic habet.Ad annum salutis M. CCCC LIX. Pius secundus, Turcici belli causa præcipuè, concilium habuit Mantuæ, atq; ibi decretum fecit inter alia, ne quis à pontifice ad concilíũ appellaret, eò quòd suprà Christi uicarium nihil reperiri posse diceret in rerũ natura maius. Damnabat igitur eos qui contrà facerent, & irritas pronũciabat eiusmodi prouocationes. Neq; multò pòst, Austriæ duci Sigismundo sacris interdixit propter captum Nicolaum Cusanũ cardinalem: Sigismundus autem ab eo prouocat ad concilíũ. itáq; pontifex administrum eius rei Georgium Heimburgum iureconsultũ proscribit, ut maiestatis uiolatorem & hæreticum, ac senatum Noribergicum per literas monet,ut illum & urbe pellant & bonis omnibus exuant. Hoc eius decretum Iulius deinde secundus denuò sanxit, ut contra cardinales, qui secessionem ab eo fecerant,contráq; reges ac principes,adeóque. scholam Parisiensem, qui hoc utebantur perfugio , sese tueretur.

Pius autem pontifex, antea dictus Æneas Syluius, interfuit concilio Basilienſi, & rem omnem descripsit, & decreta ibi facta magnis laudibus extollit: sed ad summum dignitatis gradum euectus, mutata sententia,pontifici concilium debere subesse uoluit. Lutherus,ubi se damnatum Romæ cognouit,repetit appellationem illam superiorem, quandò à pontifice prouocauit ad concilium:nunc uerò,quia pontifex in tyrannide & impietate sua permaneat,eóq; licentiæ procedat, ut se nec uocatum nec auditum nec erroris conuictum damnet,ait se rursus ad concilium ab eo prouocare,quatuor potissimùm de causis . quòd uidelicet non audita controuersia, non conuictum pro sua libidine damnet, quòd fidem in sacramentis necessariam à se iubeat abnegari, quòd suas opiniones & merè humana deliria sacris literis anteponat, quòd concilio nullum relinquat locum: itáque temerarium uocat illum & præfractum & tyrannum, & superbum ecclesiæ contemptorem,& antichristum deniq;: hæc autem omnia,quandocunq; suis maioribus uisum fuerit, demonstraturũ se dicit,eóque Cæsarem ac reliquos magistratus orat,ut gloriæ Dei & libertatis concilij tuendæ causa,prouocationẽ hanc suam admittant, ut illius tyrannidi frenos injciant, ut decretum ab eo factum nihil

ad se pertinere putent, nec aliquid moueant, donec legitimè causa fuerit disceptata. Prius, quàm ad hunc modum prouocaret, quod fuit Nouembris die XVII. librum emiserat, de captiuitate Babylonica, & præfatus ait, in cognitione scripturæ se indies magis magisq; proficere: primis illis annis editum à se libellum esse de indulgentijs pontificijs, & reuerenter quidem tunc scripsisse, quòd magna quadam religione teneretur & Romanæ tyrannidis obseruantia: nunc autem multò aliter iudicare, & aduersariorum stimulis excitatum dicisse, pontificatum Romanum nihil aliud esse quàm regnum Babylonis, et robusti uenatoris Nimrodi potentiam. deinde, de sacramentis ecclesię disputat, & tria solùm esse contendit, baptismum, pœnitentiam & cœnam domini. Et de his quidem tractat, pòst etiam de reliquis, consecratione, ordine, matrimonio, unctione: sed his nomen atque titulum sacramenti nõ tribuit, & sacramenta propriè uocari dicit, quæ sunt annexis promissa signis: cætera, quę signis alligata non sunt, nuda dicit esse promissa, ideóque ne pœnitentiam quidẽ in hunc numerum recipi posse putat, si propriè uelimus & exactè loqui, iuxta definitionem uocabuli, propterea quòd signo uisibili & diuinitus instituto careat. Post acceptum ergò pontificis decretum, Lutherus, et appellationem, de qua suprà diximus, interponit, & simul scriptum edit contrarium, & omnia sua dogmata, quæ Leo damnauerat, ordine confirmat & asseuerat. Cæsar interim constitutis in Belgio rebus necessarijs, Octobris diem sextum designat electoribus, ut inaugurationis causa sibi præsto sint Aquisgrani: sed per id tempus admodum sæuiebat ibi pestis: itáque principes, ubi Coloniam uenissent, decem ab Aquis milliaribus, & grassantis morbi fama quotidie cresceret, missis literis atque legatis, Cæsarem, qui tùm erat Louanij, rogant, ut propter eam causam aliò se conferat: Oppidani uerò, qui maximos iam sumptus fecissent in adornandis domicilijs & alimonia comparanda, per idoneum interpretem, morbi uim extenuantes, animum eius confirmant, ne dubitet uenire. perstitit igitur in sententia Cæsar, neque Caroli quarti legem, qui sic sta tuisset, temerè se posse mutare dicit. Octobris ergò die XXI. ueniunt eò Moguntinus, Colonienſis, Treuericus, Saxoniæ ducis & Brandeburgenſis Marchionis legati. Nam Saxo per causam ualetudinis Coloniæ substitit. Postridie obuiam Cęsari contendunt, & appropinquantem, honorificè, cùm ex equis descendissent, excipiunt, uerba faciente Moguntino: ipse, per Salisburgenſem cardinalem beneuolè

neuolè respondet. Coniunctis igitur agminibus urbem petunt: antè portam occurrit Palatinus. Equitatus erat omnis electorũ, circiter mille sexcenti, partim hastati, partim sagittarij: Cęsaris autem ad duo millia, splendidissimè omnes uestiti. Dux Cliuensis Ioannes, planè finitimus, equites adduxerat quadringẽtos, insigniter armatos. ijs contentio multa fuit cum Saxonicis, utri precederent, ità quidẽ, ut pompam istam, qua uix ullã Germania uiderat illustriorẽ, nox interpellaret. Latus utrunq; Cęsaris claudebant Colonienſis et Moguntinus: ponè sequebatur Bohemiæ regis legatus, itẽ Sedunensis & Salisburgensis & Croius cardinales: regum atq; principũ oratores. Pontificius tantùm aberat et Anglicus. quòd eò fecisse putantur, ne postpositi principibus Germanis, eorũ, à quibus erant missi, uiderentur imminuere dignitatẽ. Cęsar in ædem diuę uirginis introductus, ibíq; precatus, ac deinde separatim cum electoribus collocutus, in domicilium suum diuertit. Altera die rursus in templo conuenitur: tantus autẽ erat hominum concursus, ut à stipatoribus armatis ægrè coherceri possent. In medio templi dependet corona quædam perampla: subtus erant stragulę uestes multę: hic aliquándiu Cęsar pronus decumbit, interea dũ Colonienſis quasdã precationes absoluit: postea sublatum Moguntinus atq; Treuericus ad aram diuę uirginis adducunt. Hic iterum procumbit, et peractis precibus in solium auratum deducitur. Incipit sacrificare Colonienſis, & aliquousq; progressus, latinis uerbis rogat, an fidem catholicam seruare, defendere ecclesiã, administrare iustitiam, restaurare Imperium, tueri uiduas, pupillos & id genus calamitosos homines, an honorem debitũ Romano pontifici uelit exhibere? ubi annuit, ductus ad aram, conceptis uerbis iurat, pòst ad soliũ regreditur. Principes deinde Colonienſis interrogat, an fidẽ & obsequiũ ei præstare uelint? eo promisso, & rursus aliquot dictis precibus, in pectus & caput & brachiorũ flexus & manuum palmas illũ inungit: unctum Moguntinus & Treuirensis in sacrariũ abducunt, atq; ibi diaconi more uestitũ, rursus in cathedra collocant, & post certas iterum preces, archiepiscopis collegis adhibitis, ensem euaginatũ ei Colonienſis tradit ac rempublicã commendat, & gladio in uaginã recondito, annulũ inserit eius digito, postea pallium induit regale, sceptrum quoq; porrigit atq; pomum, quod orbis terrarũ figuram repręsentat: diadema uerò simul archiepiscopi tres eius capiti superimponunt: inde ad aram adductus, iterum iurat facturũ se boni principis officiũ: pòst, in sublimiorẽ locum, comitantibus archiepiscopis, ascendit, & in saxea sede collocatur. Ibi Mo

guntinus lingua populari uerba facit, & multam ei salutẽ precatus, se suósq; collegas & ordines omneis Imperij diligenter commendat. Idem deinde faciunt primarij templi sodales, quorum in collegium etiam allectus fuit ueteri consuetudine: posthæc, publicam lætitiam symphoniaci & tubicines excitabant. Harum rerum omnium spectatrix erat Margarita, Cæsaris amita, quæ Belgio toti præerat.

Peracto sacro, cùm cœnam domini Cæsar percepisset, in equestrẽ ordinem recipit uolentes. hic honos communicari solebat antiquitus ijs tantum, qui strenuè pugnassent in hostem, erátque præmium fortitudinis: nunc autem recepta consuetudine, reges, gladio stricto leniter feriunt humeros eorum, qui hunc ordinem affectant. Et hac sola ceremonia promiscuè multi hodie fiunt equites, nõ ex nobilitate tantùm, sed mercatores etiam & quicunque præ cęteris in honore esse uolunt. E templo uentum est in palatium, magnificentissimè comparatum, ibi demùm Cęsar prandium sumit, & electores etiam, singuli separatim, in eadem aula, dispositis mensis ad utrunque latus mensæ Cæsaris, Treuirensi locum obtinente contra Cæsarem, iuxta formulam legis Carolinę. Veteri consuetudine bos eo die torretur, farctus alijs animalibus: ex eo pars aliqua defertur ad Cæsarẽ, reliquum est multitudinis: uinum etiam duabus fistulis ad eam rem comparatis, toto die publicè profunditur. A prandio reuersus in diuersorium Cæsar, Imperij sigilla Moguntino tradit: postridie cœnã dat electoribus. Eo qui secutus est die, templũ ingressus, finita Missa, diuorum reliquias, uti uocant, ueneratur, & in his, linteolum, quo Seruatorem nostrum in cunis uagientem, inuolutum fuisse confirmant: ab eo, Moguntinus profitetur, pontificem Romanum, approbata creatione, iubere, ut electi Cæsaris nomen in posterum Carolus usurpet. Digressis electoribus, ne diutius hęrerent in loco pestilenti, Cæsar etiam iter suscipit, & cùm sub calendas Nouembreis Coloniam Agrippinam uenisset, dimissis per Germaniam literis, Imperij conuentum indicit, & ut Ianuarij mensis die sexta, Vuormaciæ sibi præsto sint omnes, iubet. Porrò, quòd Moguntinus de pontificis approbatione dixit, moribus ità receptum est & inoleuit, conuerso rerum ordine. Nam olim episcopi Romani solebant ab Imperatoribus approbari, cùm essent tenuiores: amplificati uerò non solùm arbitratu suo regere cœperunt, uerumetiam eò rem adduxerũt tandem, post acerrimas contentiones, ut eligendi quidem ius, Germanię septemuiris permittant, confirmandi uerò potestatẽ sibi propriam

priam esse dicant. Et hac quidē authoritate sæpe sunt usi per omnia propè regna, maximè per Italiam, Germaniam, Galliam, quandò designatis regibus abrogato magistratu, substituerunt alios. Etenim, ut reliqua iuris pontificij loca præteream, in Gregorij noni decretalibus epistolis, Innocentius tertius affirmat, ius eligendi Cæsaris, beneficio pontificum & ecclesiæ Romanæ delatum esse à Græcis ad Germanos & ad Carolum Cæsarem, cognomento magnum, & ipsorum esse cognoscere ac iudicare, num sit idonea persona. nec eo contenti, fidem etiam exegerunt per iusiurandū à summo totius orbis terrarum magistratu. quæ quidē res maximis offensionibus atq; bellis causam sæpe dedit. tandē uerò, Clemens quintus, qui uixit ad annū salutis millesimum trecentesimum, legē hac de re tulit, insertam iuri pontificio. Cùm enim Henricus eius nominis septimus, è familia Lucemburgica, Cæsar, nollet adhunc modū obligari, quòd diceret noui rem esse exempli, nec usurpatam ætate superiori: Clemens, ut in posterum cauéret, copiosè rem explicat, & quid eo iureiurando contineatur, demōstrat. nimirum, ut Cęsar ecclesiam Romanā defendat, ut hęreticos exterminet, neq; cum impijs ullū habeat commerciū, ut pontificum dignitatem modis omnibus tueatur, ut priuilegia quondam ecclesiæ Romanæ concessa quocunque tempore, conseruet, inprimis ea, quæ profecta sunt à Constantino, Carolo magno, Henrico, Ottone quarto, Friderico secundo, Rudolfo: ne quid iuris in ullas ecclesiæ Romanę facultates atq; possessiones, quocunq; titulo sibi uendicet: ut reliquas etiam ubiuis ecclesias, earúmq; libertatē atq; iura protegat. His rebus deuinctū sibi Cæsarem esse dicit, & Henricum etiam per internuncios hęc sibi promisisse confirmat, utcunq; postea dissimulauerit. exijt autem hoc decretum, Henrico iam mortuo. Clemens hic est, qui primus omnium Roma cardinales euocauit Lugdunū, & in Gallia cum illis consedit. Post eam ætatem, Cęsarum per Italiā authoritas atq; robur, indies magis magísq; decreuit, & auctę fuerunt Romanorum pontificū uires, ità quidem, ut huius & paulò superioris memoriæ Cæsares obedientiam hanc atq; fidem omninò se debere illis arbitrentur. Inter pontifices autē, qui Cęsares nostrates uehementer exagitarunt, pręcipui fuerūt, Gregorius VII. Alexander III. Innocentius III. Gregorius nonus, Innocētius IIII. Nicolaus tertius, Bonifacius octauus, Clemens V. Nunc ad institutum reuertamur. Interea dum Cæsar est Coloniæ, pōtifex per Marinum Caracciolum & Hieronymum Aleandrum denuò cœpit so-

licitare Fridericum principẽ. Et illi quidem in ipſius atq; etiã eius familię laudem nonnulla prefati, & cõmemorato periculo, quod propter Lutheri ſcripta longè teterrima iam impendeat Germanię, duo tandẽ petebant. primùm, ut illius omneis iuberet exuri libros, deinde, ut ipſum uel capite plecteret, uel cuſtodiæ datũ, pontifici ſiſteret. Aderant huic actioni Petrus Bonomus, Tergeſtinus, et Bernardus, Tridentinus, epiſcopi. Cæſarem etiã & reliquos omneis principes, appellatos hac de re, facere quæ pontifex poſtulaſſet, & ſibi dicebat Aleander atq; Eccio theologo, cauſæ cognitionem à pontifice mandatã eſſe. Fridericus, quòd permagni momenti res erat, petito deliberandi ſpacio, quarta die Nouembris, per ſuos familiares, quoniã occupatus erat ipſe, reſpondet, Tridentino preſente. Omninò ſibi præter opinionẽ accidiſſe, quòd eiuſmodi rem pontifex ab ſe petat, qui ſemper hoc elaborarit, ut maiorũ uirtute atq; ſplẽdore nihil committeret indignũ, útq; fidelem operam, Imperio, et ſuam eccleſię preſtaret obſequentiã: audire ſe, interea dum ipſe domo abſit in reip. negocijs occupatus, Ecciũ non Luthero tantùm, ſed & alijs quibuſdã ſuę ditionis uiris doctis uoluiſſe, cõtra pontificij decreti ſeriem atque modum, creare periculum: quam ſanè rem, pro eo ac decet, moleſtè ferre debeat. hominẽ uidelicet priuatum, in aliena prouincia tantum ſibi ſumere: quid Lutherus aut etiã alij, per ſuam abſentiam, fecerint poſt allatũ illud pontificis decretũ, non ſibi cõſtare: fieri enim poſſe, ut prouocationẽ eius plerique comprobarint: ſibi quidem nihil unq; fuiſſe cum illius cauſa cõmune, & ne nunc quidẽ eſſe: quòd ſi minus rectè doceat, magnopere ſibi diſplicere: ante bienniũ ſua ſollicitudine & opera perfectum, ut ſermonẽ cum eo Caietanus Auguſtæ conferret: tunc quidem ipſis non potuiſſe conuenire, et Caietanum datis ad ſe literis grauiter fuiſſe conqueſtũ: ſe uerò tunc ita reſpondiſſe, ut ſatisfactũ eſſe putet, imò ſuſpitionis tollendę cauſa uoluiſſe tum ab ſe dimittere Lutherũ, niſi Miltitius obſtitiſſet: Richardum quoq; Treuirenſem archiepiſcopũ ad eam rem à pontifice delectum poſtea, & Lutherũ quidem uelle quocunq; loco iuſſus fuerit, ſiſtere ſeſe, modò rectè caueatur: adeò quoq; prolixè & amplè polliceri, ut nihil ſupra: uiros bonos & eruditos ità ſentire, non ſua quadã ſponte, ſed incitatum ab aduerſarijs illum eouſq; prodijſſe: nondum à Cæſare nec ab alijs etiã auditum, ſcripta illius ità eſſe cõuicta uel erroris uel impietatis, ut aboleri debeant: alioqui ſe pridẽ fuiſſe facturũ boni principis officiũ: petit igitur, ne ad hunc modũ agant, ſed hoc potius efficiant,

ut de-

ut delectis aliquot uiris literatis atque bonis, amanter & placidè de re tota conferatur, ut Luthero rectè caueatur, nec ipsius libri comburantur prius, quàm causam suam dixerit: quòd si firmis scripturæ testimonijs & solidis argumentis fuerit conuictus, tum eius institutum minimè se probaturum: & ut infirmior ille sit futurus, totáque causa cadat, sperare tamen, pontificem à se nihil, quod minus honestè facere queat, esse postulaturum: in cæteris rebus omnibus facturum se beneficio Dei, quod Imperij principem & obsequentem ecclesiæ filium deceat. Eo dato responso, illi, habita deliberatione, cœperunt commemorare, quàm multa põtifex fecisset ac toleràsset, quò Lutherus in uiam aliquando rediret: illum uerò nihil eorũ quæ pollicitus erat, feciſſe: non esse iam Treuirensis episcopi de eo cognoscere, quandóquidem pontifex ad se causam reuocarit, ad quem unũ pertineat de rebus eiusmodi iudicare. Exitus orationis erat, ut ex formula decreti pontificis agendum sibi dicerent. itáque Lutheri lucubrationes nõ multò pòst incendunt & exurunt. Aleander erat Italus, patria Mottensis, hebraicę linguæ peritissimus: docuit aliquando bonas literas Lutecię: Romam profectus, paulatim creuit, factus deinde archiepiscopus Brundusinus, pòst etiam cardinalis: ad eundem dignitatis gradum peruénit quoq; Caracciolus. Eo cognito, Lutherus, conuocata omni multitudine scholastica, Vuittembergæ, & magna doctorum hominum comitante turba, ius pontificiũ, & illud nuper euulgatum pontificis decretum, palàm incendit, Decembris die decima: & postridie, cùm doceret, uehementer admonuit, qui suæ saluti consultum esse uellent, ut à regno pontificio sibi cauérent. Edito deinde scripto, sui facti rationẽ exponit, suáque uoluntate, consilio et opera, pontificios libros esse crematos profitetur, his nimirum de causis. primò, uetustum esse morem & singulis temporibus obseruatum, ut mali et pernicioſi libri flammis aboleantur, eiúsque rei testimonium in actis apostolorum extare: deinde, ad suũ officium, qui sit in Christo baptisatus, qui sit sacrarum literarũ professor & doctor publicus, pertinere, ut impiam doctrinam oppugnet, & salutarem hominibus proponat, & falsas opiniones hominum animis eripiat: idem officium ad complures etiam alios pertinere, & ut hi uel imperitia uel periculi metu impediti non faciant quod debent, se tamen idcircò excusari non posse, nisi bona fide munus suum faciat: pontificem quoque & ipsius clientelam omnem sic esse deploratè miseros & obstinatos, ut non solùm rectas admoni-

tiones non admittant, uerumetiam Christi doctrinam & apostolorum damnent, & homines ad manifestam impietatem cogãt: adhęc, existimare se, incendiarios illos non habere eius rei mandatum: quòd enim Colonienses ac Louanienses theologi, à Cæsare factam ipsis potestatem dicant exurendi suos libros, falsum id esse, liquidò sibi constare: postremò, quoniã crematis iam suis libris, eáque fama per omneis diuulgata prouincias, multi sint futuri infirmiores, & oritura sit uehemens quædam in plurimorum animis dubitatio, quasi nec temerè, nec sine graui causa sit hoc excitatum incẽdium, idcircò, se, cùm insanabiles uideret aduersarios, ipsorum etiam cremasse libros, ut hominum animos erigeret ac confirmaret. Itáque rogat omnes, ut magnificis illis titulis & inscriptionibus aduersariorum, ad ostentationem comparatis, nihil moueantur, sed rem ipsam intueantur propius, quàm uidelicet impia sint ac pernicioſa dogmata, quę pontificum libris continentur. Quod quidem ipsum ut rectius intelligi possit, ex infinitis, pauca quædam iuris pontificij loca recenset, quæ ad contumeliam Dei, & ad magistratus iniuriam, & ad stabiliendam ipsorum tyrannidem propriè pertineant. sunt autem ad xxx. circiter loca seu capita, quibus demonstrat, causam fuisse rectam & idoneam, ipsorum exurendi libros. deinde lacessit eos, & cur suas lucubrationes incenderint, rationes demonstrari petit. Quòd autem adeò pauci uel nulli ferè, sæculis anteactis, antichristi tyrannidem oppugnarint, eò factum esse dicit, quòd scriptura prænunciarit fore, ut aduersarios ille suos trucidaret, ac reges haberet sibi coniunctos: cùm ergò prophetæ & apostoli tam horrenda prędixerint, cogitari facilè posse, quantam ipsius esse oporteat immanitatem: ità nimirum in rebus humanis esse comparatum, ut ex optimis principijs deterrima quæque tempore nascantur. hoc ubi nonnullis exemplis probauit, ad urbem quoque Romam accommodat, quæ plurimis à Deo cumulata beneficijs & ornamẽtis, omninò degenerarit, & sua contagione magnam orbis terrarum partem infecerit: pontificis hoc institutum esse contra leges, contra bonos mores, neque tolerari posse, quòd legitimam cognitionem defugiat, quòd se legibus omnibus atque iudicijs maiorem esse confirmet. Priori libro diximus, Syluestrem Prieriatem in Lutherum scripsisse: cùm huic acriter esset responsum, Ambrosius Catarinus Italus defendendum suscipit, edito libro de pontificis Romani dignitate: Lutherus autem prolixè respondet, & loca quædam

Danielis

Danielis interpretatus, tyrannidem pontificiam ibi depictam esse docet, & quæ de antichristi regno præsignificauit ille, prorsus ad pontificatum Romanum pertinere contendit. Catarinus deinde factus est archiepiscopus Cossentinus.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber III.

FRIDERICVS PRINCEPS, INTEREA DVM CAESarem, ad agendos Vuormaciæ cõuentus euntem, comitatur, effecerat, ut Cæsar, uelle se Lutherum euocare diceret, & coràm audire. quod ubi Lutherus è Friderici literis cognouit, sub exitum Ianuarij rescribit, uehementer sibi gratum esse, quòd Cæsar, huius causæ, quæ publica sit, cognitionem ad se recipiat: se quidẽ omnia, quæ salua conscientia possit, & euangelij doctrina, facturum. orat ergò, det operam, ut contra uim omnem atque periculũ sibi rectè caueatur, ut uiri boni deligantur & eruditi, quibuscum agat, ut ne grauius aliquid contra se prius decernatur, quàm sit erroris conuictus & impietatis: ut interim ab illa rabie desistant aduersarij, neq; suas lucubrationes exurãt, & si quid posthac pro gloria Dei, pro ueritate suscipiendum erit, ut hoc sibi per Cæsarẽ liceat: ubi Cæsar idoneè cauerit, uenturum se Vuormaciã, & ibi coram æquis iudicibus, ità suam causam esse acturũ, ut omnes intelligant, nihil à se factum esse proteruè, sed pro republica, maximè uerò pro Germaniæ salute laborem hunc omnem sibi susceptũ esse, nimirum, ut à multis grauissimis erroribus, ad sanam & puram doctrinam homines reuocentur. Orat etiã, ut & Cæsar & ipse ad immanem illã seruitutẽ et orbis Christiani miserrimũ statum, sub pontificatu Romano, respiciant. Solicitante igitur Friderico, Cæsar, VI die Martij dat literas ad Lutherum, quoniam libri quidam ab eo sint editi, se, communicato cum principibus consilio, uelle causam ex ipso coràm cognoscere: itáque potestatem ei facere ad se ueniendi ac deinde redeundi domum: útque hoc ei tutò liceat, publica se fide præstiturum, ut ex eo scripto, M.D.XXI.

quod ſimul mittat, plenius uidere liceat: iubet igitur, ut ſe ſtatim det itineri, & intra uiceſimum primum diē adſit: nec eſſe, quòd uim aut iniuriam metuat: ſe curaturum, ne quid omninò ſit fraudi. Romani pontifices, die Iouis, qui Paſchæ diem antecedit, antiqua conſuetudine ſolent magnis imprecationibus deuouere & execrari certa quædam hominum genera. primùm, hæreticos, deinde, piratas, item eos, qui uel nouum inſtituunt, uel prohibitū uectigal exigunt, qui literas & diplomata Romanæ curiæ corrumpunt, qui Sarracenis atque Turcis arma ſuppeditant, & id genus merces illicitas, qui impediunt, quò minus annona perferatur Romā, qui ſectatores aulę Romanæ uiolant, qui poſſeſſionibus & locis uicinis eccleſię Romanæ uim faciunt, nimirum, urbi Romæ, Siciliæ, Neapoli, Sardiniæ, Corſicæ, Hetruriæ, Spoleto, Sabinis, Anconę, Flaminię, Campanię, Bononię, Ferrarię, Beneuento, Peruſię, Auenioni. Superiores quidem pontifices in hæreticis nominant Garaſios, Pateronos, pauperes Lugdunenſes, Arnoldiſtas, Speroniſtas, Vicleuiſtas, Huſsitas, Fratricellos: Leo autem decimus, eo die, quem diximus huius anni, qui tum erat quintus calēdarum Aprilis, Lutherum, nuper ab ipſo damnatum, eiuſque ſectatores huic numero coniungit, et ſimul execratur. uulgò uocāt bullam cœnæ domini. Huius autem imprecationis formulam pòſt adeptus Lutherus, populari ſermone uertit et explicat, non ſine ſcommatis multóq; ſale. Cęſaris ubi literas accepit Lutherus, Vuitēberga deductus ab ipſius caduceatore, Vuormaciam petit, cúnque propius iam accederet & paucis abeſſet milliaribus, plęrique dehortabantur, eò quòd ipſius erant nuper exuſti libri: quo quidem præiudicio iam ipſum eſſe damnatum, & in ſummo futurum diſcrimine dicebant, illata mentione, quid accidiſſet ætate ſuperiore, Ioanni Huſſo: uerùm ipſe magno quodam animi robore periculum omne contempſit, & terrorem hunc atque metum à Sathana ſibi dicebat adferri, qui confeſsione ueritatis, et quidem loco tàm illuſtri, regnum ſuum labefactari uideat. itáque progreſſus, Vuormaciam uenit ad XVI. Aprilis diem. Poſtridie, uocatus, ubi coram Cæſare ac frequenti principum concilio conſtitit, Eccius iureconſultus mandatu Cæſaris uerba facit, &, duæ ſunt, ait, cauſæ, cur Cæſar, de cōſenſu principum omnium & ordinum, te iuſſit accerſiri, Martine Luthere, de quibus ut ex te cognoſcam, mihi mandauit. primùm, an hos libros, abs te conſcriptos eſſe fatearis & pro tuis agnoſcas? alterum, an retractare quicquam in ijs, an uerò, quæ ſcripta

ſunt,

sunt, uelis tueri? Aderat Luthero iureconsultus Vuittembergicus, Hieronymus Schurfius. is librorum inscriptionem recitari iubet & edi: quo facto, Lutherus, breuiter repetens quod propositum erat, quantùm ad libros, inquit, pertinet, meos esse profiteor & agnosco: sed an propugnare uelim quæ scripsi, ut ad hoc legitimè respondeam, quandoquidem res maximi est momenti, & ne quid præcipitanter à me fiat, deliberandi spacium posco. Re communicata, quanquam, ait ille, de scripto Cæsaris facilè tibi fuit, causam, cur sis euocatus, intelligere, atque idcircò tibi non licebat moram ullam interponere, quò minus iam responderes, tamen Cæsar pro sua clementia diem unum ad cogitandum tibi largitur, & ut cras, ad hoc ipsum tempus, denuò te sistas, & quid tui sit propositi, non scripto, sed oratione testatum facias, iubet. Quòd moram istam adhiberet, plærique putabant non fore constantem. Altera luce, cùm ad horam adesset: ei quod secundum fuit, postulato, heri non respondebas, inquit Eccius, petito ad deliberandum spacio, quod iure quidem tibi denegari poterat: nam de fide quisque sua tàm debet esse certus, ut cuiuis etiam petēti, rationem statim reddere possit: tantùm abest, ut tu, tàm peritus & exercitatus theologus, dubitare debeas, aut responsum aliquod præmeditari: sed utcunque, sit, age, quid adfers, num illa tua scripta uis tueri? Tùm Lutherus, ad Cæsarem & concilium principum oratione conuersa, et magnopere illos obtestatus, ut æquis animis & patienter audirent, si quid à me peccabitur, inquit, potentissimè Cæsar, illustrissimi q̄ principes, uel uerbis minus proprijs, neque tanto consessu dignis, uel etiam moribus parum elegantibus atque decoris, totū hoc mihi peto condonari, propter uitæ genus, in quo nunc aliquam ætatis partem consumpsi. nam certè de me nihil aliud polliceri possum aut testari, quàm quòd simpliciter hucusque docui, quæ ad gloriam Dei & ad hominum salutem pertinere credo: de libris meis hesterno die respōdi, & illos à me scriptos ac editos agnosco: quanquam si quid fortè sit adiectum ab alijs, id minimè uelim pro meo recipere: iam, ut ad alterum ueniam, ad hunc modum res habet, ut dicam. Qui sunt à me conscripti libri, non sunt eiusdē generis nec argumenti omnes. nam ex ijs aliqui solùm ad fidei & pietatis doctrinam pertinent, quibus etiam aduersarij mei præclarum dant testimoniū. quos quidem si abiurarem, officium uiri boni neglexisse, iure queam incusari: sunt alij, quibus pontificatū Romanum & pontificiorū doctrinā reprehendo, qui maximis incōmodis

rempublicam Christianam afflixerunt. Quis enim non uidet, quàm miserè hominum conscientiæ, legibus uexentur atque decretis pontificum? quis negare potest, quàm fraudulenter & insidiosè prouincias omneis, inprimis uerò Germaniam expilarint, & ne nunc quidẽ adhuc suæ rapacitatis finem aut modum ullum faciant? Si nunc & hos libros aboleam, tyrannidem illam confirmauero: quod ipsum eò maioris erit præiudicij, cum audietur illud à me factum, Cæsaris & principum authoritate. Tertium genus est eorum, qui scripti sunt in quosdam priuatim, qui & Romanã illam nequitiam defendere uolunt, & ubique calumniam mihi struunt, in ijsque fateor me uehementiorem fuisse, quàm deceat: sed nullam sanctimoniam mihi arrogo, neque de moribus aut mea uita, sed de uera doctrina professionem instituí: & tamen in his ipsis nihil retractare uelim: hoc enim ipso multorum insolentiæ fenestram patefacerem: neque tamen hæc ità uelim accipi, quasi hoc mihi sumam, errare me non posse: uerùm, quia proprium est hominis, falli & errare, ad causę defensionem mihi sumo illud seruatoris nostri dictum, qui de sua doctrina locutus, cum à satellite quodam cæderetur, si male sum, ait, locutus, testimonium perhibe de malo. Quòd si Christus, in quem omnis cadit perfectio, non recusauit audire contra se uilissimi seruuli testimonium, quantò magis ego, qui natura tota sum peccator, & non uno modo errare possum, sistere me debeo uocatus & audire, si quis contra doctrinam meam aliquid testificari uelit & adferre? Quapropter, per omnia sacra uehementer oro, si quis est omnium, qui aduersus doctrinam, quam profiteor, aliquid habeat, ne dissimulet, sed congrediatur & scripturæ testimonijs errorem doceat: quod si fiat, adeò nõ sum futurus obstinatus, ut etiam primus omniũ libros ipse meos in ignem sim abiecturus: & hęc quidem argumento esse possunt, me non temere, nec animi quadam impotentia ferri, sed rei magnitudinem & istam perturbationem, quę propter hanc doctrinam oritur, satis expendisse. Me quidem plurimùm etiam delectat, dum uideo doctrinam meam his offensionibus atque turbis occasionem prębere: nam proprium hoc esse dicit euangelij, Christus, ut ubicunque doceatur, grauissimas contentiones excitet, etiam inter eos, qui naturæ uinculis & sanguine sunt coniunctissimi: diligenter itaque & grauiter diu multúmq; cogitandum est uobis, amplissimi uiri, quid statuere oporteat, & prouidendum, ne damnata doctrina, quæ nunc beneficio Dei uobis offertur, maximarũ calamitatum causam, Ger-

maniæ

maniæ toti concilietis ipsi: danda est etiam opera, ne Cæsaris, qui hic præsidet, adolescentis, Imperium, nuper susceptum & initum, fiat inauspicatum & infœlix aliquo minus laudato & utili ad posteritatem exemplo: plurimis enim sacræ scripturæ locis probari potest, maximum Imperijs periculum tunc incubuisse, quum humanis tantùm consilijs atque prudentia ciuili respublica fuit administrata: uerùm hæc nõ eò spectant, quasi uobis, clarissimi prudentissimíque principes, commonstrare uelim aut præscribere, quid sit agendum, sed eò solùm dico, ut Germaniæ, quæ nobis ortum dedit omnibus, atq; etiã uita nostra charior esse debet, officium meũ perpetuò præstem: quod superest, ut contra uim aduersariorum in uestram fidem atque tutelam me recipiatis, etiam atq; etiam obtestor. Facto dicendi fine, Eccius, asperiori uultu, nõ respondes, inquit, ad rem, neq; tuum est, ea quæ conciliorum authoritate sunt olim definita, rursus in quæstionem aut dubium uocare: planũ & simplex responsum abste petitur, an tua scripta uelis esse rata? Tum Lutherus, quoniam iubetis, ait, maximè Cæsar, illustrissimíque principes, ut planè respondeam, obtemperabo. Hæc igitur mea est sentẽtia. quòd nisi scripturæ sacræ testimonijs uel euidenti ratione conuictus fuero, me nõ posse quicquam eorum, quæ scripsi uel docui, reuocare: nam ut conscientiam ipse meã uulnerem, nõ committam: pontifici autẽ Romano & solis concilijs nõ credo, nec ipsorum authoritatẽ recipio. nam & errarunt sæpius, & sibi ipsis pugnantia dixerũt, & errare possunt atq; falli. Hoc eius responsum ubi principes in deliberationem uocassent: ille, tu & immodestius, ait, quàm te deceat, & nõ satis ad rem Luthere respondes, & librorum tuorum facis aliquod discrimen: uerùm si reuocares eos, qui magnã errorum tuorum partem cõtinent, Cæsar non esset permissurus, ut eis quæ rectè scripta sunt, ulla fieret iniuria: concilio Constantiensi quàmplurimi ex Germania interfuerunt uirtute & doctrina præstantes uiri, tu uerò huius decreta contemnis, & errores ibi damnatos resuscitas, & sacra scriptura uis conuinci: non rectè facis, & uehementer in eo deliras. nam quæ semel ecclesia damnauit, de ijs nullam attinet instituere nouam disputationem: neque permittendum est, ut de quaque re sibi rationẽ reddi quisque postulet. Si enim hoc recipiatur, ut eum, qui concilijs & ecclesiæ contradicit, oporteat scripturæ locis conuincere, nihil unq; erit certum aut definitum: hac igitur de causa Cæsar abs te postulat, ut quid statuas de libris tuis, apertè pronuncies. Hic Lutherus,

obsecro uos, ait, ut per uos mihi liceat conscientiam tueri saluã & integram: respondi simpliciter, nec aliud habeo quod dicam: nisi enim ueris & è scriptura desumptis argumentis aduersarij me doceant & errorẽ eripiant, fieri non potest, ut animo sim tranquillo: demonstrare enim possum, sępenumero ab illis et grauiter esse erratũ: ut autẽ à sacris literis recedam, quæ & perspicua est ac sola falli non potest aut errare, cumprimis impiũ fuerit. Ille paucis obmurmurabat, doceri non posse, concilium ullum aliquando errasse: Lutherus contrà profitebatur, se et posse et uelle, atq; ità tũc discessum fuit. Postridie Cæsar epistolã mittit in concilium principũ. Maiores suos & Christianam religionẽ esse professos, & ecclesiæ Romanę semper obtemperasse: cúmq; Lutherus nunc eã oppugnet, ac sententię suę pertinaciter insistat, officium suum postulare, ut antecessorum uestigijs insistat, & religionem Christianã tueatur, ac simul ecclesiæ Romanæ ferat opem: proscripturum igitur esse Lutherum atq; socios, & alijs usurum se remedijs, ad incendium hoc restinguendũ idoneis: quam autem ipsi dedisset fidem, eam se seruaturum, ut saluus & incolumis domum reuertatur. Ea Cæsaris epistola diu multúmq; fuit in senatu principũ disceptata: neq; deerant, uti fertur, qui Constantiensis concilij decretum & uestigia secuti, fidem ei minimè seruandam esse dicerent: sed huic sententię tum alios, tum Ludouicum Palatinũ electorem restitisse uehementer aiunt, quòd ad Germanici nominis labem atq; dedecus sempiternũ ea res pertineret. Quapropter, nõ modò seruandã ei fidem, sed neq; temere damnandum esse plęriq; censebant, eò quòd magni res esset futura momenti, quicquid demũ Cęsar decreuisset, quem, in hac ętate positũ, à pontificijs administris impelli uidebant aduersus Lutherũ & exacui. Diebus autẽ aliquot interiectis, episcopus Treuirensis, XXIIII diẽ Aprilis Luthero constituit, ut ad se ueniat: aderant Brandeburgicus princeps elector Ioachimus, Saxoniæ princeps Georgius, Augustanus episcopus & alij quidã proceres: cúnq; Lutherus ab episcopi sacrifico deductus & à Cęsaris caduceatore, uenisset, ibi Væus iurecõsultus Badensis, quòd huc euocatus es, ait, à principibus, Martine Luthere, non eò factum est, ut ullam disceptationẽ ingrediantur, uerùm ut amicè tecũ agant, téque priuatim commonefaciant eorũ, quæ uidentur ad te ipsum inprimis pertinere: ut enim hoc ipsis liceat, à Cæsare impetrarunt. Et primò quidem, quod ad concilia pertinet, fieri potest, ut diuersa docuerint aliquandò, non tamen contraria: & ut maximè errauerint,

non

non tamen propterea sic corruit ipsorum authoritas, ut ea conuellere cuiuis liceat: libri tui, nisi caueatur, magnos excitabunt motus, & quem edidisti de libertate Christiana, plerique omnes ad suum affectum interpretantur. quò licentius, quod libet, faciant: multò est autem hoc seculum, quàm fuerunt anteacta, deterius: quò cautius agendum est etiam: sunt quędam tua scripta, quę non possint improbari, sed uerẽdum est, ne Sathanas hoc agat, ut alia quædam interim edas, à religione & pietate aliena, quò sic libri tui promiscuè damnentur omnes: quos enim edidisti postremò, satis indicant ex fructibus nõ autem ex flore cognoscendam esse arborem: non te latet, quàm diligenter scriptura commonefaciat, ut à dæmonio meridiano & à sagitta uolante nobis caueamus: ille humani generis hostis nõ desinit insidiari nobis, & sub specie pulchri sæpenumero nos illaqueat & in errorem abducit. Cogitare igitur debes tàm de tua, quàm de aliorũ salute, & prouidere decet, ne, quos ab æterna morte Christus morte sua redemit, tua culpa tuísque libris & concionibus ab ecclesia seducti, rursus pereant. cuius quidem ecclesię dignitatem omnes reuerenter agnoscere debent: nam in rebus humanis nihil est legum obseruantia præstabilius, & sicut respublica sine legibus consistere nulla potest, ità quoque, nisi maiorum sanctissima decreta religiosè tueamur, nihil erit ecclesiæ statu perturbatius, qui debebat omnium maximè esse tranquillus atq; firmus. Qui coràm adsunt principes, magna sanè uirtute uiri, singulari quadam erga rempublicam charitate, et priuatim tuæ quoque salutis gratia, de his rebus omnibus te uoluerunt admonere: nam profectò si sententiam tuam pertinaciter urgebis, déque proposito nihil remittes, futurum est, ut Cęsar, qui iam non obscurè, quid sui sit propositi, ostendit, extra fines Imperij te rejiciat, nec in Germania sedem ullam tibi esse patiatur: quò tibi de tua fortuna cogitandum est diligentius. Ad ea Lutherus, pro hac uestra erga me uoluntate ac solicitudine, gratias, inquit, uobis ago maximas, uiri principes: equidem tenuiori sum conditione, quàm ut uos tantos uiros pro me laborem hunc deceat & molestiam subire: porrò, quantùm ad concilia pertinet, equidẽ non reprehendo simul omnia, sed inprimis Cõstantiense: et cur id faciam, causam habeo magnam & ineuincibilem. definiuit Hussus ecclesiã esse cœtum prædestinatorũ: hoc eius dogma, tùm illud, quod dixerat, se credere sanctã ecclesiam, eius concilij proceres damnarunt, ipsi potius damnandi. Rectè enim & Christianè dixit utrunque: quiduis ergo sanè patiar,

uitam quoq; profundam potius, quàm ut à manifesto uerbo Dei discedam: est enim Deo magis quàm hominibus obediendū: & quod de scādalo mihi obijcitur, id neq; possum neq; certè debeo præstare: differunt enim charitatis & fidei scandala, quorū illud in moribus et uita consistit, et omninò uitandum est, alterum autem inhæret uerbo Dei, nec ulla debet eius haberi ratio: ueritas enim & æterni patris uoluntas atq; mandatū dissimulari non debent, etiamsi totus terrarum orbis offendatur: Christum ipsum scriptura uocat petram scandali, & hoc ad omneis, qui docent euangelium, æquè pertinet. scio parendum esse legibus & magistratui: populum etiā ità semper docui, & scripta mea testātur abunde, quantum dignitati legum tribuam: ad ecclesiastica uerò decreta quod attinet, lōgè est alia ratio: quòd si purè docceretur uerbū Dei, si præfecti ecclesiarum facerent suū munus, ità ut Christus & apostoli sanxerunt, nihil opus erat iugū illud durū & intolerabile humanarum legum, conscientijs & animis hominum imponere: non me latet etiam, admonere scripturam, cedendum esse proprio, quod aiunt, sensui: uerè quidē istud dicitur, & libenter etiā præstabo, nec obstinatè sum aliquid facturus: tantummodò mihi liceat euangelij doctrinam profiteri. Cùm hæc orasset, iussus est diuertere: re deliberata, Væus inter alia cœpit hortari, ut Cæsaris atq; principū cognitioni sua scripta subijceret. tùm ille, quid ni? inquit, nolo equidem uideri, unq; defugisse uel Cæsaris uel ordinum Imperij, sed ne aliorum quidem iudicium, modò id scriptura duce fiat & uerbo diuino, quod tàm apertè pro me facit, ut, nisi hoc ipsum me redarguat erroris, nō possim à sententia discedere: præcipit enim Paulus, ne angelo quidem è cœlo uenienti & aliam adferenti doctrinam esse credendum. Itáque uos oro magnopere, saluam mihi liceat tueri conscientiam, idque uestra potissimùm ad Cæsarem intercessione: quod si obtineam, nihil non faciam. Tum Brandeburgicus, num hoc, inquit, uis, te nō cessurum, nisi cōuictum sacra scriptura? planè, inquit, Lutherus, aut euidentissimis rationibus. Dimisso igitur concilio, Treuirensis, aliquot suis adhibitis familiaribus, denuò illū cœpit admonere per Eccium iureconsultū. qui pro pontificatu Romano multa locutus, nihil potuit proficere, atque ità tùm discedit. Altera die Treuirensis iterum interpellat, ut Cęsari ac principum senatui iudicium permittat absq; conditione: sed id frustrà fuit. A meridie, cùm ad Treuirensem denuò quidā uenissent uocati, postulāt, ut futuro saltē concilio sua summittat. assentitur ille, modò scripturę

res

res agatur authoritate. posthæc, Treuirensis, omnibus remotis, priuatim cũ eo collocutus, quomodo huic morbo tàm graui támq; periculoso sit medendũ, exquirit: ille, quod Gamaliel quondã suasisset pharisæis atq; scribis, optimum esse consiliũ, neq; Deo repugnandũ esse dicit. Tunc demum episcopus, cùm nihil proficeret, benignè dimittit, séq; curaturũ ait, ut publica fide domum redeat. Non multò pòst, Eccius iureconsultus, episcopi mandatu uenit, &, quoniã Cæsaris atq; principum admonitiones repudiasti, faciet, inquit, Cæsar deinceps, quod erit ipsius officij, & nunc quidẽ tibi mandat, ut hinc è uestigio discedas, et in reditũ dies uiginti unum tibi largitur: quam etiam fidem tibi dedit, eam seruabit inuiolatam, & hoc insuper mandat, ut domũ profectus, neq; scripto neq; uoce populum in uia commoueas. Ad hunc ergò modũ dimissus, gloriã Deo tribuit, & ad XXVI. Aprilis diẽ discedit, comitatus eodẽ, quo prius, caduceatore Cęsaris. Ex itinere scribit ad Cęsarẽ, & actionẽ omnem paucis repetit: deinde, quoniã & antehac semper pacis cõditiones detulerit, et nunc etiã deferat, nec aliud petat, quàm ut ęquo iudicio de lite cognoscatur, interposita scripturæ authoritate, flagitat, ut cõtra uim aduersariorum se tueatur: causam esse non suam priuatam, sed publicam totius orbis terrarum, inprimis autem Germaniæ, cuius ipse salutẽ etiam uitæ suæ anteponat. In eandem sententiam ad reliquos quoque scribit principes ac ordines. quandocúnq; Cæsari uisum fuerit et ipsis, uenturum se fide publica, quo iusserint, causámq; suam apud æquos & non suspectos iudices uelle disceptare. Quoniam Hussi & concilij Constantiensis & Bohemorũ non semel mentio fit hoc in opere, paucis rem explicabo. Vixit in Anglia Ioãnes Vuicleuus, ad annũ salutis M. CCC. XCIII. Is cõtra pontificatũ Romanum multa scripsit, quę pòst in Bohemiã delata fuerunt. Erat tùm Pragę nobilis academia: florebat etiã ibi Ioannes Hussus, professione theologus. hic Vuicleui doctrinã, uti piam atq; salutarẽ, pro cõcione celebrabat, & longè latéq; propagabat. Accusatus autem ad pontificem Romanũ, Alexandrum quintum, citatur. Ille per procuratores, cur nõ ueniat, ostẽdit: Vuenceslaus etiã rex intercedit, ac in Bohemiã legatos mitti postulat, qui rẽ cognoscãt: sed id frustrà fuit. Damnatus igitur Hussus pro hęretico, scriptũ edit, et à põtifice ad Christũ iudicem prouocat. Erat tùm ecclesię Romanę status ualde turbulentus. Cardinales enim in cõtraria studia diuisi, treis elegerant pontifices, Gregorium XII. Benedictum XIII. Ioannem XXIII. tulerũt hoc permolestè tùm

alij reges, tùm Sigiſmundus Cæſar. Ab hoc demum ſolicitatus Ioannes pontifex, concilio indicit Conſtantię: Sigiſmundus uerò, Vuenceslai frater, Ioannẽ Huſſum eò uocat, & miſſis literis Octobri menſe, anno ſalutis M.CCCC.XIIII. publica fide cauet. itáque comitatus nonnullis ex nobilitate, qui deducerent, Conſtantiam uenit Huſſus, Nouembris die tertio: tribus uerò pòſt hebdomadis, cùm ad colloquium priuatum pontificis & cardinalium ueniſſet, captiuus detinetur. Aberat tùm fortè Sigiſmundus, & certior factus, grauiter tulit, eóque uenit: ſed cum pontificij dicerent, non eſſe fidem ſeruandã hæreticis, non modò remiſit offenſionem, licet Bohemi frequenter intercederent, & fidem ſeruari peterent, ſed etiam primus omnium acerbè in eum pronunciauit. Sexta demum Iulij die ſequentis anni, ſynodus illum, ut hæreticum & ſeditioſum damnat, libros etiam ab eo ſcriptos iubet exuri. ſic damnatus ac Cæſari traditus, crematur: cineres uerò diſſipantur in profluentem Rhenũ, ne quæ ſupereſſent eius reliquiæ. Poſt eum ſimili ſupplicio uitam finijt ipſius auditor atque diſcipulus Hieronymus Pragenſis. Erant hoc in concilio, præter Cæſarem, multorum regum legati, tres electores Imperij, Ludouicus Palatinus, Rudolfus Saxo, Fridericus Brãdeburgicus: cęterorum uerò principum ingens numerus: patriarchę tres, Aquileienſis, Antiochenus, Cõſtantinopolitanus, cardinales uiginti octo, epiſcopi centum, quinquaginta quinque. theologi et iuriſperiti complures, Itali, Germani, Galli, Britanni, Pannonij, Poloni. Damnata fuit etiam hic Vicleui doctrina, & factum decretum, ut illius corpus effoſſum in Anglia, cremaretur. Sancitum præterea fuit, ut ſoli ſacrifici cœnam domini percipiant integram, reliqui omnes una ſint contenti ſpecie. quod Huſſus impugnauerat. Lex quoque lata, ne ſeruetur fides hæreticis aut ſuſpectis de hæreſi, licet fide publica Cæſaris ad ſynodum uenerint, cognitionis cauſa. Poſtremò, magiſtratus fuit abrogatus tribus pontificibus, & communi uoluntate creatus Martinus, eius nominis quintus. Vbi per Bohemiam de Huſſi & Hieronymi ſupplicio cognitum eſt, ingens fuit excitata turba, pòſt etiam bellum, ductore Ioanne Ziſcha, ualde cruentum et uehemens, ità quidem, ut Sigiſmundus Imperij cogeretur auxilium implorare. Maximè uerò ſæuitum fuit in ſacrificos, odio pontificis, quem execrabantur, ipſius proiecta dominatione, & Huſſi recepto dogmate, cuius et memoriam conſecrabant. Ad hoc ferè tempus, theologi Pariſienſes Lutheri libros damnabant, & ex illo, qui eſt in-

ſcriptus

ſcriptus de captiuitate Babylonica, tùm & ex alijs certa quædam capita collegerant, de ſacramentis, de legibus eccleſiæ, de operũ æqualitate, de uotis, de contritione, abſolutione, ſatisfactione, de purgatorio, de libero arbitrio, de immunitate eccleſiaſticorum, de concilijs, de hęreticorũ pœnis, de philoſophia, de theologia ſcholaſtica, déque multis id genus alijs. Lectorem uerò et omneis, qui Chriſti profitentur nomen, admonent, ut ab eiuſmodi perniciosis dogmatis diligenter ſibi caueant: hæreticorum hunc eſſe morem, ut blanda quædam initiò proponant, quæ ſemel in animũ admiſſa uix unquam inde reuelli queant: ſub illis autem uerborũ illecebris latére uirus præſentiſſimum: ordine poſtea multos enumerãt ſingulorum temporũ hæreticos, & in his Vicleuum, Ioannem Huſſum ac poſtremò Lutherum, quem, ut temerarium et arrogantem magnopere uituperãt, quòd ſe unũ plus cæteris uidere putet, quòd ſanctorũ patrum & interpretum, quòd conciliorũ et ſcholarum omniũ iudicia contemnat, quòd eccleſiæ morem atq; conſenſum, tot ſęculis obſeruatũ, repudiet, quaſi uerò credibile ſit, Chriſtũ interea uoluiſſe ſponſam ſuam unicã in tantis errorũ tenebris uerſari: ſed hæreticis hoc eſſe propriũ, ut ſcripturas ad ſuum ſenſum detorqueant. Enumeratis deinde nonnullis ab eo cõpoſitis libris, oſtendũt, quibus in dogmatis quos imitetur hęreticos: cùm autem ad ipſorum profeſſionẽ atq; munus propriè pertineat, naſcentes errores iugulare, quantum quidem fieri poſſit, idcircò libros ipſius euoluiſſe diligenter, ut, quemadmodum ſibi cauere quiſque debeat ab illis, demonſtrent: poſt multam uerò lectionem eorũ quæ ſcripſerit, reperire ſe, doctrinam illius eſſe pernicioſam, & dignam, quæ flammis ultricibus uindicetur, ipſum uerò, ut eam deteſtetur atque reuocet, cogendum eſſe. Huic illorum decreto reſpondet deinde Melanchthon, ſed & Lutherus, uerùm iocoſè. Porrò, theologi Pariſienſes primum totius Europæ locum in eo genere ſibi uendicant: duo habent pręcipuè collegia, Sorbonam et Nauarram, eóque confluere ſolent ex omnibus propè gentibus, doctrinæ percipiendæ cauſa. Candidati huius profeſſionis, qui uulgò dicuntur baccalaurei, per totam ætatem multis exercentur diſputationibus, & per horas duodecim argumentis omnium ut reſpondeant, oportet. Hic miræ ſunt digladiationes, ac plærunque de rebus aut friuolis, aut quæ captum humanum excedunt, magnis agitur clamoribus, et certamen ferè finitur auditorum ſtrepitu, cùm ex diſputatoribus alter, uel ineptè uel prolixè nimium agit: foris,

per cancellos auſcultant theologi doctores, qui magiſtri noſtri dicuntur: hi ſunt omnis doctrinæ cenſores, & planè regnum poſſidēt. nam rei theologicę nemo quicquam audet euulgare, niſi de ipſorum permiſſu: plærique uerò ſectantur ocium, eóque uidentur ad gradū illum aſpirare, ut ſuauiter uiuant & alijs imperent. Sunt quidem in ijs nonnulli præclaris ingenijs, uerùm alio digni contubernio & meliori cultura. Leo pontifex iam antea fœdus inierat cum Heluetijs, ut ſi quandò res ità poſceret, ipſorū uteretur opera. Galliæ quoque rex, qui pacem antè cum illis firmauerat, ſicuti libro primo dictum eſt, de fœdere ſolicitabat eos, déq; milite ſibi ſubminiſtrando. Zuinglius autem pro concione uehementer diſſuadebat, & quàm eſſet non modò turpis hæc militia, uerumetiam impia, demonſtrabat, & multis in medium adductis incommodis, ad maiorum inſtitutum atque frugalitatem, qui rem pecuariam & agriculturam exercuiſſent, & præclarè multa feciſſent, eos adhortabatur: ſed fruſtrà. Nã à multa ſolicitatione, donis & pollicitationibus expugnati proceres, multitudini perſuadent: itáque omnis Heluetiorum ciuitas hoc anno fœdus cum illo facit, & militem promittit. Soli uerò Tigurini, Zuinglium ſecuti, recuſant, & iureiurando confirmant, nullum donum aut ſtipendium accipere ab ullo principe, militandi cauſa. Filius deinde natus eſt regi, Carolus, pro quo fideiubent in baptiſmo Heluetij, miſsis legatis. Porrò, tredecim hodie continentur pagis, uti uocant, Heluetij. hi ſunt Tigurini, Bernates, Lucernates, Vrani, Suitenſes, Vnterualdij, Tugiani, Glareani, Baſilienſes, Solodurij, Friburgij, Schafuſiani, Apecellenſes. Hi ſunt arctiſſimo fœdere coniuncti, per iuſiurandum, & æquali utuntur iure, ac ueluti communem rempublicam adminiſtrant. Ex ijs omnium primi fœdus inierūt Vrani, Suitenſes, Vnterualdij, quum eiecta nobilitate, qua premebantur, in libertatem ſeſe uindicarent. fuit hoc anno ſalutis M. CCC. XV. his deinde Lucernates, poſtea Tugiani, ſexto loco Tigurini, & ab his, Bernates acceſſerunt. Baſilea ferè poſtrema ſeſe coniunxit. Eorum deinde ſunt facti ſocij, ſed non ijſdem legibus neque tanta neceſſitudine, Rhœti, Lepontij, Seduni, Veragri, Sangallij, Mulluſiani, Rotuilenſes. Cęſar, qui tum ętatis annum uigeſimū primum exceſſerat, publico decreto Lutherū octaua die Maij proſcribit. Exordium ducit à ſua perſona. ſui nimirum eſſe officij, non modò ſtabilire Imperium & amplificare, ſed prouidere etiã, ne qua labes aut hæreſis intrà fines Imperij naſcatur: & maiores quidē ſuos

in hanc

in hanc curam diligenter incubuisse: multò igitur esse æquius, ut ipse, cui tantam támque latè patentem ditionem Deus concessit, illorum uestigijs insistat: nam si recens in Germania natas hæreses non coherceat, fore, ut & conscientiam ipse suam lædat, & in hoc regni sui primordio maximam nominis indignitatem sibi conciliet: notũ esse dubio procul omnibus, quàm impia dogmata Lutherus nunc aliquot annis diuulgarit: ea re permotum pontificem maximum, Leonem decimũ, ad quem eiusmodi cognitio propriè pertineat, nihil non tentasse, ut ad saniorem mentem illũ reuocaret, & principiò quidẽ lenissimis usum fuisse remedijs: uerùm, ubi nihil profecit, ad eas rationes, quæ legibus & maiorum decretis continentur, uenisse, certúmque denunciasse tempus, intra quod errorem deponeret, graui constituta pœna, nisi paréret: illum uerò non solùm non obtemperasse, uerumetiam atrociores edidisse libros: cùm autem grauiter ipse à pontifice urgeretur, ut ecclesiæ suum præstaret officium ac hominem nocentem cohiberet, decretum illud euulgasse pontificis: uerùm ne ità quidem illum esse factum meliorem, imò tunc primùm cœpisse furere, & editis libris indignè ac contumelioſè multa scripsisse, nec aliud in ipsius libris quàm seditiones, bella, discordias, incendia, cædes atque rapinas contineri: patrum & conciliorum ab eo contemni authoritatem, et Constantiensi concilio magnam inprimis fieri contumeliam, quæ quidem non solùm ad eius ætatis uiros sanctissimos, uerùm ad Sigismundum quoque Cæsarem & ad senatum principum pertineat: immanitatem ipsius atque rabiem nullius oratione satis explicari posse: non hominem esse qui sic agat, sed dæmonem potius, humana specie: his ergò de rebus cogitantẽ se magnopere perturbari atque dolere, pro suo erga rempublicam & dignitatem pontificiam affectu: ideoque, ne uel maiorum suorum uirtute, uel suo splendore atque munere aliquid admittat indignum, congregationem feciſſe omnium Imperij principum ac ordinũ, & communicato consilio, rem omnem grauiter ac diligenter expendisse: & quanquam legibus cautum sit, ne manifestus hæreticus, toties damnatus & ab ecclesiæ communione semotus audiatur, tamen, ne quis ulli calumniæ locus esse posset, datis literis & missò caduceatore ac publica interposita fide, illum accersiuisse, ut coràm sui facti rationem explicaret: pòst, ordine commemorat quid sit actum Vuormaciæ, tùm publicè, tùm priuatim, ut suprà dictum est. Et quoniam errores ille suos pertinaciter defendat, decretum illud pontifi-

eis laudat, eiúſque uindicem ſe fore profitetur. itáque & ipſe illum damnat & proſcribit, ut authorem ſciſmatis, ut manifeſtum ac pertinacem hæreticum: mandat etiam omnibus, graui denunciata pœna, ut pro tali agnoſcant, & ut poſt XXI. dies, quos ad reditum ei conceſſerit, quiſque det operam, ut illum capiat, & captum in ſuã poteſtatem perducat: eos uerò, qui quocunque modo faueant aut operam ei ſuam communicent, æquè proſcribit: libros etiam aboleri iubet, & librarijs in poſterum grauem conſtituit pœnam: & hoc quidem ſuum decretum, quod communi principum & ordinum conſilio factum eſſe dicit, ſacroſanctũ eſſe mandat. Aiunt edictum hoc à paucis aliquot fuiſſe conflatum: nam ex electoribus nonnulli fatentur, nõ ſe fuiſſe conſcios, ut ſuo loco de Colonienſi dicetur. Moguntinus, qui cancellarius eſt Imperij, multum in hiſce rebus poteſt. utcúnq; ſit, ea lata ſententia, permagnam Cęſar inijt gratiam, ità quidẽ, ut à Gallis abalienato prorſus animo, fœdus cum eo pontifex iniret, ſicut paulò pòſt dicemus. Ab ea promulgatione, Fridericus princeps, è nobilitate nonnullis, de quorũ fide compertũ habebat, negocium dabat, ut in locum quendã ſecretiorem & ab hominũ frequentia remotũ, deducerent Lutherum, uitandi cauſa periculi: quod quidem ſumma diligentia fuit & taciturnitate adminiſtratũ. In hac ſua ſolitudine, uarias epiſtolas ad amicos & libros etiam Lutherus emittit. de abroganda Miſſa priuata, quem ſuis fratribus Auguſtinianis inſcribit: de uotis monaſticis, ad parentem ſuum Ioannem Lutherũ, & aduerſus Iacobum Latomũ, theologum Louanienſem. Auguſtinianos autẽ ad fortitudinẽ atq; conſtantiam hortatur, et in Frideri-
co principe magnum ipſos habere præſidiũ dicit, quòd ſit prudens, & ueritatis amans, & à iudicijs temerarijs alieniſsimus. Cœperant illi tunc omnium primi intermittere ritum Miſſarũ, eóq; Lutherus confecit illis hunc, quem diximus, librũ, ut & uacillantes erigeret, ac peritiores cõfirmaret, magnopere hortatus, ut in eo propoſito perſeuerarent. Quo cognito, Fridericus admodũ ſolicitus, ne turbas ea res ac maiorem aliquem motum excitaret, totius academiæ ſententiam exquiri, & ad ſe referri iubet: academia quatuor ad eã rem deligit, Iuſtũ Ionam, Philippum Melanchthonẽ, Nicolaum Amſtorffium, Ioannẽ Dulciũ. hi cum Auguſtinianis collocuti, quid ipſorũ eſſet propoſiti, renunciant, et ſimul, quanta cœnę domini fieret iniuria, demonſtrant. itáq; principẽ orant, ut tantam impietatem nõ uno ſolùm in templo, ſed omnibus in locis aboleat, & uerum uſum cœnæ,

iuxta

iuxta Christi mandatum & morem apostolorum instituat, & aduersariorum contumelias omneis fortiter contemnat: sic enim esse comparatum, ut qui uerã euangelij doctrinam suscipit propugnandam, hunc oporteat multa perpeti: magnopere ei prouidendum esse, ut hoc præsentissimum Dei donum, quò prçcipuè sit ornatus, propter èxcitatam in ipsius populo euangelij lucem, reuerenter agnoscat.

Ad ea Fridericus, nihil omninò se, quod ad pietatẽ pertineat, prçtermissurum: sed quoniam res admodum sit ardua, sibi uideri, non esse properandum, et per ipsos, qui pauci admodum sint, uix aliquid posse perfici: quòd si scripturæ testimonijs causa nitatur, fore ut complures accedant, & tunc mutationem illam, quæ pia uidebitur atque necessaria, multò posse commodius fieri: se, qui scripturæ sit imperitus, ignorare, quandò ritus ille Missarũ usitatus, quem ipsi damnent, sit introductus, & quandò ille, quem apostoli dicuntur obseruasse, in desuetudinem uenerit: plæraque omnia templa & ecclesiasticorũ esse collegia propter Missas instituta, maximis ad eam rem collatis facultatibus: quòd si nunc aboleatur Missa, fore, ut possessoribus auferantur ea bona, quæ Missarum nomine donata sint olim: quanta uerò sit ex eo futura perturbatio, quemuis intelligere: et quoniam ad se totam actionem reiecerint, suum esse consilium, ut cum reliquis academiæ uiris bonis atque doctis re communicata, negocium moderatè tractent, & rationes excogitent ad pietatem & tranquillitatẽ retinendam idoneas. Delecti, habita rursus deliberatione respondent, & sicut antea, monent, ut abrogari Missam iubeat: posse id fieri sine tumultu, & ut non possit, tamen quod rectum sit atque pium, non idcircò prætermitti oportere: quòd numero superentur, nihil esse noui: semper inde à condito mundo maiorem hominum partem restitisse ueræ doctrinæ: fore etiam, ut hunc cœnæ domini rectum usum ij solùm recipiant & approbẽt, quibus datum sit diuinitus: collegia quondam instituta, non propter Missas, uerùm ut iuuentus ad pietatem in ijs erudiretur, & possessiones illas fuisse donatas in eorũ, qui docerent simul & discerent, & in pauperum etiam usus: & hunc quidem morem ad Bernardi propè durasse tempora: uerùm annis ãbhinc circiter quadringentis, natam esse Missarum illam nundinationem, quæ sit omninò tollenda: quòd etiamsi uetustiorem haberet originem ista prophanatio, tamen idcircò non esse tolerandam: &, si fortè motus ex ea mutatione nascantur, id non esse doctrinæ, sed aduersariorum nequitiæ tribuendum, qui sui emolumenti causa, ueri-

tatem contra conſcientiam oppugnent: ad hoc uerò genus incommoda non eſſe reſpiciendum, ſed progrediendum conſtanter, quomodocunque tandem tumultuetur mundus: hæc enim omnia iam olim à Chriſto fuiſſe prænunciata. Cæſaris frater Ferdinandus, Auſtriæ princeps, hoc anno ducit in matrimonium Ludouici Vngariæ regis ſororem, Annam. In tanto numero aduerſariorũ Lutheri, Britanniæ rex, Henricus octauus, illum etiam oppugnat, & primò quidem iudicium illius de indulgentijs conuellit, & pontificatum defendit: pòſt, omnem illam diſputationem de ſacramentis eccleſiæ reprehendit, ſumpto ſcribendi argumento ex libro de captiuitate Babylonica. Lutherus, ubi cognouit, acerrimè reſpondet, in eiuſque cauſæ defenſione, nullius hominis dignitatem aut ſplendorem quicquam apud ſe ualere, demonſtrat. Leo pontifex honorificum regi cognomen idcircò tribuit, defenſorem appellans eccleſiæ. Quomodo Carolus Auſtriacus ad Imperij dignitatem aſcitus fuerit, ſuprà demonſtrauimus: cùm deinde priuatæ quædam offenſiones intercederent inter ipſum Galliæq; regem, uentum eſt ad arma, & primò quidem in Hiſpaniæ finibus, inque Belgio. Tenebant tùm Galli Parmam & Placentiam: id permoleſtè grauitérque Leo pontifex ferebat: cúmque nuper etiam tentaſſent Rhegium Lepidi, prorſus animum ab illis auertit, & fœdus cum Cæſare fecit, cuius hæc erant capita præcipua. ut eccleſiæ Romanæ dignitas defendatur, ut quę Galli nuper illi ademerant, recuperentur, ut Franciſcus Sfortia tùm exul, in paternum ſolium reſtituatur & principatum Mediolanenſem. Coniunctis ergò uiribus, Parmam & Placentiam Gallis eripiunt, & Mediolanum urbem capiunt, & hoſtem ex Inſubria, quam totos iam ſex annos ille tenebat, depellũt, & Sfortiam deinde reſtituunt, adminiſtrantibus bellum Proſpero Columna, Ferdinando Daualo Piſcario. Non multò pòſt eum allatum nuncium, Leo deceſſit è uita, non ſine ueneni ſuſpitione. Filius erat Laurentij Medices, ac proauum habuit Coſmum, qui præcipuum ſplendorem in hanc familiam intulit: tredecim annorum adoleſcens Leo, in cardinalium ordinem fuit allectus, Innocẽtio octauo, pontifice: non exceſſit annum ætatis quadrageſimum ſeptimum: ſucceſſorem habuit Adrianum ſextum, Batauum, qui Cæſaris adoleſcentiæ formator fuerat. Eodem prope tempore, Solimannus, nuper factus Turcarum princeps, Ludouico Bohemię regi & Vngariæ, qui ſororem Cæſaris Mariam habebat in matrimonio, bel-

lum

sum facit, & plurimis occupatis oppidis atque castellis, Belgradum urbem, Vngariæ propugnaculum, ad Danubij & Saui confluentem, capit, & opere præsidióque munit. Dum uerò Cæsar in Germania moratur atque Belgio, ualde graues ortæ fuerunt per Hispaniam seditiones: ut ergò nascenti málo tempestiuè occurreret, constituto prius iudicio & senatu, qui ius redderent, pérque suam absentiam, Imperij negocia procurarent, classe uectus in Hispaniam redit: sed iam ante ipsius profectionem ordines imperij M. D. XXII. conuentus agebant Noribergæ, cùm alijs de rebus, tùm inprimis de bello Turcico: & Cæsar, emisso diplomate sub exitum Martij, monet inprimis ecclesiasticos, ut pro reipublicæ salute, pro peccatis hominum expiandis, uota Deo nuncupent & sacra faciant: calendis deinde Maij decreta fuerunt auxilia Ludouico regi. Cæsar domum rediens, Angliæ regem iterum inuisit, & ut firmum haberet amicum in Galliæ regem, aureorum millia centum triginta tria promittit ei dare quotannis. Tantundem enim ex pacto Galliæ rex Anglo pendebat, eiúsque sorori Mariæ, quotannis. itáque, nisi de damno sibi caueretur, Anglus nihil in illum experiri uolebat. Actum inter ipsos hac de re fuit Iunij die decimotertio, Vindesoræ, quod est ad Thamesim, oppidum & arx, supra Londinum: maioris etiam necessitudinis causa, conuénit, ut Angli filiam Mariam, tunc septem annorum puellam, Cæsar consobrinus in matrimonium suo tempore duceret: uter ab eo pacto discederet, alteri dependeret aureorum millia quadringenta. Gallię rex, ut amissa per Italiam recuperaret, omne robur eò conuertit. De Zuinglio suprà dictũ est: episcopus uerò Constantiensis, Hugo, cuius ad iurisdictionem ecclesiasticam Tigurini pertinent, senatum interpellat, & cuiusmodi querelas audiat de Zuinglio, qui nouũ doctrinæ genus inuexerit, ostendit: ille, suã causam ad senatum defendit, eíqꝫ satisfacit: episcopus deinde dat literas ad collegium canonicorum, in quibus etiam erat Zuinglius, & de nouis doctoribus, qui perturbent ecclesiam, multa locutus, hortatur, ut ab illis diligenter sibi caueant: & quia Leo pontifex, deinde Cæsar etiam illa dogmata grauissimis edictis damnauerint, monet, ut ijs pareant, nec aliquid mutent aut innouent, donec illi, quorum interest, aliquid de communi consilio statuant. fuit hoc mense Maio. Quum hæc esset in collegio recitata epistola, Zuinglius, ad quem ea pertineret, episcopo rescribit, & intelligere se dicit, quorum impulsu ista faciat: monet,

ne ſequatur eorum conſilia: nam inuictam eſſe ueritatem, nec ei poſſe reſiſti. prolixiori poſtea ſcripto reſpondet illis, quos eius epiſtolę putabat authores. Zuinglio deinde coniuncti quidam alij, per literas orant epiſcopum, ne quid aduerſus euangelij doctrinam decernat, neque turpem illam & infamem uitam ſacerdotū amplius ferat, ſed coniugium illis permittat. In eandem quoque ſententiam ſcribit Zuinglius ad omneis Heluetios. monet, ne ueræ doctrinæ curſum impediant, neque ſacerdotibus maritis ullam faciant moleſtiam: cœlibatus enim præceptum, authorem habere Sathanam: nonnullis in ipſorum pagis hunc eſſe morem, quum nouum quempiam eccleſiæ miniſtrum recipiunt, ut iubeant eum habere concubinam, ne pudicitiam alienam tentet: eam conſuetudinem rideri quidem à multis, uerùm prudenter eſſe receptam, ut quidem eo tempore, & in illis doctrinæ tenebris atque deprauatione: quod autem illi de concubinis tunc fecerint, idem nūc eſſe de legitimis uxoribus inſtituendum ubique. Lutherus interim, cùm per menſes aliquot delituiſſet, ut ſuprà diximus, Vuitembergam reuertit, & quoniam à Friderico principe non erat reuocatus, ne in malam hoc ille partem acciperet, ueritus, menſe Martio datis ad eum literis, quòd ipſius iniuſſu rediſſet, nulla factum eſſe dicit uel maleuolentia uel contemptu: ſatis intelligere ſe, non defuturos eſſe, qui ad ipſius periculum hoc pertinere dicant, eò quòd pontificis atque Cæſaris grauiſsimo iudicio ſit proſcriptus, quorum minimè ſit contemnenda potentia: ſe quidem hæc omnia diu multúmque pręcogitaſſe, uerùm ſui facti treis habere cauſas: primùm, quòd crebris eccleſiæ Vuittembergicę literis atq; precibus ſit interpellatus, ut redeat: eum uerò populum à Deo peculiariter ſibi concreditum eſſe, neque negligi poſſe: multos hauddubiè de hac emendatione doctrinæ loqui acerbè & odioſè, uerùm certò ſibi conſtare, profeſsionem hanc ſuam eſſe Deo gratiſſimam: deinde, per inſidias diaboli, qui lucem hanc euangelij ferre non poſsit, abſente ſe, turbas in eccleſia ſua concitatas eſſe, quæ, niſi coràm ipſe doceat, componi non poſſint: eam uerò cauſam eſſe tanti momenti, ut quibuſuis eam rationibus anteferat, ideoque ſtatim ubi cognouiſſet, omni remota deliberatione rediſſe: nihil enim ſibi tàm eſſe charum, atque populi ſalutem: quòd ſi literis confici res potuiſſet, leuiter ſe Vuittembergæ deſiderium fuiſſe laturum: poſtremò, ualde ſe metuere, ac quodammodo præuidere futuram in Germania longè maximam tempeſtatem, quæ præſens hoc Dei beneficium tàm

ſecurè

securè contemnat: plærósque magno quidem studio complecti ue-
ram doctrinam, sed uita moribúsque uehementer eam deformare,
& quæ spiritus esse debebat libertas, eam ad suas transferre cupidi-
tates, ut quiduis licere sibi putent: alios autem in hoc esse totos, ut sa-
nam doctrinam opprimant quocunq; modo: hoc autem ad seditio-
nem concitandam propriè pertinere: tyrannidẽ ecclesiasticam nunc
esse debilitatam, & hoc solùm initio sui fuisse propositi: sed quia ma-
gistratus etiã hoc tantum donum nõ agnoscat, fore, ut hanc ingrati-
tudinem & uerbi sui contemptum Deus ulciscatur, & alia post aliã
nascente calamitate, sicut olim Hierosolymæ, funditus euertat om-
neis: iam uerò, suum, & aliorum qui consulere in medium possint,
officium esse, ut ad summam docendi atq; monendi diligentiã, nihil
reliqui faciant: & quanquam fortasse laborem omnẽ ipse frustrà su-
mat, & à multis etiam rideatur, idcircò tamen sibi desistendum non
esse: nam operam suam placere Deo, & qualecunq; tandem sit futu-
rum conuentus Noribergici decretum, iudicio tamen & sententiæ
diuinæ non posse præscribi: esse quasdam alias præterea sui reditus
causas, uerum tenuiores: hanc uerò quam demonstrarit, quæ uideli-
cet ad asserendum euangeliũ pertineat, satis esse magnam & idoneã,
cur humanis omnibus consilijs posthabitis, ad solum Deũ respiciat:
ut ergò boni cõsulat, quòd non iussus ab ipso neq; uocatus, eò se re-
ceperit, orare: ipsum quidẽ principem in corpus atq; fortunas po-
puli sui habere potestatẽ, Christũ uerò in animas etiam, quarũ pro-
curatio atq; cura quoniã sibi demandata sit diuinitus: nõ se posse sta-
tionem deserere: cúmq; Christi negotiũ hoc sit omne, putare se, nihil
ob hunc suũ reditum ipsi futurum esse periculi. Quòd autẽ per su-
am absentiam ait excitatas in ecclesia turbas, ad hunc modum habet.
Andreas Carolostadius, de quò suprà dictum est, interea dum Lu-
therus abest, diuersa dogmata proposuit, & tumultuosè statuas è
templis eiecerat, concitata plebe: Lutherus autem hac de causa po-
tissimùm reuocatus à suis, cùm redisset, factum istud Carolostadij
damnat, demonstrans, non hoc ordine progrediendũ, sed imagines
atque statuas primùm esse remouendas ex animo, populúmque do
cendum, sola fide nos placere Deo, statuis uerò nihil proficì: subla-
tis illis ad hunc modum & rectè informatis animis, nullum esse pe-
riculum amplius, ne quid noceant, & sponte collapsuras: non se qui
dem repugnare, quò minus tollantur, sed hoc à magistratu fieri de-
bere, neque permittendum, ut uulgò & promiscuè fiat ab omnibus.

Gliſcebat ad hoc tempus occultè ſecta quorundam, qui cũ Deo ſibi colloquium eſſe,& mandatum habere ſe dicebãt,ut impijs omnibus interfectis, nouum conſtituerent mundum, in quo pij ſolùm & innocentes uiuerent ac rerũ potirentur. Hi ſuas opiniones clanculum diſſeminabant, in illa potiſſimùm Saxoniæ parte, quæ eſt ad Salam flumen,eorúmque ſententiam laudabat etiam Caroloſtadius,ut quidem Lutherus refert: cúmque uictus authoritate Lutheri non potuit,quod uellet, Vuittembergæ perficere, deſerta demùm ſtatione tranſijt ad illos. Ex hoc hominum genere atque officina prodijt Thomas Muncerus,quo quidem authore per Turingiam et Franconiam pòſt nata eſt popularis in magiſtratum ſeditio, ut ſuo loco recitabitur. Lutherus deinde certior factus, in conuentibus Bohemorum eſſe, qui pontificis & eccleſiæ Romanæ ſuaderent authoritatem recipiendam,alioqui diſſidiorum & offenſionũ nullum eſſe futurum finem: dat literas ad illos tertio calendas Auguſti. nomen Bohemorum ſibi ualde aliquandò inuiſum & odioſum fuiſſe,quándiu pontificem Romanum ignoraſſet eſſe antichriſtum: nunc uerò, cùm euangelij lucem Deus mundo reſtituit, longè aliter iudicare, ſuíſque libris hoc ipſum ità profiteri, ut pontificem eiúſque clientelam omnem habeat ſibi multò magis,quàm ipſi,durum & implacatum: iactaſſe non ſemel aduerſarios, in Bohemiam ſe commigraſſe, & ſe quidem aliquoties optaſſe eò proficiſci: uerùm,ne fugę ſimilem eam profectionem clamarent, mutaſſe propoſitum: nunc autem eò rem deductam,ut ſpes magna ſit, Germanos atque Bohemos euangelij doctrinam et eandem religionem aliquandò profeſſuros:quòd plæríſque doleat,ipſos inter ſe uarijs diuidi ſectis,meritò quidem illos angi,uerùm, ſi ad pontificatum deficiant,fore, ut non modò non tollantur ſectæ, uerumetiam augeſcant, & ſeſe diffundant:nuſquam enim eſſe plures, quàm in regno pontificio,ſectas: uel ſolis Franciſcanis hoc poſſe demonſtrari,qui multipliciter inter ſe differant: & tamen hæc omnia fieri authore ac defenſore pontifice Romano:nam eius regnum ali quodammodo & confirmari diſsidijs hominum: hanc etiam eſſe cauſam, cur reges inter ſe committat, & offenſionibus perpetuam materiam ſubminiſtret: prouidendum igitur ipſis diligenter,ne, dum ſectas illas minores abolere ſtudent,in alias incidant longè deteriores, cuiuſmodi ſint omnes pontificiæ,prorſus inſanabiles,è quibus,beneficio Dei nuper erepta ſit Germania: tollendis incommodis nullum eſſe potius remedium, quàm, ut eccleſiarũ

præfecti

prę fecti purè ac ſimpliciter euangeliſ doctrinam tradant: quòd ſi populum imbecillem in officio continere non poſsint, quò minus deficiat, hoc ſaltem elaborent, ut cœnam Domini retineant integram, ut Huſsi & Hieronymi Pragenſis memoriam ſeruent inuiolatam: fore enim, ut hæc duo præcipuè conetur ipſis extorquere pontifex: quòd ſi ex ipſis aliqui relangueſcant, & utruncꝫ tyranno concedant, non rectè ab ipſis fieri: ſed licet Bohemia tota deficiat, ſe tamen Huſsi doctrinam eſſe celebraturum ad omnem poſteritatem: itacꝫ rogat et hortatur, ut in eo religionis inſtituto, quod multo ſanguine ſummacꝫ fortitudine hucuſcꝫ defenderint, perſeuerent, nec efflorescenti euangelio ſua defectione contumeliam faciant: etiam ſi non omnia ſint apud ipſos rectè conſtituta, nõ defuturum tamen eſſe Deum, qui ſuo tempore fidelem aliquem miniſtrum & religionis emendatorem ſit ipſis excitaturus, modò conſtanter agant, & pontificatus Romani turpitudinem ac impietatem ab ſe longiſsimè repudient. Ad Bohemos quod attinet, ſic habet. A morte Ioannis Huſsi, de quo ſuprà dictum eſt, in treis potiſsimum ſectas diuiſus eſt populus. Vna eſt eorum, qui pontificem Romanum, ut eccleſię principem et Chriſti uicarium agnoſcunt: altera eorũ, qui cœnam Domini percipiunt integram, & in Miſsis nonnulla recitant lingua populari, cæteris autem in rebus à pontificijs nihil differunt. Tertia eſt eorũ, qui dicuntur Picardi. pontificem hi Romanũ & clientelam eius omnem appellant Antichriſtũ & meretricem illam in Apocalipſi depictam: prę ter biblica ſcripta nihil recipiunt, ſacerdotes & epiſcopos ſibi deligunt ipſi, matrimonio nemini interdicũt, mortuis nullas faciunt exequias, dies feſtos & ceremonias habent perpaucas. Poſt hæc, librum edit Lutherus aduerſus falſò nominatũ ordinem epiſcoporum. Et quoniã in prę fatione ſibi titulũ ſumit eccleſiaſtæ Vuittembergenſis, ait, etiamſi rideatur ab ipſis propter eum titulum, hoc tamen ſibi non eſſe mirum, nec etiam præter expectationem euenire, qui uiolentiam ipſorũ ſit expertus in rebus multò grauioribus: quod ſibi opponãt, nihil ipſos habere præter tyrannidẽ: ſe, paratum doctrinæ ſuæ rationem reddere, contemni ab ipſis ac repudiari: ipſos uerò, quoties urgeantur ut ſuã doctrinam comprobent ac ueram eſſe demonſtrent, obſurdeſcere: turpè admodum eſſe & magna uituperatione dignũ, quòd tam multi tam magnificis & ſplendidis ornati titulis, qui ſe totius ſcripturæ profiteantur magiſtros, ab uno ſe in ius & diſceptationem uocati, non auſint legitimum ſubire iudicium: et quoniam ſuperbè ſecũ agant, ſe quoꝫ nihil

ipſis uelle cõcedere, et cognomẽ hoc eccleſiaſtę ſibi impoſuiſſe ipſum: nihil enim dubitare, quin eum titulũ multò rectius ac uerius arrogare ſibi poſsit, quàm ipſi, nomen epiſcopi: quã enim profiteatur doctrinam, eã eſſe non ſuam, ſed ipſius Chriſti: nec eſſe quòd ullũ in tyranni de præſidiũ ponant: quantopere enim ipſi odio et iracundia æſtuent, tantopere ſe progreſſurũ animoſius, omni ipſorũ contempto furore: quòd ſi etiam iuguletur ab ipſis, doctrinã tamen ſuam fore immortalem: uiuere ac in ſempiternum regnare Chriſtũ, qui inſaniam ipſorũ & ſanguinarios conatus aliquando ſit cohibiturus: Romani põtificis et Cęſaris edicto, ſibi nuper ablatũ eſſe nomen, et characterem illũ magnæ beſtiæ prorſus eraſum: hoc adeò ſibi non eſſe moleſtũ, ut gratias agat quoq; Deo, qui ſe ab illo fœdiſsimorũ errorũ et impię doctrinæ ergaſtulo liberatũ, uera ſui uerbi cognitione illuſtrarit: quod cùm ità ſit, et quoniam à Deo ſibi demandatum ſit euangelij docendi munus, æquũ eſſe, ut & ipſe titulũ ſibi ſumat, cùm falſi doctores eiuſmodi fucis adeò ſeſe uenditent, non ergo ſe poſthac ipſorum iudicio ſubmiſſurũ ſua ſcripta: nimium ſe fuiſſe Vuormatię demiſſum: nunc autem de ſua doctrina tam eſſe certũ, ut ne ullius quidem angeli iudicio uelit eã ſubijcere, ſed eius doctrinæ teſtimonio iudicaturũ ſe & ipſos omneis & angelos etiam: Qui doctrinã hanc repudient, eos non poſſe conſequi ſalutẽ ac uitam ęternã, eò quòd non ab homine uerùm ab immortali Deo ſit profecta: ſi longior uita ſibi detur, nihil ſe reliqui facturũ ad ſummã diligentiã, ut ad omneis ubiq; prouincias enuncietur euangelium: captari quidem ab ipſis ociũ & tranquillitatem & delitias, & de ſtatus perturbatione uehementer angi, ſe uerò daturũ operam, ut quam pacẽ tanto ſtudio quærunt, eam ut ne conſequantur: ſin autem ab ipſis interficiatur, ne ſic quidem extra tumultũ et inquietudinẽ eſſe futuros: & quoquo tandem modo ſecũ agant, fore tamen, ut deus impetũ in ipſos perpetuò et cõtinenter faciat, donec uicti ac proſtrati uel pereãt omninò, uel inuictiſsimo bellatori ſupplices facti, culpã agnoſcant & ueniã deprecentur: optare ſe quidẽ in primis, ut reſipiſcant et ſalutaribus cõſilijs maturè acquieſcant: hoc ſi nõ poſsit impetrari, bellũ ſibi cum ipſis æternũ & irreconciliabile futurũ eſſe: Quòd etiã non nulli criminentur, ſuã in dicendo libertatem, quaſi propemodum eò ſpectet, ut eiuſmodi ſcriptionibus motum aliquem excitet: maximam ſibi fieri iniuriam: nam poſſe plurimis ſcripturę teſtimonijs ac exemplis oſtendi, neceſſariam hanc eſſe rationem, cùm eccleſiarum pręfecti ſunt & indocti & impij & obſtinati, quandò nec ſuum ipſi munus faciunt, nec alijs qui cupiunt & idonęè poſſent, permittunt uti faciant.

Suprà

Suprà de Noribergę conuentu diximus: huc etiam Ludouicus rex et Hungarię proceres legationem miserunt amplissimam, & de Turcica immanitate miserabiliter conquesti, firma petebant auxilia & diuturna. Misit quoque legatum eò pontifex Adrianus, & Octobris die quinto, per Hieronymum Rorarium, è suis cubicularijs unum, qui ante legatum in Germaniam uenit, ad Fridericum Principem dat literas. gratum sibi fuisse, cùm de conuentu Noribergæ audiret, gratissimum uerò, cum ipsum eò quoq; uenturum accepisset: spem enim esse magnam, aliquid ibi decretum iri, quod ad reipublicæ salutem ac dignitatem pertineat: hanc etiam esse causam, cur de consilio senatus cardinalium, legationem in Germaniam decreuerit: uoluisse autē interea dum legatus ille ad uiam sese comparet, hunc præmittere, cui mandarit, ut ipsum, quem ualde semper dilexerit, adeat, suumq; erga rempublicam studium ac uoluntatem exponat, quemadmodum ex eo, qui subsequetur, legato, copiosius sit auditurus: hortatur autem & petit, ut ipse, qui sit Imperij princeps, cuius quidem in Imperij tutela uersetur ecclesia Romana, diligēter elaboret, ac in medium ea consulat, quæ ad dignitatem ecclesiæ Apostolicæ & ad publicam tranquillitatem pertinebunt, in eoq; maiorum uestigia sequatur: & quoniam in cæteris ab ipsorum uirtute non degenerarit, sperare se, ne hic quidem esse futurum sui dissimilem: Hieronymo etiam mandasse, de his rebus ut cum ipso loquatur, cui & fidem haberi petit. Ferdinandus Austriæ princeps, urgebat uehemēter sententiam latam aduersus Lutherum anno superiori, & in ducatu Vuirtembergensi, quem tunc tenebat, grauissimum proposuit edictum, XXVI. die Nouembris, ac præmium delatoribus constituit, & passim in suis prouincijs, grauiter in eos, qui pontificijs legibus non parerent, animaduertit. Hoc anno diem supremum clausit Ioannes Reuchlinus, ętate grauis: mortuum celebrauit Erasmus Roterodamus pulcherrimo dialogo, dum & immortalitatem & trium linguarum cognitionis principatū ei tribuit. Sub exitum Nouembris Adrianus dat literas ad reliquos ordines Noribergæ congregatos. Inde ab eo tempore, quo sit ad apostolatus officium delectus, nihil habuisse magis in uotis, quàm ut boni pastoris partes modis omnibus impleret, nec ullam sui gregis ouiculam sineret longius aberrare, quantum quidem omninò sua uigilantia et solicitudine fieri posset: eiusq; studij sibi Deum esse testem, qui se nihil tale meritum, præter omnem suam expectationem ad hoc munus euexerit: ut autē facilius, quò cuperet, per-

ueniri posset, uehemẽter hortatũ esse reges omneis atq; principes, ut à ciuilibus bellis abstineant, & si bellum sit omninò gerendũ, ut uim omnem atque robur aduersum hostes fidei conuertant: & quod alijs persuadere sit conatus, illud se pręstitisse: et Equitibus Rhodijs, quos Turcarũ Cęsar dura nunc seruitute premat, magnã pecunię uim submini strasse: deinde, ab externis periculis reuocata cogitatione, cœpisse mala domestică circumspicere, & quidem magno cum animi dolore audire, Martinum Lutherum, qui sępenumerò leniter & paternè monitus, tandem, cùm nullum supereſſet aliud remedium, damnatus sit atq; proscriptus à plurimis academijs, à Leone pontifice, tùm etiam à Cæsare, de communi ipsorum uoluntate, non modò non coërceri, uerumetiam multò uehementius quàm antea, grassari, et nouos quotidie libros edere, quibus et religio Christiana et uitæ honestas omnis eneruetur: hoc etiam eò sibi dolere magis, quòd ex nobilitate complures ei fauere, & nunc eousq; factam esse progressionem intelligat, ut ecclesiasticorum & dignitas per Germaniam imminuatur, & possessiones etiam in discrimen ueniant, & ciuile sit excitatum bellum inter nonnullos: uerè quidem à Paulo dictũ, oportere existere hęreses, nunc autem eum esse rerum statum, ut importunissime hoc malum acciderit: diabolum in hoc esse totum, ut nos plurimis calamitatibus inuoluat: ipso nimirum authore & Turcicum furorem in nos longè lateq; grassari, & simul hæresim istam Lutheri, in Germaniam, fortissimam gentem, inuectam esse: De Turcæ potentia neminẽ esse qui nesciat, quanta ea sit, & ut fortasse debellari possit, nihilo tamẽ melius habituras res nostras, quámdiu domesticus ille hostis nõ sit expugnatus: Multa se, cũ esset in Hispania, de falsis Lutheri dogmatis audisse: & quanquam sibi doleret, malũ illud in ea regione natum uideri, unde genus ipse duceret, duabus tamen rebus animum se confirmasse: primùm, quòd doctrinam illã adeò friuolã & impiam speraret à plęrisq; omnibus contemptum iri, deinde, quòd existimaret, plantam illam pestiferam, aliunde allatã, non esse radices acturam in ea regione, quæ semper procreasset hęresium oppugnatores: cum autẽ longè diuersum acciderit, siue iusto Dei iudicio, siue negligentia quadã, & eorũ, qui maturè consulere debebant, incuria, prouidendũ ipsis esse magnopere, ne, dum lentius adhuc & remissius agũt, uideantur & oblìti esse pristinæ uirtutis, & hoc tantũ facinus approbare: uehementer autem esse indecorũ, tam fortem et constantem populum, ab ea religione, quam Christus et apostoli tradiderũt, quam tot martyres ac præclari uiri,

clari uiri, quam etiam maiores nostri tenuerunt, deficere, authore & impulsore fraterculo, qui & ipse plurimis annis eam secutus sit atque professus: quasi uerò tot nunc sęculis erratũ sit, quasi Christus, qui se nobis adfuturum confirmarit in perpetuũ, ecclesiam suam in tantis doctrinæ tenebris immorari permiserit, quasi ipse unus tantũmodò sapiat, et in hoc sit excitatus à Deo, ut totius orbis errorẽ patefaciat: non dubium esse, quin uiris prudentibus hæc admodum ridicula uideantur, sed tamen esse popularia & uentosa, quique nouis imperijs student, maximas inde occasiones audendi aliquid captare: An nõ uideant quid illi spectent, et quorsum euadant: hoc solùm agi, ut sub specie libertatis Christianæ, ius & ęquũ & leges omneis proijciant: quomodo enim ciuilem magistratum agnoscant & obseruent, qui sanctissimorum pontificum & conciliorum leges ignominiosè tractare, imò flammis abolere non dubitent? certè, qui non sint ueriti sacrilegium facere, qui res Deo consecratas impuris & cruentis manibus diripiant, eos tandem ab aliorum etiam facultatibus temperaturos quis credat? qui sacerdotes nõ ferire tantùm sed & trucidare audeant, eosdem haud dubiè cogitare & paratos etiam esse, uiolare quemcúnque alium ordinem: fore tandem, ut in ipsos adeò principes eorúmque liberos & uxores & familias & possessiones hæc tanta licentia scelerúmque impunitas aliquando desinat: rogare igitur & hortari, sed & pro suo munere atque potestate quam habeat, tanquam Petri successor & Christi uicarius, postulare, ut omni deposita offensione & reconciliatis animis, incumbant diligenter, & ad commune illud atque domesticum incendium restinguendum accurrant, ut Lutherum uidelicet pijs rationibus ad sanitatem reducant, aut, si non possint, ut tum secuti leges ac recens illud Cæsaris Imperij ęq; decretum, plectant: hoc enim pertinere non solùm ad eluendam illam maculam, quæ nunc inhæreat Germaniæ, sed etiam ad plurimorum salutem, qui ex illius contagione multùm accipiant incommodi: se quidem & natura & moribus & uitæ quodam instituto, magis ad clementiam, quàm ad seueritatem ullam inclinare: sed quoniam hic morbus non possit lenibus medicamentis curari, ueniendum esse necessariò ad uehementiora: eius rei non unum extare testimonium & exemplum in scripturis, & maiores ipsorum in concilio Constantiensi rationem hanc secutos, in Ioannem Hussum & Hieronymum Pragensem, pro ipsorũ merito uindicasse: quòd si & ipsi hanc illorum imitentur uirtutem, non defuturũ esse Deum, & tunc etiam

In maiorem̄ ſpem nos uenire poſſe, depellēdi à nobis Turcarum immanitatem: ſe quidem facultates omneis ac uitam quoque, pro ſalute ſibi commiſſi gregis impenſurum: cętera, quæ ad Lutherum pertinēant, fore, ut ex legato ſuo Franciſco Cheregato, epiſcopo Aprutienſi cognoſcant, & orare, ut ei fidem habeant. Quòd ciuile bellum inter aliquos excitatum eſſe dicit, ad Treuirēſem archiepiſcopum Richardum pertinet, cui tunc bellum faciebat Franciſcus Sickingus, uir fortis, et Lutheri ualde ſtudioſus: uerùm belli cauſa fuit, non religio, ſed quòd Richardus duos quoſdam, ſuæ ditionis homines, pro quibus ille fideiuſſerat, non ſiſteret iudicio: Sic enim habent literæ, quibus amicitiam ei Franciſcus ad exitum Auguſti menſis renūciat. Adrianus eiuſdē propè ſententiæ literas tunc etiam dabat ad quoſdam priuatim: & ab Argentinenſi quidem ſenatu, poſt multam doctrinæ Lutheri deteſtationem poſtulabat, ne quos illius aut ſociorum libros euulgari permitterent, & iam excuſos non modò ſupprimerent, uerū etiam flammis abolerent: audire enim eius quidem generis libros ab ipſorum excudi typographis, contraria uerò ſcripta repudiari: niſi pareant, uindictā et iram Dei denunciat: nam ut in antiqua religione maximè permaneant, tamen, niſi peccandi licentiam in alijs, & erroris occaſionē tollant, non eſſe quòd impunitatem ſibi promittant. Cæterum, quod ait, ſe, cum eſſet in Hiſpanijs, audiſſe de Luthero, ſic habet. Erat Adrianus humili loco natus, ex urbe Traiecto, quam uocant Vtricam, ad Batauorum fines. Louanij dedit operam literis, et aliquot pòſt annis, quum eruditionis ac probitatis nomine commendaretur, Maximiliani Cæſaris è filio nepoti Carolo præficitur erudiendo. Cum autem is iam factus grandior, ad equeſtre ſtudium animum adijceret, ad Ferdinandum Hiſpaniæ Regem ille mittitur legatus, ab eoq; Derthuſenſem epiſcopatum eſt adeptus, & cùm è uita rex migraſſet, ad Carolum nepotem delata ſumma rerum, ex legato factus eſt conſiliarius. Diffidebat id temporis Leo pontifex à cardinalibus, qui coniurauerant in ipſius necem, ità quidē, ut exilio quibuſdam, alijs autem teterrimo carcere mulctatis, triginta unum crearet eodem tempore nouos cardinales, partim ſui muniendi, partim conflandæ pecuniæ cauſa. Fuit hoc anno ſalutis milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo. In his etiam erat Adrianus. Venit pòſt in Hiſpaniam Carolus, nuper aui Ferdinandi factus hæres atq; ſucceſſor: Mortuo deinde Maximiliano, creatus Cæſar, & in Germaniam euocatus, Adrianum ſummæ rerum per ſuam abſentiam præficit, neq;

multò

multò pòst, ingens fuit orta per Hispaniam seditio. Leone mortuo, quum Iulius Medices & Alexander Farnesius ambirent, pro se quisque, Iulius in primis, ecce, Adrianus, & absens & incognitus, huius anni mensis Ianuarij die nona renunciatur pontifex, iratissimis Romanis, qui delatum hoc tantum munus ad hominem externum nec antè uisum, uehementer dolebant. Ille, accepto sui pontificatus nuncio, quia perscriptũ erat, fore, ut tres mitterentur ad ipsum in Hispaniam legati cardinales, neq; tamen hi uenirẽt, datis Victoria oppido literis ad collegium cardinalium, octaua die Martij, permagnas agit gratias, quòd tale de se iudicium feciſſent: et quanquam initiò fuerit perculsus ob oneris impositi magnitudinem, tamen, quòd hoc tempore tam exulcerato, diuinitûs ad hoc sese uocatum esse putet, confirmasse mentẽ, ac de summa rei benè sperare: porrò, quòd Cardinales, qui fuerant ad se uenturi, nondum abijsse Roma, neq; tam breui uenturos audiat, & uerò, nisi ratam ipse habeat electionem, non possit cum authoritate rempub. procurare: deinde, quòd longinquum sit & periculosum iter subeundum legatis, ideò se, qui cupiat illos ab ea molestia subleuare, simul, quid suæ sit mentis, patefacere, conuocatis aliquot uiris honestis & idoneis, de sua uoluntate coram illis esse testatum, & electionem approbasse: petere igitur, ut hoc omnibus, per Italiam inprimis, denuncient, & interea dent operam, ut ius administretur: se nunc in hoc esse totum, ut conducta classe, rebusq; necessarijs paratis, Romam primo quoq; tempore contendat. Ad senatum etiam populumq; Romanum scribit, et omnem ab se beneuolentiam iubet expectare. Post aliquot deinde menses, idoneã nactus tempestatem, profectionem suscipit. Et quanquã eo ipso tempore, Cæsar, ex Belgio, sedandi causa tumultus, in Hispaniam redierat, ille tamen non salutato discedit, datis ad eum literis peramicis, & expositis causis, cur ità properaret. Itaq; sub exitũ Augusti uenit Romam. quo quidem tempore Turcarũ Imperator Solimannus, in tertium mensem obsidebat Rhodum, ac demum septimo mense, cum Equites eius loci fortissimè se defẽdissent, omni destituti auxilio, deditione cœpit, die XXV. Decembris, maximo sanè non detrimento solùm, sed etiam dedecore nostro. Legatus autem pontificius, de quo dictum est, Cheregatus, ad hoc ipsum ferè tempus Noribergam uenit, et Calendis Ianuarij, literas Adriani, quas diximus, mittebat illinc ad senatum Argentinẽsem, professus operam suam, si quid ei uellent respondere. M.D.XXIII.

Gliscẽte contra Zuinglium offensione, cùm tàm in urbe quàm foris,

doctrinam eius, ut impiam & minus orthodoxam, pro concione multi traducerent, inprimis autem hi qui dicuntur Dominicani, ipse uerò cum sacris literis eam congruere, & id uelle se demonstrare diceret: senatus Tigurinus, ministris omnibus ecclesiæ, suę ditionis, mandat, ut ad XXIX. Ianuarij diem, dissidij religionis causa, Tiguri conueniant, fore enim, ut omnes ibi, quantū satis est, audiantur. Constantiensem quoq; rogant episcopum per literas amanter, ut aut ipse ueniat, aut è suis aliquē eò mittat. Cum igitur ad constitutum diem uenissent frequentes, adesset etiam episcopi uicarius, Ioannes Faber, consul uerba facit, et quoniam de doctrina sit ortum ualde graue dissidium, idcircò decretum hunc esse cōuentum, ait, ut si quis omnium sit, qui contra Zuinglij doctrinam aliquid habeat, liberè illud nunc proponat. Zuinglius iam antè certis locis atque thematis doctrinam suam inclusérat, numero ad LXVII. & ut instructi uenirent omnes ad eum conuentum atq; disputationem, euulgarat: nunc ergò, cùm finem sermonis consul fecisset, rursus illa proponit, & ad congressum eos inuitat. Ibi Faber, postea quàm suæ missionis causam explicasset, conatur persuadere, certamen hoc non esse huius loci, uerùm ad concilij notionem pertinere, quod breui sit futurum: urgente autem Zuinglio & postulante, si quid habeat, ut ne dissimulet, ille scripto se refutaturū ipsius dogmata profitetur. Post multa utrinq; cōmutata uerba, cùm ex omnibus nemo prodiret amplius in aciē, dimisso conuētu, senatus per suos fines edicit, ut traditionibus hominū omissis, Euangelium purè doceatur è ueteris et noui testamēti libris.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber IIII.

PRAETER EAS LITERAS PONTIFEX ADRIANVS legato formulā dederat actionis, & primo quidem apud principes commemorari iubet, quantùm sibi doleat, turbam istam atque seditionem à Luthero concitari, tum, quòd ad animæ detrimentum & ad gregis, quem suæ fidei Christus commiserit, dissipationem ac interitum ea res pertineat, tùm quòd in ea gente atque populo

paulo istud acciderit, unde genus et originem ipse ducat: qui quidem populus ab omni uel suspitione hæresis fuerit semper alieniſsimus: ita que se uehementer cupere, primo quoque tempore aliquod remedium adhiberi, ne longiori interposita mora, Germanis idem, quod Bohemis, eueniat: se quidem nulli uel sumptui uel labori uelle in ea re parcere: obsecrare autem, ut idem ipsi, pro sua quisque facultate, faciant, cùm uidelicet multæ sint & graues causæ, cur ita debeant: nimirum, gloria nominis diuini, quæ per istam hæresim inprimis uioletur, ceremonijs omnibus & ritibus ecclesiæ non solùm imminutis, uerumetiam perturbatis & abolitis: charitas & amor proximi. nam qui aberranti uiam non commonstret, eum facti sui rationem esse redditurum: dedecus & ignominia gentis. nam quæ religionis primam ferè laudē semper obtinuit, Germania, nunc eam ob defectionem in magnum uenire contemptū ac uituperationem: nominis ipsorum existimatio. cùm enim facillimè & profligare Lutherum, & hæreses ab eo disseminatas iugulare possint, fore, nisi faciant, ut & parum esse constantes, & à suis degenerare maioribus dicantur, qui suæ uirtutis monumentum insigne, Constantiæ reliquerint: an non grauissima sit iniuria, qua tùm ipsos tùm ipsorum illeparentes afficiat? cùm enim ecclesiæ catholicæ ac Romanæ religionem hi secuti sint, illius quidem iudicio, qui nunc eam religionem damnet, omneis æternam salutem amisisse: respiciant & secum expendant, quid sit ipsorum consilij, & quò tendant huius doctrinæ socij: nimirum, sub specie libertatis euangelicæ, conari leges omneis et obseruantiā magistratus è medio tollere: & quanquam Lutherus initio uisus sit, ecclesiasticam solummodò potestatem, quasi tyrannicam & impiam, uelle oppugnare, tamen eò tendere, ut, postea quàm semel persuaserit, Christianos ad obediendum magistratui nullis legibus esse deuinctos, uiam omnibus aperiat, pro sua libidine grassandi: ideóque permagnum ipsis quoque periculum imminere: adhuc quidem illos propositum suum astutè & insidiosè occultare, & magistratui blandiri, ut impunè ipsis liceat odium suum in ecclesiasticos exercere: sed ijs oppressis, tentaturos reliquorum etiam hauddubiè fortunas: iam enim ipsos uidere & experiri, cuiusmodi simultates, odia, turbæ & offensiones inuaserint in rempublicam per istam hæresim: quæ quidem incommoda nisi tempestiuè reprimantur, uerendum esse, ne Deus, qui gladij potestatem ipsis attribuit, hanc tantam negligentiam, publica Germaniæ, &

priuata ipsorum calamitate, grauiter ulciscatur: Lutheri rationem esse non dissimilem à Mahometica secta, quæ permittat plures in matrimonium ducere uxores, ac postea repudiare, qua quidem lege ueterator ille & homo facinorosus dementarit homines, ac maiorem orbis terrarum partem ad se traduxerit: Lutherum autem non quidem hoc ipsum permittere, sed eos omneis, qui Deo uotum fecerunt castitatis, legum uinculis omnibus liberare, & ad matrimonium cohortari, & cupiditatibus hominum frena laxare, ut suæ coniurationis, quam in perniciem reipublicæ ac præsertim Germaniæ, molitur, quàmplurimos habeat adiutores atque socios: itáque ipsorum esse, pontificium illud atque etiam Cæsaris decretum diligenter exequi, ut gloriam Dei uindicent, & suæ gentis ignominiam ac præsentem à se pestem depellant: qui tamen ex ipsis ad sanitatem redierint, in gratiam recipiendos, in eos uerò, qui suos errores obstinatè defendunt, seuerè ac grauiter animaduertendum esse, ut exemplo reliqui perterriti consuescant in uera fide ac religione perseuerare. Porrò, si qui dicant, Lutherum non audita causa damnatum, & æquum esse, ut prius, quàm irrogetur pœna, cognitio fiat, eos non rectè sentire: nam fidei regulam atque religionis, ab ipso Christo traditam esse, cuius authoritatem sequi nos oporteat, & de rebus fidei non esse disceptandum amplius, nec inquirendas etiam huius aut illius præcepti causas: illum quidem audiendum esse, cùm interrogatus respondet, an hoc uel illud pro concione dixerit, an hunc aut illum librum euulgarit, sed ut ea defendat, quæ de fide déque sacramentis prodidit, minimè illi concedi oportere: hic enim ecclesiæ morem atque doctrinam seruandam esse, nec ab ea deflectendum: & cùm ipsius dogmata ferè omnia iam olim damnata sint authoritate conciliorum, nullam esse ipsorum habendam rationem: maximam enim iniuriam ecclesiasticis facere conuentibus, qui decreta illorum conuellit atque repudiat: nullum etiam esse futurum finem contentionum, si, quæ graui & multa deliberatione uiri prudentes atque docti constituerunt, cuique priuato liceat in dubium & quæstionem deuocare: ubicúnque sit aliquis hominum cœtus aggregatus, ibi certas esse leges, quibus teneantur omnes: quantò magis id debere fieri, cùm publicè quid in ecclesia sancitum est? cùm autem isti decreta conciliorum & patrum non reijciant modò, sed etiam exurant, certè tanquam publicæ pacis & ocij perturbatores, mulctandos esse: Interim tamen neque

hoc

hoc dissimulandum aut silentio prętereundum esse: Deum uidelicet uindicem omnis iniquitatis, affligere ad hunc modum ecclesiam suã, propter populi, maximè uerò, propter eorum peccata, qui præsunt ecclesijs, cùm scriptura dicat, à sacerdotibus iniquitatem populi dimanare: nam certè plurimis nunc annis grauiter multísq; modis peccatum esse Romæ, et inde à põtificio culmine malum hoc atq; luem, ad inferiores omneis ecclesiarum præfectos defluxisse: neminem enim esse, qui suum faciat munus, aberrasse omneis, & ne unum quidem ex omni numero uacare culpa: proinde soli Deo tribuendam esse omnem gloriam, & suppliciter ab eo petendam ueniam: quod cùm ità sit, daturum se operam, ut respublica Romana, quæ tantis forsan malis occasionem dedit, omnium prima seuerè corrigatur, ut, quæ causam damni dedit, medicinæ prębeat & salutis initium: quod quidem eò magis faciundum sibi uideat, quò uehementius id à plærisque desideretur: se uidelicet inuitum & recusantem ad pontificatum uenisse, & uitam priuatam multò sibi fuisse chariorem: sed metu numinis diuini & pręsenti rerum statu commotum, non potuisse curam hanc & onus ab se demùm reijcere: dominandi sanè cupiditate nulla huc impulsum fuisse, uerùm solo desiderio consulendi in medium, & reipublicæ procurandi salutem: quòd autem errores atque uitia, de quibus compertum habeat, non statim emendet, hanc esse causam, quòd morbus iste, quem sanare cogitet, admodum sit inueteratus & multiplex etiam: itáque pedetentim sibi agendum esse, ne repentino quodã studio medendi, grauiorem excitet motũ: subitas enim reipublicę mutationes, periculi esse plenas: deinde, notũ esse uetus illud, quod prouerbij loco dici soleat, eũ, qui nimium emungit, elicere sanguinem. Hoc scriptũ Lutherus postea sermone popu lari conuertit, & additis in marginem annotatiunculis, illud, quod põtifex ait pedetentim oportere procedi, sic accipiendum esse dicit, ut singuli pedes atque passus interuallum habeant aliquot sæculorũ.

Porrò, quòd aulæ Romanæ corruptelam sic profiteretur, non bonam apud Cardinales inijsse gratiam dicitur: tametsi pontificũ hanc ferunt esse technam, quandò concilium & notionem causæ tardare uolunt & infringere, ut liberaliter & prolixè polliceantur. quò spacium intercedat comparandi regum gratias, et tempore opportuno rem armis tentandi. promissis enim animos hominũ in spem & expectationem erigunt, atque interim rationes ineunt retinendæ suæ dignitatis atque potentiæ, quam in discrimen uocari sciunt per libe-

ra concilia. Interea dum Legatus hæc agit, principes quærèbantur, pacta, quæ cum pontificibus olim fecissent, non uno modo Romæ uiolari. Qua de re certior factus legati literis põtifex, nunciabat interprete legato. quòd à suis maioribus factum sit, nõ se posse præstare: sed rationem illam usitatam Romæ, sibi tunc etiam, cùm adhuc esset priuatus, admodum displicuisse, & sui iamdudum esse propositi ac uoluntatis, etiámsi nullus interpellasset, emẽdare hæc omnia, neque pati quenquam affici ulla iniuria, multò minùs ipsos, quibus propter communem patriam inprimis gratificari cupiat: quòd autem lites forenses Romæ inchoatas, in Germaniam transferri petãt: plęrosque omneis iudices & aduocatos propter sæuitiã morbi grassantis, aliò commigrasse, simul atque redierint, cognita causa facturum se dicit, quod ęquum uidebitur. Legato mandarat etiam, uti responsum à principibus flagitaret, nam eò se scribere, primùm, ut ex ipsis rationem intelligat, qua putent hanc tàm pestiferam sectam posse iugulari, deinde, ut quod ab se confici debeat atq; præstari, tempestiuè procuret. His rebus ad conciliũ illatis, principes ac ordines dant responsum, & initio quidẽ paucis repetunt omnia illius postulata, sibiq; pergratũ esse dicunt, ipsum uoluntate Dei præfectum esse ecclesiæ, quæ hoc tempore tàm acerbo, uehementer opus habeat tali curatore: quòd etiam de sua erga rempublicam uoluntate, de suscepto labore pro componendis regum dissidijs, de impensis factis ad reprimenda Turcarum arma, nunciarit, magna se cum uoluptate audisse, et summas agere gratias: nam certè ciuilibus istis bellis, & imperij rès omneis labefactari, & crudelissimi hostis Turcarum Imperatoris potentiam augeri, dùm nullæ, quæ resistant, copiæ illi opponuntur: adesse Pannoniæ regis atque procerum legatos, qui nõ sine summa commiseratione recitarint, quàm crudelia sint passi, & quantis hodie sint expositi periculis: orare itáq; uehementer, ut ipse, qui sit pater atque pastor omnium, in hoc sanctissimo proposito perseueret, & elaboret, ut aut firma pax aut diuturnæ constituantur inducíæ, quò rationes tandem iniri possint, & propellendi Turcarũ impetum, & recuperandi amissas imperij prouincias: eam ad rem neque consilio nec opibus defuturos sese profitentur: Quantùm ad Lutherum pertinet. si quid ex eius doctrina sit ortum incommodi per Germaniam, grauiter illud & molestè, pro eo ac decet, sese ferre, cupere etiam ei malo medicinam facere: nam ut ipsi atque Cæsari morem gerant, id agnoscere sui esse officij, nec in eo uelle à suis degenerare

nerare maioribus: quòd queratur, non esse de illo sumptam pœnam, ex formula decreti Cæsaris, id non leui de causa prętermissum: omneis enim ordines grauissimè conqueri de curia Romana, et plęrosque omneis Lutheri concionibus atque libris ità nunc esse eruditos, ut, si decretum illud aduersus ipsum ualere debeat, maxima sit inde dubio procul oritura seditio, & fore, ut plurimi sic interpretentur, quasi eò fiat, ut oppressa ueritate & extincta euangelij luce, manifesta uitia, quæ tolerari diutius aut dissimulari non possunt, defendantur: quæ quidem persuasio certissimum sit excitatura populi contra magistratum, rebellionem: negari enim nõ posse, ac ipsum quoque liberaliter fateri, multa perperam ac uitiosè Romæ fieri, cum maximo reliquarum gentium ac prouinciarum incommodo, nec absque detrimento religionis: quòd ergò non dissimulet neqꝫ morbos excuset Romanæ curię, quòd emendationẽ quoqꝫ promittat, & omnibus ex æquo ius redditurum esse confirmet, summam id laudationẽ mereri, præsertim, si re ipsa, quod uerbis & oratione pollicetur, præstet: quod ut faciat, orare se plurimum: alioquin enim nullam firmam aut diuturnam posse constitui pacem: Bellis alijsque multis impensis ac tributis extraordinarijs, Germaniam esse magnopere attenuatam, ità quidem, ut necessarios ad rempublicam sumptus tolerare, & Pannonijs uicinisque populis, auxilia subministrare in Turcam uix ægrè possit: Iam uerò, quemadmodum Germani superioribus annis permiserint, ut episcopi cæteri que præfecti ecclesiarum, ad certum tempus, pontifici Romano essent uectigales: hoc ipsi non esse incompertum: interueniisse tunc conditionem, ut ea omnis pecunia, cùm bellum esset gerendum aduersus Turcam, erogaretur: sed & iampridem exijsse tempus illud pactum, & ipsius maiores, pontifices Romanos, collectam pecuniæ summam non eò contulisse, quò debebant: proinde, cùm per Imperij prouincias imperatur stipendium in bellum Turcicum, homines indignari & fremere, atque ità sentire, uim illam auri plurimis annis publicè collectam in hos usus atque seruatam, huc impendendam, neque subesse causam ullam iustam, cur ipsi præterea grauentur: petere igitur, ne posthac eiusmodi censum exigat, sed in Imperij publicum ærarium redigi permittat: sic demum reconciliari posse multas per Germaniam offensiones, & fore, cùm opus erit, ut non desint facultates ad succurrendum exteris nationibus, contra uim hostilem & impetum Turcarum: Quòd insuper consilium ab

ipſis petat in hac religionis mutatione, ſi quid pro ſalute reipublicæ poſſint in medium cõſulere, facturos id cùm libenter tùm ex officio: nunc ergò, cùm non ſolùm de Lutheri dogmate ſit agendum, uerumetiam de multis alijs grauiſſimis erroribus atque uitijs, quæ longa conſuetudine robur aſſumpſerint, & deprauatis hominum iudicijs atque moribus iam excuſentur, quod & ipſe fateatur, uideri ſibi non aliam eſſe, commodiorem uiam hæc omnia ſanandi, quàm per pium liberúmque concilíũ, quod ipſe & Cæſar, præcipui orbis Chriſtiani magiſtratus, facilè poſſint in aliqua Germanię ciuitate cogere, Moguntiæ uidelicet, uel Argentorati, uel Meti, uel Coloniæ: fore etiam ex utilitate reipublicæ, ſi primo quoque tempore, & ad ſummum, intra annum eius fiat initium: ſed hac lege tamen & conditione, ut omnes pariter qui intererunt, cuiuſcunque ſint ordinis, data fide per iuſiurandum promittant, quicquid ad gloriam Dei & ad ſalutarem reipublicæ cõſtitutionem pertinere uidebitur, ut id abſque diſsimulatione & liberè pronuncient: nam fore alioquin, ut concilium habeatur ſuſpectum, & aliquantò plus adferat incõmodi quàm boni: quóque magis id fiat, ſe daturos operam, ut Lutherus interim & alij nihil emittant librorum, in eóque ſperare ſe, Fridericũ Saxoniæ principem, laudatiſſimum uirum, ipſis uelle gratificari: curaturos etiam, ut concionatores nihil præter euangelium doceant, ídque purè et modeſtè, iuxta probatas et ab eccleſia receptas interpretationes: item, ut pro concione nihil dicant, quod populum uel aduerſus magiſtratum excitare, uel in errorem ullum abducere poſſit: ad hęc, ut controuerſias grauiores neque populo admodũ neceſſarias prætereant & ad concilij notionem reſeruent: ad eam autem rem cognoſcendam oportere conſtitui ab epiſcopis homines idoneos, qui leniter illos, cùm opus erit, & ità caſtigent, ut ne qua poſſit oriri ſuſpitio, quaſi conentur euangelij curſum impedire: qui uerò admoniti non obtemperabunt, ijs hoc non fore impunè: poſtremò, effecturos, ne quid noui deinceps typographi excudant, & ut certi homines, uiri docti ac boni, quos ſinguli magiſtratus, in ſua quiſque ditione ad eã rem conſtituent, iudicium faciant, & quod ipſis improbabitur, diuendi prohibeant: hæc ſibi uideri & ad reconciliationem animorum et ad emendationem eſſe idonea: nam etiã ut non omnia ſtatim emendentur, tamen progreſſionem aliquam interea poſſe fieri, donec authoritate concilij reliqua definiantur: Quod ipſius legatus inter alia dixerit, de ſacerdotibus & eccleſiæ miniſtris, qui uxores in matrimo

nium

rium ducunt: quoniam iure ciuili nulla sit ijs proposita pœna, uideri ipsis non alienum, ut qui deliquerunt, ex prescripto iuris pontificij mulctentur: tandem orant, ut hanc suam de singulis rebus sententiã boni consulat: proficisci enim ab animo syncero & reipublicæ studioso, & pontificię dignitatis obseruantissimo. Hoc intempore magna fuit rerum facta mutatio per Daniam. sic autem res habet. Christiernus, eius nominis primus, Danię rex & Noruegiæ et Sueciæ, filios habuit duos, Ioannẽ & Fridericũ. Mortuo successit Ioannes. huic bella fuerunt cum Suecis rebellantibus: cõpositione tamen sedata res fuit. Natus est Ioanni filius Christiernus, qui sex annorum puer, uiuo patre, designatus rex, & post XXVI annos, ab illius morte, cõfirmatus, regni possessionem adeptus est, anno salutis humanę M. D. XIIII. Eo regnante, Sueci denuò rebellionẽ faciunt, & Stenonẽ Sturam summæ rei prẹficiunt. Christiernus autẽ omne robur in eos conuertit, & post multos cõflictus ac uarias obsidiones uincit, ipsúmque Sturam in prælio interfectũ atq; sepultum, effodi iubet & exuri. fuit hoc anno salutis M. D. XX. Suecos ità debellatos, ex nobilitate quidam, Gustauus Erixonius, à Lubecensibus, ut creditur, instigatus & adiutus, iterum ad rebellionem incitat, & fœliciter quidẽ. Simulabat initiò, se negocium agere filiorum Stenonis: confirmatior autem factus, regni possessionẽ arripit, & sui muniendi causa Stenonis filiam in matrimonium ducit. Christiernus, amissa prouincia, domi quoque magnam sustinebat inuidiam. Impotenter enim gerebat rempublicam, et sæuitia sua cunctos ordines offendit: itáq;, cùm tandem metueret, ne magno sui capitis periculo hic ęstus aliquandò prorumperet, cúmq; Fridericus etiã patruus ac Lubecẽses in ipsum arma sumerent, cum liberis & uxore Isabela Caroli Cæsaris germana sorore, profugit hoc anno, cùm regnasset annis nouem, ínque Selandiam Cæsaris prouinciam primùm appulit. E' uestigio pòst, ordines regni, coacto concilio, patruum eius Fridericum, Holsatiæ principem, ætate graui, creant regem, à Lubecensibus adiuti, & euulgatis deinde scriptis ad Cæsarem, ad pontificem, ad reliquos Imperij principes, facti sui rationem reddunt, & illum grauissimorum criminũ accusant, suóq; merito exulare dicunt. Idẽ Fridericus quoq; facit, & Lubecenses, cuius quidẽ ciuitatis amplissima est authoritas atq; potentia ijs locis. Christiernus autem, nactus idoneum scriptorem, Cornelium Scepperum, Flandrum, hominem inprimis eruditum, criminationibus respondet, ac ordines Imperij, Noribergæ

congregatos, opem auxiliúmque poſcit. Liberos habuit, marem unum, quem Cæſar auunculus ad ſe poſtea recepit: filias uerò duas, Dorotheam & Chriſtinam. Suſceptum fuit eodem anno bellum ab eius propinquis, ut reſtitueretur, ſed fruſtrà; præſertim, cùm bello Gallico Cęſar diſtineretur. Legatus põtificius accuſauerat eccleſiæ miniſtros Noribergæ, tanquam impia docerẽt, & ut in uincula conĳcerentur, poſtulabat: principes autẽ exiſtimare ſe dicunt, falſò quædam ad ipſum eſſe delata: illos etiã in honore eſſe, ac placere populo: ſi quid in eos admittatur, fore ut ſic illud omnes accipiant, quaſi cõſultò fiat, ueritatis opprimendę cauſa, quę quidem res motũ excitare queat: ſe tamen delecturos eſſe, qui de re tota perquirant in poſterum, & quod æquum eſt, ſtatuant. Cùm ad hunc modum poſtulatis omnibus reſpondiſſent, ipſi uiciſſim, quid à pontifice, quid ab epiſcopis per Germaniam præſtari uelint, demonſtrant, & ea, quibus iniuriam ſibi ſuiſque fieri dicebant, in certa quædam capita redigunt, & deſcripta legato tradunt, & pontificem orãt, quandóquidem hæc nulla nitantur æquitate, neque diutius tolerari poſſint, ut quàmprimum aboleat: nam alioqui fore, ut ipſimet conſiliũ ſibi capiant, quemadmodum onus illud à ſe reĳciant, & priſtinam libertatem recuperent. Ad eundem modum queſti fuerant in conuentu Vuormaciæ, & cùm eadem capita Cæſari tunc exhibuiſſent, orabant, ut authoritatem ſuam interponeret. neq; uerò tunc ad epiſcopos etiam hæc diſſimulauerant, à quibus cùm nihil adhuc emendatum eſſet, pontificem implorabant, eò quòd prolixè ac liberaliter, de ſua uoluntate et ſtudio emendationis, per legatum ipſis pollicitus erat, ut ſuprà diximus. Ea uerò, quæ poſtulabant emendari & aboleri, ſunt eius generis omnia, ut & principes in ſuo iure impediant, & Germaniam facultatibus exhauriant, & homines maxima ſeruitute conſtringant. De uectigali, quod dicunt eccleſiaſticorũ, ſic habet. Augeſcente indies pontificum potentia, inter alias colligendæ pecuniæ rationes hæc etiam inuenta fuit, ut epiſcopi & id genus alĳ proceres, pro magnitudine ac modo annui prouẽtus, Romano pontifici certam pecuniæ ſummam penderent: uulgò uocant Annatas & uacantiarum reditus. Inuentum hoc alĳ tribuunt Ioanni XXII. alĳ Bonifacio nono. Titulus erat ſpecioſus atque popularis, nimirum, ut in bellum contra Saracenos atque Turcas ſemper eſſet paratus theſaurus. Et quoniam id temporis erat ſacroſancta pontificum authoritas, facilè perſuaſum fuit omnibus: Angli ſoli, quantùm ad

M.

minora

minora ſacerdotia pertinet, recuſabant. Porrò, ualuit ea lex ad concilium uſque Baſilienſe. tunc enim, cùm ex diuerſis locis multæ deferrentur querimoniæ, decretum eſt factū, ne poſthac aliquid exigeretur: uerùm Eugenius quartus irritum fecit cōcilium illud, ut ſuprà quoq; diximus, et qui ſecuti ſunt eum pontifices, quum nihil ſibi detrahi uellent, epiſcopis ac reliquæ turbæ non alio pacto ſacerdotia confirmarunt, quàm ſi tributum illud perſoluerent. Sic adeò res in hoc uſque tempus continuatur, quanquam non ſine crebris & magnis offenſionibus. Nam et anno milleſimo quingēteſimo, quo tempore Cæſar Maximilianus inter alia de bello Turcarū, Imperij conuentus agebat Auguſtæ, decretum fuit, mittendam eſſe legationem ad pontificem Alexandrum ſextum, ut rempublicam ope conſilióq; iuuaret, & prouentus illos, hac potiſſimùm de cauſa conceſſos olim, in hunc uſum contribueret. Cæterùm, archiepiſcopis aut metropolitanis, uti uocant, inſigne quoddam honoris atq; dignitatis confert, pontifex, è lino confectū atq; lana: id uocant pallium: redimitur autē magna ui pecuniæ, & quidē intra ſpacium trimeſtre, ſicut ipſorū leges habent, neq; licet archiepiſcopis inaugurare aliquē epiſcopatui, niſi prius accepto pallio, cuius eſt prȩcipuus uſus in peragēdis ſacrificijs atq; Miſſis: nō traditur autē, niſi fidem et obedientiā quis promittat per iuſiurandū. Annatæ uerò, quas diximus, inde nomen habent, quòd qui recēs in demortui locū ſucceſſit, epiſcopus aut abbas, pōtifici Romano fructus integros unius anni perſoluere tenetur ex eo ſacerdotio. Poſt omnem hanc actionē, principes edito ſcripto paucis recitant ordine, quid actū ſit, & quas ineundæ concordiæ rationes propoſuerint, eas nimirum, quas antè paulò diximus. Itáque mandant, ut hæc ſeruentur, propoſita pœna, ſi ſecus fiat. decretū hoc fuit editum ad ſextū diem Martij, nomine ac titulo Cęſaris. nam is in Hiſpaniā rediturus, et ſenatum et iudiciū conſtituerat, ut ſuprà dixi, penes quos erat reipublicæ procuratio. Cæſaris autē erat in eo conuentu legatus, Fridericus princeps Palatinus. Capti fuerunt ad hoc tempus Bruxellæ, profeſſionis Auguſtinianę monachi duo, Ioannes & Henricus. Quæſtionē habuit Hogoſtratus Dominicanus, inter alios. Rogati ſunt primùm, ecquid crederent: Illi, ueteris & noui teſtamenti libris, & apoſtolorū ſymbolo, quod fidei capita continet, credere ſeſe dicunt. num decretis conciliorum atque patrum credant: ijs, quæ cum ſacra ſcriptura conſentiant: putent ne peccatū eſſe mortale, ſi quis patrū & pontificis Romani decreta uiolet: ſolis prę-

ceptis diuinis hoc esse tribuendum, ut absoluant aut condemnent. Quum in eo persisterent, damnati sunt capitis. ipsi uerò gratias agebant Deo, quòd pro sui nominis gloria perferendum aliquid esset. Quum producerentur, omnium oculos in se constantia sua conuertebant, itáq; fuerunt exusti calendis Iulij. Prius uerò, quàm afficerentur supplicio, sacris fuerunt exauthorati, degradationem uulgò uocant. Id autẽ ità fieri solet in ijs, qui dicuntur sacerdotes. Hęreseos damnatus à iudice ecclesiastici ordinis, induitur sacris uestibus, inq; manus ei traditur calix cum uino et aqua, sed et patella deaurata cum pane azymo. Sic in genua procumbẽti uicarius episcopi tollit & adimit ea quæ diximus, & simul mandat, ne posthac sacrum faciat pro uiuis aut mortuis. Lamina deinde uitrea radit ei digitos, iniungens, ne rem ullam deinceps consecret. posthęc, reliquum apparatum omnem aufert, usus ad singula certis quibusdã imprecationibus. Cùm iam exemptus est ille numero sacerdotum, reliquis etiam gradibus, per quos ad sacerdotij dignitatem ueniri solet, exuitur. Sic denudatus, alijsq; uestibus, uti uocãt, prophanis indutus, traditur magistratui, deprecante interim episcopi uicario, ne quid in ipsius uitam aut corpus etiam statuatur grauius. Hæc enim adhibetur ceremonia, ne scilicet ipsi, qui sacra tractãt, supplicij uel profusi sanguinis authores uideantur extitisse. Cùm decretũ illud Imperij, Noribergæ factũ, alij aliter acciperent, plęriq; etiã contemnerẽt, Lutherus, datis literis ad principes, reuerenter & magna cũ uoluptate se legisse illud, & ecclesię quoq; Vuittembergensi proposuisse dicit: uerùm insidijs & arte diaboli fieri, ut authoritas ei derogetur: nã ex prima etiã nobilitate quosdã esse, qui & nolint obtemperare, & uarias interpretationes affingãt: hocitáq; scripto se uoluisse declarare, quomodo ipse illud accipiat, & confidere suam opinionem esse congruentẽ ipsorum uoluntati: Quòd euangelium doceri iubeant secundũ interpretationes ab ecclesia receptas, à plęrisq; sic intelligi, docendum esse iuxta morem hucusq; usitatũ, ex præscripto Thomę, Scoti & aliorũ, quos Romani põtifices approbarunt: se uerò de uetustioribus illis accipere, Hilario, Cypriano, Augustino, & horũ similibus. ac ne his quidem esse tantam tribuendam fidẽ, ut nõ longè pręferantur Biblica scripta: nõ dubitare se, quin & hæc sit ipsorũ sententia: et argumento esse, quòd nonnulli, qui uerã ecclesiæ emendationẽ ferre nõ possunt, recusarint huic edicto subscribere, & ne nunc quidẽ illud suis proponi patiantur: Alterũ, ut episcopi deligant homines idoneos, qui concionibus

adsint,

adsint, & leniter admoneant si quid erit: rectè quidem esse decretũ, sed illos, quibus mandatum sit, etiam ut uelint, tamen non posse decreto satisfacere, quòd uiris doctis careant, & illis utantur, qui præter sophistica nihil unquam didicerint: Quòd interdicant, ne quid librorum deinceps exeat, nisi prius uiri docti ad eam rem delecti iudicium fecerint, non se recusare quidem, sed tamen sic illud accipere, ut ad sacræ scripturę libros non pertineat: quò minus enim hi prodeant in lucem, non posse prohiberi: Quòd postremò statuerint de sacerdotibus, qui uel uxores ducunt uel ordinem suũ deserunt, iuxta leges pontificias mulctandis, nimis hoc esse durum: nam si purè docendum sit euangelium, ut ipsimet fateantur, iam certè mitigandam esse legem illam pontificiam. Deplorat deinde nostri temporis miseriam ac pertinaciam, quòd in hac tàm clara euangelij luce non abrogetur lex illa durissima cœlibatus, quæ plurimorum & grauissimorum scelerum occasionem atque causam præbeat: ipsos tamen, qui pontificia pœna contenti sint, propter eam moderationem admodũ esse laudandos, illos uerò, qui sacerdotes ob contractum matrimonium uel professionem desertam carcere & uinculis & omni supplicíorum genere excarnificatos interficiunt, magnopere detestandos. Orat igitur principes, quandóquidem aduersarij non pareant huic ipsorum decreto, sed magna quadam licentia et impunitate resistant, ut ijs etiam ignoscatur, qui naturæ quadam imbecillitate, ne conscientiam suam ipsi lædãt, aut in manifesta uitia ruant, postremum hoc ipsorũ decreti caput non exactè seruabunt: ualde enim esse iniquum, ut illis præpotentibus impunè liceat ea uiolare, quæ facillimè seruare & possint & debeant, alijs uerò tenuioribus pœnã infligi, ob uiolatam legem, quam ut seruent, non sit in ipsorum potestate: nec enim omnibus esse datum continentiæ donum, & quæ fiunt de castitate uota, non solùm esse stulta, uerumetiam contra bonos mores ac uitæ honestatem omnem. Posthæc, de instituendis ecclesiæ ministris librum emittit, rogatu quorundam, ad Senatum Pragensem, eíque scriptum adiungit, quo demonstrat, ecclesiam habere ius ac potestatem iudicandi de quauis doctrina, & constituendi ministros. Prius autem definit ecclesiã, eámq; dicit esse, ubicunq; purè docetur euangelium: episcopos autem & id genus alios proceres ait esse statuas & capita sine cerebro, nec ullũ esse in ulla gente uel populo, qui suum faciat munus, in Germania præsertim. Eodem prope tempore scripsit etiam de doctrinis hominum uitandis, ac præfatus ait, hoc

scripto minimè se patrocinari illis, qui leges & traditiones hominum audacter quidē contemnunt, sed interim, quod sit hominis uerè Christiani, nihil agunt. Deinde formulam Missæ & communionis præscribit ecclesiæ Vuittembergensi, & adhuc quidem se cunctanter egisse dicit, propter multorum infirmitatem, et doctrina sola contentum, eò spectasse, ut errores ac impias opiniones mentibus hominum eximeret: nunc uerò confirmatis quàmplurimis, esse tempus, ut, quòd impium sit, nō toleretur amplius in ecclesia, sed ut puram doctrinam comitetur etiam actio syncera, omni remoto fuco & simulatione. Ei scripto coniunxit aliud de pijs ceremonijs, in cœtu ecclesiæ seruandis, item & illud, de abominatione Missæ priuatę, quam uocant Canonem. in cuius quidem libelli prę fatione commemorat, quòd editis libris, & pro concione sæpe sit cohortatus homines ad abrogationem Missæ pontificiæ, propterea se uocari seditiosum, sed iniuriam sibi fieri: nec enim unquam docuisse populum, ut impios cultus authoritate sua publicè abolerent, sed ne magistratui quidem hoc à se concessum, nisi fortè ecclesiarum præfecti pertinaciter defendant errores: & quoniam horrenda sit ista cœnæ domini prophanatio, sicut doctiores nunc agnoscant, ideò se scriptionem hanc atque laborem suscepisse, ut populus etiam intelligat, & ut usitata illa sacrificia Missarum, non secus atque Sathanam ipsum defugiant. quod ut doceat, ordine recitat eum, quem appellant Canonem, & quibus ille sit refertus contumelijs in Deū, demonstrat.

Inter alios Germaniæ uiros doctos, qui Luthero plurimùm fauebant, erat Vlrichus Huttenus Francus, nobili genere natus: is hoc anno, sub exitum Augusti mensis, in Tigurinorum finibus mortem obijt. Extant quædam eius opuscula, quæ magnam ingenij libertatem & acrimoniam ostendunt. Libro superiori diximus, quemadmodū Lutherus Anglię regi Henrico respōderit. Hoc scriptum rex ubi legit, ad Saxoniæ principes, Fridericū, eiúsq; fratrem Ioannem, & patruelem Georgium, dat literas, & de Luthero grauiter questus, quantū ab eius doctrina periculū ipsis immineat, totíque Germaniæ, demonstrat: nec esse quod contemnant aut paruifaciant: nam & Turcicam illā immanitatem, quę nunc tàm latè grassetur, ab uno atq; altero homine perdito primam duxisse originē, & uicinam Bohemiam ipsis documento esse, quanti referat, nascēti malo statim occurrere: Monet etiā, ne Luthero permittant, ut Testamentum nouum lingua populari diuulget; sic enim iam esse notū artificem, ut du-

bium

bium non sit, quin bene scripta, male uertendo peruertat atq; depra-
uet. Ei scripto Georgius princeps peramicè respondet, grauiter et
ipse Lutherū incusans, eiúsq; libros quàm lōgissimè suis à finibus ar
cere se dicit, tanq; nocentissimos omniū hostes: nam inde ab eo tem-
pore, quo disputationē ei Lipsię permiserit, satis deprehēdisse, quor
sum exiret: quòd etiā in ipsum tàm acerbè scripserit, uehementer sibi
dolere, pérq; suā ditionem omnem edixisse, ne quis aut diuendat aut
legat: in librarium etiā, qui primum ad suos exemplar importasset,
animaduertisse. In eo, quem diximus, cōuentu Noribergico, prę ter
causam religionis egerant etiā principes de ratione firmādę pacis &
constituendi iuris, de pœna eorū qui legibus Imperij non obtempe-
rarent, de perpetuis et continentibus auxilijs contra uim Turcicam:
Et de his quidē duobus postremis nihil tunc decerni poterat, ínque
aliud tempus atq; comitiū reiecta fuit deliberatio. Et Imperij qui-
dem ciuitates omnes, quoniam in eo conuentu promulgatum erat
de nonnullis, quæ sibi detrimento fore uidebant, communem mitte-
bant ea de causa legationē ad Cæsarem, in Hispanias: hi cùm Augu-
sti mensis die sexta Valoletum uenissent, suáque tertio pòst die pro-
posuissent, Cæsar, aliquot pòst diebus, benignè quidē & liberaliter
respondit, sed pontificem apud se questum ait per literas, de Argen-
torato, Noriberga, Augusta, quasi doctrinę Lutheri faueant: se qui-
dem ab illis expectare meliora, sed tamen silentio noluisse hoc præte-
rire, quò uidelicet & suis & pontificijs edictis obtemperent, quod
quidem omninò putet ipsos esse facturos. Illi sese purgant, & nihil
à suis prætermitti diligentiæ demonstrant, quò ipsius uoluntati sa-
tisfiat. Interim Adrianus pontifex moritur Idibus Septembris:
ei succedit Clemens VII. è familia Medices. Heluetiorū propè so
li Tigurini sequebantur Zuinglij doctrinā, ut suprà demonstraui-
mus: ex reliquis uerò plęriq; fremere ac indignari: Et quum Bernæ
propterea cōuenissent, erāt, qui Zuingliū grauiter accusarent, & in-
uidiæ concitandę causa dicerent, illū pro concione dixisse non semel,
ipsos, qui cū exteris inijssent fœdus, uendere sanguinē, & uesci carni-
bus humanis. Eo cognito, simulac legati Tigurini domū reuerterāt,
Zuinglius per epistolā sese purgat, neq; sic esse locutū, sed in genere
dixisse docet, esse nonnullos, qui esum carnis, lege pontificia interdi-
ctum, abominentur ut impium, quòd autem humanas carnes auro
diuendant & ferro consumant, in eo nullum esse piaculū existiment:
nominatim ab se nullam gentem esse notatam, neque se consueuisse,

ſuos in Heluetios adhunc modum inuehi, quos propter communẽ patriam uehementer amet: uitia quidẽ neceſſariò ſeſe reprehendere, quæ nunc ſanè plurimum exundent: id autem ad bonos & innocentes minimè pertinere. Docebat inter alia Zuinglius, imagines è templis amouendas, & Miſſam, quòd impia ſit, abrogandam eſſe. propter hanc ergò cauſam, ſenatus alterum in urbe ſua conuentum indicit. quò cùm frequentes Octobri menſe conueniſſent, tridui fuit habita diſputatio. Senatus autem, ne quid præcipitanter fieret, Conſtantienſem epiſcopum, qui neminem eò miſerat, literis orat, ut ſententiam in eo ſuam & ipſe oſtendat. Hoc ferè tempore, cùm alijs in locis, tùm Argentorati quidam ordinis eccleſiaſtici ducebant uxores: ea res magnam excitauit contentionem. Nam accuſati reſpondebant, nihil in eo ſe feciſſe cõtra Dei mandatum, & omnibus eſſe conceſſum indifferenter matrimonium. Senatui quidem Argentinenſi plurima fuit actio ſuper ea re, cum eius urbis epiſcopo. qui tandem
M.D. XXIIII. uigeſimo Ianuarij die, Tabernas oppidũ, euocat reos, ut ad certum diem adſint, audituri contra ſe ferri ſententiam, ob contractum matrimonium. quà quidem in re dicit eos & eccleſiæ & ſanctorum patrum & pontificum & Cæſaris etiam Imperijq; uiolaſſe leges, & ordini ſummam feciſſe iniuriam, & maieſtatem læſiſſe diuinam. His acceptis literis atque citatione, illi ſupplicant ſenatui, ut cauſam dicere, ſuíque facti rationem ipſis reddere liceat, neque capitis recuſant pœnam, ſi contra Dei præceptum feciſſe quid comperiantur: Senatus ergò rurſus interpellat epiſcopum: et quandóquidem legitimam illi diſceptationem minimè fugiant, neq; ſine graui motu quicquam in eos deſignari poſſit, præſertim, cùm alij, qui cum meretricibus palàm uiuunt, non mulctentur, orant, ut ſaltem ad exitum uſque conuentus Imperij, qui tùm erat Noribergæ, rem omnem differat: nec enim eſſe dubium, quin id genus actiones alijs etiã in locis natæ ſint, & fore, ſua quidem expectatione, ut in eo conuentu harum rerũ omniũ rationes expendantur. Hic eſt ille cõuentus, qui nuper in aliud tempus reiectus, ut ſuprà dictum eſt, in hunc annum incidit. Eò Clemens quoque pontifex legatum miſit Laurentium Campegium cardinalem, & datis ad Fridericum Saxoniæ principem literis, amanter admodum ſcriptis ad Idus Ianuarij, pergratum ſibi fuiſſe dicit, cùm de hoc comitio, cui & ipſe eſſet interfuturus, audiret: nam in maximam ſpem uenire, poſſe aliquid in eo conſtitui, quod ſalutem adferat reipublicæ: eáque de cauſa mittere Campegium cardinalem, ma-

gnæ

gnæ uirtutis uirum, qui et de ſua ſolicitudine ac uoluntate erga rem-publicam principes edoceat, & priuatim cum ipſo de rationibus pacis colloquatur, ad quam procurandam ut animum adijciat, & adiutor ſit legato, magnopere ipſum hortatur: nihil enim fieri poſſe, hoc quidem tempore, magis uel pium uel neceſſarium, ac pertinere hoc ad ipſorum omnium, qui ſint in magiſtratu, ſalutem ac dignitatem: ualde ſe ſtudioſum ac amantem eſſe Germaniæ, ac ſperare, illam non diſceſſuram à priſca uirtute, ſed compoſitis atque ſedatis offenſionibus, adfuturam eſſe publicis incommodis depellendis. Itáque rogat, ut beneuolentiam omnem & amorem legato ſuo præſtet, à quo prolixius omnia ſit auditurus. Ad uigeſimum ſextum Ianuarij diem, Lucernæ fuit Heluetiorum conuentus: Ibi factum eſt decretũ, ne quis uerbũ Dei, quod ſupra mille quadringẽtos annos nunc denunciatum ſit, néue Miſſam, in qua corpus Chriſti conſecratur ad ipſius honorẽ, & uiuorũ atq; mortuorum ſolamen, derideat aut cõtemnat: qui cœnã domini per ætatem percipiunt, delicta ſua, quadrageſimæ tempore, ſacerdoti bis cõfiteantur, & reliqua omnia more conſueto faciant: eccleſię ritus omnes atq; cõſuetudines ſeruẽtur: ſuo quiſq; paſtori pareat, ab eóq; ſacramenta percipiat, uti fieri ſolet, & quam debet annuam ei pecuniam, perſoluat: ſacerdotibus exhibeatur honos: diebus uetitis abſtineatur ab eſu carnium, & per quadrageſimæ tempus, ab ouis etiam atq; caſeo: Lutheri nihil priuatim aut publicè doceatur aduerſus receptũ eccleſię morem: In cauponis atq; conuiuijs, Lutheri, uel nouæ cuiuſpiam doctrinæ nulla fiat mentio: diuorum imagines atq; ſtatuæ ſint ubiuis inuiolatæ: miniſtri eccleſiæ rationẽ ſuæ doctrinæ reddere non tencantur, niſi magiſtratui tantùm: tutela præſtetur illis atque patrocinium, ſi quis fortè motus ingruat: qui ſancti ſpiritus, Mariæ uirginis, diui Antonij circumferunt reliquias, à nemine rideantur: quas Conſtantienſis epiſcopus tulit de religione leges, eæ ſeruentur: qui decretum hoc uiolarint, magiſtratui deferantur, & ſint ubiq; tanq; inſpectores eorum quæ fiunt. Vbi Noribergã uenit Campegius, iam abierat dux Fridericus, quapropter ſcriptis ad eũ literis pridie calendas Martij, & ſimul miſſis illis, quas à Clemẽte acceperat, ait ualde ſibi importunè accidiſſe, quòd coràm nõ liceat colloqui: multa enim habere ſe, quæ pontificis nomine cum ipſo cõmunicet, quod literis & nuncijs adeò commodè fieri nequeat, et negociũ eſſe tale, quod moram uix ullam admittat: ſed quoniam corrigi non poſſit, initiò multam ei ſalutem & pontificis & ſuo

nomine precatur: posteà subdit, & si frequens admodum sit rumor, nouis ipsum hæresibus fauere, iam nascentibus, tamen id neque pontifici neque sibi posse adhuc persuaderi: nam à quo primùm tempore nouisset, multas in eo præclaras & eximias uirtutes animaduertisse, inprimis autem, quòd religionis & ecclesiæ apostolicæ esset obseruantissimus: itáque non habiturum esse fidem aliorum iudicijs, & ueterem opinionem de ipso non prius depositurum, quàm coràm ipse rem cognouerit: Germaniam quidem paucis abhinc annis esse quodammodo transformatam, & nouos induisse ritus: uerùm intelligere se satis, quantùm uulgus à nobilitate differat, & à uiris principibus, legum præfectis, in quibus ipse primas facilè partes obtineat, tum suo, tùm suorum maiorum uirtute atq; merito, qui Romanã ecclesiã ualdè semper cohonestarint: pontificẽ ergò magnopere optare, ut his difficillimis temporibus, ipse, maiorum exemplo, uirtutem illam magis atque magis illustrem faciat & declaret: cùm enim seditiones ac periculosi motus, alij post alios oriantur, idcircò inprimis necessariam esse fortitudinem animi, sic, ut populi licentiam non solùm molestè ferat magistratus, uerumetiam masculè ulciscatur: hanc autem disciplinę seueritatem in ipsius prouincia cumprimis exercendam esse, & eò quidem diligentius, quò maius oriri possit incendiũ, nisi maturè occurratur: quid enim sit ipsis expectandũ, si populi arbitrio sacrarum legum atq; rituũ permittatur emendatio, facilè quemuis intelligere: uicinas regiones nimirum, Bohemiam et Pannoniam esse documento: quibus in locis ortę quondam seditiones ob eiusmodi causas, ne nunc quidem satis adhuc sint compositæ: similem quoq; statum esse futurum Germaniæ, nisi plebis non iam libertas, uerùm audacia reprimatur atque temeritas: Qui sacras leges & ordinẽ ecclesiasticum magna quadam petulantia contemnunt, eos uim quoque tandẽ esse facturos hauddubiè magistratui, quem alioquin oderint: gratum esse nonnullis, uidere præfectos ecclesiarũ & aulam Romanam ad hunc modum perturbari atque despici: uerùm hos non animaduertere, quanto ipsi uersentur in discrimine: pontificem uerò, qui tanquam gubernator nauis in specula sedeat intentus, pręuidere tempestatem hanc imminentem, & idcircò sibi legationẽ hanc decreuisse, ut principes omneis ac ipsum inprimis periculi commonefaciat, & ad depellendam calamitatem excitet, quæ non tàm urbẽ Romam, quàm ipsam sit oppressura Germaniam: hac etiam de causa literas sibi datas ab eo, & iniunctum esse, ut de ijs rebus omnibus

cum

cum ipso diligenter agat, quò tranquillitas uidelicet ociúmque Germaniæ recuperentur: nam ideò se missum, ut lapsos erigat & resipiscentes in gratiam recipiat. Et licet ad eam rem parum sit idoneus, tamen ipsius fretum humanitate nihil esse reliqui facturum ad summã diligentiã: cùm igitur hoc animo profectionem istam laboris & molestiæ plenã susceperit, orare, ne fauore auxilióq; sibi desit, & quid faciundum esse putet, proximè rescribat: se quidem ipsius gratia nihil non esse facturum. Pòst, in concilio principum, à sua persona captata beneuolentia, Romæ uix ullũ potuisse reperiri dicebat, qui legationem hanc in Germaniam susciperet: tandẽ uerò sibi, qui fortunam omnem suã Germanis acceptam ferat, hoc munus impositũ esse, & habere in mandatis duo, de quibus potissimùm agat, de religione nimirum, déq; bello Turcico: & primò quidẽ ualde se mirari, tot tantósq; uiros principes, hanc doctrinæ mutationem ferre, et pati religionem illam, ritus atq; ceremonias, in quibus nati sint & educati atque etiam mortui ipsorum parentes atque maiores, ad hunc modũ extingui & aboleri, paucorũ quorundam arbitrio atq; suasu, neque reputare secũ, quò tendat hæc innouatio, quémq; sit exitũ habitura: nisi enim occurratur in tempore, nihil aliud expectandum inde profectò, quàm turbas longè maximas, & populi cõtra magistratus rebellionẽ: hæc omnia cogitantem ac metuentem pontificẽ maximum sibi legationem hanc mandasse, ut rationem cum ipsis ineat malum hoc sanandi, nõ quòd præscribere uelit aliquid aut ab ipsis postulare, sed ut consilia conferat & medicinã faciat, reipublicæ salutarem: quòd si pontificis autẽ respuatur in eo diligentia, qui, tanquam pius parens atque pastor suis liberis & ouibus optimè consultum esse uelit, iam non esse, quòd in eũ ulla reiiciatur culpa: Quantùm ad Turcas attinet, nõ se negare, collectam in hos usus aliquandò pecuniam, & Romam quoque delatam, non esse totam huc impensam, sed tamen idcircò non esse deserendam in hac temporum acerbitate rempublicam: Quantùm damni dederit immanissimus hostis, neminẽ esse qui ignoret, rem enim ipsam loqui, et in omnium oculis defixam hærere: nostra nimirum indiligentia & socordia nuper illũ cœpisse Rhodum & Hungariæ præcipuum propugnaculũ, & uiam habere iam patefactã, ut quò uelit, longius progredi possit. Rhodios quidẽ duríssimè circumsessos multis mensibus, et inopia rerũ omnium adductos, cùm auxilia nulla mitterentur, deditionẽ fecisse: consimilem etiam Vngariæ fuisse fortunam, qui si debellentur omninò, & in il-

lius potestatem ueniant, metum esse, ne nobis fiant hostes, multò, quàm sint Turcæ, grauiores: uerùm, nisi dissidium hoc, natum ex noua doctrina, tollatur, nec istam quoq; reipublicæ partem, sua quidem sententia, posse procurari. Principes ad ea respondent, quòd Germaniam ista complectatur beneuolentia, quòd ipsi quoque legationem hanc demandarit pontifex, ualde sibi gratum esse: ex omni numero se uelle quosdam deligere, quibuscum agat & sua communicet: existimare autem, modum ipsi præscriptum actionis atque formulam, à pontifice & cardinalium senatu, qui de statu rerum omnium sciant: proinde cupere, quid sit ipsius consilij, audire: Quid periculi sit & impendeat ab ista doctrinæ mutatione, satis intelligere se atque uidere: itáque anno superiori, cùm alter adesset legatus pontificius, rationem atque uiam demonstrasse componendi negocij: quid etiam à pontifice fieri uellent atque requirerent, scripto comprehensum eidem legato tradidisse, ut exhiberet pontifici, quod & ille se facturum receperit: si quid igitur eius rei habeat in mandatis, orare, ut exponat, quò uidelicet tantò rectius in medium consuli possit: de rebus Turcicis ità rem habere, quemadmodum dixerit, & se uehementer etiam hac solicitudine affici, sed bellum istud longè maximum & difficillimum, pertinere non ad Imperium modò, sed ad reliquos etiam orbis Christiani principes atque reges: nisi enim pacem hi colant inter se, suáque conferant auxilia, non posse quicquam ad diuturnitatem constitui: uerúntamen, quia maximos Turca faciat terra marique bellicos apparatus, ideò se ipsius quoque sententiam in eo uelle cognoscere. Legatus ad hæc, num ab ipsis ulla sit componendi dissidij religionis proposita ratio, uel etiam ad pontificem & cardinales delata, nihil sibi de eo constare dicebat: pontificis quidem egregiam esse uoluntatem, ab eóque se plenam agendi potestatem accepisse: uerùm ipsis, qui personarum ac totius regionis morem et conditionem omnem teneant, uiam esse reperiendam, quæ perducat ad optatum finem: In conuentu Vuormaciæ, Cæsaris exijsse mandatum eius rei, de communi ipsorum consilio promulgatum, quod etiam anno proximo repetitum fuerit: & placuisse tum, ut esset ratum per omnem Germaniã: & nonnullos quidem obtemperasse, quosdam uerò minus: ignorare autẽ se, quę sit eius rei causa, quæ tanta per Imperiũ diuersitas & dissimilitudo: sibi igitur uideri, prius quàm aliquid decernatur, de modo executionis deliberandũ esse: non eò se uenisse, quò flammam aut

dissen-

dissensionem aliquam excitet, ut nonnulli dicant, uerùm & pontificis & suas quoque cogitationes omneis ad beneuolentiã pacem atq; concordiam spectare, quò uidelicet ij qui aberrarunt ac defecerunt, in uiam redeant, útq; conciliorum decreta, & Cæsaris atque ordinũ edicta seruentur: Quantùm ad ipsorum postulata pertinet, an edita sint, ut Romã deferantur, omninò se nescire: tria solùm exemplaria fuisse perlata Romam, ad quosdam priuatim: ex ijs unum sibi contigisse: pontifici autem & cardinaliũ senatui nõ posse persuaderi, hęc à principibus ità fuisse decreta, sed existimare, priuatos homines odio reipublicæ Romanæ in lucem emisisse: nullum etiam eius rei se mandatum habere: Neque tamen hoc sic accipiendum esse, quasi de eo potestatem non habeat agendi: sed in ijs postulatis esse multa, quæ & pontificis derogent authoritati, & hæresim redoleant, & à se tractari non possint: alia uerò, quæ non aduersentur pontifici, quæq; nitantur æquitate, non se recusare, quò minus de ijs & cognoscat & agat: sed tamen sibi uideri, moderatius multò posse proponi, si quid erga pontificem habeant: sic nuper esse factum ab Hispanis, qui Romam missa legatione, quid requirerent, commoda sanè ratione demonstrarint: quòd autem ista sint excusa typis & in uulgus edita, nimium hoc sibi uideri: neque tamen dubium esse, quin Germaniæ causa sit quiduis facturus pontifex: Quanta sit etiam Turcica potentia, quis hoc tempore belli apparatus, non nescire pontificem, & ut regum sint consentientes animi, iudicare prorsus esse necessarium, ideóque nihil non esse facturum, ut concordiam ipsis persuadeat: habere quoque magnam pecuniæ summam paratam, & in hoc esse totum, ut multò maiorem conficiat, quam sit omnem in hoc bellũ erogaturus: ipsorum autẽ esse, propter Vngariæ uicinitatem, regi adolescenti ferre opem, qui sit ipsis & sanguine coniunctus & affinitate: pontificem quoque uelle pecuniam ei subministrare, & inde à suscepto pontificatu dedisse operam, ut inter Cæsarem, Gallum & Anglum facta pace, totis uiribus bellum in Turcas administraretur: ipsum uidelicet esse pastorem, & ad pacem omnia sua consilia referre: quòd si pastoris uocem oues non sequantur, non esse quod præstet amplius: eadem se quoque de causa missum in Germaniã: si iam frustrà laborem hunc sumat: tàm pontifici quàm sibi ferendum hoc esse patienter, & rem omnem Deo cõmittendam. Per Heluetios augescebat indies magis atque magis de religione simultas, et reliqui pagi, missis legatis ad Tigurinos, dolorem suum testantur. Antiqui-

ts uomnia rectè piéque conſtituta, nec ullam doctrinæ fuiſſe contentionem: nunc autem à temerarijs aliquot hominibus pulcherrimum hoc ocium & quietem tùm eccleſię tum reipublicæ turbari, & diſcordiæ ſemina ſpargi: nimirum oportuiſſe iampridē creſcenti malo medicinam facere, ac more maiorū uindicare Dei omnipotentis & Marię uirginis et diuorū gloriam atq; nomen, in eóq; facultates omneis uitam atq; ſanguinē profundere: nunc etiam inprimis, ut ità fiat, tempus ipſum poſtulare: nam alioqui futurū, ut ipſis omnibus pernicię & animę quoque iacturam ea res adferat: cuiuſmodi ſit enim huius, quam Lutherus inuexit, doctrinæ fructus, nunc ſatis apparere: populum uidelicet ac promiſcuam multitudinē uix cohiberi iam poſſe: multa facere proteruè ac inſolenter, ſumere ſibi magnos ſpiritus, & ad rebellionem omninò ſpectare: quinetiam eius rei nuper dediſſe non obſcuram ſignificationem: huius uerò mali contagionem à Zuinglio eſſe profectam ad ipſos atque Leone Iuda, qui uerbum Dei, quod pacem atque concordiam adferre debebat, ſic doceant, próque ſuo arbitratu interpretętur, ut turbis atque diſſidijs omneis aditus patefaciant: Et quanquam ſibi non planè conſtet, quid illi doceant, tamen quid ex eorum doctrina ſequatur incommodi, quotidie ſeſe in multis experiri: diebus ab eccleſia uetitis edi nunc indifferenter carnes & oua, ſacerdotes & Deo conſecratos tùm uiros tùm mulieres, uiolata fide, deſerere profeſſionem ac ordinem ſuū, & contrahere matrimonia, cultum omnem diuinū intermitti, nihil iam in templis cantari, nullas fieri preces, in contemptum uenire ſacerdotes, monachorum diſſipari ſodalitia, delictorum confeſſionem atque pœnitentiam negligi, ſic quidem, ut ijs prætermiſſis, percipere cœnā domini quidam nihil uereantur: Miſſam proſcindi conuicijs, uirginem Mariam cæteróſque diuos affici cōtumelia, ſtatuas & imagines reuelli, confringi & diſſecari, ſacramentis eccleſiæ nullum deferri honorem, & tantam nunc eſſe licentiam ac impunitatem, ut in manibus ſacerdotis uix tuta ſit hoſtia ſacroſancta, panis uidelicet azymus, Chriſti corpus repræſentans: hæc omnia tanti eſſe momenti, ut meritò ſint deploranda: ſe quidem non illa poſſe ferre diutius, & nuper in proximo conuentu, quoſdam è ſocijs, ordinis eccleſiaſtici, communi miſſa legatione, ſuam opem imploraſſe: Quæ cùm ità ſint, orare, diſcedant ab inſtituto, inque ueteri maiorum religione permaneant: ſi quid uerò ſit, in quo ſeſe grauari putent à pōtifice ac ipſius clientela, cardinalibus, epiſcopis & id genus alijs, quandò ſcilicet illi præ-

fecturas

fecturas eccleſiarum inuadunt, permutant, uendunt, quandò ſuis indulgentijs pecuniam regionis exhauriunt, quandò nimiam ſibi iuriſdictionem uſurpant, &, quæ ſolùm in rebus ſacris exerceri debebat, eam ad res prophanas atque ciuiles applicant poteſtatem: hęc & eius generis alia permulta, ſi moleſta ſint ipſis atque grauia, non ſe recuſare, quò minus corrigantur: nam ſibi quoque uehementer illa diſplicere, & unà cum ipſis uelle deliberare, quemadmodum onus illud excutiant. Ad ea ſenatus Tigurinus, Martij die uigeſimo primo reſpondet: ſuos eccleſiæ miniſtros nunc in quintum annum docere ſacra: & initio quidem doctrinæ genus hoc nouum ſibi fuiſſe uiſum, eò quòd nihil eiuſmodi prius audiſſent: cùm autem intelligerent ac uiderent, hunc eius eſſe ſcopum atque finem, ut Ieſum Chriſtum oſtendat, aram præſidiúmque ſalutis, qui pro mundi delictis uitam atque ſanguinem profuderit, & ſolus ab æterna morte miſeros liberarit, & ſit unicus apud Deum humani generis aduocatus, non ſe potuiſſe tàm ſalutare nuncium ardenti ſtudio non complecti: ſummam extitiſſe concordiam olim & conſenſionem inter apoſtolos & eos, qui poſt illorum ætatem Chriſti doctrinam complectebantur: idem ſeſe ſperare nunc quoque futurum inter illos, qui huc animum adijciunt, poſtpoſitis hominum traditionibus, alienis à uerbo Dei: Quòd ſi Lutherus aut quiuis alius ità doceat, rectè fieri, neque tamen idcircò nomen eius obduci oportere, quaſi propter ipſum dogmati fides habeatur: hoc enim & eſſe inuidioſum, & ad uerbi diuini contumeliam pertinere: cæterùm, etſi Chriſtum ſolum adorent, ad eúmque confugiant, nullam tamen iniuriam idcircò facere uel uirgini matri, uel cæteris etiam diuis: nam hos omneis, cùm in terris agerent, per ſolius Chriſti nomen æternam ſalutem expectaſſe: nunc eam eſſe lucem excitatam in animis multorum, ut plærique omnes in ſua ciuitate, Biblica ſcripta diligenter euoluant: nec eſſe quòd eccleſiæ miniſtri ſcripturam detorqueant, quæ ſic in manibus omnium uerſetur: nullam ergò ſectam ſibi poſſe obijci, ſed nomen iſtud in eos rectè quadrare, qui ſui quæſtus atque ſplendoris retinendi cauſa, uerbum Dei, quò uolunt, inflectunt: errorem ſibi attribui, neque tamen ab ullo demonſtrari: Conſtantienſem, Baſilienſem, Curienſem epiſcopum, academias etiam aliquot & ipſos adeò non ſemel eſſe rogatos, ut id facerent, ſed in hunc uſq; diem nihil eſſe præſtitũ: Adhęc, in poſtremo ſuo cõuentu neminẽ ab epiſcopis nec ab ipſis etiam adfuiſſe, pręter Schafuſianos

& Sangallios: qui uerò tunc aderant, eos, re tota diligentius consi-derata, suam in sententiam uenisse: Quòd episcopi fortè dicant, non ipsis licere passim ità uerbum Dei tractare, id nulla ratione niti: cùm enim sit illorum officij, cauere, ne pereant oues, ęquum esse profectò, ut aberrantes in uiam reducant: sed quoniam id non faciant, & ad patres atque concilia rem omnem reijciant, uelle se, non quid homines decernant, sed quid Christus uelit atque iubeat, audire: suos doctores atque ministros non dare causam ullam diuulsionis reipublicæ, uerùm in illos hanc esse conferendam culpam, qui sui compendij & emolumenti causa, diuersum à uerbo Dei docent. Nam ab ijs & seduci populum in errorem, & grauiter offendi Deum, qui uarijs deinde calamitatibus audaciam istam ulciscatur: Dissidiũ hoc omne ex eorum cupiditate manare, qui metuunt, ne quid commodis ipsorum decedat: quòd si puram isti doctrinam sequerentur, & quæ sit non hominum, sed Dei uoluntas, inquirerent, nõ dubium esse, quin fastum, luxum & auaritiam omnem ab se remouerent, & concordiæ rationes inirent: inundasse iam multa uitia, maioribus ipsorum incognita, quæ suæ ciuitatis doctores reprehendant, & simul ad metum numinis diuini cohortentur: Quòd autem concionibus illorũ plærique nõ emendentur, neque fructum ea doctrina dignum proferant, id non seminis proiecti, sed ipsius fundi uitium esse: certè suos intra fines non eum uulgò conspici luxum nec intemperantiam, quę passim alibi regnet, inprimis uerò suæ ditionis homines non sectari militiam illam externam & mercenariam, ut olim, quæ certè multorum uitiorum materiam subministret: De carnium et ouorum esu, quanquam liber sit, minimęque prohibitus à Christo, legẽ se tulisse, qua temeritas & offendiculum prohibentur. Matrimonij Deum authorem esse, qui omnibus illud permiserit: Paulum etiam iubere, ut ecclesiæ minister sit unius uxoris maritus: & quum episcopi, sacerdotibus, accepta pecunia, concubinas permittant, turpi nimirum exemplo, neque fœminis illi carere uel possint aut uelint, nõ se posse Deo, qui coniugium instituit, reluctari: eandem esse rationẽ, ad fœminas quod attinet, quę castitatem uouisse dicuntur: nam putare se, genus hoc obligationis atque uoti, minus gratum esse Deo: cúmque donum continentiæ non sit omnibus datum, pręstare multò, sua quidem opinione, ut nubant, quàm ut in impuro uiuant cœlibatu: Canonicorum, & id genus alia collegia, quondam esse instituta, propter homines egenos: nunc autem eas facultates ab ijs plærumque

teneri,

teneri, qui satis alioquin habent ex patrimonio, neque rarò fieri, ut unus aliquis possideat quantum ad multos alendos satis esse posset: æquum ergò sibi uideri, ut in pauperum usus ea bona rursus accommodentur: qua tamen in re moderationē hanc adhibeant, ut usumfructum possessoribus permittant, donec è uita decedant, ne quis uidelicet querimonię causam habeat: Templorum ornamenta nō pertinere ad uerum Dei cultum, sed hoc esse Deo uehementer gratum, quandò miserorum subleuatur inopia: Christum adolescenti locupleti mandasse, non ut sua bona suspenderet in templo, sed ut uendita distribueret in pauperes: ordinem sacerdotum ab se minimè contemni, sed eos magni fieri, qui suum munus faciant & rectè doceant: reliqua uerò turba, quæ publicè nihil prodest, imò nocet, si paulatim & sine offensione minuatur, eorúmque bona pios in usus assumantur, non se dubitare, quin Deo sit illud officium longè gratissimum: an autem Deo sint acceptæ cantiones illorū atque preces, in dubium posse uocari: nam ex ipsis pleroſque non intelligere quid dicant, deinde, mercede cōductos illud facere: Confessio illa tacita, quę delicta recenset & enumerat, quanti sit æstimanda, in medio sese relinquere, sed illam, qua uerè pœnitentes cōfugiunt ad Christum intercessorem, arbitrari sese non utilem, modò sed necessariam quoque perturbatis & mole peccati depressis conscientijs: Genus illud satisfactionis usitatum & quęstuosum sacrificis, permultum habere tum erroris tum impietatis: hoc demum esse uerè pœnitere & satisfacere, si quis uitam emendet: monachorum ordines, inuentum esse humanum, non institutum Dei: sacramenta, quæ Deum habeant authorem, summa ueneratione sese prosequi, neque pati, ut quis ea contemnat: utendum autem illis iuxta uerbum atque præscriptum diuinum, & cœnam domini non eò transferendam esse, quasi uel oblatio sit aut sacrificium: Quòd si clerus ille, qui nuper missa legatione, querimoniam habuit, impedimentum ipsis illatum, uel errorem aliquem suum docere possit, non se recusare, quò minus illis satisfiat: sin minus, tum æquum sibi uideri, ut iubeantur officium facere, nimirum, ut uera doceant, & ab aliorum abstineant contumelijs: Quòd pontificiorum rapinas illas & expilationes & immoderatam potestatem aboleri cupiant, auditu sibi fuisse longè gratissimum: id autem nulla ratione posse fieri melius, quàm si uerbum Dei per omnia recipiatur: nam quoad leges illorum atque mandata ualebunt, nō esse quòd liberationem aliquis expectet;

ſola uerò prædicatione uerbi diuini dignitatẽ illorum omnem atque potentiam labefactari: quanta ſit enim euangelij uis atque ueritatis, illos uidere ſatis & intelligere, & quia ſuis uiribus diffidant, regum implorare ſubſidia: ſi nunc igitur hac quidem in parte ſcripturæ ſit utendum adminiculo, rem ipſam poſtulare, ut idem in alijs quoque rebus fiat, & ut ea, quibus offenditur Deus, abrogẽtur: quemadmodum uerò ſit ijs omnibus medendum, ad hoc libenter ſeſe non operam tantùm & conſilium, ſed fortunas etiam collaturos: iam olim enim hoc oportuiſſe fieri: Quòd cùm ità ſit, orare, ut iſta boni conſulant & diligenter ſecum expendant: ſe quidem nihil expetere uehementius, quàm ut pacem colant omnes: nihil quoque facturos contra leges atque pacta fœderis: in hac uerò cauſa, quæ ſempiternã ipſorum ſalutem contineat, non ſe poſſe aliter facere, niſi demonſtretur error: Itáque, ſicut nuper, ità nunc quoque uehementer ipſos orare, ſi doctrinam iſtam ſacris literis aduerſari putent, ut hoc intra certum tempus, nimirum ante finem Maij ſibi demonſtrent: nam eouſq; ſe reſponſum ab ipſis atque etiã ab epiſcopis & academia Baſilienſi uelle expectare. Conſtantienſis epiſcopus interim, habito conſilio, reſpondet Tigurinis, uti petierant, & cõſcripto libello hæc potiſſimùm agit. cuiuſmodi fuerint olim idola & ſimulacra, quomodo prophanæ gentes illa coluerint atque Iudæi, cur eccleſia receperit imagines atque ſtatuas, quo primùm tempore ſint introductę, quid aliarum gentium atque Iudęorũ idola differant à ſtatuis hominum Chriſtianę profeſſionis. Exitus hic eſt, ut dicat, ſcripturam, ubi ſtatuas & imagines remoueri iubet, loqui ſolùm de Iudęorum atque gentium idolis: itáque retinendas eſſe receptas ab eccleſia imagines.

Ab hoc, Miſſam tractat, & multis adhibitis pontificum atq; conciliorum teſtimonijs, oblationem & ſacrificium eſſe cõtendit. Hunc uerò librum, ità cõſcriptum, & ſic ſatis prolixum, mittit ſenatui ſub calendas Iunias, & ne uel imagines auferant, uel Miſſam abrogent, néue populum aliter doceri patiantur, multis grauibúſque uerbis hortatur. Librum deinde typis euulgari iubet, et cùm ad alios tùm ad canonicos etiam, uti uocant, Tigurinos mittit. Et quanquam iſta ſenatui ſint ſcripta priuatim, qui hoc ab ſe flagitarit, tamẽ, quòd alijs etiam in locis hac de re quæſtiones audiat atque ſimultates oriri, uoluiſſe dicit una eadémque opera cæteris etiam conſulere: ſequantur ergò receptam eccleſię conſuetudinem, nec ullius oratione diuerſum perſuaderi ſibi patiantur. Senatus ad ea reſpondet Auguſti men-

ſis die

sis die duodeuigesimo. Librum sibi diligenter esse lectum atq; relectum: quòd autem in lucem illum emiserit, lætari sese plurimùm: sic enim tuturum, ut utri iustiorem causam defendant, appareat. Posteà suorum hominum atq; doctorum sententiam explicant, et è scripturis contrariũ demonstrant. Sed prius quàm ei rescriberent, iam in urbe, & quàm latè patet ipsorum ditio, statuas omneis in uniuersum senatus auferri iusserat & flammis aboleri, uerúntamen sine turba, fuit hoc idibus Iunij. Mensibus deinde pòst aliquot, hi qui canonici uocantur, certis legibus cum senatu transigunt, & quomodo collegij facultates atq; bona debeant impendi, cõstituitur. Ad Spiræ conuentum, de quo dictum est, Cęsar misit Ioannem Haunartum, et questus edictum illud Vuormacience, quod communi ipsorũ consilio ac uoluntate factum sit, esse uiolatũ, maximo quidem Germaniæ detrimento, iubebat illud in posterũ magno studio seruari: principes ad ea respondent, se quantũ eius præstare possint, facturos. Tandem ad XVIII. diem Aprilis decretum fuit, ut de uoluntate Cęsaris, pontifex, in Germania primo quoq; tempore liberum concilium indicat, loco idoneo, ut ad Nouembris diem XI. Spiræ denuo conueniant ordines, deliberaturi quid sequi oporteat interea dum concilij fiat initium: ut principes, in sua quisq; prouincia, deligant uiros doctos atque bonos, qui ex Lutheri & aliorum libris colligant ea, de quibus putabunt posse disputari, quæ principibus exhibeant in proximo conuentu, quò facilior sit progressio, cum ad concilium erit deuentum: adhæc, ut interuentu magistratus ac diligentia purè doceatur euangelium & modestè, iuxta sensum & interpretationem scriptorum, quos ecclesia comprobarit: item, ne qui posthac libelli & picturę contumelioſæ prodeant: denicq;, ut ea, de quibus aulam Romanam et ecclesiasticũ ordinem nuper incusarunt principes, in proximo conuentu Spiræ, notione facta, definiantur. De concilio recepit Campegius, qui cum principes egerant, nunciaturum se pontifici, & diligenter quidem. principes erant hoc in conuentu, Ludouicus Palatinus, Gulielmus & Ludouicus, Bauari, Fridericus Palatinus, Casimirus Brandeburgicus, Treuirẽsis, Bambergicus, Vuirciburgẽsis, Tridentinus, Brixinensis, episcopi, & Albertus Brandeburgicus, Prussiæ Magister. Suprà diximus, quid senatus Argentinensis egerit cum urbis episcopo, qui sacerdotes aliquot Tabernas euocarat. Cùm autem illi nõ uenissent ad diem, episcopus, datis ad Campegiũ literis, queritur impediri se à senatu, quò minus exequi ius suum possit, &

illos mulctare, qui sacris legibus contemptis, facti essent mariti: deinde, sacerdotes in ordinem ciuium à senatu contra pontificias leges adoptari. Profectus tum Argentorato fuerat Noribergam Thomas Murnerus, Theologus Franciscanus, qui senatū grauiter ad cardinalem detulerat: cumq; reipublicę legati ad conuentum missi, purgandi sui causa uenissent ad Campegium, & reliquo sermone confecto, de episcopi querimonia cognouissent, senatū dicebant episcopo nullum hucusq; impedimentum intulisse, & ne nunc quidem eius esse propositi, imò claris uerbis illi nunciasse per literas, quicquid haberet actionis in sacerdotes maritos, iuri diuino consentaneum, per ipsos licere exequi, & adiumento quoque futuros in ea re: senatum uerò molestè ferre, quòd episcopus à pacto discedat: nam ità conuenisse, cùm iure uolet in aliquem ecclesiastici gregis experiri, ut hoc apud iudicem suum urbanum faciat: ùerùm ea conuentione neglecta, uocatos ab illo reos extra urbem: cumq; lege pactionis illi sese defenderent neque uenirent, damnatos esse non audita neque cognita causa: Iam uerò, si senatus permissu grauius quid in eos fieret, ad ius prouocantes, non dubium esse, quin populi sit ex eo fremitus atque tumultus exoriturus: Quòd autem sacerdotes in ordinem ciuium allegerint, pro ueteri more ciuitatis fieri: senatum etiam non ità pridem ab episcopo rogatum esse, ut ordinis ecclesiastici tutelam susciperet: hoc autem ea ratione consueuisse fieri, ut dictum sit. Ille contrà, perlectis literis & actione omni, quam episcopus ad se miserit, ità se reperire dicebat, quòd extra urbem euocati sint, non esse factum contra iuris ordinem, & eandem episcopi esse, quæ sit ipsius uicarij, potestatem: orare igitur, ut in plectendis illis, episcopo senatus adesse uelit. post multum sermonem, quo contendebant in urbe primaria reddendum esse ius, hoc præterea legati dicebant, ecclesiasticos Argentoratenses, magna sui parte, turpiter uiuere cum meretricibus, quas domi foueant, magna quidem cum offensione populi, pessimoq; exemplo, sed tamen summa cum impunitate, nec eo nomine quenquam adhuc esse mulctatum ab episcopo: si nunc ergò senatus ei permittat in istos animaduersionem, qui pontificiā modò legem non seruarint, illis autem, qui Dei præceptum uiolant, impunè scortari, & turpissima uitę exempla passim edere liceat, quis dubitet, quanto sit hoc ipsorū periculo futurū? Ille, quæ sint inter ipsos pacta, nescire se, facinus autem illorum esse compertum, nec opus esse multa disceptatione iuris, nam ipso facto iam esse proscriptos, & ab ecclesiæ

commu-

communione remotos: opem ergò ferendam episcopo: Quòd autem alij scortentur, & inhonestè uiuant, non ideò scelus istorũ expurgari: nõ rectè facere qui sic uiuant, episcopum quoq; negligere suum munus, qui hoc illis concedat: scire se, Germanię episcoporũ hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationẽ suis permittant: fore etiam, ut eius facti rationem aliquando reddant: sed tamen idcircò non istis licere matrimonium contrahere: & quòd sacerdotes fiant mariti, multò esse grauius peccatum, quàm si plurimas domi meretrices alant: nam illos habere persuasum, quasi rectè faciant, hos autem scire & peccatum agnoscere: nec enim omnes ea esse, qua fuit Baptista Ioannes, continentia: Nusquam reperiri, neq; documentum ullũ extare, quòd cœlibatum ipsis relinquere liceat: ne Græcos quidem, qui ritus habeant à nobis diuersos, hoc suis permittere: quapropter iterum orare, ut episcopo suam operam cõmunicent. Ad ea legati, si quidem episcopus omnium primò scortatores mulctet, tunc senatũ ei multò posse commodius adesse in ijs, quæ pòst legitimè sit facturus in alteros dicebant. Ille autem instabat rursus, ut episcopo primùm adsint: nisi scortationem ille puniat, se uenturum eò, pœnamq; sumpturum esse, pro cuiusq; merito. A conuentu Noribergico, Ferdinandus, Campegius, Salisburgensis, Bauari fratres, Tridentinus, Ratisbonẽsis episcopus, item Bambergici, Spirensis, Argentinensis, Augustani, Constantiensis, Basiliensis, Frisingensis, Passauiensis, Brixinensis episcoporum legati, Ratisbonæ conueniunt, & in hanc sententiã, Iulij die sexto statuunt. Quia Cæsar, Leonis decimi iudicium secutus atq; postulatum, edicto publico, Lutheri doctrinam, ut impiam, Vormaciæ condemnarit, et in conuentu Noribergico, tam superiori, quàm proximo, decretum sit, ut omnes ei pareant, quantùm omninò fieri possit, ideo se, poscente cardinali Campegio, qui plenam eius rei procurandæ potestatem habeat à pontifice, uelle atq; iubere, ut edictum illud, & nuper in comitijs facta decreta, per suos fines atq; ditionẽ seruentur: euangelium et alia sacra scripta doceantur in templis, iuxta ueterum interpretationem, qui uitæ puritate conspicui fuerunt, suamq; doctrinã summa uirtute per supplicia confirmarunt: qui uel damnatas iam olim hæreses uel aliquid docent, quod sit in Christum eiusq; matrem atq; diuos contumelioſum, uel quod seditioni causam dare possit, iuxta formulam edicti plectantur: ad docendi munus nemo recipiatur, nisi testimonium habeat & comprobationem episcopi: sed & illi qui iam docent, explorentur, nec occultis concionibus de-

tur uſpiam locus: quas de communi conſilio cardinalis Campegius conſcripſit leges eccleſiaſticas, tollendis uitijs & emendationi morum accommodatas, hæ, cum euulgatæ fuerint, ſeruentur: in ſacramentis atq; miſſa, cæteriſq; rebus nihil mutetur, ſed omnia fiant, ſicut à maioribus fieri conſueuit: qui delictorum omiſſa confeſsione & abſolutione, cœnam Domini percipiunt, qui diebus uetitis carnem & id genus aliam interdictam alimoniam edunt, item ordinis deſertores monachi ſeu monachę, deinde ſacerdotes, diaconi, ſubdiaconi mariti, mulctentur: typis nihil euulgetur, niſi de uoluntate magiſtratus: Lutheri cumprimis atq; ſociorum nihil quicquam exeat aut diuendatur: qui Vuittenbergæ dant literis operam, ſuæ ditionis homines, intra tertiũ menſem, ubi de facto decreto reſciuerint, domũ reuertantur, aut alió ſeſe conferant, ubi Lutheranum illud uirus locũ non habet: qui ſecus fecerint, beneficijs omnibus & hæreditate priuentur: eius academiæ ſectatoribus nullum conferatur ſacerdotium, neq; iuuentutis docendæ munus committatur: Et ut iſta ualeant, certi quidam homines ac idonei deligantur, qui ſtudioſè omnia perueſtigent, & locorum præfectos in eo adiuuent: ſontes cuſtodię mandentur, proq; merito puniantur: ex ijs, qui relegantur et in exilium ire iubentur, nullo prorſus loco perfugium habeant, quàm latè patent ipſorum omnium fines atq; ditio: ſi quis fortè motus atq; ſeditio, propter hoc decretũ, in alicuius finibus naſcetur, ſubſidio reliqui ſint, opemq; ferant, alter alteri, ſic tamen, ut quod quiſq; fœdus habet cum alijs, ei nihil hoc ipſo derogetur. Porrò, quòd è ſacerdotum uitioſis moribus originem habere Lutheranam hæreſim dicerent, ad emendandum eccleſiæ ſtatum, authore Campegio has ibi faciunt leges. uiuant honeſtè, ueſtiantur decorè, non negocientur, fugiant cauponas, non ſint auari, neque pro ſacrorum adminiſtratione pecuniam acerbè imperent: concubinarij remoueantur loco: feriarum numerus ſit moderatus.

Ea, quæ diximus, in Imperij comitio cupiebat ſancire Campegius: cùm autem id perficere non poſſet, alienatis quorundam animis à pontificatu, conuentum hunc ſeparatim egit. Lutherus, ubi cognouit Cæſarem & plæroſq; principes urgere decretum Vormacienſe, ſtatum Germaniæ deplorat, quæ toties admonita ſalutem ſuam negligat: ipſos etiam compellat principes, quòd tam apertè & nefariè decepti à pontificibus Romanis, dignitatem tamen illorum acerrimè propugnent, & in ſuam unius perniciem, qui cupiat ipſis optimè conſultum eſſe, moliantur: itáque propter hanc & ingrati-

tudinem

tudinem ſummam et pertinaciam inexcuſabilem, ait impendére Germaniæ horribilem aliquam tempeſtatem: monet etiam non temerè ſuſcipiendum eſſe bellum aut conferendam pecuniam aduerſus Turcam, qui conſilio & moderatione noſtros príncipes longè antecedat: his etiam moribus nullam nobis eſſe ſperandam uictoriam: ualde ridiculum & abſurdum eſſe, quòd Cæſar, qui nullum temporis momentum uitæ ſuæ poſsit adĵcere, profiteatur ſe fidei et eccleſię defenſorem: Angliæ quoq; regis, qui eundem titulum ſibi ſumat, conſimilem eſſe audaciam: orare ſe Deum, ut magiſtratum populo præficiat, ipſius gloriæ cupidum atq; ſtudioſum. Auream illam roſam, nuper ab ſe conſecratam, uti fieri conſueuit tribus hebdomadis ante paſcha, pontifex, uelut inſigne quoddam & indicium ſummæ beneuolentiæ, mittit Angliæ regi Henrico. Sub hoc ipſum tempus exĵt Eraſmi Roterodami libellus, de libero arbitrio: Lutherus ei contrario deinde ſcripto reſpondet, de ſeruo arbitrio. Vt argumentũ illud tractaret Eraſmus, authores ei fuerant Angliæ rex & cardinalis Eboracenſis, ut ipſemet in quadã ad cardinalem epiſtola fatetur, quæ typis eſt euulgata. His etiam diebus, Lotharingiæ Dux, Antonius, facto decreto, quoniã doctrina Lutheri damnata ſit à pontifice Romano & à Cæſare & à celeberrimis Academĵs, mandat ſuis, ne quis pro concione aliquid eius generis doceat: item, qui libros habent ullos à Luthero ſcriptos, intra certum diem exhibeant: ĵs qui non parebunt, pœnam conſtituit. Hoc anno, Henricus Zutphanienſis, propter euangelĵ doctrinam, miſerabili morte & magno cum cruciatu fuit interfectus apud Dietmarios, qui ſunt ad Germaniæ fines. Eò ſe tandem contulerat, uocatus, cum apud Bremenſes per bienniũ citer docuiſſet. Antea diximus de conuentu, qui menſe Nouembri futurus erat Spiræ: ſed id mutatum fuit, et Cæſar, ubi cognouit, datis ab Hiſpania literis, ad ordines Imperĵ, idibus Iulĵ, grauiter eos incuſat ob factum decretum. Etenim, cùm anteactis aliquot annis, in conuentu Vuormacienſi de communi omnium ordinum conſilio, grauiſsimis uerbis, Lutheri doctrinam, ut hæreticam atq; peſtilentem, damnarit, cùm etiam eius libros, à pontifice, legitima cognitione damnatos, incendi iuſſerit atque cremari, ualde ſibi mirum uideri dicit, & dolere etiam, quòd ipſi contumelioſos tantùm libros atque picturas infames diuendi prohibeant: quaſi uerò edictum illud Vuormacienſe non ſit rectè nec ordine perſcriptum: Amplius etiam eò ſe commoueri, quòd & concilium in Germania uelint haberi, &

Campegium legatum appellarint, ut ad pontificem ea de re scribat, quasi ea procuratio non magis ad pontificem aut ad se, quàm ad ipsos pertineat: Nam si Germaniæ tanti interesse putabant, cogi concilium, cur non ad se detulerint, quò uidelicet à pontifice hoc impetraret? Iam uerò, licet intelligat, quantum & pontificis & suæ etiam authoritati decedat & derogetur hoc ipsorum decreto, tamen, quòd inuicem cogitet ac secum expendat, rationem hanc non inutilem reipublicæ nec incommodam esse futuram, ideò se quoque concilium approbare, sic tamen, ut et pontificis interueniat authoritas, & tempore etiam atque loco fiat idoneo, sic ut ipse interesse possit, quod omninò constituerit: Quòd autem ad XI. Nouembris diem, conuentum alium indixerint, quo quidem in conuentu rationem inire uelint constituendæ religionis, ad tempus usque concilij: quòd etiam delectis aliquot uiris doctis & sacrorum peritis, iudicium de summa doctrinæ permittant, minimè omnium posse aut uelle se concedere, sed pro suo munere, quandóquidem sit ecclesiæ pontificiæ tutor atque patronus, modis omnibus decretum hoc improbare, ne uidelicet tùm Dei tùm pontificis iram aduersum se concitet: Quid enim in ecclesiam Christianam contumelioſius fieri possit, quàm si reuerentia summæ potestati debita, sic proijciatur? si Germania, quæ primam semper habuit pietatis & obsequentiæ laudem, tantam rem sola moliatur, quam nulli principes, ne pontifex quidem ipse Romanus audeat subire? uidelicet, ut eam religionem, quæ tot sæculis ualuit in orbe Christiano, repudient & aboleant: qua quidem à religione nemo unquam defecerit, quem non pro scelere ipsius graiter sit ultus Deus immortalis: unum modò repertum esse hoc quidem tempore Lutherum, qui sese opponat, et uerborum illecebris in fraudem homines ac insidias pertrahat, & existimationem uulgò sibi comparet: his etiam artibus usum fuisse aliquando Mahometũ, qui suo dogmate, reipublicæ Christianæ plus damni dederit, quàm ulla uis potuisset armorũ: eiusmodi autem errores, ubi sub specie ueri semel in animos hominum irrepserint, non facilè posse deinde reuelli: orare se Deum, ut Germaniam benignè respiciat, neque se uiuo tantum malum patiatur inundare: pareant igitur edicto Vormacienſi, nisi pœnam subire uelint, & actionem omnem religionis differant, dum & summi pontificis & suo etiam iussu concilium habeatur, qui sint ipsorum supremi magistratus. Ad eundem planè modum scribit etiam priuatim ad quosdam ordines, et in his ad senatum

Argenti-

Argentinensem, itaque decretum illud futuri conuentus, fuit antiquatum. Cæsar enim, Gallico bello distentus, dabat operam, ut pontificem sibi quacunque ratione demereretur. Per hanc æstatem, Carolus Borboniæ Dux, Connestablius Galliæ, qui anno superiori, partim sua sponte, partim à Cæsare solicitatus, defecerat, Massiliam obsidet, sed frustrà. Discedentem in Italiam, rex magna celeritate consequitur, & per Insubriam plærisque locis occupatis, ipsa etiam urbe Mediolano capta, sub hyemem obsidione cingit Papiam, ad Ticinum flumen, oppidum. Mense Nouembri, cœperunt à suo domino, Comite Lupfio, Sueuo, dissidere homines rusticani, propter onera, quibus grauari se nimiùm, querebantur: idem & alij deinde uicini faciebant, in suum quisq; magistratum, ità quidem, ut Imperij senatus, de quo suprà diximus, qui per absentiam Cæsaris, rempublicam procurabat, & tum erat Eslingæ, missis legatis controuersias aliquot sedaret: uerùm hic æstus non conquieuit, ut postea dicemus. & hoc quidem fuit initium maximi periculosissimique motus, qui magnam deinde Germaniæ partem peruasit. Quum Lutheri doctrina passim propagaretur, ecclesiastici magno conatu resistebant, ueriti, ne de suis bonis atque fortunis omnibus periclitarentur. Et Argentinenses quidem nonnulli, grauiter ad Imperij præfectos querebantur, quòd ipsorum immunitatem ac priuilegia senatus non uno modo uiolaret, quòd sacerdotes atq; monachos maritos, Capitonem, Bucerum & alios ecclesijs præficerent, quòd integram percipperent cœnam domini, quòd statuas è templis tumultuosè eijcerent,

His ergò de rebus, Imperij præfecti, qui tum erant Eslingæ, primi nominis, Fridericus Palatinus & Philippus Badensis, Ianuario mense datis literis, monent senatum, ut ab incepto desistant & omnia suo loco restituant. Ex Heluetijs nonnulli, Schafusiani cumprimis & Basilienses, ubi tum Ioannes Oecolampadius docebat, sensim remittebant aliquid de offensione: cæteri uerò, præsertim Lucernates, Vrani, Suitēses, Vnterualdij, Tugiani, Friburgenses, nulla ratione poterant placari. Et cùm Turegię præfectus, quam ad regionem Tigurū pertinet, sacerdotem quendā, de nocte comprehensum abduceret, ac ille concitato clamore fidem auxiliūq; uicinorū imploraret, natus est repentinus tumultus, uti fieri cōsueuit, et dato signo per agros, ad arma discurrunt omnes. factū hoc ad iniuriam suam pertinere Tigurini dicebant, eò quòd in ipsorū ditione captus esset ille: cumq; multis alioquin adficerentur probris, quarta Ianuarij die, datis literis ad omneis confœderatos atq; socios, Christus, inquiunt, unā ferienti maxillam M. D. XXV.

iubet alteram quoque præberi feriendam: hanc eius doctrinam secuti, multa profectò tolerauimus, & patienter quidem: nunc autem quandò nullus est iniuriarum finis aut modus, cogimur ad illud confugere, quod Christus usurpauit, &, si malè quid egimus, doceri petimus illud atque demonstrari. Certè, quia tantam sustinemus inuidiam, & passim apud omneis traducimur, ipsa res postulat, & responsionem à nobis extorquet. Explicabimus igitur huius odij causam, & refutabimus criminationes, & quomodo simus erga patriam cõmunem affecti, docebimus. Ac primò quidem, cùm Galliæ rex Franciscus diu multúmque de fœdere solicitasset, & uestram in eo consensionem obtinuisset, nos, licet interpellati sæpius à uobis, recusauimus illud facere, quum alijs de causis, tum inprimis, quòd ea ratio nobis minimè placeret. subministrare uidelicet copias & militem nostrum alijs, ut mercede conducti, bello persequantur eos, à quibus nunquam læsi fuerunt, introducere mali rem exempli, & ad ocium illos assuefacere, qui si militiæ perirent, uxores atque liberos in extremam essent coniecturi miseriam: indignum enim esse putauimus, maximo nostro cum dispendio seruire cupiditati regis, & nostræ ditionis homines illi propè mancipare: Libertatem igitur illam & corporis & fortunarum, quam nostri maiores, uirtute summa cruentisque manibus nobis pararunt, simili uirtute constantiáque retinendam nobis esse iudicauimus. Hęc autem res, omnis offensionis causa nobis esse uidetur & fons & origo: nam si fœdus esset à nobis comprobatum, nullam fuisse putamus orituram simultatem. Etenim à uobis interpellati subinde, ne secessionem faceremus, quid esset nostræ mentis, ostendimus. nimirum, uelle nos amicitiam colere cum rege iuxta formulam pacis, iam antea constitutæ: deinde, seruaturos esse leges pactaq; fœderis, inter nos olim initi, pro communis patriæ defensione atq; salute. Et quoniam in eo permansimus, aliunde nobis est conflatum odium. Post exortam enim euangelij lucem, onus illud, quod nobis idiotis pontifex ac ipsius clientela grauissimum imposuerat, excussimus, & errores manifestos antiquauimus.

Hanc occasionem nonnulli uestrum nuper arripuerunt, & per legatos à nobis, ut ad sanitatem reuerteremur, postularunt: nos autem ad illud, ut antea non semel, ità tunc quoq; respondimus. agere nos ex præscripto uerbi diuini: si quis errorem nobis ullum demonstrare possit, mutaturos propositum: sin minus, æquũ esse profectò, ut Deo magis quàm hominibus obtemperetur. Ibi tum consurgens Eglius

Lucer-

Lucernæ præfectus, niſi Lutheri ſectam atq; Zuinglij repudiemus, fore dicebat, ut Lucernates, Vrani, Suitenſes, Vnterualdij, Tugiani, Friburgenſes nolint in cõuentibus aſſidere nobis deinceps. Neq; multò pòſt, quàm hoc inter ſe lege cõfirmaſſent, Turegię prę fectus, uerbi miniſtrum, Ioannem Oxlinum, noctu comprehenſum domi ſuę, captiuum abduxit. qua quidẽ in re duplex nobis eſt iniuria facta. primùm, quod noſtræ ditionis non homo tantùm, ſed termini quoque uiolati ſunt: deinde, quòd, cùm ad clamorem illius undique multi confluerent armati, &, ut in eiuſmodi turbis fieri conſueuit, multa facerent inſolenter, in noſtros homines, qui promiſcuè cum illis euo lauerant, adeóque in nos omnis huius facti confertur inuidia. Iam, altera illa criminatio quæ nobis obijcitur, originem habet ex eo conuentu, quem Ferdinandus Auſtriæ princeps egit anno ſuperiori, Ratisbonæ, cum ſuæ ditionis præfectis, item epiſcopis & id genus alijs, qui puram doctrinam ferre non poſſunt. Quid autem illi iampridem moliantur & agant, non eſt obſcurum. hoc uidelicet, ut diſſidium inter nos excitent, & alteros ab alteris diuellant. Quò magis etiam nobis dolet, quòd ijs fidem habetis: nam ſunt in ipſis nonnulli, quos aliquandò, uelut homines nequam & improbos notaſtis, quos etiam nos, ipſorum intellectis dolis ac inſidijs, è finibus noſtris exire iuſſimus. hi ſcilicet ipſi, quandò ſuis technis occluſas inuenerunt noſtras aures, ad uos tranſierunt, & nos hodie criminantur, quaſi cum Auſtriaca domo factum & ſuſceptum aliquandò fœdus, uiolatum ſit à nobis. Aiunt nos Vualſutenſibus uicinis contra principem ſuum Ferdinandũ auxilia dediſſe: ſed id falſum eſt. Cùm enim ob religionis profeſſionem eſſent in diſcrimine Vualſutenſes, nec ad dicendam cauſam admitterentur, è noſtris aliquot, ſua ſponte, nobis inſcijs, eò tranſcurrerunt, ut uim & iniuriam ab inſontibus depellerent: nos autem certiores de eo facti, ſtatim eos reuocauimus. lacet igitur illorum criminationis caput. Si uerò præterea quid habet Ferdinandus princeps, quò fœdus illud uiolatum eſſe uideri poſſit, adducat in medium. ſic enim reſpondebitur, ut utra pars in officio permanſerit, liquidũ ſit unicuique futurum. Quòd igitur cum Ferdinandicis priuatim egiſtis, à colloquio remotis noſtris legatis, hoc ſanè pro eo ac decet, ualdè miramur. Etenim, ſi de uetuſto fœdere tractatum ibi fuit, æquum erat profectò, nos etiam admitti: ſi uerò de religione, cur non ijs conditionibus agitis nobiſcum, quas iam ſubinde uobis obtulimus? Rumor increbuit, coniuraſſe uos in

perniciem sectæ Lutheranæ: quod etiámsi uerùm esset, tamen, quia sumus tàm illi quàm uobis fœdere coniuncti, deinde, quia non Lutheri, sed sacræ scripturæ uestigia sequimur, non oportuit nos in eo numero censeri. Sed quia nescimus, quid sit inter uos actum, & uerò delati sumus à maleuolis, quasi ciuitates aliquot, uobis insciis, de conferendis auxilijs interpellatæ sint à nobis: profitemur hanc esse meram calumniam. Eiusdem generis est illud, quod aiunt dato signo uelle nos ad arma suo tempore homines conuocare, Badenam & alia quædam inuadere. nimirum hæc eò spectant & excogitantur ab illis, ut uos, ijs occupatis oppidis, præsidium aduersus nos imponatis: quod si fieret, non dubitant, quin maior aliquis ex eo sit oriturus motus atque turba, quę bellum inter nos domesticum inflammet atque ciuile. Multæ præterea sunt in nos confictæ calumniæ, in quibus etiã hæc est una, nos docere, quasi Maria Christi mater plures habuerit filios, quasi minor Iacobus apostolus mortem pro nobis obierit, nõ ipse Christus. Hæc & id genus alia quædã eramus Lucernæ refutaturi, sed à uobis prohibiti fuerunt nostri homines, ne ad populũ uerba facerent. Cùm etiam Eccius nunciaret, se uelle Zuinglio suos errores demonstrare, gauisi profectò fuimus, & non ei tantùm sed alijs etiam publica fide diligenter cauimus, hortati magnopere ut ueniret, & omnem ei beneuolentiam polliciti. Magnam insuper offensionem nobis peperit, ut quidem audimus, imaginum & statuarum abolitio: sed eius rei iam ante causam & rationẽ explicauimus. Cùm igitur aduersus pacta fœderisque leges nihil sit à nobis admissum, cùm pro communis patrię salute nullum recusemus periculũ, & uos omneis ea complectamur charitate, qua semper, modò per uos nobis liceat, cur patimur hanc inter nos fieri diuulsionem? Notum est, cuiusmodi fuerit maiorum aliquot nostrorum cõditio, qui suis contenti finibus, & duro labore sibi familiæq; uictum parantes, indigna seruitute premebantur à nobilitate: sed benignè respexit illos Deus. nam profligatis tyrannis libertatem sibi cõpararunt, & aucti facultatibus eorum quos eiecerant, fœdere sese munierunt, cuius præsidio uim omnem externam fortiter à suis finibus depulerunt, & de hostibus non semel triumpharunt: multi enim societatem illam infringere conati sunt atque dissoluere, sed frustrà. Quid autem à maioribus nostris, in ea temporum difficultate sit collatũ opis atque subsidij, memoria uos tenere nihil dubitamus. Et hoc quidem paucis dictum esse uolumus de fœderis nostri primordio: Quæ uerò fue-

rò fuerit ab eo tempore diligentia, fides atque ſtudium noſtrum in amplificanda communis patriæ dignitate, non opus arbitramur eſſe commemorare: certè, quę fuit ad hoc uſque tempus, eadē nunc quoque nobis eſt mens atq; uoluntas. Quòd cùm ita ſit, ualde nobis dolet, uos, aliorum impulſu, qui ſua modò compendia quærunt, ſic erga nos exacerbari. Cogitate potius in animis ueſtris, quæ fuerit ſemper inter nos amicitia, quandò diuerſis in locis, tam domi quàm foris, eandem belli fortunam ſubiuimus, & multa præclarè fecimus. Profectò, huius rei memoria non modò nos, uerumetiam nepotes noſtros arctiſſima neceſſitudine copulare debet. Si cauſa religionis aut quoduis aliud noſtrum factum uos offendit, cur non amicè rem agimus inter nos atque diſceptamus, ut ſocios & confœderatos & fraterno quodam uinculo coniunctos decet? Non erimus uel moroſi uel intractabiles uel obſtinati, ſed meliora docenti libenter obtemperabimus, ut ſæpe à nobis auditum eſt. Quia uerò puræ doctrinæ profeſſio, & fœderis Gallici repudiatio, & multæ præterea in nos excogitatæ calumniæ, ueſtros à nobis animos alienarunt, & priſtinam uoluntatem immutarunt, neceſſariò nobis hæc ſcribenda fuerunt, honoris & exiſtimationis noſtrę tuendę cauſa. Niſi enim, quod iam ſæpe dictum eſt, ſacra ſcriptura duce nobis demonſtretur error, non poſſumus ab eis, quæ de religione fecimus, decretis abſcedere, quæcunque tandem uis eo nomine intentabitur. Senatus Argentinenſis, ad præfectorū Imperij literas Idibus Februarij reſpondens, omnia diluit, & accuſatores numero treis, aliorum nomen atque ſocietatem falſò ait obducere, nec eſſe quenquam alium, his exceptis, qui litem moueat, eos autem eſſe homines irrequietæ mentis, qui pridem ab urbe exceſſerint, ut turbas concitent: à ſe nihil eſſe factum, quod non iure liceat: & maioris in urbe uitandi motus cauſa, non potuiſſe populo non permittere doctrinam euangelij, quæ nunc indies magis atque magis pateſiat: Orare igitur, ne delatoribus illis fidem habeant, & de ſe ità ſtatuant, ut æquum eſt de ijs, qui maiorum exemplo, ſuas cogitationes omneis ad concordiam & Imperij commoda referant. Concionatores etiam & eccleſiæ miniſtri, quos illi detulerant, ut antè diximus, eodem tempore, oratione prolixa reſpondent, & doctrinæ factiq; ſui rationem ad eoſdē præfectos explicant, & quia iuri diuino nihil admiſerint contrarium, ne maleuolis credant, néue quid, niſi re tota cognita, ſtatuant, uehementer petunt. Ardebat tunc in Inſubria bellum Cæſaris cum Galliæ rege

Franciſco, qui profectus eò, ſicut antè dixi, cùm per hyemẽ obſediſſet Papiam, ſub exitũ Februarij, commiſſo prælio, captus fuit, & in Hiſpaniam ad Cæſarem abductus. Hoc in bello tandem Clemens pontifex occultè partium erat Gallicarum, ſed commutata fortuna, Cæſarianis ducibus magnam pecunię uim in ſtipendia militũ dependit. Papiam defendebat Antonius Læua, Germanorũ ac Hiſpanorum preſidio. Rex ingẽtes habebat copias, ità quidẽ, ut Cęſariani, re propè deſperata per Inſubriam, de ſeruanda Neapoli, & illuc traducendo cogitarent exercitu: ſed Ferdinandi Dauali Piſcarij oratione confirmati, prælio decernunt, & hoſte conciſo, potentiſſimóque rege capto, glorioſam uictoriam & opima ſpolia ſunt conſecuti. Summæ rerum præerat Carolus Lanoius, Belga. Is, cùm initio prę ſe ferret, quaſi Neapolim eſſet abducturus regem, prouectus in altũ, mutato curſu, contendit in Hiſpanias, ut tantò eſſet expeditior pacificandi ratio. huius prælij dies incidit in natalem Cæſaris, uigeſimũ quartum Februarij diem. Paulò antè diximus de ruſticorum ſeditione ſedata, ſed huius anni uere primo, per Sueuiam atque uicinam Germaniæ partem, quæ eſt ad Danubium, altera fuit exorta tempeſtas ordinis plebeij contra quoſdam proceres eccleſiaſticos, iámq; iureiurando ac fide data ſocietatem coibant, obducta cauſa, quaſi & euangelij doctrinam tueri, & ſeruitutem ab ſe profligare uellent. Magiſtratus quidem cognoſcere de querimoñs ipſorum, &, quod iniquũ eſſet, emendare ſe uelle dicebat, uerùm illi perſeuerabant & augeſcebant indies, neque tamen in aciem prodibant, ſed certis diebus, per occaſionem nuptiarũ & id genus conuiuiorum ſubinde conueniebant. Et hoc ipſo tempore fuerunt euulgata quædam ipſorũ poſtulata, numero ad XII. de quibus à magiſtratu ſibi fieri ſatis uolebant, ut libro ſequenti docebimus: ea mox alijs cõmunicata, paſſim nouos incendebant motus. Dùm hæc ità geruntur, Vlrichus princeps Vuirtembergicus, quẽ annis aliquot anteà finibus eiecerãt Sueuicæ confœderationis ſocij, ut infrà ſuo loco dicetur, Heluetiorũ aliquot millia cogit, ut ſua recuperaret, et pręter alia, Stutgardiæ ſuburbium capit, in eóq; caſtra ponit, ut oppidum etiã occuparet: cùm autẽ Sueuici fœderis ordines, & Ferdinandi quoq; regis præfecti, qui regionem illam tenebat, copias cõſcriberent, & occultè milites atq; duces ad defectionẽ ſolicitarentur, pecunia quoq; nõ ſuppeteret, deſertus, ab incepto deſtitit. Interea multùm creuerat ruſticanorũ exercitus, & Sueui, quos diximus, confœderati, repulſo Vuirtembergico,

receptíſq;

receptíſq; oppidis, quæ ille cœperat, Vlmam cũ copijs tendunt in íl los, qui tũc primùm & ipſi prodeunt in aciẽ, tripartito exercitu. unũ agmen conſedit prope Biberacũ, alterũ in Algouia, tertiũ ad lacum Brigantinũ ſeu Conſtantienſem. Cùm autẽ interceſſione Rauesburgenſium & Campodunenſiũ, ex ruſticanis nonnulli duces, Vlmam, fide publica ueniſſent, dierũ aliquot pactæ fuerunt inducíæ, uerùm nõ ſeruatæ. cuius quidẽ rei culpam utrinq; alij in alios conferebant. itáq; cœptum eſt hoſtiliter agi. Senatus autẽ Imperij, cùm uulgò tumultũ excitari uideret, de periculo ſolicitus, ad Sueuici fœderis cõſiliarios delectos, Vlmam legatos de pace mittit, Simonẽ Piſtorium, qui Georgij Saxoniæ principis loco, Iacobũ Sturmium, uirum nobilem, et patriciũ Argentinenſem, qui ſuę ciuitatis nomine tùm eius erat ſenatus, ac miſſo diplomate, titulo Cęſaris, ut ab armis abſtineretur utrinq;, graui de more conſtituta pœna, denunciat. Legati ſuper inducijs agunt initiò, ſed id fruſtrà fuit, quòd ruſticanos illi dicerẽt, uiolatis inducijs, gerendi belli cauſam dediſſe: uerúntamẽ interuentu Sueuiæ ciuitatũ aliquot, in quibus erãt Conſtantia, Meminga, Campodunum, Biberacũ, ex ruſticanis primi duces, Aprilis die ſecunda, rurſus Vlmã ueniunt. ijs legati ſenatus Imperij mandatũ exhibent, et pacis cauſa tractandæ ſe ueniſſe demonſtrãt. Illi, quoniã de pace nihil agi poſſit atq; conſtitui, niſi factis primùm inducijs, ideò ſe ueniſſe dicunt, ut, quę ſit aduerſarię partis in eo mens atq; uoluntas, intelligãt: cùm autẽ impetrari nõ poſſent inducię, et ad uim omnia ſpectarẽt, illi poſtridie ad caſtra reuertũtur, eodémq; die cohortes aliquot equitũ & peditũ Vlma profectę Elchingũ, quod eſt infra Vlmã, ad Danubiũ, ex ruſticanis cæſ plurimos interficiunt, multos etiã in urbẽ captiuos adducũt. Deinde Sueuici fœderis Imperator, Georgius Truceſius Vualpurgus, cũ ſuis copijs Lippeniũ profectus, quod eſt duobus infra Vlmam milliaribus oppidulũ, proxime Danubiũ, ubi magno numero illi conſederant, non expectatis peditũ turmis neq; tormẽtis, et equitũ inuectus caterua, magnã eorum partẽ cõcidit: reliqui ſe in flumen pręcipitauerũt, atq; ibi oppreſſi perierunt: oppidũ deditione captũ diripitur, et ex hoſtibus multi capite plectũtur. Ea parta uictoria, cùm in reliquos etiam cõtendere uellet Truceſius, pedites, quibus pręerat Gulielmus Furſtembergius, ſigna proferre nolebant, et quaſi pręlio dimicaſſent, ſtipendiũ ſibi dari poſtulabãt. ea re per dies aliquot diſceptata, cùm neq; prælium illud fuiſſe, & in fugã illos abijſſe prius, cæſ ipſi uenirent, diceretur, tandem fuit tranſactum.

Hi quos antea dixi, Sueuiæ ciuitatum interceſſores, de inducijs iterum agebant: confœderati autem, cum illis, qui nuper eas uiolaſſent, nihil paciſci uolebant: cum reliquis non detrectabant, qui per Algouiam erant uiciniſque locis: hi uerò parem eſſe uolebant omnium conditionem, itáque copias coniungunt. Inducíarum ergò mentione reiecta, confœderati, ſenatus Imperij atque etiam ciuitatum legatis interceſſoribus demonſtrant, ſi quas haberẽt de ſumma rei, déque concilianda pace rationes, ut eas proponant. Re diu multúmq; agitata, cùm in ſententia fœderati perſiſterent, & prælij committendi cauſa, caſtra promouerent, illi partim fuga dilapſi, partim deditione facta, ſeſe ipſorum uoluntati permittunt, ad Idus Aprileis, & ſigna tradunt. Interim, in diuerſa parte Sueuiæ, circa Halam, & per Franconiam, ingenti numero alij confluxerant. ij decima ſexta die Aprilis, qui tum erat Paſchæ dies, Vuinſpergum oppidum occupant, nobiles aliquot præſidiarios in eo, partim capiunt, partim cædunt: ex captiuis Ludouicum comitem Helfeſtenum & alios, militari quidem ſed crudeliſſimo ſupplicij genere necant, & haſtis utrinque proiectis confodiunt. qua quidem in re tantò plus erat ſceleris & inhumanitatis, quòd illius quoque coniugem, Maximiliani Cæſaris filiam notham, cum iniuria reijcerent, quæ paruulum infantem ulnis geſtabat, & ad ipſorum proiecta pedes, lachrymarum ui maxima profuſa, totiúſque corporis habitu miſerabili, maritum ſibi, ac filiolo parentem donari petebat. Poſthęc, copias diuidunt: unum agmen tendebat in agrum Vuirtembergicum, & ibi plæriſque locis occupatis, Eslingam rectà petit. Senatus Imperij, cùm per Iacobum Sturmium et Mangoltum iureconſultum, legatos, fruſtrà cum ipſis egiſſet de pace, Vlmam inde migrauit. Is autem, quem dixi, Sueuici fœderis Imperator, Truceſius, deditione receptis illis, qui per agrũ Vlmenſem & Algouiam & ad lacum Brigantinum conſederant, ut antè docuimus, rectà contendit ad iſtos, & profligat, interfectis aliquot millibus: in captiuos etiam grauiter animaduertit, eos potiſſimum, qui comitem Helfeſtenum trucidarant, ex ijſq; unum cathena laxè religatũ ad palum, ut diſcurreret, circumpoſito igni, torret, ad eúmq; excitandum ignem ipſemet ligna comportat: idem alij ex nobilitate faciunt, pòſt, oppidum Vuinſpergum incendit, &, ne rurſus ædificaretur, edicit. Alterum agmen in Franconiam ibat, & incenſis illic circiter ducentis arcibus, nobilium ædificijs & monaſterijs, eóque amplius, Vuirciburgum urbem capiunt, & arcem obſident.

sident. Trucesius autem ex agro Vuirtembergico superueniens, ad Engelstatum uicũ eos concidit et in fugã conjcit, pòst, Vuirciburgum recipit, arcẽ obsidione liberat, & multos capite plectit, adiutus à Ludouico principe Palatino, qui & ipse aderat. Incendium hoc in uicinã quoq; Lotharingiam ex Germania peruénit, & Antonius quidem eius regionis princeps, fratre suo Claudio Guisio inter alios comitatus, qui Gallici exercitus reliquias, pugna Papiensi, quandò rex captus fuit, dissipatas, collegerat, Tabernas usque progreditur, quo loco tàm Lotharingici quàm Alsatici maximo numero conuenerant. Et cùm aliquot insuper rusticanorum millia his auxilio uenirent: ille, copijs aliquot equitum peditúmque missis, prope uicum Lupfstenum, ad mille quingentos occidit, reliquis fuga dilapsis, & postridie in eos, qui circa Tabernas erant, ingentẽ edit stragem. quatamen in re fides desiderata fuit. Nam iussi deponere arma, & impunitate promissa, cùm per medias equitum & peditum cohortes prodirent inermes, domum quisque suam redituri, leui quadã occasione concitata turba, cæsi fuerunt magna sui parte: pòst, à furente milite direptum est oppidum, & arx episcopi, ciues etiam & promiscuè omnes interfecti, nullo discrimine. Ea facta strage, cùm princeps domum rediret, alter rusticorũ exercitus ad uallis Vuileræ fauces consederat, ut transitu ipsum prohiberent, sed commisso prælio cæsi fuerunt supra millia quatuor: In eo conflictu Comitẽ Iseburgium desiderauit, itáq; maxima cum præda plurimíque captiuis domũ reuertit. his tribus autem locis, uti diximus ad XVIII millia putantur esse cæsa. fuit hoc mense Maio. Consimilis fuit passim aliorum etiã exitus, et ad Petershemum agri Vuormaciensis oppidum, magno numero fuerũt à militibus occisi, quum facta deditione arma deposuissent. Aderant huic cædi princeps Palatinus, & archiepiscopus Treuirensis Richardus: quorum ille quidẽ magna ui conabatur furentẽ militem retinere, hic autem non solùm probasse, uerumetiam multos ipse confodisse fertur. Quibusdam tamen in locis, dexteritate magistratus & intercessorum, placidè res composita fuit. & per Brisgoiam orta seditione, cùm præcipuũ ijs locis oppidum, Friburgum occupassent, Ernestus Marchio Badensis, qui magnas ibi possessiones haberet, Argentoratum profugit, & senatũ orat, ut intercedant. proinde legati mittuntur Iacobus Sturmius, Cõradus Iohamus: eorũ hortatu atq; sermone persuasi, cùm à Basiliensibus quoq; legati uenissent & ab alijs quibusdam, domũ illi reuertũtur, cùm iam

prope Laram, quatuor ab Argentorato milliaribus, conſediſſent. Baſileæ demùm, à multa diſceptatione XXV Iulij die, tranſactũ fuit: ſed non planè ſeruata fides, multis, ubi domum rediſſent, poſtea capite mulctatis. Exortam quoque rebellionem in Sontgauia, Ferdinandi regis & Auſtriacæ ditionis prouincia, uicini Heluetij magno ſtudio ſedabant, & quid utrinque fieri æquum eſſet, tàm à magiſtratu, quàm à plebe, demonſtrabant. Omnium autẽ ubiuis eadẽ erant propemodum poſtulata. quæ cùm à Sueuicis originem haberent, ad alios è ueſtigio dimanauerant, ut ſuprà diximus. Hoc igitur incendiũ, inde à Turingia & Saxoniæ finibus, ut infrà docebimus, ad alpes uſque penetrauit, per Salisburgenſem etiam agrum excitata demum ſeditione. Rebus autem per Franconiam & Sueuiam pacatis, exercitus quoque Sueuici fœderis eò contendit, multis oppreſſis atque proſcriptis. quo in numero fuit dux illorum Geiſmeierus, qui cum parte copiarum, per alpes & tramites inacceſſos penetrauit ad Venetos, ab ijſque ſtipendio donatus annuo, Patauij tandẽ, ubi domicilium habebat, proditione fuit & ex inſidijs interfectus. Et hic quidem eſt exitus belli ruſticani, quod à paruis initijs ortum, in tantam ſe diffudit amplitudinem. nam ad omneis ferè Germaniæ partes hæc contagio peruaſit. nec ruri tantùm, ſed in ipſis etiam urbibus multa ſeditioſè fiebant: & Coloniæ quidem totum ferè menſem armati ciues quotidie tributim cõueniebant, ne nocturno quidem intermiſſo tempore, déque opprimendo non ſolùm ordine eccleſiaſtico, uerumetiam ſenatu conſilia inibant. ſedata res tamen fuit abſque ſanguine, ac multis deinde pòſt menſibus, unius et alterius ſupplicio malum hoc fuit expiatum. De numero cæſorũ in hoc bello, quod æſtate fuit una confectum, non idem omnes iudicant: qui minimum, ad quinquaginta millia paſſim occubuiſſe ferunt. Sueuicum illud fœdus, de quo ſubinde fit mentio, multò antè factum fuit, initiò quidem in annos octo, deinde treis, pòſt, duodecim, inde decem: Anno uerò ſalutis humanæ ſupra milleſimum quingenteſimum uigeſimo ſecundo, renouatum fuit in annos undecim, paulò antè, quàm Cæſar in Hiſpaniam rediret. Huius autem fœderis erant, Cæſar, ut Auſtriæ princeps, pòſt etiã Ferdinandus frater, nuper Vuirtembergici agri principatum adeptus, item Moguntinus, Palatinus, Salisburgẽſis, Bambergicus, Vurciburgenſis, Aiſtetenſis, Auguſtanus, epiſcopi. Gulielmus & Ludouicus fratres, Bauariæ principes, Otho Henricus & Philippus Palatini, fratres, Georgius Brandeburgicus et Albertus

bertus è fratre nepos, Philippus Hassię Lantgrauius, multi pręterea uiri nobiles & ecclesiastici. dein Sueuiæ ciuitates pleræq; omnes, & in his etiam Noriberga. Sub Idus Aprilis, Tiguri fuit in Heluetijs abrogata Missa, mandatu senatus, tàm in urbe, quàm foris per ipsorum fines, in eiusque locum fuit instituta cœna domini: ceremonijs etiam omnibus antiquatis, lectio prophetarum & precatio atque doctrina uerbi succedit, & promulgata lege, scortatio prohibetur & adulterium, & iudices constituuntur, qui de causis matrimonij cognoscant.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber V.

HVIC TANTO TANQVE FORMIDABILI BELLO causam quoque dederunt importuni quidam concionatores. in quibus erat primi nominis Thomas Muncerus, de quo suprà diximus, qui tandē omissa euangelij prædicatione, nouum quoddam doctrinę genus proposuit. Est oppidum Alstetum, ad fines Turingię, ditionis electoris Saxoniæ principis. Huc ubi commigrauit ille, cœpit docere primùm, non solum aduersus pontificem Romanum, sed ipsum quoque Lutherum: utriusque doctrinam esse uitiosam & impuram: pontificem nimiùm duris legibus atque uinculis alligasse hominum mentes: Lutherum soluisse quidem ea uincula, sed in partem contrariam peccare, nimiúmque indulgere, nec ea tradere quæ sint spiritus: licere autem pontificis decreta negligere, quòd ad salutem nihil conferant. eam autem ut consequamur, aiebat omnium primò fugienda esse manifesta flagitia, cædem, adulterium, contumeliam nominis diuini, castigandum esse corpus & macerandum ieiunijs ac uestitu simplici, componēdum esse uultum ad austeritatem, rarò loquendum, & alendam barbam. Hæc, & id genus alia uocabat crucem & carnis mortificationem atque disciplinam. Ad hunc modum instructis atque paratis dicebat aliquò semigrandum extra turbam hominúmque frequentiam, ac sæpius cogitandum de Deo, qui sit, an nostri curam aliquā gerat, an Christus

mortem noſtri cauſa pertulerit,an religio noſtra ſit præferenda? ut
cicę: poſtulandum etiam à Deo ſignum,quo teſtetur nos ipſi eſſe cu-
ræ,& religioni uerę inſiſtere: quòd ſi non è ueſtigio ſignum aliquod
edat, nihilo tamen minus progrediendum,& inſtandum eſſe preci-
bus, imò grauiter expoſtulandum, quaſi minus rectè nobiſcũ agat:
quum enim ſcriptura promittat,eum uelle quæ petuntur,largiri,nõ
iuſtè fieri, quòd homini ueram ipſius cognitionem petenti nullum
exhibeat ſignum: hanc expoſtulationem & iram aiebat uehementer
gratam eſſe Deo, quòd animi noſtri propenſionem & ardorem ex
eo perſpiceret: neq; dubiũ eſſe,quin ad eum modũ ſolicitatus,aliquo
ſigno conſpicuo ſeſe declaret, animíque ſitim reſtinguat, & nobiſcũ
agat,ut quondam cum patribus: hoc etiã docebat,patefacere Deum
per ſomnia uoluntatẽ ſuam, in ijſq; propoſiti ſui fundamentum col-
locabat,& cuius fortè ſomnium explicari poterat,hunc magnis lau-
díbus pro concione celebrabat. Cúmq; hac ratione ſibi multos con-
ciliaſſet, paulatim ad illud, quod iampridem conabatur, acceſſit,&
in eo,quod ſuprà diximus oppido,cœpit eorum nomina conſcribe-
re,qui facta ſocietate per iuſiurandum promittebant auxilia, quò ui
delicet impijs interfectis noui ſubſtituerẽtur principes ac magiſtra-
tus. nam à Deo ſibi mandatum eſſe profitebatur,ut ſublatis illis con
ſtitueret nouos. Quandiu de ſomnijs et id genus alijs rebus loque-
retur,tolerauerat eum Saxonię princeps,Fridericus,preſertim,cùm
Lutherus etiam per literas intercederet: uerùm ubi ſeditioſè concio-
nari cœpit, eiectus fuit è finibus, & menſes aliquot deliteſcens, No-
ribergam uenit: illinc etiam paulò pòſt extruſus, Mulhuſium ſeſe
contulit,oppidum Turingiæ. Nam Alſteti cum eſſet, ciues aliquot
Mulhuſianos ad ſe pellexerat, quorum opera deinde conſecutus eſt
ibi docendi munus: & quia ſenatui minus erat acceptus, effecit, ut
tumultuante plebe nouus ibi crearetur magiſtratus. fuit hoc initiũ
turbæ: poſthæc,oppidani monachos eijciunt, eorúmque domicilia
inuadunt: ex ijs prę cipuum ac longè ditiſſimum obuenit Muncero,
qui iam non ſolùm eccleſiaſten agebat,ſed ſenatorem etiam. Ex reue-
lationibus enim diuinis iudicandum eſſe dicebat et ex Biblijs, déque
rebus omnibus arbitratu ſuo pronunciabat, & quicquid diceret, ſa-
croſanctũ illis erat. Bonorũ quoq; cõmunionem et humanitati cum-
primis eſſe conſentaneũ, ut et dignitate ſint omnes ęquales, docebat,
& cõditione liberi,et promiſcuè bonis omnibus utantur. Quò factũ
eſt,ut uulgus ab operis atq; labore deſiſteret,et qua quiſq; re careret,

eam

eam ab alijs qui abundabant, etiam inuitis, acciperet. Hæc ille per menses aliquot agitabat: & cùm iam per Sueuiam atque Franconiam essent in armis homines plebei ac rusticani, ad XL millia, & magnam nobilitatis partem profligassent, complures etiam arces atque castella diripuissent ac incendissent, ut dictum est, cœpit & ipse manus admoliri, iámque tempus idoneum adesse ducebat perficiundi negocij, & conflatis in æde Franciscanorum machinis bellicis, maximam hominũ multitudinem ex agris ad se perduxit, opinione prædæ ac melioris fortunæ. Socius erat ei consiliorum omnium, quidam insigni præditus audacia, Phiferus, qui somnijs nocturnísque spectris plurimum tribuebat, ac inter alia tùm fortè iactabat, per quietem se uidisse quodam in stabulo maximam uim copiámq; murium, quos fugasset omneis: hoc sic accipiebat, à Deo sibi esse mandatum, ut sumptis armis & eductis copijs, nobilitatẽ omnem exturbaret. Muncerus autem, etsi uehementes habebat ad populũ conciones, tamen erat aliquantò remissior, neque fortunam periclitari uolebat antè, quàm omnes circùm uicini essent in armis. Et quò facilius rem conficeret, dimissis literis ad opifices, qui metalla per agrũ Mansfeldensem effodiunt, grauiter eos monebat, ut in principes nullo discrimine facerent impetũ: fore enim, ut qui per Franconiam essent iam expediti, propius ad Turingiam accederẽt. Interea Phiferus, qui molestè ferret omnem moram, egressus cum suis, uicinum agrum Isfeldium depopulatur, arces atque templa diripit, ex nobilitate multos profligat, quosdam etiam in cathenas conijcit, post, domum reuertit magna cum præda. quæ quidem res, quoniam fœliciter accidit, magnam excitauit alacritatem in animis uulgi, præsertim cùm iam uicini quoq; sese commouerent, & in Mansfeldicum agrũ inuaderent. Itáque Muncerus, quòd omnes ubique iam defecisse crederet, Mulhusio profectus cum trecentis, cõiungit se Francusianis. Ad hoc ipsum tempus mortem obijt Fridericus princeps, nõ relictis liberis: nam in cœlibatu uixerat, & successorem habuit Ioannem, fratrem germanum. Dum hæc geruntur, Albertus Comes Mansfeldius, celeriter collectis aliquot turmis equitum, & impetu in illos facto, ad ducentos interficit. Ea re perterrefacti, neque longius progressi, Francusium fuga petunt, ibíque commorati maiores copias expectant. hæc sola res impetum illorum tardauit, eáque mora interposita, uicini principes equitatum conscribunt ad mille, quingentos, & peditatum non magnũ. Hi erant, Saxoniæ princeps

elector Ioannes, eiúſq; patruelis Georgius, Heſſię Lantgrauius Philippus, & Brunſuici dux Henricus. Non longè à Francuſio cõſederant ruſticani in monte, & cõtractis curribus muniendi ſui cauſa, difficulter poterant adiri, ſed neq; tormentis nec armis erant idoneè inſtructi, & plærique omnes rei militaris imperiti. Quapropter etiam principes, miſeratione quadam impulſi, miſſis internuncijs, hortabantur, ut traditis modò ſeditionis authoribus, ab armis diſcederent, & impunitate propoſita, domum redirent: Muncerus autem de ſuo periculo ſolicitus, prodit in concionem, & ad magnam ſeueritatem uultu compoſito, uidetis, inquit, commilitones atq; fratres, non procul à uobis, tyrannos, qui licet in capita uitámque noſtram coniurarint, adeò tamen ſunt animis deiecti, nihil ut aduerſum nos audeant moliri: conditiones autem deferunt ineptas & ridiculas, ut armis uos exuant. Iam uerò, conſtat uobis, actionem hanc auſpicatum eſſe me, non mea quadam authoritate priuata: nec enim unq; his rebus operam dedi: ſed iuſſu diuino. Quòd cùm ità ſit, meum eſt officium, & ueſtrum etiam, obtemperare, neq; ſtationẽ hanc deſerere, in qua Deus ipſe nos collocauit. Abrahamo quondam præcepit, uti filium ſuũ immolaret: ille autem, etſi quis eſſet futurus euentus, ignorabat, tamen ſecutus imperium, nihil recuſabat. ideóque & filium ei ſeruauit Deus, et ipſius fidem ingentibus ornauit beneficijs: nos etiã, qui planè ſumus in eodem ſtatu, perſeuerare, & exitũ Deo committere debemus: Non dubium eſt autẽ, quin ex animo cedant omnia: uidebitis ipſi manifeſtum auxilium Dei: quicquid enim eſt hoſtium ubiq;, profligabimus: non uno ſcripturæ loco promiſit Deus, adfuturum ſe miſeris, & oppreſſurũ eſſe impios: Ea ſanè uox propriè ad nos pertinet: ſumus enim tenues & adflicti, & quia cognitionẽ Dei retinere cupimus atq; propagare, de ſucceſſu atque uictoria dubitari non poteſt: hoſtium uerò quæ ſit conditio, uiciſſim conſideremus. principes quidém uocantur, ſed reuera ſunt tyranni: nec enim ueſtri curam ullam habẽt, ſed omniũ facultates exhauriunt, et nequiſſimis rationibus profundunt: in eo populo, quẽ ſibi peculiariter olim delegerat, ità cõſtituit Deus, ne ſumptum inutilem reges facerent, imò iuſſit, ut uolumen legum, quas ipſe tuliſſet, diligenter inſpicerent: noſtri uerò tyranni quid agunt, aut quibus rebus occupantur? rempublicam nihil ad ſe pertinere putant, de miſerorum hominum cauſis non cognoſcũt, iudicia negligunt, uias à latronibus obſideri patiuntur, non animaduertunt in prædones, non reliqua ſcelera coërcent,

pupillis

pupillis atque uiduis nullum præstant officium, ut iuuentus rectè instituatur, non prospiciunt, celebrationem nominis diuini non modò prætermittunt ipsi, uerumetiam impediunt, & in hoc solùm intenti sunt, ut omnium facultates ad se cõuertant: itáque nouas quotidie rationes expilandæ pecuniæ reperiunt, nec ad alendam aut retinendam pacem consilia sua referunt, sed ut quàm maximè locupletati helluentur in omni genere luxus atque superbię. Nimis enim notum est, quàm leuibus & ineptis de causis, quantas sæpenumero turbas excitent atque bella, quibus deinde, quòd reliquum fuit miseris hominibus, totum perit & euertitur: Nimirum hæ sunt illæ præclaræ uestrorum principum artes atque uirtutes, in quibus exercentur: non est igitur, ut quisquam existimet, Deum hæc esse laturum amplius, uerùm certò statuendum est, fore, ut sicut olim Cananæos deleuit, ità nunc etiam istos exturbet. Nam ut illa fortè, quæ recitauimus, tolerari possint, an impunè putatis hoc illis futurum, quòd summam istam & execrandam impietatem ecclesiasticorum defendunt atque propugnant? Quis omnium ignorat, quantùm flagitij sit in illa Missarum nundinatione? ne quid de reliquis dicam. Sanè, sicut è templo quondam Christus eiecit emptores ac uenditores, ità nunc etiam sacrificulos eorúmque patronos atque socios eliminabit. fortes igitur estote, & Deo gratificaturi turbam hanc omnem inutilem contrucidate: pacificandi certè ratio nulla nobis apparet uel honesta uel tuta uel firma satis: nec enim à proposito desistent, neque libertatem nobis restituent, neque uerum Dei cultum permittent: atqui moriendum sit potius, quàm ut ipsorum nequitiam approbemus, & euangelij doctrinam nobis eripi patiamur: Certissimè autem uobis confirmo, Deum nobis adfuturum, nostrámque fore uictoriam: nam ipsemet coràm mihi promisit, ipsemet inquam, qui fallere non potest aut mentiri, iussit, ut ad hunc modum rem aggrediar, mulctato magistratu. Nimirum in hoc maximè fit illustris Dei potentia, quum hostium ingens multitudo parua manu cæditur: ut alia multa prætermittam, notum est uobis, quid Gedeon cum paucis quibusdam, quid Ionathas, uno tantùm seruulo comitatus, quid Dauid, cùm solus ipse contra uasti corporis monstrum Goliath, sua mole & aspectu solo terribilem, pugnaret, perfecerit: dubium uerò nullum est, quin hodiernus etiam dies, consimili spectaculo sit futurus insignis, & ad posteritatem omnem memorabilis. Nam etsi non satis instructi

uidemur armis,ac rebus neceſſarijs muniti,tamen ſuperabimus hoſtem,& hęc cœli terręq; machina potius immutetur,quàm ut à Deo deſtituamur: ſic olim natura maris immutata fuit, ut Iſraëlitæ, perſequente Pharaone,periculum euaderent: Nihil autem uos moueat rationis ueſtræ iudicium, nihil perturbet obiecta quædam periculi ſpecies & umbra, ſed fortiter in hoſtem impium & conſceleratũ inuadite,neq; uos perterrefaciant illorum machinę bellicæ:pilas enim omneis, quas illi tormentis in nos eijcient, ueſte mea ſum excepturus: Ecce, uidetis ne, quàm habemus propitium Deum? aſpicite, quæſo,ſignum ac teſtimoniũ illius erga nos perpetuę beneuolentiæ: Tollite oculos,& arcũ cœleſtem mihi cernite: quum enim in uexillo noſtro ſit idem depictus arcus, clarè ſignificat Deus hoc ſimulacro, quod è ſublimi nobis oſtentat,adfuturũ ſe nobis in prælio, tyrannis autẽ noſtris interitum & excidium hoc ipſo denunciat: Magnis igitur animis irruite, certiſſima cum ſpe diuini auxilij: nec enim uult Deus, pacem ullã uobis intercedere cum impijs aduerſarijs. Facto dicendi fine,trepidabant nihilo ſecius plærique omnes,ob præſentis periculi magnitudinem: ſed agebantur omnia tumultuoſè, nullo certo uel imperio uel ordine: deinde erant in ipſis nonnulli, profligatæ homines audaciæ, & ad quoduis facinus parati. hi quum ſua ſponte ad maleficium inclinarent, tùm ea, quam diximus,concione, magis accendebantur: ſed inprimis excitabat eos ille,de quo dictum eſt,in cœlo conſiſtens arcus,idque certiſſimum uictoriæ ſignum eſſe iudicabant. Acceſſit,quòd copiæ erant non exiguę,ad octo circiter hominum millia, & locus ad defenſionem opportunus. Itáque hi, quos modò nominaui,clamore ſublato,monebant,ut arma ſumerẽt omnes,& forti animo in hoſtem exirent: ſimul cantionem addebant, qua ſancti ſpiritus imploratur auxilium. Miſſus anteà fuerat ad ipſos adoleſcens quidam nobili genere natus: hunc Muncerus contra militiæ morem,contráque ius gentium interfecerat: eo facto magis exacerbati principes,committendi pręlij dant ſignum, & copias inſtruunt. Ibi tùm Heſſorum princeps Philippus,licet inter eos ætate minimus, obequitans huc illuc, ad uirtutem cohortabatur milites: Quòd etiámſi uera eſſent omnia, de quibus incuſentur, tamen nõ licere plebeis in magiſtratum arma ſumere: multis hoc poſſe ſcripturæ teſtimonijs doceri: nolle autem ſe,uel ſua uel aliorum quoque principum excuſare delicta: fateri enim culpam, et agnoſcere non eſſe nulla quæ corrigi debeant & emendari: quod etiámſi uerum ſit, à

ſeditionibus

seditionibus tamen abstinendū esse: diligenter enim præcepisse Deū, ut in honore sit magistratus: Quòd illi querantur, se magnis oneribus grauari, non illud esse tanti, ut à fide atq; iureiurando ipsis propterea discedere liceat. Quanq; si uerè quis rem æstimare uelit, non esse quod querantur: dependere quidē ipsos annuū stipendium atq; uectigal, sed ea de causa multis inuicē frui cōmoditatibus: habere domicilia cum liberis & familia, colere agros, exercere pecuariā, & multis alijs modis rem augere familiarem, idq; beneficio magistratus, in quorū sint patrocinio atq; tutela: Quòd præterea dicant, nō sibi permitti doctrinam euangelij: ne hanc quidem satis esse iustā causam faciundæ rebellionis: quū gladio feriret Petrus, grauiter fuisse monitū & reprehensum à Christo: si qui principes ueram doctrinam persequantur, ferendos tamen, & supplicū potius subeundum, q̄ armis resistendum: obducere quidē ipsos euangelij nomen, sed ipsa re nihil aliud moliri quàm latrocinia, rapinas & id genus nefaria scelera, & tantò esse nequiores, quòd impia et sanguinaria sua cōsilia nihil ipsos pudeat tam specioso titulo cōmendare: hoc nimirum esse ipsorū consilij, ut aliorū fortunas diripiant, ut magistratū omnem è medio tollant, ut alienis uxoribus atq; liberis uim faciant, ut omnium flagitiorum summa sit impunitas: & quoniam his tàm turpibus factis, tàm pulchri & sancti nominis præsidiū querant, dubitari nō posse, quin contumeliā hanc sit ulturus Deus: itáq; fortiter in illos præliandum esse, tanq̄ in latrones, ut publica tranquillitas retineri, & singulorū fortunæ, cōiuges atq; liberi uindicari possint atq; defendi: iustissimā esse belli causam, neq; se fuisse uenturū ad arma, nisi Deo gratum esse sciat hoc officium, qui magistratui gladiū attribuerit, non quidē ut latrociniū exerceant, uerùm ut iniustam uim omnem & latrocinia depellant. Ea habita oratione, fit impetus in hostem, et tormentis primùm res agitur. Ibi uerò miseri homines, uelut attoniti ac mente capti, neq; se defendebant, neq; fuga salutem petebant, et carmen illud populare, quo sancti spiritus petitur auxiliū, cantabant. plericq; enim confisi pollicitationibus Munceri, cœlestē opem expectabant. Emissis tormentis, quū iam in munitiones fieret impetus, ac multi passim interficerētur, ibi demùm in fugā coniecti Francusiū petunt: alij quidam in diuersam montis partem sese recipiunt, & in proxima ualle perpaucos equites aliquándiu sustinent ac demorantur, ex ijsq; unū & alterum interficiunt: quum enim magna sui parte fugerēt, equites absq; ordine uagabantur huc illuc dispersi ac dissipati, & quā quisq;

in partem ueniſſet, ibi fugientes perſequebantur: ſed nõnullis, ut antea dixi, deſideratis, accenſi ira ſtudióque uindictæ, magis inſtabant, & ad quinque circiter millia conciderunt. Mox à prælio fuit occupatum Francuſium, in eóque capti ad c c c, & capite mulctati. Profugerat in oppidum Muncerus, ínque domum non procul à porta, ſeſe abdiderat: huc fortè nobilis quidam diuertit: eius famulus cùm in ſuperiorem ædium partem aſcendiſſet, ſpectandi cauſa domicilij, reperit quempiam decumbentem in lecto. rogat qui ſit, an ex tumultu profugerit, an ſit è ſeditioſis unus: inficiatur ille, ſéque iampridem ait febricitare. fortè iacebat ad lectum crumena, corripit eam alter, ut aliquid auferret prædæ: poſtquàm aperuit, literas offendit, quibus Muncerum admonebat Albertus Mansfeldius, ut ab incepto deſiſteret, nec ad ſeditionem uulgus inflammaret. ijs perlectis literis, rogat, num ad ipſum eæ ſint datæ: neganti uim intentat: tum ille deprecatur, ſéque Muncerum eſſe fatetur: Captus igitur, ad Georgiũ Saxoniæ principem, atque Lantgrauium adducitur: ab ijs rogatus, quid ità miſeros homines in fraudem pertraxerit? nihil à ſe præter officium eſſe factum, & magiſtratus, qui doctrinam euangelij non ferant, eiuſmodi rationibus eſſe cohercendos, reſpondit. Occurrit ei Lantgrauius, & ſcripturæ teſtimonijs demonſtrabat, in honore habendum eſſe magiſtratum: ſeditionem omnem à Deo prohibitam, neque Chriſtianæ profeſſionis hominibus licere priuatim ulciſci iniuriam: Ad ea conticuit, & quæſtioni ſubiectus, cùm prę dolore exclamaret, Saxoniæ dux Georgius, tu quidem nunc cruciaris, inquit, Muncere, ſed inuicem cogita miſerorũ hominum cladem, qui per te nefariè circumuenti, hodierno die perierunt. Tum ille, magno cum riſu, hoc uoluerunt, ait. poſtea deductus Helderungum, Mansfeldicę ditionis oppidum, graui de ipſo quęſtione habita, quid ſui fuiſſet propoſiti, & quos haberet ſocios coniurationis, fatebatur, Helderungo profecti Mulhuſiũ principes, è ſeditioſis quàmplurimos capite plectunt, et in his eum, de quo ſuprà diximus, Phiferum. Huc etiam paulò pòſt adducitur in caſtra Muncerus, qui tùm in ijs anguſtijs admodum fuit animo perturbato atque deiecto, neque ſuæ fidei rationem explicare poterat, ut in eo temporis articulo fieri ſolet, & ipſius confirmandi cauſa, Brunſuici dux Henricus uoce illi præibat: moriturus autẽ agnoſcebat delictum & errorem, ídque palàm profitebatur, & militum ſeptus corona, principes hortabatur ad maiorẽ clementiã erga miſeros homines: ità fore, ut nullũ eiuſmodi poſthac

ſit

sit ipsis extimescendum periculum, simul monebat, ut sacræ scripturæ libros, qui sunt scripti de regibus, diligenter euoluerent. eo confecto sermone, gladio percutitur, & exempli causa caput eius adfixū hastæ, mediis in campis collocatur. Quum eiectus è Saxoniæ finibus, ut antea dixi, Muncerus, oberraret, ac rumor increbuisset, eū cogitare Mulhusium: Lutherus, ea re cognita, datis ad senatum literis, grauiter monet, ne recipiant: esse hominem seditiosum, qui præter uim et latrocinia, nihil cogitet: notum esse, quid Alsteti, quid Cygneæ sit machinatus: habere illum suos emissarios, qui passim obrepant hominum cœtibus: nō posse ab ijs hoc saltem impetrari, ut sese legitimæ cognitioni sistant: ipsorum doctrinam esse non modò seditiosam, uerumetiam futilem, ineptam & inscitiæ plenā: diligenter ergò caueant: fore enim, ut breui detegatur fucus: quòd si minus id placeat, saltem ad tempus differant, donec quid de ipsis oporteat sentire, cognoscant: hoc suum esse cōsilium, hominis amici, déque ipsorum salute soliciti, quod si repudient, eóque pòst in calamitatem incidant, se futurum extra culpam, qui tàm studiosè præmoneat: rectè facturum senatum, si roget ex illo, quis docendi munus ipsi commiserit, quis euocarit: &, si Deum nominet authorē, tum iubeant hanc suam uocationem aliquo euidenti signo comprobare, quod si repræsentare non possit, ut tum repudietur: Hoc enim esse Deo proprium atq; familiare, quoties formulam consuetam & rationē ordinariam uelit immutari, ut tùm uoluntatem suā aliquo signo declaret. Glisciente per Germaniam dissidio, quum ad turbam atque motum res inclinare uiderentur, nondum tamen arma sumpsissent plebei: Lutherus edito scripto monebat omneis, ut à seditione sibi temperarēt. Etenim, licet terrificus aliquis tumultus & præsens periculū imminere uideatur ecclesiasticis, arbitrari tamen se, uel nullū, uel non eiusmodi futurum, qui ditionem ipsorum omnē peruadat, aut potentiā euertat: nam longè aliam ipsis impendére calamitatem, & fore, quod post Danielē Paulus etiam prænunciauit, ut ipsorum tyrannis nulla ui humana, sed aduētu Christi seruatoris & spiritu Dei corruat: hoc suæ sententiæ esse fundamentum, hac etiam de causa nunquam se restitisse illis magnopere, qui rem armis aggrederētur: certò enim sibi constare, frustrà ipsos moliri: etiámsi fortè pauci quidam ordinis ecclesiastici trucidentur, non tamen ad omneis peruenturam hanc esse lanienam: trepidare quidem illos nunc & concursare, séq; inprimis optare, ut magis etiam trepident, si fortè scelerū ipsos pœniteat: sed

accenſam eſſe iram Dei, & illos de uitæ quidem periculo déque fortunis nunc angi, quomodo autem Deo reconcilientur, nullam ſuſcipere cogitationem, imò ſecuros omnium rerũ, aſpernari tàm claras admonitiones, ac iræ diuinæ ſignificationem penè etiam ridere: Et quanquam ab armis nihil grauius metuendũ ſit ipſis, tamẽ, cùm præſens rerum ſtatus explicationem aliquam conſiliũ requirat, dicturum ſe liberè ſententiam ſuam: Et principiò quidẽ, magiſtratus eſſe, hoc operam dare, ne populus aliena culpa detrimenti quid accipiat, & prouidere, ne falſis dogmatis religio deformetur: hoc ipſorum eſſe munus, & eam, qua ſint prædíti, poteſtatem, ad gloriam Dei conuertendam eſſe omnem, & ad populi ſalutem: quia uerò longè diuerſum faciant, ſéque inuicem impediant, nonnulli falſam quoq; doctrinam tueantur, non laturos impunè: Non hoc ſuum eſſe cõſilium, ut armis oppugnentur pontificij, uerùm ut magiſtratus ad officium illos aſtringat, in eóque ſuam ditionem atque ius exerceat, neq; ſua uel lenitudine uel diſſimulatione, illorum audaciam & improbitatẽ confirmet: Ad uulgus autem & imperitam multitudinẽ quantùm pertinet, grauiter eſſe monendos, ne ſe cõmoueant, niſi de uoluntate magiſtratus: fruſtrà enim ſumi laborem omnem, & Deũ ipſum eſſe uindicaturum, neq; tàm leui pœna tantam nequitiã expiari poſſe: quòd enim adeò lentè támq; remiſſè principes agant, quòd tantas indignitates perferant, & illis tàm apertis iniurijs atque ludibrijs eccleſiaſticorum non cõmoueantur, id fieri permiſſu diuino, nimirùm, ut unus ipſe rẽ ulciſcatur, & iracundiam ſuam omnẽ in illos effundat: Quòd etiámſi fortè res in tumultũ exeat, & tàm leni ſupplicio ſibi ſatisfieri patiatur Deus, tamen omnem iſtum agendi modum eſſe non ſolùm illaudatum, ſed inutilem quoq;: nihil enim eſſe rationis in ſeditione, & ferè fieri, ut innocentes præ cæteris luant: neminem etiam, qui turbas moueat, excuſari poſſe, quantúmuis habeat iuſtam cauſam: populari uerò ſeditione ſemel oborta, bonos & honeſtos homines unà cum nocentibus & improbis neceſſariò perire: ad magiſtratum ergò reſpiciendum, & quámdiu is non ſe cõmouet, nihil priuatim eſſe tentandum: ſeditionem enim omnem pugnare cum præcepto Dei, qui controuerſias omneis priuatorum legitimè diſceptari iuſſerit: Quum autem ſeditio nihil ſit aliud quàm uindicta priuata, nemini dubium eſſe, quin Deus illam improbet ac deteſtetur: eam uerò, quæ nunc impendére uideatur, ſeditionem, excitari ab humani generis hoſte Diabolo, qui cum ueritatis lucem ferre non poſſit,

turbas

turbas excitet per homines euangelicæ professionis, ut ueram doctri nam, his aliquot annis, beneficio Dei restitutam, in odium ac uituperium adducat, quasi non sit à Deo profecta, quæ tantis malis occasionem præbuisse uideatur: hoc ipsum nunc ab aduersarijs magna contentione iactari, sed eorum esse contemnenda iudicia: se quidem illos planè despicere: nihil enim à se uel scriptum esse uel pronunciatum, quod seditionē ullam possit accendere. Iam uerò, qui rogent & obijciant, quid agendū igitur, & quousque ferendæ sint indignitates illæ, conniuente ac dissimulante magistratu? illos hanc oportere formulam sequi, primùm, ut delicta sua recognoscant, quibus offensus, tyrannidem illam ecclesiasticā Deus permisit esse tàm diuturnam, támque latè grassari: dominationem hanc adeò crudelem & impiam, esse nostrorum scelerum & improbitatis præmium: eam si uelimus à nobis depelli, cumprimis oportere, ut uitæ emendatione Deum reconciliemus: deinde, magnis precibus implorandum esse diuinum auxilium aduersus regnum pontificium, exemplo Dauidis, qui Deum sæpe rogarit, ut impiorum potentiam atque superbiam infringeret: postremò, celebrandam esse doctrinam euangelij, & pontificum impostoras orbi terrarum patefaciendas, ut detectis erroribus & agnita ueritate, homines pro nihilo ducāt & planè contemnant quicquid ab illis profectum fuerit: hanc rationem esse longè omnium aptissimam ad minuendam illorum potentiam: uiribus & armis nihil quicquam proficí, & ferè fieri, ut belligerando magis illi confirmentur: Quòd si autem cum pontificis persona, Christus, & cum eius doctrina componatur euangelium, tunc demum apparere, quantum sit discrimen inter lumen solis atq; tenebras, & quantum nobis beneficium Deus contulerit, patefacto nobis ad sui cognitionem, aditu, remotis omnibus obstaculis: tunc demum ruere atq; collabi uim omnem illorum & existimationem: hoc suo posse doceri exemplo, qui pontificium regnum grauius adflixerit, quàm ulla uis potuisset armorum: nullam igitur aliam esse optandam seditionem: hanc unam, quæ nunc resuscitata sit, authore Christo, prædicationē euangelij, satis esse potentem et acrem ad obruendum pontificatum: huc esse defigendos oculos atque mentem, nec aliò respiciendū: Non suum hoc esse negocium, in quo uersetur, tantam enim molem excedere uires atque modum humani ingenij: quòd etiā eoúsque res deducta sit, omninò præter suam expectationē accidisse, ideóque nihil dubitare, quin idē ille, qui fundamenta iecit operis, qui dedit incre-

mentum,ad finem quoque sit illud et exitum perducturus,omnibus licet hostibus inuitis ac resistentibus:Diabolum multò antè præsensisse mutationem hanc tàm insignem, ideóque fuisse conatum impedire,& hæc tempora per quosdã prænunciasse, scriptis aliquot editis atque uaticinijs, ut homines redderet alienos à salutari doctrina: quum autem frustrà se conatum esse uideat,decurrere nunc ad nouũ præsidium, & ad seditionem homines impellere, ut impediat, quò minus à suo pontificisque regno fiat defectio: sed non perfecturum esse quod moliatur, & fore, ut prædicatione ueræ doctrinæ magis atque magis labefactetur: in ea doctrina perseuerandum esse omni studio ac diligentia, & demonstrandum,quàm nihil ad salutem conferant hominum decreta:monendos etiam homines,ne uotis monasticis alligari sese patiantur, & qui iam alligati sunt, ut ea repudient, item,ne quid pecuniæ contribuant ad friuolos illos & ioculares templorum usus, ad cæreos, campanas, tabulas,uasa,signa,substructiones,ornamenta & quicquid sit eius generis: nam in hisce rebus non esse positã hominis Christiani uitam, sed in fide atq; charitate: hunc ad modum si doceatur populus,dubium non esse, quin pontificum, eorúmque clientelæ omnis authoritas atque regnum paucis annis concidat: sin autem hæc doctrina postponatur, nec hominũ animis eripiantur errores ac opiniones illæ falsæ, duraturum esse pontificatum,etiámsi plurimæ simul in eum fiant coniurationes: Inspiciant modò & secum cogitent,quantùm ipse, quàm exiguo tempore, sola doctrina perfecerit: uel ipsos aduersarios illud testari,quandò suis emolumentis plurimùm decessisse queruntur: ex eo facilè intelligi, quid sit futurum, si uel per solum adhuc biennium hæc doctrina cursum suum retineat:Sathanam ergò,qui rem omnẽ præsentiat, tumultuari nunc,& institutum istud conari per seditiones impedire: sed prudenter agendum, magnísque laudibus beneficium Dei celebrandũ esse, qui nobis hanc suæ cognitionis lucem accenderit: detectos esse pontificiorum dolos,inscitiam,rapacitatem,tyrannidem,& totam illam sentinam præstigiarum, quibus orbem terrarum ludificarunt: Illos,qui fuerunt antehac omnibus formidabiles, nunc eò redactos, nihil ut habeant præsidij,nisi tantùm in armis:Cùm autem nudi iam conspiciantur ab omnibus, & quantam occultarint immundiciem, oculis omnium appareat, & ad uim confugere cogantur, fieri non posse,ut sit diuturnus ipsorum status,& si quid fortè reliquum manserit ipsorum potentiæ, quod hęc euangelij doctrina non infregerit,

fore,

fore, ut totum illud aboleatur aduentu Christi: fortiter instandum igitur & progrediendum in eo curriculo: sed adhibendam esse tamẽ certam rationem & ordinem: præposterè enim quosdam in eo uersari, qui nulla instructi doctrina, simul atque unam & alteram audierint concionem, è uestigio sibi multùm arrogent, séque Lutheranos uocent, & alios nondum intelligentes acerbè reprehendant: Multum autem in eo peccari, neque sic agendum esse, & orare se, ne quis omninò suũ nomen obducat, sed elaborandum potius, ut cùm Christi nomẽ profiteamur, iure nobis illud uendicemus, ut Christiani cognominemur: Qui uerò docet, ei uidendum esse, cuiusmodi sint ij quibuscum agat: nam esse quosdã pertinacibus ingenijs, qui & sanã doctrinam aspernentur, & alios etiã in errorem abducant: ab ijs plane temperandum, & iuxta præceptum Christi, non esse spargendas margaritas ante porcos: quum autẽ ijdem non contenti sua uel ignoratione uel pertinacia, cæteros etiam à uera doctrina reuocãt et auertunt, tùm acriter ijs resistendum, non quidem ipsorum causa, uerùm ut ex multitudine saltem aliqui conseruentur: rursum, esse alios minimè quidem repugnantes, uerùm simplices & ignaros: cum his agendum esse leniter, nõ tumultuosè nec immodestè, & ordine commonstrandum, in quo sit hominum posita salus, & ad ipsorum mediocritatem accommodandam orationem omnem, donec sensim augescãt & confirmentur. Superiori libro diximus de plebeis, qui per Sueuiam erant in armis, anteq; Muncerus prodiret in aciẽ. Hi paulò moderatius rem gerebant initiò, & quid à principibus atq; magistratu fieri uellent, edito scripto demonstrabãt, ut suprà paucis attigimus, & si qua in re fallerentur ac errarent, non se fore pertinaces, uerùm saniora uelle sequi consilia, profitebantur. Ex ijs postulatis primùm erat, ut ipsis liceret ecclesię ministros eligere, qui uerbũ Dei purè doceant, nullis admixtis hominũ decretis: alterũ, nolle se posthac ullas dare decumas, prẽterquàm frumenti, & has ipsas oportere distribui partim in ecclesię ministros, arbitrio bonorum uirorũ, partim in homines egenos, partim in usus publicos: itẽ, quòd hucusq; sint habiti, uelut cõditione serui, rem esse indignam, quandóquidem Christi sanguine sint omnes facti liberi: nõ se quidem recusare magistratũ, et scire constitutũ esse à Deo, uelle etiã in rebus omnibus honestis parére, sed seruitutẽ illam deinceps nolle ferre, nisi scripturę sacrę testimonio demonstretur æquũ esse, ut ferant: Deinde, quòd ipsis interdictũ sit, capere feras, aues atq; pisces, nullam habere æquitatẽ, multò minus

etiam, quòd plærisque in locis non ausint eijcere feras depascentes agros atque segetes: à condito mundo Deum dedisse homini ius & imperium in omnis generis animantia: non se quidē uelle quicquàm auferre per uim, ijs, qui uel flumen totum uel partem aliquam emerint, sed petere, ut æquabilitas aliqua seruetur, in eóque magis spectetur quid multitudini, quàm quid paucis utile sit atque commodum: Syluas etiam esse paucorum in potestate, non absque magno dispendio plebis: itáque suam hanc esse uoluntatem, ut eæ syluæ, quę non sint emptæ priuatim ab aliquo, fiant multitudinis, ut ex ijs & ad quotidianum usum & ad ædificationes etiam, cùm opus fuerit, quilibet sibi sumat absque precio, sic tamē, ut eorum, qui deligentur ad eam rem procurandam, authoritas interueniat: Quòd si fortè nullæ sint, nisi priuatorum syluæ, tùm amicè cum possessoribus transigendum: Adhæc, grauari se multis incommodis, quæ cumulentur indies magis atque magis: cupere ergò, ut eam rem principes moderentur ex æquitate & euangelij præscripto, neque plus oneris imponant, quàm antiquitùs fieri consueuerit: uelle etiam, ut quæ quisque bona, fundos & agros teneat beneficio & concessu principis aut magistratus, eorū nomine nō grauetur amplius quàm pactum sit initiò: Eiusdem esse generis, quòd ex ipsis multi pendant annuum tributū atque stipendium maius, quàm pro modo facultatum: esse æquum, ut de eo principes aliquid remittant, ut qui colunt agros, aliquod saltem percipiant sui laboris emolumentum, nec ad inopiam rediganter: In mulctis etiam pecuniarijs requirere se maiorē æquitatem: nouas quotidie ferri leges, & pecuniam ab ipsis extorqueri sæpe, non emendationis causa, uerùm in ea re plærunq; & odium & fauorem atque gratiā interuenire: petere ergò, ut iuxta formulas olim descriptas, non autem ex affectibus irrogetur pœna: sed & quosdam priuatim usurpare sibi fundos atque prata, quę sint multitudinis: quicquid sit eius generis, uelle se uendicare, nisi fortè quis emerit: postremò, quòd mortuo patrefamiliàs usitatum sit, ut uxor atque liberi de suis aliquid bonis dependant, id supra modum esse iniquum: uelle igitur, ut totum hoc magistratus aboleat. Huic illorum scripto promulgato, Lutherus, ad quem prouocauerant, respondet, & ad ipsos oratione conuersa, uerum est, inquit, & fateor, principes uiros, qui prædicationem euangelij non admittunt, qui populum nō uno modo grauant & opprimunt, dignos esse, quos è solio Deus præcipitet: nec enim ullam habent excusationem: Et quanquàm hoc ità se

habet

habet,uobis tamen est prouidendum, ut conscientiam huc adferatis puram & inculpatam: alioqui corporis & animæ iacturam facietis: neq; considerare uos oportet, quantæ sint uestræ uires, quantúmq; reprehendendi uestri aduersarij, sed quàm legitima sit atque iusta, quam defenditis,causa. Diligenter itaq; prouidete, neq; cõcionibus omnium credite: Sathanas enim sub euangelij prętextu, multos hoc tempore seditiosos & planè sanguinarios excitauit doctores. Equidem liberè uobis atque syncerè consulam,ut debeo: uestrum est adijcere animum & auscultare recta monenti. Neq; uerò,si plęriq; maledicent,& fortè conuicijs me petent,moueor: & satis est,modò saltem aliquos eripiam ultioni diuinæ: reliquam turbam nihil moror, & sicut me contemnunt, sic ego uicissim illos non metuo. Sed ut ad rem ueniam. usurpatis uos quidẽ nomen diuinum, & christianũ uos appellatis ipsi cœtum atque multitudinem,& legem à Deo præscriptam uelle uos per omnia sequi iactatis. Atqui,constat uobis haud dubiè, nomen Dei non esse temere usurpandũ,neque falsò:nam pœnam cõminatur Deus, quę uos etiam manet,si quidem non rectè negocium hoc agitis: qui totum orbem terrarũ inundationibus obruit,qui Sodomam ignita pluuia totam absorpsit,idem uos etiam facilè deleuerit,quæcunque sit tandem uestra potentia. sed falsò uos obducere nomen Dei uestris actionibus,facilè demonstrari potest:itáque cuiusmodi sit futurus exitus, non obscurè diuinare licet. Nec enim fallit, qui dixit gladio perituros, qui gladium sibi uendicant ipsi. nimirum, qui sua quadã audacia sibi potestatem arrogant animaduersionis. cùm Paulus tamẽ iubeat omneis in uniuersum obtemperare magistratui reuerẽter & cum timore. Quid ad hęc respondebitis,qui legis diuinæ præscriptum uelle uos insequi simulatis, & interim tamen gladium arripitis,ac magistratui,quem Deus constituit,resistitis? an nõ istud est temere usurpare nomen diuinũ? Sed magistratus ità se cõparat,ut planè sit intolerabilis:nam & euangelij doctrinam nobis adimunt, & in cęteris rebus omnibus ità nos premunt,ut nihil suprà. Sit ità sanè:non tamen idcircò sunt excitandi motus atq; seditiones: nec enim cuiuslibet est cohercere maleficia, sed hoc ad eum modò pertinet,cui tributum est ius atq; potestas gladij,sicut apertè scriptura docet. Deinde,non leges tantùm,sed & naturæ ius animis impressum, ostendit, non licere cuiquam, ut suæ causæ cognitor sit atque iudex, ipse. Sumus enim omnes uitiosi, & amore nostri prorsus excæcati. Negari autem non potest, quin hic

uester tumultus atque seditio, sit uindicta priuata: nam & cognitionem causæ uobis arrogatis, & quas uobis putatis esse factas iniurias, ulcisci paratis authoritate uestra: sed hoc ipsum pugnat cum iure diuino, cum naturali, cùm ipsa demùm æquitate. Quod cùm ità sit, nō potestis ulla ratione facinus hoc defendere: uel, si mandatū aliquod habetis à Deo uestri facti, necesse est hoc ipsum à uobis aliquo illustri miraculo demonstrari. Sed hic accidit, quod Christus ait: nimirum, quid in alijs reprehendendum sit, clarè perspicitis, quantum uerò sit impietatis in uestra causa, non animaduertitis. Iniquè facit magistratus: at multò uos iniquius, qui contempto Dei mandato, iurisdictionem inuaditis alienam, qui magistratui nihil omninò relinquitis. quid enim supereſt, cùm potestatem ei tollitis? Vos ipsos appello: qui magnam bonorum partem cuipiam aufert, aliquid tamen relinquit, &, qui bonis ablatis uitam etiā eripit, uter uobis atrocior esse uidetur? Magistratus adimit uobis possessiones: iniquum est: uos autem iurisdictionem adimitis, qua quidē in re consistit omnis ipsorum fortuna tàm corporis quàm bonorum: uos ergò nocentiores illis. Atqui, uitam ipsorum atque fortunas non petimus: credat hoc qui uolet, nō ego: Qui præcipuam partem alicui tollit & aufert, non uerebitur etiam reliquum, quod ab ea dependet, auferre. Verùm, sit ità sanè, ut dicitis: maneant illis quæ possidēt, bona, uita quoque sit incolumis: illud uerò, quod iam perpetrastis, omnem mediocritatem excedit, quandò potestate illis omni sublata, uultis ipsi rerum esse domini: Perpendite rem ipsi, quæso: uestrum hoc institutum si laudari debeat atque ualere, nulla sint futura iudicia, nullus magistratus, & cuiuis liceat priuatim in quemuis experiri pro sua libidine & arbitratu, nec expectandum inde sit aliud, quàm mutuę cædes atque latrocinia. Nam ut quisque sibi factam ab aliquo putabit iniuriam, ità mox illam pro sua cupiditate uolet ulcisci: hoc ipsum uerò, si & iniquum est, & in nulla persona tolerari potest, multò minus coactæ alicui hominum multitudini concedi debet, aut si conceditur, in singulis etiam ferendum erit. Quid? in hoc ipso uestro cœtu, si res eò licentię prolaberentur, ut causam quisque suam priuatim ulcisci uellet, cedo, quid faceretis? Cogeretur ille dubio procul stare iudicio publico per uos constituto: quid uos igitur excusat, qui iudicia conuellitis & magistratum reijcitis, quē Deus ipse uobis præfecit? Hoc ipsum ius, de quo iam loquimur, omnium mentibus est impressum, & à barbarissimis etiam populis colitur: nam alioqui

summa

ſumma ſit omnium rerum futura perturbatio: quòd etiamſi diligenter illud ſeruaretis, nihilo tamen eſſetis hoc ipſo meliores, quàm uel Turcæ uel id genus alij populi, noſtræ religionis ignari: iudicia enim publica ſubire, & magiſtratus authoritatem ſequi, non hoc præſtat, ut quis fiat Chriſtianus: nam ipſa demùm neceſsitas cogit etiam inuitos, ut ità faciant: Vos ergò, cùm hoc ipſum ius, mentibus infixum & omnibus commune, reuellitis, multò eſtis prophanis gentibus deteriores: tantum abeſt, ut nomine Chriſtiano ſitis digni. quem quidem titulum quia uobis uſurpatis, et nomini diuino facitis iniuriam, indigni uidelicet appellatione Turcica, propter naturę ius uiolatum, quomodo tandem conſiſtetis in aſpectu Chriſti, cùm de nobis omnibus iudiciū facturus eſt? Cuiuſmodi ſint ergò ueſtri doctores, etiam atqꝫ etiam prouidete: uereor enim, ne ſanguinarij quidam uobis obrepſerint, qui ſuis concionibus huc uos impellant, quò tandem ipſi ueſtris auxilijs freti, dominationem & regnum inuadant, ſecuri prorſus de ueſtris fortunis atqꝫ ſalute. Iubet deus uindictam ſibi omnem permitti, ſcriptura iubet parere magiſtratui, etiam improbo: parendum igitur erit: alioqui motum quidem excitabitis, uerùm is tandem in ueſtrum caput deſinet: nec enim licentiam hanc ueſtram Deus impunitam dimittet, dúmque libertatem quæritis, uitæ, bonorum & animæ diſpendium uobis ipſi comparabitis. Exardeſcit in uos ira dei, & ſalutis omnium hoſtis diabolus, falſos in ueſtrum cœtum immiſit doctores: meum ergò ſecuti conſilium, cauete ac reſipiſcite. Nunc de iure Chriſtiano ſeu euangelico uerba faciam. hoc enim quia uobis arrogatis cognomen, æquum eſt, ut cuiuſmodi ſit ius ueſtrum, exploretur. Et primò quidem, Chriſtus iubet non eſſe reſiſtendum malo, ſed unam ferienti maxillam iubet & alteram præberi: tunicam auferenti iubet pallium quoque tradi, iubet bene tum precari tum facere inimicis. in eandem ſententiã multa ſunt loca paſsim in ſacris literis. Iam mihi uidete, quomodo ueſtrũ hoc inſtitutum reſpondeat mandato Chriſti: uidete, quò uos abduxerint ueſtri doctores. Chriſtianorum ſanè eſt, pati & ſubire crucem, non repugnare, non ulciſci, non gladio ferire: quid autem ſimile in uobis conſpicitur? Ardua cumprimis eſt Chriſtiani nominis profeſsio, et uix pauciſsimi re prę-ſtant ipſa, quod debent. quod ut plenius intelligi poſsit, exemplum uobis adferam huius, de quo loquimur, iuris. Vt dominum ac magiſtrum ſuum Petrus defenderet, ſeruulum pontificis ferijt: nonne iuſta de cauſa? cùm illi non modò uitam Chriſti peterent, ſed eius

quoq; discipulis, euangelij doctrinam, in qua salus erat ipsorum posita omnis, auferebant, sublato nimirum præceptore Christo. Talis uerò tamque atrox iniuria uos nondum perculit: sed quid interea Christus? iubet abstinere Petrum à defensione, graui lata sententia in eos, qui gladio feriunt, hoc est, qui contempto magistratu uindictam priuatam exercent. Quid ipse, cùm affigitur cruci, cùm docendi munus à Deo patre mandatum exercere prohibetur? nimirum fert patienter, rem omnem Deo patri committit, eumq; pro suis percussoribus deprecatur & orat. hæc uestigia sunt imitanda uobis, aut deponendus est hic tam speciosus titulus. Quòd si Christi exemplo insistere tis, patefaceret se Dei potentia: & sicut post indignissimam filij sui mortem, longè lateq; propagauit euangeliũ, inuitissimis licet omnibus aduersarijs, ita quoq; uos hauddubiè respiceret, & salutarem doctrinam abundè largiretur: nunc uerò, quandoquidem armis res administratur, nec obtinebitis quod uultis, & arma uobis de manibus excucientur. De me ipso nunc etiam aliquid dicam. Oppugnauit me summis uiribus totus orbis terrarum: & tamen quò fuit ipsorum omnium impetus uehementior, eò fecit maiores progressus mea doctrina. Quid ità? nihil egi uiolenter, nullum excitaui motum: non fui cupidus uindictæ, sed magistratum ciuilem reuerenter colui, scriptis etiam meis exornaui, quantum in me fuit, &, quod præcipuum est, rem Deo committens, in ipsius potentia totus acquieui: Sic adeò seruatus sum in hunc usq; diem, fremant licet pontifex omnesq; aduersarij, & simul mea doctrina multos ad populos dimanauit. Vos autem importunè iam irruitis, et dum promouere uos negocium putatis, quantum inferatis impedimenti, non animaduertitis. Hæc autem eò spectant, ut titulum illum & nomen Christianum à uobis abiegetis in ista causa: quam etiamsi defenderetis optimam, tamen, ut supra docuimus, homini Christiano nec pugnare licet nec malo resistere. Hunc ergo titulum atque cognomen uobis non tribuam, non concedam. Neque tamen hoc ipso uelim purgare magistratum: nam iniquè multa faciunt, & agnosco: sed nihilo minus à Christiani nominis professione hęc uestra longè remota est actio. Quòd si uerò nomen istud obstinatè retinebitis, & hoc ueluti fuco uestrã causam adũbrabitis, aduersariũ me uobis profiteor, quia sub euangelij prætextu planè diuersum à doctrina Christiana facitis. Itaq; Deum precabor, ut uos benignè respiciat, & uestrum hoc institutũ euertat. Nec enim obscurè hoc intelligo, diabolum id moliri, quandoquidem per pontificem

tificem Romanum hucusque opprimere me non potuit, ut per istos me conficiat atq; iugulet sanguinarios concionatores. Ergo precibus instabo, sicut dixi. quanquam sanè malim ità uos comparetis, ut ne mihi sit necesse precibus aduersum uos agere. Nam etsi peccator sum, tamen & iustam esse precationis meæ causam, & exaudiri quoq; meas preces, nihil dubito. uult enim Deus nomen suum sanctificari, & nobis etiam sic orandum esse, commonstrauit. Hortor itáque uos atque etiam oro, ne precationes meas et aliorum despiciatis: quid enim possint & efficiant, uestro certè maximo malo sentietis. Talem uerò fiduciam ad precationem, uos nullam adferre potestis. nam & scriptura & mens ipsa malè conscia uobis ostendunt, actionem hanc uestram esse prophanam & impiam. Ex uobis, oro, quotus quisq; Deum implorauit in ista causa? uix ullus opinor, imò salutem omnem in copijs & armis positam esse putatis. Qui uerè sunt Christiani, nihil agunt uiolenter, sed tolerant, precibusque Deum solicitant, ut omnium temporum uiri sancti suo nobis exemplo demonstrant. Nam et salutaris est hæc unica ratio, et menti summam tranquillitatem adfert: nūc ergò, quoniam hanc negligitis, quia neq; preces ad Deum effunditis, neque patientiam ullam præstatis, & à uobis omnia petitis atque speratis ipsi: non est, quòd ullum Dei beneficium expectetis. Fieri quidem potest, ut conniuente Deo sit aliquis uester successus, uerùm id omne demùm in uestram recidet perniciem. Ex ijs, quæ hucusque recitauimus, facile est ad postulata uestra respondere. quæ etiamsi niterentur æquitate, & iuri naturæ essent consentanea, tamen præcipua sui parte non consistunt, quia magistratui uultis ea per uim extorquere. quod ipsum et cum æquitate & iure communi pugnat. Is autem, qui uobis ea conscripsit, non est uir bonus. nam loca scripturæ, quibus uos accendit & periculis obijcit, non integrè recitat, neque bona fide, & propius inspecta nihil adeò pro uobis faciunt, ut etiam uehementer impugnent.

Iactatur hoc à uobis præcipuè, doctrinam euangelij uobis eripi: sed planè fieri non potest, ut ab euangelio quis arceatur: hęc enim doctrina non est ulli certo alligata loco, sed liberè per orbem terrarum uagatur & oberrat, sicut illa stella, quæ magis ab oriente sole profectis effulsit, &, quo loco Christus esset natus atq; recumberet, ostendit. In magistratus quidem est potestate, ab eo loco, ubi docetur euangelium, aditu quem prohibere: sed in nobis etiam positum est, uertere solum, & alijs in locis doctrinam hanc prosequi. Locus ipse non

eſt à nobis ui retinendus aut occupandus, uerùm relinquendus magiſtratui ſeu domino, et commigrandum aliò, ſicut Chriſtus ipſe docet. Quod eſt primum in ueſtris poſtulatis, de conſtituendis eccleſiæ miniſtris: rectè quidem habet, ſi rectus accedat ordo. nam ſi bona, quibus aluntur eccleſiæ miniſtri, profecta ſunt à magiſtratu, iam populo non licet illa tribuere cui libet: ſed primùm rogandus eſt magiſtratus, ut paſtorem conſtituat: ſi recuſet, populus aliquem deliget, ſuiſq; alet impenſis: ſi ne hoc quidem feret magiſtratus, tum qui delectus eſt à populo, fugiat, & unà cum eo qui uolet: ſi ſecus fiat, non poteſt abeſſe ſcelus & iniuria. Quod ad decumas pertinet, iniquiſsimum eſt. quid enim hoc eſt aliud, quàm magiſtratum abrogare totum? liberalitatem colite, ſed de ueſtro, non alieno. ſic prorſus agitis, acſi dominia rerum eſſent in ueſtra manu, qua quidem ex re facilè poteſt intelligi, quid ueſtræ ſit mentis atque conſilij. Seruitutem etiam tollitis omnem. quid hoc? nonne & Abrahamus & alij plærique uiri ſancti poſſederunt ſeruos? Paulum legite: is uos erudiet, de ſeruis quid ſtatuendum ſit. hoc ergò poſtulatū, ad uim etiam atque rapinam pertinet, & cum euangelio pugnat. nam qui ſeruus eſt, poteſt nihilo minus eſſe pius, & libertate Chriſtiana frui, ſicut is qui captiuus detinetur aut ægrotat. Vos eò ſpectatis, ut omnium ſit eadem conditio, ſint omnes æquales: hoc autem eſt abſurdum & ineptum. Nam hęc uita ciuilis & adminiſtratio reipublicę conſiſtere non poteſt, niſi perſonarum ſit diſcrimen, ut uidelicet alij ſint liberi, alij ſerui, alij præſint, alij pareant. Quæ reliqua ſunt de feris, de paſcuis, de ſyluis, de fluminibus, de tributis, et id genus alia, iureconſultis relinquo diſceptanda. nec enim ad officium meum pertinent, quod in eo uerſatur, ut mentes hominum in rebus ſacris inſtituam. Et hęc quidem eſt mea ſententia conſiliūq;, uiri fratres, quod à me flagitaſtis: nunc ueſtrum erit, quia ſcripturę teſtimonijs uos obtemperare uelle ſcribitis, animum huc adijcere. Neque uerò, cum hęc ad uos perferentur, mox clamorē tollite, quaſi magiſtratui ſim factus adulator, quaſi non rectè doceam, ſed prius rem omnem, & cuiuſmodi ſint argumenta, quibus utor, diligenter expendite. nam certè ueſtra res agitur. inprimis autem cauete ab ijs, qui uos extimulant, doctoribus. noui totum hoc genus hominum: abducunt uos in præcipitium, ut honores ac facultates periculo ueſtro conſequantur. Cauſa, cur falſum titulum, quo ſe uenditabant, tantopere illis obijcit, hæc erat, quòd in ſuis illi literis omnibus, cùm ad ſocietatem alios inuitarent

atq; co-

atq; cogerent, ad arma se uenisse iactabant, prçcepto diuinõ, et reipublicæ charitate quadam, ut euangelij doctrina celebretur & augescat & retineatur, ut ueritas et iustitia & uitæ honestas propagentur, & ut sibi suisq; consulant, ne qua ui deinceps opprimantur. Cùmque ad hunc modum sui facti rationem explicassent, paucis uerbis mandabant uicinis, ut statim & è uestigio sumptis armis accurrerẽt, opemq; ferrent, sin minus, tùm se quamprimùm ad ipsos cum copijs omnibus esse uenturos minabantur. Cùm ad hunc modum ijs respondisset Lutherus, principes etiam & nobilitatem scripto cõmonefaciens, uobis, inquit, solis acceptum ferri debet quicquid est hodie turbarum, uobis autem inprimis, qui titulum habetis ecclesiæ, qui ne hodie quidem adhuc desinitis euangelij doctrinam persequi, & quidem contra conscientiã: Deinde, uos, qui ciuilem obtinetis magistratum, hoc unum agitis, ut quocunq; modo compilata pecunia uobis suppetat ad omnem luxum atq; superbiam, ità quidem, ut miserũ uulgus hoc tantũ onus tolerare amplius non possit. Imminet sanè uobis longè grauissimum periculum, et quasi leniter suspensus gladius impendet ceruicibus uestris, & tamen sic estis interea securi, quasi nemo possit uos deturbare loco: sed hçc ipsa securitas uobis erit haud dubiè pernicioſa. Contemptum aliquandò deus effundit in uiros principes, ut est in psalmis: admonui uos non semel, ut ab eo malo diligenter caueretis: uerùm ultrò procurritis ad interitum, nec ulla uos mouet admonitio. redundabit igitur in uestrum caput, ira Dei, ni uitam emendabitis. Quæ passim conspiciuntur & accidunt prodigia, nihil fausti denunciant. Efferuescentem in nos iram Dei facile possumus ex eo cognoscere, quòd falsis doctoribus tantum in nos permittit, ut uidelicet in errores atq; tenebras abducti, meritò plectamur. Huc iam accedit ista seditio popularis, quę Germaniã funditùs perdet, nisi precibus nostris deus exoratus, medicinam adferat. Is autem est hodie rerum status, ut hunc uestrum dominatũ homines nec possint nec uelint, neq; sanè debeant ferre diutius. Omninò uos oportet transformari, & uerbo dei cedere: quod si plebs in hoc tẽpore nõ perficiat, alij succedent: ac licet plęriq; omnes à uobis interficiantur, tamẽ nouos excitabit deus, qui negociũ hoc agit & bellum uobis facit, et impietatis uestræ pœnã exposcit. E uobis nonnulli iactarunt, omnẽ sese fortunã & facultates impensuros in hoc, ut doctrina Lutheri tollatur funditùs: quid autem? nõne iam eò res deducta uidetur? Abſit ridiculũ in huiſce rebus. Dicebant olim Iudęi, nullũ se regẽ habere: sed eò demùm

recidit ipſorum reipublicę ſtatus, ut in perpetuum rege careant. Neque uerò contenti ſuperioribus delictis nonnulli ueſtrum, euangelio nouam faciunt contumeliam, & quicquid hoc eſt turbarum, meæ doctrinæ ferunt hunc eſſe fructum. Age, pergite ad hunc modum inſectari: cuiuſmodi ſit mea doctrina, quæ uox euangelij, non uultis cognoſcere, quod eſt obſtinati & maleuoli animi ſignum. Equidem inde ſemper ab initio docui modeſtè, & à ſeditionibus uehemẽter abhorrui, & populũ magno ſtudio ſum hortatus ad obedientiam magiſtratui pręſtandam, imò etiam, ut tyrannidẽ & impiam ueſtrã dominationem tolerarent, admonui: eiuſcę rei teſtimonium uel ipſi uos dare poteſtis: nõ eſt igitur à me profecta iſta ſeditio, uerùm ſanguinarij illi prophetæ, qui ſunt mihi nõ minus quàm uobis inimici, peſtem hanc inuexerunt, circumuenta plebe, percę triennium & amplius eò, rem iſtã agunt, nec interea quiſquam illis ità reſtitit, ac unus ego. Quòd ſi iam Deus, nequitiæ ueſtrę cauſa, Sathanæ permittit, ut per eiuſmodi prophetas, populi furorem in uos concitet, eocę res deueniat, ut facultas mihi tollatur impediendi malum hoc & tempeſtatem: quæ, cedo, culpa uel in me uel in euangelium transferri poteſt, cùm hæc ipſa, quã profiteor, doctrina, non modò ſęuitiã ueſtram perferat hucuſcę, ſed pro uobis etiam preces ad Deum effundat, ueſtrúmque ſtatum ad uulgus ornarit ſemper & ſummis commendationibus defenderit?

Quòd ſi iam cuperẽ ulciſci quas mihi feciſtis iniurias: riderem in ſinũ, eſſem huius tragœdię ſpectator, aut coniungerem me furenti plebi, &, quod dici ſolet, oleum adderem camino, & eſſem tanquam unguis in ulcere. Magnopere ergò uos oro, uiri principes, ne mea uobis admonitio ſordeat, néue ſeditio uobis hæc uideatur leuis: non ſanè quòd timeã, ne uos illi opprimant: nec enim metuere uos iſtud uelim: ſed ut ira Dei ſit uobis formidabilis. Nam ſi pro merito uos ulciſci cogitat, ut quidem metuo, non effugietis periculum, etiamſi minimæ ſint hoſtiũ cohortes. Itacę, ſi quis adhuc locus eſt conſilijs, oro, cedite furori, & imminentem procellã ſapienter depellite, & quoniam incertus eſt euentus, tum etiam, quia, quæ ſit dei uoluntas ignoratur: omnia uos prius experiri decet, & cauendũ ne ſuſcitetur incendium, quo tota conflagret Germania. Nam certè flagitia noſtra, quibus aduerſum nos irã dei concitauimus, in cõſpectu poſita ſunt, ità quidem, ut ad leuiſsimũ quencę ſtrepitum ſit nobis expaueſcendũ: mitto, cùm tantus hoſtiũ numerus coaleſcit, et uim intentat. Lenitas & clementia nullũ uobis adferet diſpendium, & ut adferat, magno tamen cum

fœnore

fœnore pòst omnia restituet: uim autem si adhibebitis, de summa rerũ forsan erit periclitandũ. Et cùm alijs rationibus multo plus consequi liceat, cur aleã hanc atq; discrimen subire uultis? postulata proposuerunt ad XII. è quibus aliqua sunt ità rationi et æquitati cõsentanea, ut meritò uos pudere debeat: sed tamen ad suum emolumentũ illi referunt omnia, neq; satis rem demonstrant, et sunt alia multò maiora, quæ uobis obijciantur, quæ ad rempublicam Germaniæ pertinent. ea quodam in libro diligenter explicauimus: uos autem, quibus ea propriè conscripsimus, quoniam illa repudiastis, iam multò duriora sustinetis, et uestro quidem merito. Postulant inprimis, ut legitimè constituantur ecclesiæ ministri, qui uerbum dei doceant. Et quanquã hic ad suum priuatum cõmodum spectant, quandò sumptum uolunt ex decumis alienis ad eam rem præberi: tamen denegari quod petunt, nulla ratione potest, nec enim ulli magistratui licet suos ab euangelij doctrina submouere. Cætera quæ pertinent ad seruitutes & id genus alia, nituntur & ipsa ratione. Magistratus enim est, non affligere, non diuexare populum, sed fortunas illius atq; commoda potius tueri et conseruare. Iam uerò nullus est expilationum modus: quæ sanè res diuturna esse qui potest? Quòd si homines rusticani, fructus annuos è suis prædijs atque fundis percipiant uberiores expectatione, magistratus autem & dominus tantò plus exigant ab eis tributi, atque hæc omnia summo cum luxu profundant: quid, cedo, commodi redeat ad miseros, aut quantula ex parte facta sit illorum melior conditio? Sanè coërcenda est omnis hæc profusio, & resecanda luxuries, ut illis etiam, quo uitam tolerent, aliquid superesse possit. Quod reliquum est, ex ipsorum literis iam diuulgatis accepisse uos puto. Sic utrisque sigillatim commonefactis, communem illis epistolam scribit, & quòd malam utrique causam tueantur, monet, ut ab armis discedant, & disceptatione causam finiant. Magistratui quidem demonstrat, quàm tetri semper fuerint atque funesti, tyrannorum, plebi uerò, quàm infœlices & calamitosi seditiosorum exitus, qui sumptis armis in magistratum proterui fuerunt. unũ imprimis deplorat, quòd cùm utrinque mala conscientia belligerentur, principes quidem ut suam tyrannidem confirment, alij autem, ut, quod cupiunt, seditiosè perficiant: animæ iacturam faciant omnes, quicunq; hoc in bello cadũt. Deinde Germaniæ uicẽ deplorat, quæ ciuili hoc bello sit interitura prorsus: facilè quidem arma sumi, uerùm non ità facilè, cùm uolumus, deponi: Monet igitur ut abstineant, neque tam perturbatum

atq; cruentum reipublicæ ſtatum, poſteritati relinquant: armis nihil ad diuturnitatem poſſe perfici, ſed emendatione uitę ac ratione, plurimum. Hortatur, ut per uiros bonos utrinq; delectos cauſa diſceptetur: magiſtratus de ſummo iure aliquid remittat: plebei uiciſsim acquieſcant recta monentibus, & à poſtulatis nõnullis etiam diſcedant: hoc ſuum eſſe conſilium, cui niſi pareant, ſe fore utriuſq; ruinę ſpectatorem: nefas enim utrinq; uerſari, & bellum eſſe plebi contra principes, ut in oppreſſores ipſorum ſalutis atq; fortunæ: magiſtratum inuicem conflictari cum plebëis, ut cum latronibus, & ijs, qui nomini Chriſtiano contumeliam faciant: In hac ipſorum obſtinata ferocia ſe rogaturum eſſe Deum, ut aut concordiæ uiam oſtendat, aut utriuſq; partis conſilia retundat et conatus: quanquam, tot nunc editis prodigijs, ualde ſe formidare inquit, & in magna uerſari ſolicitudine, ne iam ira dei mitigari poſsit atq; depelli, non magis, quàm tũc, quandò per Ieremiam denunciauit, offenſionem & iram ne ſanctiſsimorum quidem uirorum precibus condonare ſe uelle, quò minus populum Iudaicum affligeret: nihil ergò magis optare ſe dicit, quàm ut reſipiſcant et Deum uereantur, quò ſaltem calamitas iam impendens differri poſsit atq; mitigari. Dum hac ratione tumultum ſedare ſtudet: illi per Franconiam alijſq; in locis ſubitò progreſsi, non pontificijs modò ſed nobilitati quoque bellum faciunt, & longè lateq; graſſantur, ut diximus. Ibi tùm Lutherus, alio euulgato ſcripto, hortatur & inſtigat omneis, ut uelut ad commune reſtinguendum incendium, ſic ad iſtos conſceleratos & nefarios latrones ac parricidas trucidandos accurrant, qui & fidem magiſtratui datam turpiſsimè uiolarint, & alienas poſſeſsiones per uim occupent, & hanc tam horrendam impietatem atq; nequitiam, Chriſtiani nominis tegumento circumueſtiant. quo quidem nihil indignius, nihil turpius excogitari poſsit.

Illa etiam, quibus utuntur, argumenta, paucis refellit, ut ſuprà copioſè docuimus. Deinde magiſtratui demonſtrat, quàm nihil dubitare debeant aut uereri, quò minus hanc ſeditioſam colluuiem inuadant & opprimant: hoc enim ad ipſorum propriè officium pertinere, nec enim ipſis modò, ſed & cuiuis priuato licere, hominem ſeditioſum quocunque tandem modo interficere, propterea, quòd ſeditione nullum exiſtere poſsit in republica malum pernicioſius: Et quò plures etiam iſti pertrahant ac ſecum rapiant inuitos in ſuam ſocietatem aut furorem potius, eò plus ineſſe ſceleris, & tantò uehementiori opus eſſe animaduerſione: profeſſos initiò, quaſi & diſceptationem

cauſæ

cauſæ ferre poſſent,& admonitionem quoque,ſi meliora quis adferret:itáque ſe non auſum fuiſſe tum illos condemnare, quandiu intra hos fines ac ueluti cancellos conſiſterent, nunc autem,quandò ſimulaſſe ipſos omnia res ipſa doceat,ſibi quoq; uertendum fuiſſe ſtylum. Ideóq; claſſicum canit, & monet,ut in eos non ſecus ac in efferatas beluas,impetus promiſcuè fiat ab omnibus. Hunc eius libellum,ut nimis acrem & cruentum multi paſſim uituperabant:ipſe uerò prolixè reſpondet, ſententiámque ſuam tuetur, & ne in illos quidem utendum eſſe miſericordia demonſtrat, qui à reliqua multitudine coacti,ſeditioſè quid perpetrarint: illis uerò ſolis ignoſcendũ,quod & antea ſemper dixerit,qui admoniti deditionem fecerint. Diximus anteà,quomodo Cæſar conuentum Imperij,futurũ Spiræ menſe Nouembri ſuperioris anni,miſſis ab Hiſpania literis inhibuit:cùm autẽ turbulentus admodum eſſet Germanię ſtatus,& à Turca etiam graue periculũ impendéret, datis iterum Toleto literis, ad XXIIII diem Maij,cur ſuperiorem conuentum agi noluerit,repetit:neq; tamen hoc ſic accipiendum eſſe dicit,quaſi de reliquis Imperij negocijs interim nulla deliberatio fieri debeat: agnoſcere enim ſuum eſſe munus, ut & religionem Chriſtianam, & pios ritus atque conſuetudines à maioribus acceptas defendat, doctrinam uerò pernicioſam & religionis innouationem prohibeat: itáque ſui eſſe propoſiti, ut de conſenſu pontificis maximi concilium publicum habeatur: ſed quoniam id forſan aliquantò tardius futurũ ſit, atq; interim tamen multa per Germaniã fieri contra decretum Vuormacienſe,motus etiam atque ſeditiones oriri quaſdam audiat contra magiſtratum: deinde, quoniam & inter ipſos principes ac ordines magnæ ſint multæq; controuerſiæ,tum etiam, quia Chriſtiani nominis hoſtis perpetuus, Turca,noſtris iam finibus impendeat: in iudicio quoque publico & ſenatu Imperij multa emendationem deſiderent: his de cauſis cõuentum indicere ſe totius Imperij,ut ad calẽdas Octobreis Auguſtę ſint omnes,déq; republica tractent, inprimis autem de perpetuandis in Turcam auxilijs:quòd ſi coràm ipſe non poſſit intereſſe,daturũ alijs negocium,qui ſuum locum expleant. Hæ literæ ſerius redditæ fuerunt in Germania,nempe ad XIII Auguſti diem:quapropter de Ferdinandi regis,quem Cęſar ſibi legauerat,& aliorum uoluntate,productus fuit hic dies ad Martiniana,ſeu Nouembris diem XI,ut longinquiores etiam ad iter ſeſe comparare poſſent. Is,de quo ſuprà dictum eſt,Caroloſtadius,à Luthero diſſentiens, Vittemberga reli-

cta, clandestinis illis doctoribus, qui uisiones & colloquia cum Deo simulabant, ut antè diximus, multū erat familiaris. hac potissimùm de causa, Saxoniæ princeps finibus illi suis interdixerat: ipse uerò libellis editis, Lutherum & collegas insectabatur, ut nouos Romani pontificis adulatores, quasi de Missa, de delictorum confessione, de statuis & id genus alijs rebus male docerent: illa etiam Christi uerba, Hoc est corpus meum, sic interpretabatur, hic sedet corpus meum. deinde, nec à principe quidem abstinens, fortunam & exilium suum odiosius exagitabat, eiúsque rei culpam in Lutherum conferebat. Ad ea Lutherus prolixè respondet, & dogmata sua defendit, & iustam subesse causam dicit, quamobrem princeps eum intra suos fines non patiatur. Postea uerò, quàm illa seditio popularis oppressa fuit, & profligati rusticanorum exercitus, cùm passim ad supplicia multi raperentur, Carolostadius, in magnis positus angustijs, libellum efficit, quo se diligenter ac solicitè purgat, & ab ijs, qui ipsum inter seditionis authores ponant, iniuriam sibi fieri demonstrat, & scriptis literis ualde orat Lutherum, ut & hunc libellum edat, & suam innocentiam tueatur, ne indicta causa, uitæ ac bonorum discrimen sibi sit adeundum immerenti. Lutherus edita epistola, tametsi grauiter à se dissentiat ille, tamē, quòd in his difficultatibus ad se cōfugiat potius quàm ad alios, qui ipsum in se concitarint, nolle se spem illius atq; fiduciam fallere dicit, præsertim cùm hoc etiā propriè sit hominis Christiani. rogat igitur magistratum, & in uniuersum omneis, quandoquidē & crimen intentatū à se remoueat, & notionem non recuset, & legitimo iudicio parére uelit, ut hoc ipsi concedatur: hoc enim esse plenū æquitatis & officij. Post hæc, Carolostadius alterū mittit Luthero libellū, quo profitetur, ea, quę de cœna domini scripserit, nō definiendi, sed disputandi & ueritatis eruendæ causa scripsisse. Lutherus excusationē accipit: monet tamē homines, quoniam ipsemet dubitare se testetur, nec certū quid definiat, ut ab eius opinione sibi caueant, aut, si fortè & ipsi dubitent, eousq; differant, donec quid certò sequantur, appareat: nā in ijs quæ nobis credenda sint, minimè hærendū aut uacillandum esse, uerùm adeò certā cognitionem esse comparandā, ut potius quàm à sententia discedamus, millies mori nō recusemus. Per hos ferè dies Lutherus quandā è sacris, ut aiunt, uirginibus, in matrimonium duxit, qua quidem re magis in se concitauit aduersariorū criminationes. tunc enim planè ipsum furere, & Sathanæ factū esse mancipium clamabant. In hoc

ipso

ipſo tempore, Vlrichus Zuinglius, de quo ſuprà quoque dictũ eſt, eccleſiæ Tigurinæ miniſter, in rebus omnibus propè Luthero conſentiens; de cœna domini & ipſe diuerſum ab eo docebat. nam illa Chriſti uerba, hoc eſt corpus meum, Lutherus intelligit ſimpliciter & nudè, nec aliam admittit interpretationẽ, & corpus atque ſanguinem Chriſti uerè eſſe in pane ac uino, & ſic etiam ore percipi dicit: Zuinglius autem contendit eſſe tropum, & id genus alios cõplures ait in Bibliis reperiri, et ea quę diximus uerba ſic exponit, Hoc ſignificat corpus meũ. ei ſubſcripſit Ioannes Oecolampadius, eccleſię Baſilienſis miniſter, & ſic interpretatur. hoc eſt corporis mei ſignum. utrinque res magna contentione fuit multíſque ſcriptis agitata: Lutheri ſententiam probarunt Saxones, Heluetij uerò, Zuinglij: ſecuti ſunt alij, qui ſecus explicarunt, ſed una eſt horum omnium opinio, corpus & ſanguinem Chriſti, ſpiritualiter non corporaliter, nec ore ſed corde ſumi. per triennium, & amplius eò durauit hoc diſſidium, ſtudijs hominum huc illuc inclinantibus: Marpurgi demùm in collocutionem uentum eſt, authore potiſſimùm Lantgrauio, ut ſuo loco dicetur. Erat per id tempus Auguſtæ Vindelicorum indictus à Ferdinando rege conuentus, ut paulò ſuprà docuimus: quia uerò perpauci eò uenirent, ob eam, de qua dictum eſt, ſeditionẽ popularem, dilata res fuit in annum ſequentem, ad calendas uſque Maij, quod ad tempus, ipſum quoque Cæſarem ex Hiſpanijs adfuturum eſſe, ſpem faciebat Ferdinandus. ei cõuentui deſignatur Spira. decretum fuit tamen inter alia, magiſtratui prouidendum interea eſſe diligenter, ut concionatores uerbum Dei populo proponant & explicent iuxta ſententiam doctorum, quos eccleſia Chriſtiana recepit, útque doceant non ſeditioſè, uerùm ſic, ut nomen Dei celebretur & tranquillitas retineatur. Dum Galliæ rex Franciſcus in Hiſpania captiuus detinetur, eius mater Aloïſia, ſummam rerum adminiſtrabat, & retinendi pontificis cauſa, cùm alijs de rebus, tùm, quo eſſet erga Romanam eccleſiam animo, quáque obſeruantia, literis & internuncijs illi ſignificabat. Clemens ergò ſeptimus, datis literis ad ſenatum Pariſienſem: uulgò parlamentum uocãt: ex illa ſe cognouiſſe dicit, quemadmodum & per Galliam ſerpere iam incipiant impiarum hæreſum mala, & ipſi prudenter atque prouidè quoſdã delegerint, qui dent operam, ut in eos, qui fidem ac ueterem religionẽ oppugnare conantur, animaduerſio fiat: hos ipſos ad eam rem delectos, authoritate ſua ſe cõprobare etiam: in hoc nimirum tanto tánq

graui tumultu, quem Sathanæ malitia & satellitum illius furor ac impietas excitarit, omnibus elaborandum esse, ut salus omnium communis conseruetur, quandóquidem hæc rabies non religionem modò, sed omnem principatum, nobilitatem, leges ordinésque confundere ac permiscere cogitet: se quidē nulli parcere nec labori neque curæ, ut medicinam huic malo faciat: ipsos etiam, quorū uirtus atq; prudentia sit ubiq; memorabilis, debere in hoc esse totos, ut non solùm ueritas & recta fides, uerum etiam istius regni salus, & ipsorū ordinis dignitas, à domesticis periculis & calamitatibus custodiatur, quas hæc pernicioſa & pestifera hęresis ubique disseminet: ipsos quidem hortatione non indigere, qui suæ sapientiæ documenta iam ostenderint, sed tamen pro suo, quod obtineat, munere, próque ea, qua complectatur ipsos, beneuolentia, uoluisse hoc etiã addere: nam & placere sibi uehementer quæ adhuc egerint, & hortari, ut in posterū, simili animo atque uirtute, pro gloria Dei & pro totius regni salute, contra impiam hanc hæreticorum pestem, diligenter excubent: hoc & Deo fore longè gratissimum, & apud homines etiam maximis laudibus celebratum iri: se quoque suam ipsis operam omnem in eo communicaturum esse. Hæ literæ, xx die Maij Romæ scriptæ, senatui redditæ sunt Luteciæ, xvii die Iunij. Per absentiam quoq; regis captiui, Parisienses theologi, Iacobū Fabrum Stapulensem, cuius & de philosophia multi extant libri, & de sacris etiã rebus, exagitabant, ità quidem, ut ille deserta Gallia migraret aliò. Certior autem de eo rex factus, commendatione potissimùm suæ sororis, Margaritæ, quę Fabrum propter uirtutem amabat, dat literas ad senatum Parisiensem. audire se, litem esse motam apud ipsos, Iacobo Fabro, & quibusdam alijs eruditione præstantibus uiris, theologorum impulsu, qui Fabrum inprimis ualde oderint: nam & ante suam ex Gallijs profectionem, ab eius ordinis nonnullis, grauiter ad se delatum fuisse illum, sed immeritò & calumnioſè: tunc etiam magnis quibusdam & claris doctrina uiris negocium se dedisse, qui de libris illius atque scriptis, quorum nomine fuisset accusatus, cognoscerent: eos autem, rebus omnibus inuestigatis atque perpensis, amplum & honorificum illi testimonium apud se dedisse: quod cùm ità sit, & quoniam illius magna sit apud Italos & Hispanos, opinio uirtutis atque doctrinæ, quod quidem interea resciuerit, idcircò graue sibi futurum, si qua creetur ei molestia uel periculum innocenti. Cúnque seuerè & integrè, per suum regnum, ius administrari,

niſtrari, ſi unquàm aliàs, nunc maximè uelit, deinde, quia uiris doctis omnem deinceps beneuolentiam præſtare cogitet, ideò mandare, ſi qua ſit poſt abitionem ſuam inſtituta lis in illos & actio, ut ad matrem ſuam, quæ ſit cum imperio, referant, quò per eam certior ipſe fiat, útque ſuam in eo mentem atque ſententiam expectent, neq; longius progrediantur, & omninò ſuperſedeant, donec uel ipſe reuerterit, quod iam breui futurum ſperet, Dei beneficio, uel aliud in eo decretum ipſe matérue fecerit. Hæ literæ, datæ Madricij, oppido Hiſpaniæ, ad XII Nouembris diẽ, ſenatui Lutecię redditæ ſunt eiuſdem menſis die XXVIII. Eſt hoc omninò uelut inſitũ ſuperioris ætatis theologis, ut uiros doctos exagitent. huius autẽ rei cauſa eſt, quòd inſcitiam ſuam uident eſſe deſpectam. Hoc anno mutatus fuit reipublicę ſtatus per Pruſſiam, quæ eſt extrema Germaniæ prouincia, uerſus mare Balthicum. Repetemus autem rem paulò altius. Henrico VI, Friderici Barbaroſſæ filio, Cæſare, cùm pro recuperanda Hieroſolyma Chriſtiani bellum gererent, inſtitutus eſt ordo militum, ut uocant, Marianorum Teutonicorum. qui quoniam pro religione pugnabant, crucem albam in ueſtibus ferebant, uelut inſigne quoddam atque notam ſuæ profeſſionis. fuit hoc ad annum ſalutis M. C. nonageſimum. Eius ordinis primus magiſter, fuit electus, uti memoriæ proditum eſt, in caſtris ad urbem Ptolemaida. Pruſſiam deinde ſibi ſubegerunt illi, Friderico ſecundo, Cæſare: & quum auctis uiribus bella geſſiſſent aliquándiu cum Poloniæ regibus, prælio uicti, fidem per iuſiurandum dederunt Caſimiro Poloniæ regi, patri Sigiſmundi. A primo magiſtro uſque ad Albertum Marchionem Brandeburgicũ interceſſerunt triginta tres. Albertus autem electus fuit anno ſalutis M. D. XI. per biennium graue bellum geſſit cum Poloniæ rege Sigiſmundo, & anno ſalutis M. D. XXI pactæ fuerunt in annos quatuor induciæ. Interea ſubinde ſolicitat Cæſarẽ Albertus & ordines Imperij, de auxilijs, et ad comitia Noribergæ, de quibus antè diximus, ipſe uenit, et ut Imperij princeps, locum ſuum habuit in conſeſſu. nam belli cauſa erat, quòd in Poloni uerba iurare nollet. Cum autem & Cæſar eſſet bello Gallico impeditus, & Turca in Vngariam impetum faceret, & ſeditione ruſticorum diſtineretur Germania, ſic, ut auxilium inde nullum expectari poſſet, & iam exirent inducię, pacem cum Polono facit, eíque fidem dat, ut præcipuo ſuo magiſtratui, & euangelij doctrinam ſuſcipit, & mutato ordine, Pruſſiam ſibi uendicat, & qui fuit antè magiſter, iam

de uoluntate regis, Dux Prussiæ salutatur, & aliquantò pòst, in matrimonium ducit Friderici Daniæ regis filiam Dorotheam, & academiam Conigspergi, montem regiũ uocant, instituit. Eo facto uniuersum ordinem in se concitauit. nam etsi Prussiam tenebat, ac Poloniæ regis præsidio nitebatur, tamen de communi cõsensu Vualtherus Cronbergus ei suffectus est, qui priscum nomen atq; statum repræsentaret. Is deinde in omnibus comitijs grauiter eum accusabat, ut suo loco dicetur. Ille autẽ, edito scripto, sui facti rationem explicat, & quemadmodum extrema necessitate coactus, quum ab Imperio destitueretur, in Poloni clientelam sese dederit, ostendit. Extant Leonis decimi pontificis epistolæ ad Sigismundum & Albertum, quibus ad concordiam eos, útque legato suo, quem sit missurus, uel concilio Lateranensi causam permittãt, hortatur: nam inprimis conuenire, ut regum disceptationes à concilio iudicentur.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber VI.

DE SCRIPTIS ADVERSARIIS ANGLIAE REGIS ET Lutheri, suprà diximus: Cùm autem interea quædam audisset Lutherus, quæ ad regis laudem atque commendationem pertinerẽt, exhilaratus ea fama, demissè admodum illi scribit. Nõ se dubitare, quin grauiter ipsum offenderit, edito libello: sed id factũ esse non tàm sua sponte, quàm aliorum impulsu: Quòd uerò nunc ausit his literis interpellare, summa ipsius humanitate fieri, quæ ualde prædicetur à multis: deinde, quòd libelli contra se scripti, non ipsum esse authorem, & à sophistis hoc insidiosè fuisse captatum intelligat. Hic autem per occasionem de cardinali Eboracensi locutus, Angliæ pestem nominat: audire etiam se, magna sanè cum uoluptate, ipsum et fastidire genus illud perditorum hominum, et ad ueri cognitionẽ animum adijcere: quapropter orat, ut sibi factũ illud condonet, útque meminisse uelit, cùm sit mortalis, non oportere inimicitias esse immortales: quòd si iubeat, uelle se peccatum hoc suum profiteri

fiteri palàm, & ipſius uirtutem alio celebrare ſcripto. pòſt, hortatur, ut calumniatorum uoces defugiat, qui ſe uocent hæreticum: nam doctrinæ ſuæ caput hoc eſſe, quemadmodum fide per Chriſtum nos oporteat fieri ſaluos, qui noſtrorum ſcelerum pœnam, collo, cerui-cibus et corpore ſuo toto ſuſtinuit, qui pro nobis mortuus ac reſuſcitatus, cum patre in ſempiternum regnat: hanc eſſe prophetarum & apoſtolorum omnium doctrinã: eo poſito fundamento, docere ſe, quæ ſint charitatis officia, quid inuicem nos oporteat alterum alteri præſtare, quomodo ſit obediendum magiſtratui, et euangelij profeſſioni omnis accommodanda uita: ſi quid in ea doctrina ſit impietatis & erroris, cur eum non demonſtrent aduerſarij? cur ſe nec auditum nec conuictũ damnent atq; proſcribant? quòd pontificatũ Romanum et ipſius omnẽ clientelam reprehendat, eò facere, quòd illi diuerſum à Chriſto & ab apoſtolis doceant, quæſtus et emolumẽti cauſa, quò uidelicet reliquis omnibus imperent, & in ſummis delitijs helluentur: hunc enim ad ſcopũ, cogitationes illorũ omneis atq; facta dirigi: hoc etiam uulgò ſic eſſe notum atq; teſtatum, ut nec ipſi quidẽ negare poſſint: Quòd ſi mores emendarent, nec alieno cum diſpendio & iniuria uitam hanc ducerẽt ignauam atq; turpem, facilè poſſe diſſidium ſedari: Germaniæ principibus ac ciuitatibus non paucis dogmata ſua probari, qui beneficium hoc Dei reuerenter agnoſcant: cupere ſe plurimùm, ut & ipſe in eo numero cenſeatur: Quòd uerò Cæſar & quidam alij contra ſe moliantur, non eſſe nouum: Dauidem multis antè ſæculis prænunciaſſe, futurum, ut reges atque populi contra dominũ & Chriſtum uaria meditentur, & imperiũ eius proijciant: ſibi quidẽ ad eiuſmodi ſcripturæ loca reſpicienti, mirum etiam uideri, ullũ eſſe principẽ, qui faueat euangelij doctrinę. Poſtremo loco, reſpõderi ſibi benignè petit. Nõ multò pòſt, ad Georgiũ quoq; Saxonię ducem ſcribit, & conſueuiſſe Deũ, ait, initio quidem ſeuerè et acriter homines caſtigare, pòſt uerò, leniter et amanter complecti: terrorẽ tunc atq; metum intuliſſe Iudæis, cùm legẽ ipſis per Moſen ferret, poſtea uerò per euangelij prædicationem ſummũ denunciaſſe gaudium: ſe quoq; ſimilem rationem ſecutũ, aſperius aliquantò tractaſſe nonnullos, & ipſum quoq;, ſed interim tamen alia quędã ſcripſiſſe, plena conſolationis atq; fructus: ex quo facilè ſit uidere, nulla ſe maleuolentia, ſed ſolo ſtudio ueritatis laborem hunc omnem ſumere, ut proſit omnibus: audire autem ſe, nihil ipſum de offenſione contra ſe & iracundia remittere, ſed exacerbari magis

atque magis : hanc nimirum esse causam, cur nunc ad ipsum scribat: Orare uehementer, ut suam doctrinam oppugnare desistat, nõ quidem sui causa, cui præter uitam nihil auferri possit, sed ipsius potissimùm gratia, cuius in eo uertatur salus: Cùm enim certò sciat, doctrinam suam consentire prophetarum & apostolorum scriptis, ideò se magnopere de ipso, qui tàm acerbè illam oderit & persequatur, solicitum esse: monet etiam, ne ad suæ personæ tenuitatem respiciat: nõ enim suum hoc esse negocium, sed omnipotentis Dei: licet omnes fremant & indignentur, permansuram tamen eam esse doctrinã in sempiternum : eóque magis dolere sibi, quòd ipsum ità tumultuari uideat & impingere : stationem hanc non se posse deserere, & quoniã ipsi alioqui gratificari cupiat, orare, ut sibi ignoscat, quòd durius quædam in ipsum dixerit: se uicissim precaturum esse Deum, ut ipsi culpam omnem contempti & afflicti euangelij condonet : neque dubitare, quin sit exoraturus, modò ipse desistat ab incœpto, neque lumen illud orbi terrarum accensum beneficio Dei, conetur extinguere : nam si pergat ità sæuire, imploraturum se gratiam & auxilium Dei contra ipsum, atque ità fore, ut serò tandem intelligat, quid sit, uelle maiestatem diuinam oppugnare : fidem enim habere se firmam & indubitatam promissionibus diuinis, atque ità sentire, suam orationem esse potentiorem omnibus artibus & insidijs diaboli: ad eam quoque se perpetuò confugere, tanquam ad munitissimum propugnaculum & arcem . Angliæ rex, accepta Lutheri epistola, quam suprà recitauimus, acerbè respondet, inconstantiam & leuitatem illi obijciens : libellum quoque suum defendit, & multis uiris bonis atque doctis pergratum esse dicit : quòd cardinali Eboracensi, reuerendo patri conuicium fecerit, nõ in eo se mirari, qui nec à diuorum nec ab hominum abstineat contumelia: sibi totíque regno perquàm esse utilem ac salutarem cardinalis operam: & cùm antehac illum ualde semper dilexerit, nunc demum esse multò maiori beneuolentia complexurum, postquam ipse eum criminetur: nam illum inter alia hoc etiam utiliter et magna cum fide atq; diligentia præstare, ne quid ipsius leprę, contagionis & hæresis in suo regno disseminetur & adhærescat : pòst, exprobrat, quòd incestum matrimoniũ contraxerit, quo uix ullum designari possit turpius flagitiũ. Cardinalis Eboracensis erat, Thomas Vulseus, obscuro loco natus, uerùm summæ apud regem dignitatis. Georgius quoque princeps Luthero sic respõdet, ut, quanto ipsius flagraret odio, facilè posset animaduerti.

Cùm

Cum in Hiſpaniã ex Gallijs miſſi de pace legati, in quibus etiã erat regis captiui germana ſoror, Margarita, uidua, nihil efficerẽt, Aloiſia mater, quæ rei ſummam obtinebat, muniendi ſui cauſa, Britanniæ regem Henricum in ſuum fœdus & amicitiam adduxit. fuit hoc ſub Auguſti menſis exitum. fœderis hoc primũ eſt caput, ut & Turcarum impetus & peſtifera ſecta Lutherana profligetur, à qua non minus periculi ſit, quàm à Turcis. Hoc fœdus, Anglię cardinalis, qui ſolus omnia tunc poterat, regi perſuaſiſſe putatur. nam Cæſari minus bene uolebat, quòd per eũ ſtetiſſe crederet, quò minus ipſe, poſt mortẽ Adriani, crearetur pontifex, ut quidẽ Cęſariani ſuis in libellis recitant. Lutherus, ubi regis Angliæ reſponſum, typis euulgatũ legit, & inconſtantiã ſibi uidit obijci, quaſi de doctrina ſententiã mutaſſet: quia non ad ſuam priuatã, ſed ad euangelij profeſſionis iniuriã hoc pertinere iudicabat, plurimùm ſibi dolere ait, quòd amicis gratificatus, adeò ſcripſerit ad illũ demiſſè: Chriſtiernũ Danię regem & coràm & per literas nõ deſijſſe rogare & admonere, ut amanter ſcriberet, & illius prædicata humanitate ſpem feciſſe, fore, ut leniter tractatus, puram doctrinã reciperet: nunc autẽ intelligere ſe, quantum errauerit: idem ſibi accidiſſe in cardinali Caietano, in Georgio Saxoniæ duce, in Eraſmo Roterodamo, quibus omnibus amanter, aliorũ hortatu, ſcripſerit, nec aliud ſit conſecutus tamen, quàm quòd ferociores ipſos effecerit: ſtultè factum ab ſe, qui pietatẽ in aulis principum inuenire ſe poſſe putet, qui Chriſtum quærat, ubi principatum ſathanas obtineat, qui Ioannem Baptiſtam inter purpuratos inueſtiget: cùm igitur placido et amico ſcribendi genere nihil proficiat, aliã ſe rationem initurum eſſe deinceps. Gallię rex, quòd pacis tractatio non ſucceſſerat, acriori cogitatione ac ſolicitudine perturbatus, in aduerſam incidit ualetudinem: ſed recreatus colloquio Cæſaris, qui bene ipſum ſperare iuberet, melius tandem cœpit habere. Cæſar etiam apud ſe reputans, quàm eſſet amiſſurus magnam prędam, ſi quid illi contigiſſet humani, ad pacem indies magis atque magis animum adiecit. Itáq; XIIII demùm Ianuarij die, de rebus omnibus, Madricij tranſactũ fuit, in eóq; ſcripto, quod pacificationis formulam cõtinet, hoc inter alia cõmemoratur. Cæſarem atq; regem eò potiſſimùm ſpectare, ut & Chriſtianæ religionis hoſtes, & ſectæ Lutheranæ extirpentur hæreſes: item, ut pace inter ipſos facta, rempublicam cõſtituant, & in Turcas bellũ ſuſcipiant, & hæreticos, ab eccleſiæ cõmunione alienos: nam & hoc eſſe cumprimis neceſſariũ, & M. D. XXVI.

pontificem maximum sæpe monuisse, multúmq; solicitasse, ut in hãc curam incumberent: eius igitur desiderio ut satisfaciant, decreuisse ipsum orare, ut ad certum diem, loco idoneo, regum omnium atque principum legatos cõuenire iubeat, qui plenam habeant agendi potestatem, quæ uidebuntur esse cõmoda tum suscipiendo bello Turcico, tùm profligandis hęreticis, hostibus ecclesiæ: deinde, ut ijs principibus, qui negocium agent tàm pium tánq; sanctum, in sua cuiq; prouincia, rationem permittat colligendę pecuniæ, consuetã in hisce rebus & usitatam: concedat etiam, ut stipendiũ in eã rem ecclesiasticis imperetur. Hac in pacificatione soror germana Cæsaris Eleonora, quæ Lusitanię regi Emanueli nupta fuerat antea, despondetur Galliæ regi. Cęsar in dotem ei promittit aureorum millia ducenta, et quædam in Heduis loca, de quibus inter ipsum atq; regem erat controuersia. Rex autẽ, ubi domum redierit, intra tempus bimestre, Burgundiæ principatũ, quem Galliæ reges inde à Caroli Burgundionis morte tenebant per annos iam ferè quinquaginta, Cæsari promittit reddere: deinde, Neapoli, Mediolano, Genuę, Astę, Flandrię renunciat: Hẽrico regi Nauarræ, Carolo duci Geldrię, Vlricho Vuirtembergico duci, Roberto Comiti Marchiano nullã feret opẽ: per Italiam nulla tractabit occulta consilia: cùm in Italiã Cęsar ire uolet, classem ei subsidio mittet triremium sexdecim, omnibus rebus, prętereq; milite, instructam & ornatam, ac simul aureorũ millia ducenta, ut armetur: quam Britannię regi Cęsar debet ex pacto pecuniam annuã, eam rex Anglo soluet: Borboniæ ducem Carolũ atq; socios in integrum restituet, suisq; bonis uti frui permittet, sic ut illis, ubicunq; uelint, habitare liceat: quam de prouincia Massilienśi Borbonius habet actionẽ, eius nomine rex iuri sese quouis tẽpore sistet. His conditionibus, cùm fidem Cæsari dedisset, liberatus, domũ redit, & Hispanię finibus egrediens, filios duos, Franciscum & Henricũ, ualde paruulos, obsides ibi relinquit, uti conuenerat, & nisi pacta seruet, captiuũ sese denuò sistere pollicetur. Posthæc, Germanię principes admodum frequentes conueniunt Spiræ, ut cõstitutum erat, sicut libro superiori diximus. In his etiam fuit elector Saxoniæ Ioannes, & Lantgrauius Hessiæ, Philippus. Cęsaris erant legati, Ferdinandus frater, episcopus Tridentinus Bernardus, Casimirus Brandeburgicus, Philippus Badensis, Gulielmus Bauarus, Ericus Brunsuicensis. Hi XXV Iunij die facto initio, cùm indicti cõuentus à Cęsare causam exposuissent, hoc etiam addebant, Cęsarẽ inprimis uelle atq; mandare, ut ordines communi cõsilio decernant, quomodo religio Christiana

& eccle-

& ecclesiæ uetus atque per manus deducta consuetudo ualeat apud omneis & integra permaneat: deinde, quomodo sint mulctandi qui contrà faciunt & cohercendi, si fortè uim atque potentiam opponant, quomodo sint etiam communicanda inuicem auxilia, ut & Cæsaris edictum Vuormacienſe, promulgatum ante annū quintum, & huius etiam conuentus decretum seruetur ab omnibus, & in executionem ueniat. Cùm iam ex omni principum & ordinum numero certi quidam essent delecti, qui de his rebus omnibus agerent, & in his etiam Lantgrauius, Iacobus Sturmius Argentinensis, & Cressus Noribergicus: legati Cæsaris, Augusti die tertio rursus conuocant omneis ordines, ac intelligere sese dicūt, ab ipsis aliquem numerum esse delectum eorū, qui de rebus propositis inter se conferant: hos autem, sua quidē sententia, de religione fortè primum esse deliberaturos: uerùm, ut in eo Cæsaris uoluntati mos geratur, ut ne quid ab illis tractetur, de quo statuendi facultatem ipsi nullam habeant, deinde, ne temporis iactura fiat atque dispendium, & reliquis deliberationibus impedimentū inferatur, idcircò, quid à Cæsare habeant in mandatis, hac quidem in re, uelle ipsis communicare. Postea literas Cæsaris, datas Hispali, XXIII die Martij recitant: earum literarū hæc erat summa. Se cogitare in Italiam atque Romam, inaugurationis causa, tum etiā, ut de concilio cum pontifice agat: sed interea temporis uelle atque mandare, ne quid ordines in hoc cōuentu statuant, quod ullo modo sit contra ueterem ecclesiæ morem, leges atque ceremonias, útque suis in ditionibus omnia cōstituant secundum edicti Vuormacienſis formulam, quod ipsorum communi consilio factum sit & euulgatum: hanc uerò moram leniter ferant, donec ipse cum pontifice maximo egerit de concilio, quod omninò breui sit futurum: nam illis priuatis actionibus non modò nihil profici, sed errores etiam atque licentiam uulgi magis confirmari. Per hoc tempus, Turcarum Cæsar, Belgrado profectus, cùm Danubium atque Sauum transisset, Vngariam rectà petit. Itáque Ludouicus rex, missa rursus legatione Spiram, auxilia postulat. Ex Italia quoq; certus tunc adferebatur nuncius, Clementem pontificem ac Venetos, inito fœdere cum rege Galliæ, qui nuper ex Hispanijs domū reuerterat, oppugnare Cęsarē, ut infrà dicetur. ijs, quas suprà dixi, literis Cæsaris recitatis, plæræq; ciuitates, præsertim, superioris Germaniæ, quid ipsorū esset cōsilij, scripto, sicuti fieri solet, explicabant. Cupere se modis omnibus obtemperare Cęsari atque gratificari, sed religio-

nis controuersiam indies augescere, maximè uerò de ceremonijs & deprauationibus rituum: antehac edictum Vuormacienſe non potuiſſe, turbarũ atq; ſeditionis metu, ſeruari, nunc autẽ eius rei multò maiorem obijci difficultatem: hoc etiam, cõuentu ſuperiori, diſertis uerbis, legato pontificio fuiſſe demonſtratum: ne Cæſarem quidem ipſum, ſi coràm adeſſet, ac de rerũ ſtatu doceretur, eſſe iudicaturũ aliter: De concilio quidẽ ſuis in literis Cæſarem polliceri, ſed quo tempore literas illas dedit, rectè ipſi cum pontifice conueniſſe: nunc uerò longè aliam eſſe rationẽ, quandò pontifex, mutata uoluntate, ſuas copias in Cæſarem eduxit: nimirum, quomodo in hoc rerum ſtatu concilium coire poſſit, non apparere: conſultum ergò ſibi uideri, ut miſſa legatione, uel per literas, de re tota, déque Germaniæ ſtatu Cæſar edoceatur, quánq; graue ſit & periculoſum etiam, actioni religionis ullam interponere moram longiorem, & edictum urgere Vuormacienſe: rogandum igitur, ut maioris uitandi motus cauſa, permittat prouinciæ Germaniæ concilium cogi, quò de rebus controuerſis omnibus cognoſcatur: hanc enim rationem, conuentu Noribergico, probatam, & aliud idcircò tunc ad hanc urbem deſignatum fuiſſe comitium, & multos ordines eò ſuas deliberationes inſtituiſſe: cùm autem interdicto pòſt eſſet actio ſublata, ſeditionibus atque turbis longè grauiſſimis ac bello ciuili, patefactam eſſe uiam, quæ quidem omnia caueri potuiſſent, ſi legitimè res tunc adminiſtrata fuiſſet: quòd ſi Germaniæ concilium non probet, orandum, ut edicti Vuormacienſis executionem ad concilium uſque differat: nam alioqui fore, ut & nuper curatum uulnus recrudeſcat, & aliud multò naſcatur deterius: in hac etiam diſcordia, & quandiu de ſuo quiſque ſtatu ſolicitus eſſe cogitur, perquàm eſſe difficile & incommodum, ad aliorùm auxilia pecuniam ullam conferre. Præter hoc ſcriptum, Auguſti die quarta principibus exhibitum, aliud etiã obtulerunt. Eo queruntur, homines egenos paſſim in ciuitatibus nimiùm grauari monachis, qui uulgò mendici uocantur: quod enim illis ad tolerandam uitam præſidio eſſe debebat, hoc ab iſtis captari & interuerti: nec id modò, ſed hæreditates etiam & ampliſſima legata ſæpe ad ipſos deferri, magno ſanè cum detrimento plurimorum: Itáq; ſui eſſe conſilij, ne liceat eis propagare ſua ſodalitia, neq; mortuis alij ſummittantur, & ut uolentibus uitæ genus aliud ſuſcipere, detur annuum quid: reliqua uerò conferantur in ærarium pauperũ. Adhæc, non eſſe æquum, ut onerum ac rerum omnium habeant im-

munitatem

munitatem ecclesiastici: concessum hoc quidem illis priuilegiū olim liberalitate regum, sed tunc, cùm & numero essent pauci admodum, & re familiari non magna: nunc autem, cùm & multitudine & opibus in immensum creuerint, longè aliam esse rationem: etenim sublata priuilegij causa, beneficium quoque collatum non amplius habere locum: nam illos æquè ac reliquos ciues, imò, plus etiam, uti frui commoditatibus illis omnibus, quarum causa conferri pecunia & tributum atque uectigal pendi consueuit: deinde, ferias etiam nimium frequentes, damnum dare populo, quibus astricti sint, magna proposita pœna: nam & operas non raro necessarias prætermitti, & ijs ipsis ferè diebus, cùm ociū sectantur homines, ac dies festos agūt, Deum nō uno modo grauissimè offendi: legem quoq; de ciborum delectu, sibi uideri antiquandam, & ceremonias cuique suas ad concilium usque liberè relinquendas, & doctrinæ euangelij cursum nullo modo cohercendū esse. Post illud Cæsaris, quod dixi, pronunciatum scriptum, episcopi nolebāt in actione religionis progredi, & in hoc Cęsaris atq; pontificis tam graui dissidio, differendum sibi putabant, donec gerendæ rei commodior esset oblata facultas: cúnq; super eo grauis admodū esset inter delectos, qui religionis erant diuersæ, nata simultas, abrupta protinus & omni conturbata deliberatione, Saxo & Lantgrauius domum cogitant, & suis, ut ad iter sese compararent, mandant. Eo cognito, Ferdinandus & Treuericus Richardus & alij, quòd uiderent magni rem esse periculi, si tempore tàm exulcerato, & plærisque omnibus in huius conuentus expectationem erectis, non solùm nullo facto decreto, sed etiam magna cum animorum offensione discederetur: rationem ineunt uulnus hoc sanandi: cùm enim superioris anni seditionem, ex religionis atque doctrinæ dissidio, magna ex parte natam, & eodem ex fonte manare, quicquid hodie sit turbarum, multi iudicarent, maturè uidebant occurrendum esse. Demulsis ergò quorundam animis atque placatis, ità demùm fuit decretum, ad constituendam religionis formam & retinendam tranquillitatē opus esse legitimo, uel Germaniæ, uel publico totius orbis concilio, cuius intra annum fiat initium: & ne qua mora uel impedimentum interueniat, legationem esse mittendam ad Cæsarem, oratum, ut miserum & tumultuosum Imperij statum respiciat, & quamprimùm in Germaniam accedat, & cōcilium procuret. Ad religionem & edictum Vuormacience quod attinet, placuit, ut interea dum ex iis concilijs alterum habeatur, ità sese gerant

omnes, in ſua quiſque prouincia, quò ſui facti probabilem rationem Deo ſimul & Cæſari quoque reddant. Prius quàm hoc fieret decretum, Saxoniæ princeps & Lantgrauius, legatos Argentinenſes, Noribergicos, Auguſtanos ad ſe uocant, & quoniam ipſis charam eſſe uideant euangelij doctrinam, & uerò, quid epiſcopi moliantur atq; pontificij, non ſit obſcurum, deliberare ſeſe dicunt, num qua ſocietas atq; fœdus iniri poſſit, ut, ſi quem huius profeſſionis cauſa periclitari contingat, mutua ſubminiſtrentur auxilia: deinde, quoniam de Francofurdijs ac Vlmenſibus bonam quoque ſpem habeant, non ſe recuſare dicunt, quò minus & ipſi appellentur. Ad hæc legati, nullum ſe quidem eius rei mandatum habere, ſed diligenter ſuis eſſe renunciaturos aiunt. Erant cum Saxone Georgius Spalatinus, Ioannes Islebius Agricola, theologi: Lantgrauius quoque ſuos adduxerat: interpellabant autem reliqui principes, ne docerent, motus uitandi cauſa, uerùm id fruſtrà fuit. Ferdinandus etiam, ante factum decretum, ciuitatum omniũ legatis ad ſe uocatis, cùm de ſua ſuorúmque maiorum & Auſtriacæ domus in ipſos beneuolentia quædam diſſeruiſſet, hortabatur, ut Cæſari morem gererent, neque ſe conſilijs & perſuaſionibus quorundam abduci paterentur. Vngariæ quoque regi decreta fuerunt auxilia: ſed quo tempore dimiſſus eſt cõuentus, quod erat ſub exitum Auguſti menſis, iam in Vngariam progreſſus Turcarũ Cæſar, Ludouicum regem prælio ſuperauerat, qui & in fuga perijt. Erant hoc in comitio Spirę, principes electores omnes, præter Brandeburgicum. Hac æſtate Cæſar in matrimonium ducit Iſabellam, Luſitaniæ regis Emanuelis filiam: ſororem Ioannis, qui patri ſucceſſerat. Quo tempore conuentus erat ordinum Spiræ, duodecim Heluetiorum pagi, diſputationem inſtituerant Badenæ. uenerunt eò primi nominis theologi pontificij, Faber, Eccius, Murnerus: legatos uerò mittebant Conſtantienſis, Baſilienſis, Curienſis, Lauſanus, epiſcopi, quorum illi ſunt in ditione eccleſiaſtica. promulgata fuerunt ibi themata, quæ confidenter admodum defendebat Eccius. Verum Chriſti corpus atque ſanguinem adeſſe in cœna domini, pro uiuis etiam atq; mortuis uerè offerri: uirginem Mariam reliquóſque diuos pro interceſſoribus eſſe inuocandos: diuorum imagines non eſſe tollendas: poſt hanc uitam ignem eſſe purgatorium. Oecolampadius & alij quidam hæc impugnabant: Zuinglius aberat, & cur eò non ueniret, datis ad Heluetios literis, explicabat, & Eccij dogmata ſcripto confutabat. Ioannes Faber, quem

Conſtan-

Constantiensis episcopus habebat in honore, cùm ualde Zuinglium odisset, impulit Heluetios ad hoc certamen, uti fertur, & primò quidem septem pagis persuadet: reliqui pòst etiã assentiuntur, præterq; Tigurini, quos deinde literis et internuncijs reliqui hortantur, ut ad constitutum diem & suos eò legatos, & Zuinglium inprimis, qui sit ex præcipuus unus, mittant, eíq; publica fide cauent: ille uerò, nonnullis adductis rationibus, & inprimis, quòd Lucernatibus, Vranis, Suicijs, Vnterualdijs & Tugianis uitam suam credere non posset: deinde, quòd à senatu prohiberetur illucire, locum disputationi designatum recusans, Tigurum uel Bernam uel Sangallum minimè repudiabat. Actionis hic erat exitus, ut in ea, quam hucusque seruassent, religione permaneant omnes, & concilij sequantur authoritatem, neq; nouum ullum dogma suos intra fines admittant. fuit hoc sub finem Iunij. Constantiensis episcopus iam antea sacerdotẽ quendam, Ioannem Huglium, Mersburgi iusserat cremari, quòd pontificiũ dogma non per omnia probaret. Ludouico Pannoniæ rege miserabiliter extincto, Ferdinandus regnum sibi deberi pacto, contendebat: sed aduersarium habuit Ioannem Sepusium, Vayuodam, Transyluanum. Quo quidem ex dissidio, cùm nobilitas omnis & ordines diuiderentur, bellum fuit exortum, Germanis ac finitimis populis funestum & exitiale. nam Turcarum Imperator suam in fidem atque tutelam postea recepit Vayuodam, & tradita Buda regem constituit, beneficiarium atque clientem. Gallię rex, duobus filiolis, Francisco & Henrico datis obsidibus, domũ ex Hispania reuersus, ut antè diximus, quas pactus erat pacis conditiones, iniquas esse dicebat, nec illis uoluit teneri. Missis igitur ultrò citróque legatis, pontifex & Veneti fœdus cum eo faciunt. Eius hæc erant capita. ut ad tutandam Italiæ quietem alatur exercitus, peditum millia triginta, grauis & leuis armaturæ circiter sex equitum millia: classis etiam comparetur triremium duodetriginta cum nauibus onerarijs: hoste per Insubriam & Italiam debellato, fiat impetus in regnum Neapolitanum, terra simul & mari: expugnatum maneat in ecclesiæ Romanæ potestate, sic tamen, ut Galliæ regi, qui ius in eo sibi uendicet, aureorum millia LXXV annua soluantur: familiæ Mediceæ dignitas in republica Florentina conseruetur: Francisco Sfortiæ, quem Cæsariani circumsessum in arce Mediolani coëgerant ad deditionem, Galliæ rex principatum Mediolanensem permittit, eíq; tàm sua quàm Heluetiorũ auxilia, sed & uxorem

in Gallijs regia ſtirpe natam pollicetur, ea lege tamen, ut ille aureorū millia quinquaginta quotannis ipſi dependat, & fratrem Maximilianum in Gallijs captiuum, alat. Paulò pòſt, Clemens pontifex, datis literis ad Cæſarē, ſua in ipſum beneficia commemorat. quòd oblatas à Galliæ rege conditiones ualde luculentas, in ipſius gratiam repudiarit, quòd capto rege, centum aureorum millia, præfectis militum ipſius certa conditione dependerit, quòd aduerſariorum conſilia non ſemel ei patefecerit, quòd tunc, cùm in arce Mediolani, Sfortia Franciſcus ab ipſius ducibus obſideretur, & ad fœdus magni quidam ſe inuitarent, non illis auſcultarit: pro his autem omnibus peſſimam ſibi gratiam referri: nam ab ipſius milite permagnam tum ſibi tum eccleſiæ Romanæ contumeliam & calamitatem allatam eſſe: deinde, neq; conditiones impleri, neq; pecuniā eo nomine datam ſibi reſtitui: quàm etiam alieno ſit erga ſe animo, uel inde ſatis apparere, quòd, quibus cōditionibus cum Gallię rege tranſegiſſet, occultum ſibi eſſe uoluerit, quòd ſuas pro Sfortia deprecationes & interceſſiones obſtinatè reijciat, quódq; per Hiſpanias et Neapolim leges tulerit, eccleſiæ Romanæ libertati, ſuæq; dignitati planè contrarias: miſſo etiam ad obſidionē Maſſiliæ Borbonio, nouum ab eo bellum per Italiam excitatū eſſe: his igitur de cauſis neceſſariò ſe fœdus inijſſe cū nonnullis, qui & Italiæ quietem & rempublicā ament: Quòd ſi pacem ipſe quoq; cupiat et amplecti uelit, rectè: ſin autem, non ſibi defuturas eſſe uires & arma, quibus & Italiam & Romanā quoque rempublicam defendat. Comprehenſus in hoc fœdere fuit Angliæ rex, & ut eius eſſet protector, magnis pollicitationibus inuitabatur.

Ad hanc eius epiſtolā, Cæſar, Septembris die XVIII Granatæ reſpondens, ſua in ipſum merita recenſet. interceſſione uidelicet et auxilio ſuo factū ipſum eſſe pontificē: cùm eſſet renunciatus Cęſar, non ſe prius aſſenſiſſe, quàm Leo decimus ratā haberet electionē, ac ſimul ius regni Neapolitani ſibi permitteret: ipſum uerò pòſt & Albertū Carporū principem, Leonis mandatu, uaria fuiſſe contra ſe molitos, & facto cū Gallis fœdere, totos huc incubuiſſe, ut ſibi Neapolim atque Siciliam adimerent: facta deinde temporum cōmutatione, cùm Galli Rhegium Lepidi, pontificiæ dignitatis oppidū, tentaſſent fruſtrà, ſe, copijs adiutum Leonis, bellum feciſſe regi Gallię: quo quidē in bello, Leonis ipſe fuerit legatus, & muneris loco penſionē annuā ab ſe tum acceperit ex archiepiſcopatus Toletani prouentibus, aureorū millia decem: profligatis ex Italia Gallis, ductore Borbonio,

non ſe

non se potuisse illi denegare, quò minus in Galliam arma ferret, ut ea, quæ rex ei propter defectionē ademerat, recuperaret: obsidione uerò soluta Massilienſi, Gallum, ipsius impulsu, ut quidem plærique confirment, bellum in Insubria renouasse: regnum Neapolitanum in ipsius quidē esse clientela, ueruntamen, si bellum, inquit, iis locis feciſſes, hoc eò pertinebat, ut ius eius omne amitteres: etenim, quibus de causis beneficium collatum, cliens, iisdem planè de causis, patronus etiam dominium amittit: Ante quàm rex caperetur, de pace quidem intercessum abs te fuit, sed hoc agebatur, ut sub specie sequestri & depositi, Mediolanensem agrum occupares, ideoque Veneti & Florentini, copias auxiliares, quas debebant ex fœdere, tuo nimirum impulsu meis ducibus subtraxerunt. Nam & Galliæ rex profitetur palàm, quòd abs te solicitatus, antequam ex Hispaniis domum rediret, nouum fœdus inierit, & indicio cognoui, te soluisse illum à iurisiurādi uinculo, quo mihi tenetur: deinde, bellum intulisti prius, quàm literæ, quibus illud denuncias, mihi essent redditæ, & eò spectasti, quemadmodum non solùm Italia tota me depelleres, uerumetiam ab Imperij dignitate deijceres: hęc enim Ferdinandi Dauali Piscarij literis docere possum, quē in hoc fœdus solicitasti, promisso regno Neapolitano: principatum Mediolanensem non una de causa mihi possum uendicare, sed tamen Italiæ quietis causa, Sfortiæ possessionem eius permisi: cumque grauiter ille decumberet ex morbo, Borbonium ei substituere uolui, quòd hoc tibi cæterisque per Italiam gratum esse uiderem: Cur autem in arce Mediolani circumsideretur Sfortia, causa fuit, quòd tecum inito fœdere, lęsæ Maiestatis crimen perpetrasset, quòd patefacta coniuratione, nec arcem Cremonę, neque Mediolani meis præfectis reddere, neque se purgare de criminibus, aut cognitioni sistere uellet. Tuum erat postulatum, ut prorsus ei condonarem omnia, sed id neque potui, neque certè debui, ne pessimo exemplo, beneficiarijs, in patronos delinquendi feneſtram aperirem: Si milites mei commeatum & reliqua necessaria sumpserunt à Parmensibus & Placētinis, mirum id uideri non debet, quoniam urbes illę sunt ditionis Mediolanensis, & minimè omnium ad ecclesiam Romanam pertinent: De pace cum Galliæ rege facta tuos oratores nihil cælaui: conditiones enim eiusmodi sunt, ut occultas esse nolim. nam & ad publicam pacem & ad cohercendum Christiani nominis hostes pertinent: Leges nonnullæ per Hispaniam latę, solùm eò spectant, ne iura patronatus, quæ mihi pontifex Adrianus concessit, Romæ supprimantur. Sed uide, quanta sit rei indignitas.

Meis è regnis atq; prouincijs plus emolumẽti & annuæ pecunię Romam defertur, quàm ex reliquis omnibus populis. Id demõstrari potest ex illis Germaniæ principum postulatis, quandò de curia Romana grauiter cõquesti remedium adhiberi uolebãt: ego autem, pro mea in ecclesiam Romanam obseruantia, querimoniam illorum tunc post habui. Quòd cùm ita sit, & quoniam offensionis causam tibi nullã dedi, uehementer abs te peto, discedas ab armis: idem ego faciam: et cùm à Deo simus ambo constituti, ueluti luminaria duo magna, demus operam, ut per nos illustretur orbis terrarum, neq; per nostrum dissidium oriatur eclipsis: cogitemus de uniuersa republica, de profligandis barbaris, de Lutheranorum sectis & erroribus comprimẽdis: hoc nimirum ad gloriam Dei pertinet, & hinc est faciũdum initium: pòst aliæ tractentur & audiantur controuersię: me quidem ad hæc omnia paratissimum habebis: quod si non impetrabo, & si bellator esse perges, ad concilium prouocare me testificor, ut in eo simultates definiantur, & primo quoque tempore illud conuocari postulo. Quod de luminaribus ait, in eo sequitur Innocentij Tertij pontificis uerba, qui Deum ait condidisse duo luminaria magna, quorum unum diei præesset, alterum nocti. pòst, usus accommodatione, pontificiam & regiam dignitatem ait denotari per ista luminaria, sed illam, quæ res procurat diuinas, multò esse digniorem altera, quæ politica solùm tractat: & quantum sit discrimen inter solem atque lunam, tantumdem esse inter munus pontificium atq; regium. Extat decretum hoc sub titulo, qui est de maioritate, sicut aiunt, & obedientia. Cùm ad hunc modum Clementi Cęsar respondisset, cardinaliũ quoq; senatui scribit Octobris die sexto. Magnum se dolorem animo percepisse, quandò Clementem audiuit Galliæ regi confœderatũ esse, bellum in se redintegranti: literas illum ad se dedisse admodum hostiles: arbitrari autem se, factum hoc esse cõmuni ipsorum uoluntate atq; consilio: quæ quidem res omninò sibi præter expectationẽ acciderit: Nec enim ullũ esse regem, qui maiori studio, quàm ipse, Romanam ecclesiam cõplectatur: documento esse Parmam atq; Placentiam, quas urbes, licet Imperij sint ditionis, & ab eo nuper auulsæ, restituerit ecclesię, cùm tamẽ iure non teneretur: Germanię principes ac ordines omneis grauiter apud se questos Vuormaciæ, de multis iniurijs aulæ Romanæ, & satisfieri sibi tum postulasse, uerùm quòd naturæ quadam propẽsione singulari, & uitę quoq; instituto, Romanã ecclesiam amet, surdis auribus illorum se præterijsse postulata: cunq; maiores

ex eo

ex eo turbæ postea nascerentur, ac multa per Germaniam tumultuo-
sè fierent, ideoq; principes alium designassent conuentum, se, grauí
denunciata pœna, mandasse, ne conuenirent, eò quòd ecclesiæ Rom.
atq; pontifici dispendium allatura fuisset ea deliberatio: utq; tum il-
los demulceret, spem fecisse futuri cõcilij: Maximam igitur iniuriam
sibi à põtifice fieri, cuius in gratiam adeò multa fecerit, ut etiam Impe
rij proceres hoc ipso non parum ab se alienauerit: his de rebus omni-
bus diligenter ei se scripsisse, ac monuisse ut concilium publicum indi
cat: petere igitur, ut illum officij commonefaciãt, & ad pacem potius
quàm ad bellum hortentur: sin autem recusarit, uel diutius quàm æ-
quum sit, concilium extrahat, ut tum ipsi statim indicant: etenim, si uel
propter non conuocatum concilium, uel nimis longam interpositam
moram, resp. Christiana detrimenti quid accipiat, id sibi minimè tri-
bui oportere. Spiræ nuper decretũ fuit, uti diximus, legationem ei
se mittendam ad Cęsarem in Hispanias: cùm autem non multò pòst,
Vngaricæ cladis esset allatus nuncius, properandum esse principes ui
debant: & ut per compendium ad Cæsarem perueniri posset, à Gallię
rege petunt, uti per suos fines det iter tutum legatis: annuit ille, ac cer-
tum tẽpus definit, ut infrà dicetur: simul per hanc occasionem ad illos
scribit Octobris die sexto. Propter occupatam nuper à Turca Pãno
niam, & Ludouicum regem extinctum, & propter Germaniæ pericu
lum, magnum se dolorem animo percepisse: non minus etiam sibi do
lere, quòd ciuili bello resp. pereat: per se quidem non stare, quò minus
orbi Christiano recuperetur ocium: Cæsaris uerò culpam hanc esse,
qui pacis conditiones honestas & plenas æquitatis reiiciat: Et quo-
niam ille neq; publicis calamitatibus, nec indignissima morte sui soro
rij Ludouici regis, neq; sororis germanæ, iam uiduæ miseranda sorte
cõmoueatur, neq; consideret, quanto in discrimine uersetur Austria,
rectè facturos ipsos & ex officio, si quidem illum ad pacis consilia fle-
ctant, & hortentur ut cum uicinis regibus amicitiam colat, & immen
sam istam cupiditatem refrenet: hoc enim ei multò futurum esse glo
riosius, quàm si pergat aliorum euertere fortunas, & unus omnia pos
sidere uelit: suos maiores, Galliæ reges, multa sæpe bella gessisse cum
hostibus nominis Christiani: nunc idem posse fieri coniũctis uiribus,
modò Cæsar uelit: hoc ergò si perficiant apud illum & impetrent, col
laturum se in bellum Turcicum, omne suum robur, imò se ipsum: sin
minus, non esse, quod sibi uitio detur, si quidem armis conetur ea,
quæ beneuolentia non possit, recuperare: Nam illi sanè potius quæ-

rendam esse pacẽ, qui Turcico periculo sit, multò, quàm ipse, propin quior. De his literis ubi Cæsar cognouit, Nouẽbris die xxix scribit ad principes, ac initiò commemorat, quàm clementer & benignè Galliæ regem captiuum tractarit, quomodo liberum dimiserit, quomodo sororem suam natu maximam, & in successionis gradu secundam, in matrimoniũ ei dederit: Cùm autem ipse nuper pacatis rebus, ut quidem putabat, in Italiam iter adornaret, ut in Christianæ religionis perpetuos hostes impetũ omnem conuerteret, illum, uiolata fide & inito fœdere cum Clemente pontifice, cunctis alijs nonnullis, et diuiso iam inter ipsos atq; spe quadam prȩoccupato regno Neapolitano, longè maximũ redintegrasse bellum: itaq; factum esse, quò minus à furore Turcico liberarit Vngariã, quòd sui regni fines defendere cogeretur. Quòd autem ille præ se ferat, quasi Ludouici regis interitus & Vngariæ calamitas ipsi doleat, esse planè simulatũ, & eò fieri, ut illis aliquo modo silentiũ imponat, qui constanter affirmãt, interceptis literis, hortatu illius Turcam hoc suscepisse bellum. Quo tempore captiuus fuit, & deinde, cùm liber factus domũ reuertisset, datis literis illum sibi confirmasse pactorum obseruationem: idem etiam sibi, cum discederet ex Hispanijs, coràm promisisse: uerùm, quòd in mediterraneis Europæ locis regnũ obtineat, ocioso prorsus animo conturbare reip. statum, & in suis triumphis etiam annumerare Turcarũ in Pannonijs uictoriã. Quò minus autem in Germaniã ipse ueniat, illius culpa fieri, ueruntamen se daturum operam, ut primo quoq; tẽpore mittantur in Turcas auxilia: postremò, non se dubitare, quin Gallorũ artes habeant exploratas: nam hoc illis esse proprium & familiare, ut discordiarum semina passim spargant, & aliorũ simultates ad suum traducant emolumentũ. Prȩter superius illud scriptum, publicè quoq; prodijt in regis defensionẽ apologia, causas explicans, quamobrem pacificationem Madricianã non seruet. Huic deinde scripto fuit oppositа pro Cæsare ualde prolixa & copiosa respõsio. Quoniam occupata Buda cum bona Vngariæ parte, & miserabiliter afflictis ibi populis, maximũ à Turca periculum imminebat, delecti principes aliquot, Eslingę, ubi tũ erat Imperij senatus, cõueniunt. Re deliberata, placuit, omissa legatione nuper decreta, per literas orandum esse Cæsarem, ut propter periculi magnitudinẽ atq; prȩsentiam, reditum suum in Germaniam acceleret. His literis, ad xix Decẽbris diem scriptis, commemorãt, quemadmodũ legationem ad ipsum decreuerint: & quia per Galliam iter faciũdum erat, orasse regem, ut illis publicè caueret: hoc

quidem

quidem feciſſe illum, ſed in quatuor ſolùm menſes: iam autem unum ex ijs exijſſe, & prius quàm legati conueniant, non multum eſſe futurum reliqui temporis: quapropter, ne periculum eis creëtur, mutato conſilio, ſtatuiſſe legationem hanc in proximum Imperij conuentum reijcere: fieri enim poſſe, ut interea uel occaſio mittendi cõmodior accidat, uel ipſe de cauſis legationis aliunde cognoſcat. His rebus ità conſtitutis, comitium indicunt, Ratisbonæ, ad ſequentis anni Calendas Aprileis, belli Turcici cauſa. Quanquam Cæſar ad eum modum, uti diximus, pontifici ſcripſit & collegio cardinalium, nihil tamen ea re profectum fuit, & confœderati, miſsis ad eum legatis, uti conuenerat, petunt, ut diſcedat ab armis, quò publicæ pacis rationes iniri poſsint: ut Franciſcum Sfortiam, Mediolani principem reſtituat, ut accepta pecunia, regis Galliæ filiolos obſides dimittat, ut ab Angliæ rege mutuò ſumptam pecuniam perſoluat. Ad ea Cæſar, Februarij die XII, Valoleti reſpondet. Non ſe poſſe ab armis ad breue tempus aliquod diſcedere: nec recuſare tamen, quò minus induciæ fiant in annos treis aut amplius eò: ſimul omnes utrinque copiæ mittantur in communem Chriſtiani nominis hoſtem, & interea pacis actio tractetur: Sfortiam eſſe clientem Imperij, & accuſari læſæ maieſtatis: non ergo poſſe reſtitui, niſi cognitione prius habita: ſiſtat ſeſe iuri & reſpondeat accuſationibus: ad eam rem daturum ſe iudices minimè ſuſpectos: Vt regi filios reddat accepta pecunia, non ſe poſſe facere, ac eſſe contra fidem regis & iuſiurandum: Quòd Angliæ regi pecuniam debitam perſolui petant, uideri ſibi mirum, quandoquidem eius rei mandatum ab ipſo nullum habeant: Etenim, amicitiam ſibi cum Anglo eſſe tantam, ut propter rem nummariam minimè diſſolui poſsit: Cùm igitur parum idonea ſint poſtulata, petere, ut alia proferant: ſe quidem nihil obſtinatè facturum, & reipublicæ multa condonaturum eſſe. Sic ergò diſcedentibus legatis, infecta re, bellum utrinque magnis uiribus inſtauratur. His ferè diebus, electoris Saxoniæ filius, Ioannes Fridericus, in matrimonium ducit Ioannis Ducis Cliuenſis filiam, Sibillam. Deſponſa fuerat ei ſoror Cæſaris, Catharina, natu minima, confectis atque ſignatis ea de re literis: cum autem religionis hæc incidiſſet in Saxonia mutatio, diſceſſum fuit à pactis, & Cæſaris legatus Haunartus, qui tunc per Germaniam erat, apertè dicebat, non eſſe fidem ſeruandam hæreticis, Conſtantienſis, opinor, concilij ueſtigia ſecutus, ut quidem in ſcripto quodam Saxo poſtea commemorat. M.D.XXVII.

Erat inter Cæsaris præfectos ac belli duces, Borboniorum prin-
ceps, Carolus, qui superioribus annis à Galliæ rege defecerat. Is cum
aliquot copijs Neapolim profecturus, urbem Romam, ex itinere, po
stridiè quàm eò uenisset, oppugnatione capit ac diripit, Maij die sex-
to. Clemens pontifex & cardinales ac reliqui proceres, cùm in Adria-
ni molem uix ægrè profugissent, obsidionem aliquandiu tolerabant,
undiq; circumuallati fossis: post septimũ deinde mensem, mãdatu Cę
saris liberati fuerunt. Quanta fuerit militum Germanorũ ac Hispano
rum atrocitas & insolentia Romæ, uerbis explicari uix potest. Nam
pręter horrẽdas lanienas, direptiones, libidines, deuastationes, cõtume
lię ac ludibrij genus nullũ in pontificem, cardinales, reliquamq; tur-
bam, prætermissum fuit. Cęsar, factum hoc diligenter excusans, nullo
suo mãdato accidisse dicebat: inprimis autem ad Anglię regem, ea de
re scribit, & quanq; certò credat iusto Dei iudicio contigisse, qui uim
& iniuriam sibi factam sit ultus, tamen operam se daturum ait, ut hęc
ipsa clades initiũ sit & occasio salutis reipublicę. Cùm in Hispaniam
esset allatus eius rei nuncius, ilicò Cæsar iusserat cessare ludos atq;
ctacula, quæ propter recens natum ei filium Philippum, edebantur.
Ad literas illas Cæsaris Anglus nihil respondit; & iàm capto pontifi-
ce, cuius erat obseruatissimus, & augescẽte potentia Cæsaris, animum
adiecit ad bellum, in Galliam misso legato, cardinali Eboracensi. Ad
Ratisbonæ comitiũ nulli uenerunt principes, & legatis tantùm missis
eò, nihil actũ fuit, nisi quòd scriptis ad Cęsarẽ literis, Maij die XVIII.
cur nihil actũ sit, demonstrant, & è rep. futurum, si bella ciuilia com-
ponantur, ostendunt, & ipsius præsentiam inprimis esse necessariam
dicunt. In hoc tempore uigebat nouum doctrinæ genus eorum, qui
dicuntur anabaptistæ. paruulorum hi damnant baptismũ, et rebapti-
santur ipsi, & bonorum docent communionem. In hos & scripsit Lu
therus, & Zuinglius & alij complures, & passim animaduertit magi
stratus. Iactant etiam uisiones atq; somnia, & Sangalli, quidẽ, oppido
Heluetiorum, quidam eius generis, fratri suo germano ceruices atq;
caput abscidit, præsente patre atq; matre, quibus persuaserat, à Deo
sibi esse iniunctum ut id faceret: uerùm à Magistratu comprehensus
eandem pœnam & ipse luit. Quomodo deinde creuerint, & quãtum
excitarint in Germania motũ, infrà docebimus. Hoc anno senatus
Argentinensis decreuit, ne qui deinceps in urbe sepeliãtur, & aliquot
extra urbem loca mortuorum sepulturæ cõstituit. Galliæ rex, ubi
de capta Roma cognouit, inito fœdere cum Angliæ rege, ualidũ mit-

tit in

tit in Italiam exercitum, Lautrecho Aquitano duce, ut põtificem libe-
raret. Is cùm in Insubriam ueniſſet, adiutus à Venetis, Alexandriam,
deinde Papiam, partim cõpoſitione, partim ui capit, & furente milite
propter captum ibi regem, poſt ingentem oppidanorum ſtragem, di
ripit. Iulij die uigeſimo ſeptimo, Borboniæ, Dux Carolus, in oppu
gnatione Romæ nuper mortuus, Luteciæ damnatur à ſenatu, læſæ
maieſtatis, deuouetur eius nomen atq; memoria, reuellũtur inſignia,
publicantur bona. Sententiam tulit Antonius Pratẽſis, Cancellarius.
Erat omninò Borbonius animo in regem infeſtiſsimo, & Maſsiliam
obſeſſurus, ut libro quarto diximus, quoniam id tẽporis Angliæ rex
erat partium Cæſaris, literas dabat ad cardinalem Eboracenſem, ac in
ter alia, nulli ſe labori ſuo uel periculo parciturum eſſe demonſtrat, ut
Henricum regem, in recuperando iure, quod in Galliam habeat, adiu
uare poſsit. Etenim Angli, ducentis abhinc annis & amplius eò, Gal-
liam omnem ſibi deberi contendunt, inprimis uerò Normanniam &
Aquitaniam repetunt: his ergò literis regem obliquè Borbonius ex-
timulat, ut ius ibi ſuum perſequatur. Eas uerò literas Galliæ rex po-
ſtea nactus, multò grauius in illum concepit odium. Erat in Bauaria
tum Leonardus cognomento Cæſar, euangelij profeſſor. Is Paſſa-
uienſis epiſcopi mandatu captus, hæc doctrinæ capita defendebat.
Solam fidem iuſtificare: duo tantùm eſſe ſacramenta, baptiſmum &
cœnam Domini: Miſſam non eſſe ſacrificium, neque prodeſse ui-
uis aut mortuis: confeſsionem delictorum eſſe conſilij, non præcepti:
ſolum Chriſtum ſatisfacere pro peccatis: uotum caſtitatis non obli-
gare: ſcripturam non loqui de purgatorio: nullum eſſe diſcrimen
dierum: mortuos non eſſe interceſsores: in rebus diuinis non eſſe libe
rum hominis arbitrium. Productus in iudicium, uolebat hæc ad po
pulum explicare copioſius, ſed prohibitus fuit. Erat in conſeſsu reli-
quorũ Eccius: agebantur autem omnia latinè, ne populus intelligeret:
ipſe uerò lingua populari diſserebat, nec ab eis impetrare potuit, ut i-
dem facerent. Tandem epiſcopi uoce damnatus pro hæretico, menſis
Auguſti die XVI, crematus eſt, iubente Bauaro principe Gulielmo, cu
ius iuriſdictioni traditus fuit à condemnatione. nam epiſcopus, ne ſa
cra ſcilicet pollueret, uel prophanus, et ut aiũt, irregularis fieret, deuita
illius atq; ſanguine non pronũciabat. Cùm Ferdinandus, qui Cęſa-
ris erat per Imperiũ legatus à morte Ludouici, creatus eſſet Bohemiæ
rex, & cum Vayuoda Tranſſyluano de Pãnoniç principatu contende
ret, excitato bello, Philippus Badẽſis ei ſummiſſus, Imperij cõuentum

nomine Cæsaris indicit,& ut religionis ac belli Turcici causa, Ratisbonam ueniant ad initium Martij, sequentis anni, iubet. Suprà dictum est de disputatione Badensi:Bernates autem,quorum est in Heluetijs præcipuum nomen atq; potentia, cùm & disputationis illius acta non essent ipsis communicata,licet flagitassent, & dissidia religionis augescerent, nec eadem esset ministrorum ecclesię doctrina,disputationem aliam sua in urbe decernunt, edito scripto, Decembris die XVII,ad eamq; finitimos conuocant episcopos, Constantiensem, Basilienſem,Sedunum,Lausanum,& ut ipsi ueniant,suosq; secum adducant theologos,monent: alioqui mulctam denunciant earum possessionum,quas in suis finibus haberent. Deinde suæ ditionis homines ecclesiasticos conscribunt, & ut in actione tota,ueteris ac noui Testamenti scriptura sola pondus & authoritatem habeat,edicunt,et omnibus undecunq; uenturis eò fide publica cauent: hanc quoque legem statuunt, ut modestè, sine conuicijs & iniurijs omnia fiant, & liberè suam quisq; sententiam dicant, & ità pronuncient, ut à scribis excipi possint cuiusq; dicta: Quicquid ibi decretum fuerit, ratum atq; firmum esse per suam ditionem omnem iubent. Et, ut quibus de rebus agendum esset, constaret, eoq; uenirent omnes paratiores, themata promulgant,numero decẽ,quę ipsorum ecclesiæ ministri,Franciscus Colbus, Bertholdus Hallerus profitebantur, & sacris literis confirmare se uelle dicebant.Ea uerò sunt eiusmodi. Veram ecclesiam, cuius unicum sit caput Christus,ex Dei uerbo nasci,in eoq; permanere, neq; uocem alterius audire:hanc ipsam ecclesiam non condere ullas leges extra uerbum Dei:Traditionibus igitur hominum,quæ titulum habeant ecclesiæ, sic demùm obligari nos atque teneri, si cum uerbo Dei consentiant. Solum Christum pro totius mundi peccatis fecisse satis: ergò,si quis aliam salutis uiam aut expiandi peccata rationem esse dicat, hunc abnegare Christum: Corpus & sanguinem Christi reuera & corporaliter sumi, testimonio scripturæ probari non posse: Missæ ritum,ubi Christus patri cœlesti pro uiuis atq; mortuis repręsentatur & offertur,aduersari scripturæ,& contumeliam facere sacrificio,quod Christus pro nobis impendit: solum Christum, ut intercessorem & humani generis aduocatum ad patrem, inuocãdum esse: quòd sit ullus ab hac uita locus,quo purgentur animę,in sacris literis nõ reperiri:precationes igitur & ceremonias illas omneis & exeąuias anniuersarias, quæ mortuis impenduntur, & cæreos atq; lampades & id genus alia,nihil omninò cõferre: Statuam aut imaginem ullam

proponi

proponi cultus causa, repugnare sacris literis: proinde, si quidem eo animo sint in templis erectæ, tollendas esse: matrimonium non esse uetitum ulli hominum ordini, sed fornicationis uitandæ causa, mandari cuilibet atque permitti sacris literis: cùm scortator omnis uerè sit & testimonio scripturæ separatus ab ecclesiæ communione, sacerdotum ordini minimè omnium conuenire cœlibatum impurum atque turpem. Quum his de rebus Bernates ad omneis Heluetios literas dedissent, hortati, ut & suos ipsi mitterent, & alijs, qui per ipsorum fines iter essent facturi, publicè cauerent, Lucernates, Vrani, Suicŕ, Vnterualdŕ, Tugiani, Glareani, Friburgenses, Soloturnŕ, prolixo scripto grauissimísq; uerbis hortantur, ut ab instituto desistant: commonefaciunt eos initi fœderis atq; pacti, repetunt quoq; disputationem Badensem, cuius ipsi fuerint inprimis & authores ac laudatores: neque licere ulli populo dicunt aut prouinciæ, formam religionis atque doctrinæ mutare, sed hoc ad totius orbis pertinere concilium: orant, ne tantum in se facinus recipiant, nec à paucis aliquot externis, in errorem abduci sese patiantur, sed in ea religione permaneant, quam ipsi, quam ipsorū parentes atq; maiores obseruarint, in qua tantam nominis gloriam adepti sint, in qua suos fines ad eum modum amplificarint, in qua toties fuerint uictores: ęquum esse, ut hoc ab ipsis impetrent: sin minus, tum illud quod de tuto itinere petant, nō se posse polliceri: sed ubi de personis cognouerint, iudicium atque delectum esse facturos: illis quidem, qui nuper ad actionem Badensem, interposita fide uocati, non uenerint, & partim diffidentia, partim contemptu quodam emanserint, nolle se cauere deinceps: adhęc, neq; se quenquam eò mittere, neq; suis, ut eò proficiscantur, uelle concedere. Nihil his omnibus cōmoti Bernates, pergunt, & ad diem prędscriptū, qui septimus erat Ianuarij dies, actionem inchoant. Episcoporū, quos antè diximus, nemo uenit: Basilienses autē & Schafusiani & Tigurini & Abbecellenses et Sangallŕ & Mullusiani & Rhœti quoq; finitimi suos mittebant: item Argentinenses, Vlmenses, Augustani, Lindauŕ, Constantienses, Isnenses. Ab ijs, quos dixi, Bernæ ciuitatis doctoribus, factum fuit initiū actionis: eorū themata defendebat Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, Capito, Blaurerus & alŕ complures: oppugnabat autē inter alios, primi nominis Cōradus Tregerus Augustinianus. qui tandē, cùm aliunde, quàm è sacris Biblijs, adiumēta sibi quæreret, neq; prędfecti disputationis permitterēt, eò quòd lege uetitū erat, loco decessit. M.D.XXVIII.

Exitus fuit disputationis ad XXVI Ianuarij diem, & ea quę diximus themata, communi plurimorum assensu fuerunt approbata, et deinde nō Bernæ tantum, sed in aliquot finitimis etiam locis à magistratu sancita, Missis, aris atque statuis ubiq; sublatis. Constantienses iam antè quædam mutauerant, & quum scortationem, adulterium & suspecta uel parum honesta contubernia lege uetuissent, irati discesserant ab eis, hi qui dicuntur canonici. Docebat ibi Ambrosius Blaurerus, honesta familia natus, qui monasticæ professionis antè fuerat Alperspaci: cùm autem ingenio ualeret, lectis Lutheri libris, alium animum induit, & post multam simultatem, relicto sodalitio reuertit ad parentes atque propinquos. Collegium autem illud est in finibus agri Vuirtembergici, quem quidem principatum Ferdinandus Austriacus tùm possidebat. Abbas igitur per eius regionis præfectū interpellat senatum Cōstantiensem, ut illū ad ordinem suū redire cogāt: Blaurerus autē edito scripto rem omnē actam cōmemorat, & conditiones proponit, quibus redire uellet, sed hæ tales erant, ut eas repudiante Abbate, Constantiæ deinceps ille permaneret. fuit hoc anno M.D.XXIII. Post disputationē uerò Bernēsem, imagines & aræ cū ceremonijs atq; Missa Constantiæ fuerūt abolitæ. Geneuenses etiā Allobroges, in statuis remouendis atq; ceremonijs, Bernatū sequebantur uestigia. quapropter episcopus atq; clerus irati discesserunt ab urbe. Mutata religione, Bernates Gallię regi fœdus renunciant, et mercenariā illam prohibent militiā, ea contenti pecunia, sicut etiam Tigurini, quam pacis colendæ causa, singulis pagis rex dependit annuam. Abolitę uerò religionis pontificiæ diem et annū, aureis literis in columnam inscribunt, ut testimonium apud posteros extaret æternum. De cardinali Eboracensi Anglo diximus, in Galliam profecto. Cùm inter eos iam cōueniisset, legatos ambo reges ad Cæsarē mittunt: & Galliæ quidē rex, ut accepta pecunia sibi reddat filios obsides: Anglus uerò debitū sibi solui petit, et quidem triplex. primùm, ex mutuo, trecenta aureorū millia, deinde, quingēta millia propter non seruatū matrimonij pactū: postremò, quatuor annorū pensionē, quam ei Cęsar promiserat, ut libro tertio demōstrauimus.

Cùm ad ea Cęsar, non ex ipsorū animi sentētia responderet, bellū ei per pręconē etiam Anglus denunciat, qui iā tùm agitabat cōsilia, quo modo relicta uxore Catarina, matertera Cęsaris, alterā duceret. quod postea fecit, ut suo loco dicetur. Cęsar, ob non seruatā sibi fidē, passim ad alios reges, grauissimis uerbis Gallū incusabat, Gallicis quoq; legatis

legatis idem subinde dixerat. Rex igitur Lutecia datis ad eum literis, XXVIII die Martij, per publicum præconem, heraldos uulgò nominant, ex eo sermone, quę ad meos, inquit, habuisti legatos, intelligo te tractare nõnulla, quę ad infamiam meã pertinent: quasi contra fidẽ datã è tuis manibus excesserim. Iam uerò, quanꝯ is, cui post transactionem ponuntur custodes, ab obligatione soluitur, & licet hac ratione satis etiã sim excusatus, tamen honoris mei tuendi causa, breuiter hæc ad te scribere uolui. si ergò uel hoc meum factũ & abitionem criminaris, uel aliquid unquã à me gestum esse dicis, contra uiri principis officium, clarè dico te mentiri. nam honorem & existimationẽ meam ad extremũ usꝯ spiritũ defendere constitui. Non igitur opus est pluribus uerbis, et si quid in me requiris, non est quòd in posterũ scribas, uerùm designato locũ, ubi duello decertemus: etenim si congressum differas, atꝯ interim non desinas me criminari, testificor, totius rei turpitudinem ad te pertinere. nam duello dirimetur controuersia. De Ferdinandi regis & Vayuodæ Transsyluani contentione suprà diximus. Quum ea cruentum in bellum exñsset, ac Ferdinandus potentia superaret, Vayuoda, mense Aprili datis ad ordines Imperij literis, post miserabilẽ, inquit, Ludouici regis occasum, equidem cõmuni uoluntate procerum electus et inauguratus fui rex Pannonię, tribus tantùm exceptis, quos & paupertas & odiũ & spes melioris fortunæ transuersos egit, ut patriæ salutis oblitì, Ferdinando Bohemiæ regi subscriberent. Cúnꝯ totus in hoc essem, ut patriæ succurrerem, & amissa recuperarem, et ut uobis etiã hac ratione compararem ociũ, ecce, regnum ille meum hostiliter inuadit, urbes nonnullas occupat, & per illos, de quibus dixi, suę factionis homines, Posonij rex creatur. Mirabar certè nõ parum, et dolebat mihi uehementer, nationẽ hanc, satis iam antè miseram, affligi nunc ab eo, qui tueri cumprimis illam debebat. facilè mihi tunc quidem erat, uim hostilẽ reprimere, sed nolebam quod ex tot naufragijs reliquum erat eius regni, temere periclitari, & ad Clementem VII, Franciscũ Galliæ, Henricum Anglię, Sigismundum Polonię regem habui querimoniam. Et Sigismundus quidem, per legatos, me nescio, Ferdinandum solicitauit, ne tempore tàm alieno, discordia ciuili, uiam hosti patefaceret, quam nec ipse nec quiuis alius deinde possit obstruere, sed ut pacem mecum coleret, & coniunctis armis in publicum hostem prodiret. Cúnꝯ Ferdinandus nihil ab se cõtra ius aut æquum fieri diceret, placuit, ut ad certũ diem, controuersiæ minuendæ causa mitterentur

homines idonei: Conditionem accepi, simul missis ad uos legatis, & arbitrio uestro me submittens, orabam, ne quid auxilij daretis aduersario: Cum autem in Ferdinandi fines peruenissent, captiui facti contra ius gentiũ atq; detenti, mandata non potuerunt exequi. nam à uobis ad Cęsarem erant profecturi. Quanquàm uerò grauis admodum hæc erat iniuria, tamen ad constitutũ diem à Sigismundo, missi quosdam, pacis, & sua sponte, & meo quoq; mandatu, perquàm studiosos: sed Ferdinandicis iniquissima proponentibus, nulla re perfecta, discessum fuit. Dum hæc geruntur, nonnulli proceres, uarijs artibus à Ferdinando solicitati, fidem mihi datã uiolant. Et quoniam omnis est mihi præclusus ad uos aditus, equidem literis tandem aliquando uobis explicare uolui, quàm iniustum bellũ gerat, fortassis, ut amissam ætate superiori gloriam suorum maiorum, Friderici Cæsaris atque Maximiliani, recuperet. nam alterum iam planè triumphantem ac propè regem Vngariæ, patruus meus Emericus, totis finibus eiecit: utrunque uerò parens meus Stephanus Sepusienſis, Mathia, rege, sic eiecit, ut Viennam nostris finibus adiungeret: sed & ego, nondum egressus adolescentiam, Maximilianum in nos parantem arma cohibui, facturus idem in hunc etiam hostem, nisi dolis & astu magis quàm uirtute mecum certaret & armis. Adhuc quidem, utcunque potui, patienter hanc iniuriam toleraui: sed cogitate in animis uestris clarissimi principes, quàm sit acerbum, è summo dignitatis atque potentiæ gradu præcipitatum, in ordinem cogi. Vix ullum reperiri puto tàm lenem atque patientem, qui tot iniurijs affectus, non circumspiceret omnia ubique præsidia. Cùm igitur inde à suscepta republica nullas recusauerim æquas conditiones, cùm ne nunc quidem illas reijciam, & quiduis facere, quàm bellum excitare malim ciuile, aduersarius autem obstinatè pergat, profiteor equidem, non debere mihi dari crimini, si muniendi mei quascunque rationes ineam: etenim, si quid ex eo fortè detrimenti respublica capiet, illud non mihi, qui pacis omnia consilia tentaui, sed hosti meo tribuatur, qui regnum alienum per summam iniuriam inuadit. Aditus quidem ille diligenter omneis atque uias obsedit, ne quid ad uos perferatur: sed tamen audisse uos puto, quomodo sororium suum Ludouicũ regem deseruit. nam sæpe solicitatus, & magnis quidem precibus, neq; copias, neq; tormenta, nec ullum denicq; subsidium, aduersus irruentem hostem ei misit. Quid ità? Iam nimirum ad regni successionem oculum & animum

adiecerat:

adiecerat: deinde, publicum Imperij subsidium, Vngarię destinatū, fratri misit ad uexandam Italiam. cùm interim ego circiter tria militum millia, fratre meo ductore, Ludouico regi, meis ex facultatibus atq; copijs, auxilio mittere, adfuturus ipse prælio, nisi mandatu regis in Transyluania mihi cõmorandum fuisset: frater quidē meus eo in prælio fortiter occubuit. Iurauerat Ferdinandus, nisi Belgradum & quasdam arces præterea recuperasset prius, non se regni gubernacula susceptur um: sed fides in eo desiderata fuit. nam Turcæ nostros in fines longissimè progressi, & deuastatis agris onusti præda domum reuerterunt, & Bosnæ munitissimam arcem Iaycam occuparunt. Hanc arcem & Mathias rex magna suorum clade Turcis olim eripuit, & patruus meus Emericus, grauissimam deinde passus obsidionem, ab illis defendit, & maximo postea sumptu reges exædificarunt: sed hic noster Imperator scilicet, qui tàm gloriosè multa promiserat, hoc tam præclarum suæ uirtutis tyrocinium nobis edidit, & nunc inopia rerum omnium laborans, fidem opémque uestram, opinor, implorabit, quasi Germaniæ salutis causa periclitetur: sed longè aliò spectant eius consilia. Nec enim in Turcas arma parat, quibus etiam tributum annuum dare non recusat, missis eò nuper legatis, uerùm hoc agit, ut uestris copijs atque pecunijs in Italia fratri succurrat, & me confecto, Pannoniam addicat seruituti. Quod cùm ità sit, maiorem in modum à uobis peto, prouideatis, ne priuata hæc iniuria, quæ mihi nunc infertur, in reipublicę detrimentum cedat. Non multò pòst, in eandē sententiam scribit etiam ad Cæsarem, hortatus, ut fratrem cohibeat. Hæc ille quidem ad suæ causæ defensionem edebat: Ferdinandus autem rex nitebatur transactione, quā Cæsar Maximilianus, anno M. CCCC. XCI. cum Vngaris & Ladislao rege fecerat. qua cautū fuit: quòd si Ladislaus absq; sobole masculā decederet, ut tum Maximilianus & ipsius hæredes, recta linea descendentes, regnū illud obtinerent. Cùm ergò Ladislai filius Ludouicus esset extinctus, non relictis liberis, ut suprà docuimus, Ferdinandus, qui & Maximiliani esset è filio nepos, & Austriæ princeps, & præterea Ludouici sororem haberet in matrimonio, iure sibi regnū illud deberi confirmabat. Hoc ipso tempore Lantgrauius Philippus & elector Saxoniæ, conscriptis copijs ad bellum spectabant: eius autē rei hæc erat causa. Iureconsultus quidā, Otto Paccius, nobili genere natus, ex primis Georgij Saxoniæ principis cõsiliarijs unus, per occasionē colloquij Lantgrauiū admonuit,

uti ſuis rebus prouideret: nuper enim Ferdinandum, Brandeburgicum, Georgium Saxonem, Gulielmum & Ludouicũ Bauaros, Moguntinum, Salisburgenſem, Bambergicũ, Vuirciburgenſem inīſſe fœdus, ipſius & Saxonię principis, electoris, & opprimendę cauſa religionis: fidei uerò faciendæ cauſa, confœderationis exemplum exhibet, archetypum quoque pollicitus. Dum copias illi parant atq; bellum, intenti erant omniũ animi, quorſum hoc exiret: nam cauſæ uulgò ferebantur uariæ, ſicut fieri cõſueuit. Cùm uerò iam ab omnibus rebus eſſent inſtructi, tunc primùm dimiſſis in omneis partes literis atque nuncijs, formulam ad ſe delati fœderis promulgant, & ſimul ijs, qui fœdus inīſſe dicebantur, ſcribunt, miſſis legatis, ut quid ſit ipſorum propoſiti, cognoſcant: ſed hi omnes, pro ſe quiſque ſeparatim, ſeſe purgant, euulgatis literis, & figmentum eſſe, neque doceri poſſe confirmant. Et Georgius quidẽ Saxoniæ princeps, Lantgrauij ſocer, urgebat inprimis, ut authorem ederet: niſi faciat, ab ipſo confictum eſſe, motus excitandi & turbandæ Germaniæ cauſa, ſeſe arbitraturum. Primus impetus erat futurus in epiſcopos uicinos: itáque ſe comparabant illi, conductis, quas poterant in ea celeritate, copijs. Cùm autem archetypum Paccius exhibere non poſſet, uti promiſerat, ibi Lantgrauius paulò cœpit agere cunctantius: interceſſione demum Palatini ac Treuirenſis Richardi diſceſſum fuit ab armis, ea lege, ut in belli ſumptum, aureorum millia centum penderent epiſcopi Lantgrauio, Moguntinus quidẽ, x l, Vuirciburgicus, totidem, Bambergicus, uicena. Cùm deinde ad certum diem, legati principum, ad quos ea criminatio pertinebat, conueniſſent, Paccius, quem Lantgrauius ibi ſiſtebat, falſi fuit conuictus, & dimiſſus tandẽ à Lantgrauio, cùm annis aliquot apud exteros oberraſſet, Antuerpiæ pœnam capitis luit. Rebus ad hunc modum pacatis, ut dictum eſt, Sueuici cõfœderati, de quibus antè nõ ſemel dictũ eſt, Lantgrauium incuſabant, quòd ſocijs uim & iniuriam feciſſet: cúnque nouus ex eo motus impendéret, ſedata demùm res Vuormacię fuit, ſub exitũ Decembris, interuẽtu Palatini principis. Sunt qui putant nõ fuiſſe nihil, quod ille de cõfœderatione dixerat: eámq; ſuſpitionem augebat ille, qui quatuor annis antea fuerat Ratisbonę, principum aliquot cõuentus, ut libro quarto diximus. Itáq; conceptum quidem aliquid eius generis, nõ autem ad finem deductum, neque planè decretum fuiſſe putatur. quod tamen nolim pro uero ponere, ac ſuum cuiq; iudicium hic permitto. Diximus antea, comitium

mitium aliud Imperij fuisse Ratisbonæ designatum ad ueris initiũ: in hoc autem apparatu bellico nullum fuit, prolegato Cęsaris renunciante, ne uenirent. Quas Galliæ rex ad exitum Martij scripsit literas, ut antè docuimus, eas Iunij die septimo primùm Cæsar accepit, ac deinde misso præcone, XXIIII die Iunij Montisone respondens, non eo te criminor, inquit, nec incuso, quòd sis domum profectus: nam hoc meo permissu factum est: uerùm, quòd non redieris in meam potestatem captiuus, quemadmodum fide data mihi promiseras te facturum, nisi conditiones pacis impleres, ut quidem literarũ monumentis, tua manu scriptis, doceri potest. Hoc nimirum si feciſſes, uiri boni & laudati principis feciſſes officium: nunc uerò, quandò fidem in eo fefelliſti, confirmo, & sine mendacio quidem, turpiter abs te factum esse ac scelerate. Et quoniam duello petis constitui locum, equidem accipio conditionem, & ad flumen illud, quod inter Fonterabiam labitur & Andæam, tibi locum designo. quem sanè minimè recusare debes. quia si tuam ac liberorum tuorum salutem ante biennium ei credidiſti, quandò liber factus ac domum rediens, illos mihi dabas obsides, nunc etiam ei te potes tutò committere. Ne uerò longior interueniat mora, mittantur utrinque uiri nobiles, earum rerum periti, qui & locum idoneum ibi diſpiciant, & de genere armorum, déque certò die statuant. Quòd si intrà diem quadragesimum, post hãc acceptam epistolam, mihi nõ responderis quid tui sit animi, dilationis in te culpa residebit atque turpitudo, & ad alterum illud non seruatæ fidei crimen, hoc etiam accedet. Has literas præconi Cæsar tradit, & ut in Galliam profectus, regi publicè recitet, aut si nolit audire, det ipsi legendas, mandat. Cùm tandem eò ueniſſet præco, rex, pro concione sedens Luteciæ, ac procerum turba stipatus, rogat, an duelli formulam adferat? Ille, & adferre, & habere se præterea quæ dicat, & iniunctum sibi, ut coràm recitet, aut ipsi tradat: petere igitur, ut hoc sibi liceat. Rex autem, qui non nesciret, quid in ipso Cæsar requireret, cùm ista publicè pronunciari nollet, commutatis aliquot uerbis cum pręcone, consurgit, & neque loquentem amplius audire, neque literas ab eo recipere uoluit, ut quidem Cæsariani scriptis editis affirmant. Calendis Augusti mensis, Cæsar, datis Valoleti literis, Imperij conuentũ indicit Spiræ, ad initium Februarij, sequentis anni, religionis & Turcici belli causa: quò minus autem ipse ueniat, per occupationes excusat, simul constituit legatos, Ferdinandum fratrem, Fridericum Palatinũ,

Guilielmum Bauarum, episcopum Tridentinum & Hildesſemum.

Lautrechus Gallus, post captam anno superiori Papiam & Alexandriã, uti diximus, Bononiæ substitit in hybernis, & sub primum deinde uer progressus, Neapolim obsedit, quã Alfonsus Daualus, Vgo Moncada, Ferdinandus Alarco, Philibertus Orengius, Ferrandus Gonzaga defendebant. Iulio autẽ mense, pestis admodũ uehemens, magnam exercitus partẽ absumpsit, et ipsum etiam Lautrechum, postridie Idus Augusti mensis extinxit, quũ paulò antè sublatus esset Vaudemontius, Antonij Lotharingiæ ducis frater germanus, qui regi militabat, spe cõsequendi regni Neapolitani, quod Andegauensis familia, unde genus & originem habent Lotharingi, sibi deberi confirmat. Quemadmodum à disputatione Bernensi religio fuerit mutata multis in locis, dictum est. Proinde, cùm antea sæpe, tum hac etiam occasione, Argentinensis ecclesiæ ministri, inter alios doctrinæ pontificiæ errores, Missam quoque docebant esse cumprimis impiam, & ad summã nominis diuini contumeliam pertinere: quapropter & abrogandã, & rectum usum cœnæ domini restituendũ esse: nisi scripturæ sacræ testimonijs hæc demonstrent, nullampœnam recusant. Cùm autẽ pontificij contrà docerẽt, exarsit contentio. quam senatus, facta collatione sententiarum, & aliqua disputatione finiri uolebat: & quum hoc impetrari non posset, edicit pontificijs, quoniam alteros improbent, ac impia docere dicant, neque tamen causæ cognitionem admittant, ne posthac docendi munus usurpent. Episcopus autem crebris interea literis ac internuncijs monet & orat senatum, ut in ueteri maiorum religione persistant, neque doctoribus fidem habeant, & quanti sit res periculi, demonstrat. Senatus inuicem orat, quod etiam annis aliquot antè fecerat, det operam, ut quæ pertinent ad uerum Dei cultum, instituantur, cætera uerò tollantur & antiquentur: hoc enim ipsius proprium esse munus: ille uerò, tametsi conuentum atque diem aliquando condixerat eius rei causa, nihil tamen præstitit, & literis tantùm ab instituto deterrebat, & precibus nonnunquam intermiscebat commina-
tiones. Cúnque iam propè desperaret, senatum Imperij, qui tùm erat Spiræ, de quo ſepe diximus, orat, ut suam authoritatẽ interponant. Hi missa legatione sub finẽ Decembris, admodũ splendida, petunt, ne Missam abrogent: nam neq; Cęsaris nec ordinũ esse, ueterem & à maioribus acceptam religionem immutare, nisi uel per generale, uel totius nationis concilĩ: quòd si nimis hoc esse longinquũ uideatur,

differant

differant saltem usq; ad Imperij conuentum, iam breui futurum, atq; ibi sua postulata proponant: non se dubitare, quin æquum sint laturi responsum: legibus enim esse cautum, ne priuato Magistratui liceat rescindere, quæ communi totius orbis consensu decreta sunt: æquum igitur esse, ut hoc ab ipsis impetretur: quòd si uerò pergãt, fore, quia uis in eo sit, ut & Cęsar, summus magistratus, & ipsius per Imperium legatus rex Ferdinandus, grauiter hoc & permolestè ferant: se quoq;, pro suo munere atq; fide teneri, quicquid est eius rei, perscribere Cæsari, ac simul adhibere, quæ oportet, remedia. quod quidem inuiti ad modum faciant. Itaq; rogare, ut diligenter hæc secum expendant, & rectè monentibus auscultent: hoc & Cæsari fore longè grauissimum, & ad ipsorum quoque laudem atque salutem pertinere. Senatus, ubi sui instituti rationem explicasset, legatos commodè ab se dimittit.

Fuerat ibi paulo antè Hildessemus episcopus, & nomine Cæsaris idem postulauerat, hortatus, ut morem gererent, præsertim, cùm Cęsar etiam de nationis Germanię concilio cogitet: nam alioqui fore, ut consilium sibi Cæsar ac reliqui ordines capiant. Adhęc, episcopus Argentinẽsis aliquot senatores urbis, uiros nobiles, priuatim interpellat, suos beneficiarios, et missis literis ad singulos, quãdóquidem fide sint ipsi & iureiurando deuincti, grauiter monet, ut abrogationem Missę totis uiribus impediant, neq; comprobent. Senatus interim, cum iam supra biennium ea res ageretur, & ecclesiæ ministri quotidianis concionibus uehementer instarent, ciues etiam supplicarent, conuocatis omnibus ex more, qui rebus arduis adhiberi solent, numero trecenti, rem omnem ordine commemorãt, & in utranq; partem multis in medium adductis, quòd si Missam aboleant, quid à Cæsare sit periculi, si non faciant, quantopere Deus offendatur, explicant, & cogitandi spacium ipsis largiuntur, & ut tributim collecti deliberent, petunt, quò deinde, cùm rursus cõuenient, de communi uoluntate atq; consilio statuatur. Cùm ergò uenisset dies, eorũ sententia, qui Missam oppugnabant, superior extitit. Itaq; fit decretũ, Februarij die uigesimo, suspendi Missam oportere ac intermitti, donec aduersarij demonstrent esse cultum Deo gratum. Hoc decretum & in urbe ac foris, quàm latè patet ipsorum iurisdictio, senatus obtinere iubet atque seruari, & per literas deinde certiorem facit episcopum. qui non absque gemitu maximoq; dolere se illud accepisse, & cogi patienter ferre, & quod sui sit in eo muneris, facturum se rescribit. Annis nunc aliquot, Basileæ quoque magnum erat religionis causa dissidium, & M. D. XXIX.

ſenatus quidem decreuit tandem, ut eadem eſſet per totam urbem doctrina, utque de Miſſis, quæ locis adhuc aliquot ſupererant, certo die, palàm habita diſputatione, per ſuffragia decerneretur, quid in eo fieri oporteret: pontificij autem nihilo ſecius urgebant ſuum inſtitutum, & aliquantò etiam acerbius pro concione notabant aduerſarios. Et quoniam hoc illis erat impunè, plæriq; ſic accipiebant, quaſi primores illud non improbarent. Itáque delecti ſunt è ciuibus, qui ſenatui denuò ſupplicarent, & pacti memoriam renouarent. Hi poſt multam actionem petebãt, ut ij ſenatores, quorum hortatu pontificij ſic docerent, quoniam ea res non ſolùm ad decreti facti contemptum, ſed ad turbam atque ſeditionem etiam pertineret, loco ſubmouerentur. Cùm id ſenatus omninò recuſaret, ciues, huius anni menſis Februarij die octauo, in æde Franciſcanorum conueniunt, & re deliberata, rurſus idem à ſenatu, ſed non tàm demiſſè, quàm antea, petunt: ſimul publica ciuitatis loca ſibi capiunt & occupant, ſine armis tamen. Sub eius diei ueſperum, ſenatus placere ſibi reſpondet, ut ij, quos loco remoueri poſtulent, deinceps, cùm de religione delibe rabitur, non adſint, in cæteris uerò locum & ordinem ſuum retineãt. Eo dato reſponſo, cùm appareret paucos aliquot uſurpare ſibi ſummam rei, magis offenſi fuerunt animi ciuium: quamobrem palàm teſtificantur, uelle ſibi capere conſilium deinceps, non quidẽ religionis, uerùm ſui iuris uindicandi cauſa. mox armati turres atq; portas occupant, & idonea loca preſidijs firmant, & excubias agũt, non ſecus atq; in caſtris, cum ab hoſte uicino periculum eſt, fieri ſolet. Poſtridie, ſenatus deliberandi ſpacium petit, & ad eos, qui nuper fuerant interceſſores, cauſam reijcit. Ciues illud nõ recuſant, ſed ut rei ſint interea priuati, ſuoq; ſumptu litem proſequantur, uolunt: ipſi uerò, qui reipublicæ cauſam & poſteritatis agant, ſumptu publico. ſenatus etiam alia quædam leuiora illis largitur, quò ſic offenſionem mitigaret. Hoc ipſo die, nonnulli ciues, quibus erat mãdatum, ut per urbem circumirent, ac rebus omnibus prouiderent, in templum primarium aſcendunt. ex ijs quidam, haſta ſua ſtatuã alicuius Diui reuellit, ſicut in terram delapſa, confringeretur: hac autẽ occaſione in plures deinde manus inijcitur: interuentu uerò ſacrificorũ, qui id ægrè ferebant, illi, ne mandati fines prẽterirent, nullã mouent ampliorem rixam, & abeunt. Cum eius rei nũcius eſſet ad ciues in forum delatus, et plenior multò, quàm res ipſa ferebat, ad tẽplum èueſtigio mittuntur armati tercentũ, ut illis opem ferrent: nam eſſe in anguſtijs atque periculo dicebantur.

Vbi

Vbi uentum est eò, iam illi discesserant: ne uerò frustrà illuc itum es set, idola seu statuas ibi repertas demoliuntur, & progressi reliquis in templis idem faciunt. Ibi tum è senatu quidam accurrunt, sedandi motus causa: ciues autem ad illos, quod uos totum iam triennium de liberatis, an fieri debeat, illud nos, inquiunt, una perficiemus hora, ne propter idola sit ullum posthac inter nos dissidium. Sic adeò sena tus eis omnia permittit, & loco moti fuerunt senatores XII. absque ignominia tamen. in his erant Henricus Meltingerus, tum cõsul, Lu cius Zieglerus, tribuum præfectus. Decretum etiam est factum, ut tàm in urbe quàm foris per ipsorum fines aboleatur Missa cum ido lis omnibus: adhæc, ut in ijs rebus deliberandis, quæ ad gloriam Dei pertinẽt & ad reipublicæ commodum, senatus in posterum adhibeat tribules, numero ad ducentos sexaginta, quorum utatur consilio. Iis factis decretis, læti domum reuertuntur ciues, & in statuas tantùm omnis desijt iracundia. Tertio die, qui tum erat cinerum dies, ut pon tificij uocant, statuę ligneæ distributæ fuerunt in homines tenuiores, ut ijs ad ignem uterentur: cùm autem illi super diuidunda præda rixa rentur, ac pugnis etiam rem agerent, placuit exurendas esse. Nouem ergò componuntur strues ante primariam ædem, & inflammatæ cre mantur. Ità nimirum casus tulit, ut quo die pontificij solent fronti bus hominum inuergere cinerem, quò sese puluerem atq; cinerem es se recordentur, ille ipse dies, propter idola in cinerem redacta, ciuitati fuerit lætus atq; iucundus. Februarij die XII, tribules illi, quos dixi mus: acta senatus comprobant: altera die, per singulas tribus denuò iu ratur, & amicè disceditur. Tigurini, Bernates, Solodurij, cùm de tur ba esset ad ipsos perlatum, ilicò legatos mittunt intercessores: cum au tem hi uenirent iam sedata res erat. Paulò suprà diximus de cõuen tu Spirensi, quem ad initium Februarij Cæsar indixerat, sed non est ante Idus Martij factum initium. Principes ac ordines aderant ad modum frequentes: elector Saxoniæ Melanchthonem adduxerat. Principio cœptum est agi de religione, & post multam actionem fa ctum est decretum, ut infrà dicemus. Pontificij autem eò spectabant, ut Saxonem alioscq; principes à ciuitatibus dirimerent, ne qua esset in ter ipsos consiliorum communicatio, neque uoluntatis consensio: & quoniam de cœna Domini non eadem erat omnium ciuitatum, quæ principum, sententia, spem illi conceperant, se posse, quod cupiebant, perficere, sed id frustrà fuit, ut postea docebitur. Ferdinandus etiam & collegæ, ciuitatum aliquot legatos, Aprilis die quinta separatim

euocant,& quòd præter Cæſaris edictum multa mutaſſent, grauiter incuſant, ac demum hortantur, ut reliquorum ordinum ſententiæ ſuam uoluntatem atq; ſtudium accommodent, ne per ipſorum ſeceſſionem comitia diſſoluantur. Illi,mutationem factam non ad Cæſaris iniuriam ullam pertinere,ſeq; inprimis eſſe cupidos concordiæ,& omnia uelle Cæſaris cauſa, neq; legitimi concilij ſe recuſare iudicium demonſtrant. Cùm Heluetiorũ ciuitates duæ,longè potentiſsimę, Tigurum átq; Berna,conſentirent in religione,ſicut diximus,Lucernates, Vrani,Suitenſes, Vnterualdij, Tugiani, qui præ cæteris erant huic infeſti doctrinæ,fœdus cum Ferdinando rege faciũt. Per Ioannem Thomaſium Mirandulanum,Clemens pontifex,Aprilis die xiii principes hortatur ad bellum Turcicum: Ac licet permagnam ipſe calamitatem his proximis annis acceperit,auxilia tamen,& omnẽ operam promittit,ut Cęſare,Gallięq; rege pacatis,concilium mox inchoẽtur,quò Germania rurſus eandem cum alijs prouincijs religionẽ amplectatur. Is,quem ſuprà diximus,Imperij ſenatus,Eslinga fuerat ante menſes aliquot euocatus Spiram. cunq; ciuitas Argẽtina ſuum eò miſiſſet legatum,Danielem Miegium, qui cum reliquis ibi conſiliarijs negocia publica de more tractaret,repudiatus à conſeſſu fuit,propter abrogatam nuper Miſſam,& non expectatum huius conuentus exitum. Eo cognito,reliquę ciuitates,quoniam ad ipſas etiam exemplum pertineret,intercedunt,& Imperij morem ſeruari petũt:etiamſi fortè quid illi fecerunt ab eccleſiæ ceremonijs alienum atq; ritu, non idcircò tamen in ſuo iure interpellandos eſſe, donec legitimo concilio ſit dirempta controuerſia: præſertim, cum adhuc nihil eiuſmodi ſit tentatum, neq; religionis cauſa cuiquam de ſuo iure quicquam ſit in publicis conuentibus derogatum. Poſt hæc, Iacobus Sturmius, nomine ciuitatis in eo conuentu legatus, quòd ſi præter Imperij morem atq; legem, ad hunc modum loco remoueantur, non eſſe,quòd ulla ſumptuum ab ipſis expectetur deinceps communicatio, dicebat.

Sed his omnibus nihil fuit profectum,& interceſſoribus Ferdinandus ipſe reſpondens,quamlibet aliam ciuitatem, quæ modò Cæſaris edicta ſeruet,in eius locum ſummitti iubebat. Poſt multam de religione diſceptationẽ,ſuperioris comitij Spirenſis actio, paucis repetitur. In eo nimirum fuiſſe decretum,ut quantum ad Cæſaris edictum Vuormacienſe pertinet, ità ſeſe gerant omnes, quò ſui facti rationem & Deo poſſint et Cęſari quoq; reddere:ſed multos eo prorſus abuti, & omnis ferè generis horrenda nouaq; dogmata,ſub hoc ueluti prę-

textũ nunc & defendi & excusari. Nouum igitur fit decretũ in hanc sententiam. Qui Cæsaris edictũ illud adhuc seruarunt, deinceps quoque seruent, ad concilium usq; de quo Cæsar iam propè certam spem faciat, & populũ etiam huc astringant: qui uerò doctrinæ genus mutarunt, neq; discedere iam ab eo possunt absq; metu seditionis, ut hi sibi temperent in posterum, nec aliquid præterea innouent adusque concilij tempus: deinde, ne doctrina eorum, qui de cœna Domini secus quàm ecclesia, docent, recipiatur, neue abrogetur Missa: nec ijs in locis, ubi nouum est doctrinæ genus, impedimentum fiat, quò minus ad Missam, qui uolent, accedant: anabaptistis etiam, qui suum dogma pertinaciter defendunt, capitis pœna constituitur, & ecclesiæ ministris iniungitur, ut iuxta probatam ab ecclesia interpretationem doceant, alia uerò dogmata, de quibus fortè disputari possit, non attingant, sed concilij decretum expectent: adhæc, ut pacem inter se colant omnes ordines, & religionis causa nec damnum inuicem dent, nec alter alterius ditioni subditos in suam fidem aut tutelam recipiãt: qui secus fecerint, proscriptorum numero iubentur esse. Huic decreto sese opponunt elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Lantgrauius, Anhaldius, & Aprilis die XIX. palàm, cur non assentiantur, de scripto recitant. Et primò quidem superioris conuentus decretum repetunt, quo sua cuique religio permittitur adusq; concilium: ab eo minimè discedendum, neque esse uiolanda, quæ tunc pacis retinendæ causa, post multam deliberationem pacta fuerunt, & signis atque iureiurando confirmata: se quidem exemplo suorum maiorum uelle omnia Cæsaris causa: quantum etiam facultatibus atq; uiribus possint, libenter ad eius usum atque dignitatem collaturos: præsentem uerò causam ad omnium salutem pertinere sempiternam: quòd igitur ab ipsis in eo dissentiant, orare, ne molestè ferant: sicut enim superius decretum de communi omnium uoluntate factum sit, ità quoque, nisi pariter assentiantur omnes, rescindi non posse nec irritum fieri: quò minus ipsi, quam uelint, religionis formam, suos intra fines constituant, non se repugnare, ac rogare Deum, ut suæ cognitionis lumen in omnium mentibus accendat: Annis nunc aliquot, multam esse, doctrinæ causa, dissensionem ac simultatem: eius autem quæ sit origo, quis author, conuentu Noribergico fuisse quodammodo demonstratum, & ipsiusmet confessione pontificis, & ipsorũ quoq; principum ac ordinũ postulatis, quæ numero ad LXXX legato pontificio tradita sint:

quorũm tamen nulla sit adhuc facta emendatio: Deliberationum autem omnium hunc semper fuisse finem, tollendis uidelicet controuersijs & corrigendis uitijs nullam esse uiam expeditiorem cõcilio: quòd autem eo prętermisso, nunc decreuerint, ut qui doctrinę genus mutarunt, necp sine turba iam illud relinquere possunt, nihil amplius innouẽt, id non se posse laudare necp recipere, nisi uelint ei doctrinę, quam, uti piam atcp ueram hucusep profitentur, fidem ipsi derogare, ac fateri, discedendum esse quidem ab ea doctrina, si modò sine tumultu atque seditione fieri posset: quod ipsum quid esset aliud, quàm uerbũ Dei, quod purum habeant ac impollutum, abnegare? quo sanè nullum possit admitti grauius peccatum: nec enim sermone tantùm, sed ipsa quoep re confitendum esse: Quantam hæc etiam abnegatio ruinam secum traheret, & quàm esset futura perniciosa multis euangelij cupidis, facilè posse cogitari: Quòd ad missam attinet, notum esse, quemadmodũ suæ ditionis ecclesiæ ministri, pontificiam Missam inuictis & firmis scripturæ testimonijs expugnauerint, in eiusep locum instituerint cœnam Domini, iuxta præscriptum atcp mandatũ Christi, iuxtaćp morem ab apostolis obseruatum: quare nec istam quoep decreti particulam admittere se, necp suis, ut adsint Missę iam abrogatæ, posse concedere: Nam ut maximè syncerus atcp rectus esset usus Missæ pontificiæ, tamen, si duas ipsi Missas inter se contrarias in suis templis admittant, quàm id sit futurum mali exempli, & quantæ sint ex eo simultates orituræ, neminem esse qui non uideat: Quòd autem præscribant, quid suis ipsi populis mandare, & quas in suis ditionibus ferre debeant leges, ualde se mirati, præsertim, cùm ipsi minimè sint passuri, si quis hoc inuicem apud eos tentaret: Quid de corporis atque sanguinis Christi præsentia, suis in ecclesijs doceatur, omnibus constare, necp longiori opus esse explicatione: sed tamen, quod antea sæpe dixerint, nunc etiam sibi uideri, nõdum esse uidelicet in illos, qui secus doceant, eiusmodi faciundum decretum, eò quòd Cæsaris diploma nullam eius rei mentionem faciat: deinde, quòd eius doctrinæ defensores necp uocati sint nec auditi: quàm autem non sit decorum nec æquum, in rebus tàm arduis aliquid ullo tempore statui, non auditis ijs, quorum interest, etiam atcp etiam esse considerandum: Iam illud quod dicant, euangelium esse docendum iuxta receptas ab ecclesia & probatas interpretationes, rectè quidem habere, sed in eo litem esse, quæ sit ecclesia uera: Cùm autem nulla sit doctrina certior, quàm uerbi diuini, cunćp præter illud nihil doceri debeat, & quæ uidentur

obscuriora

obscuriora scripturę loca non possint rectius, quàm alijs eiusdem scripturę locis illustrioribus explicari, idcircò se permansuros in eo uestigio, & daturos operam, ut ueteris atq; noui Testamenti scripta purè ac perspicuè doceantur: hanc enim unicam esse rationem planè certam & indubitatam: hominum uerò traditiones nullo niti firmo fundamento: Postremi conuentus decretum, pacis atq; concordiæ factum esse causa: uerùm, si præsens hoc ualere debeat, maximis turbis & offensionibus uiam patefieri: Iam enim, licet adhuc quidem suspensum fuerit edictum illud Vuormacience, principes quosdam eò spectare, ut priuatorum aliquot, suæ ditionis hominum fortunas auertant, & ad se transferant, ob non seruatum edictum, ex eóq; facilè intelligi, quid sit futurum, si nunc edictum illud denuò sanciatur, & ex ipsis aliqui contra se uim expediant, & ad ea cogere uelint, quæ salua conscientia præstari nequeant: Illud autem non rectè dici, postremi conuentus decretum, eiusmodi uerbis esse conceptum, ut eo plærique abutantur, & interea dum concilium habeatur, licere sibi quiduis putent: hæc nimirùm ab ijs potissimùm spargi, qui supremi iudicij metu, cùm patefient omnia, parum afficiuntur: Ad se uerò quantum attinet, non recusare, quo minus ijs, qui uiolatum ab se dicant illud decretum, apud æquos iudices respondeant: quæ cùm ità sint, non se assentiri huic ipsorum decreto, suique facti rationem esse reddituros & palàm omnibus, & ipsi quoque Cæsari: ac interea, dum inchoetur aut publicum totius orbis, aut prouinciæ Germaniç concilium, nihil se facturos, quod iure possit improbari: Quod insuper de colenda pace, de non interuertendis aliorum bonis, de anabaptistis, deque typographis decretum sit, in eo quoque se, quid sui sit officij, non ignorare. Huic principum protestationi, communicato consilio, primi nominis ciuitates aliquot sese coniungunt, Argentina, Noriberga, Vlma, Constantia, Rutelinga, Vuinsemium, Meminga, Lindauia, Cãpodunum, Hailbrunum, Isna, Vuisseburgum, Norlinga, Sangallum. Et hæc quidem est origo nominis protestantium, quod non solùm in Germania, sed apud exteras quoq; gentes peruulgatum est atq; celebre. Ferdinandus excesserat iam è concilio principum, antequàm hi protestarentur, tametsi, ut paululum modò differret, à Saxone fuerat rogatus atq; socijs. Pòst, appellationis quoq; formulam protestantes cõcipiunt et edũt, in eaq; rem omnem ordine commemorant, ac demùm ab omni actione Spirensi & decreto ibi facto prouocant ad Cæsarem, ad futurũ generale,

uel Germanicæ nationis legitimum concilium, ad omnes deniq; non ſuſpectos iudices, ac ſimul legationē ad Cæſarem decernunt. Non multò pòſt, Tigurini & Bernates copias educunt in quinq; pagicos, uti uocant, ipſorum hoſtes, de quibus paulò ſuprà diximus. Et Tigurini quidem, edito ſcripto, cauſam, cur ità faciant, exponunt, & multas illorum recenſent iniurias, in quibus etiam hæc eſt, quòd ipſorum ciues nonnullos, cùm pecuniam ſibi debitam repoſcerent, Suitenſes uerberibus affecerint, quòd Vnterualdij, ipſorum atq; etiam Bernæ & Baſileæ & Argentinæ ciuitatis inſignia ſuſpēderint ad patibulum: fœdus etiam ipſos omneis cum Ferdinando rege feciſſe, ut religionem̄ opprimant, in eoq; pactum eſſe dicunt, ut quicquid ipſorum agri cis Rhenum, auxilio Ferdinandi capietur, id illis omne cedat. Qua quidem ex re facile eſt, inquiunt, uidere, hoc ipſorum eſſe conſilij, ut externis copijs adiuti, nos è finibus noſtris eijciant. In quo ſanè non modò ius naturæ, ſed ipſa quoq; pacta uiolant, quando uidelicet in noſtram perniciem, cum illo coniurant hoſte, quo non alium habet noſtra natio uel antiquiorem uel infeſtiorem, in quo debellando, tot nunc annis, inde à primordio noſtri fœderis, tanta conſenſione, uires & robur omne ſimul communicauimus. Productis utrinq; copijs, & poſitis caſtris, interuentu finitimorum & Argentinę quoq; ciuitatis compoſita res fuit, & diſceſſum ab armis. A Ferdinando miſſa fuerunt illis auxilia, quæ ad Rhenum uſq; peruenerant. Inter alia pactum fuit, ne religionis cauſa bellum inter ipſos eſſet, utq; deinceps à maledictis abſtineretur, conſtituta graui pœna. Galliæ rex, cùm & liberorum ſuorum ſtatu, quos in Hiſpaniam miſerat obſides, afficeretur, & per Italiam infœliciter bellum gereret, amiſſo nuper exercitu atq; Imperatore Lautrecho, ſicut diximus, amiſſo etiam Andræa Auria Genuate, rei maritimæ ſcientia clariſsimo duce, qui ſub idem ferè tempus, quo Lautrechus mortem obijt, ad Cæſarem defecerat, reſtituta patriæ libertate: ad pacem animum adiecit. Itaq; Cameraci, oppido Belgicæ, conueniunt Margarita, Cæſaris amita, & regis mater Aloiſia, multiq; alij proceres, ac in his, cardinalis epiſcopus Leodienſis, Erardus Marchianus, & pacem Auguſto menſe faciunt, & illud, ante triennium in Hiſpania factum de Lutheranis decretum, ut ſuprà docuimus, repetunt, ac denuò confirmant. Reliquæ conditiones, partim fuerunt mutatæ. Nam Burgundiam Cæſar Gallo permittit, ſi marem è ſorore ſuſcipiat: Rex uerò pro liberatione filiorum Cęſari dependit aureorū̄ millia, uicies centena, & in his, debitū̄ Anglicanum.

Paulò

Paulò pòſt, ex Hiſpanijs Genuam Cæſar applicuit, eodémque tempore Turcarum Imperator, Solimannus, à Ioanne Vayuoda ſollicitatus, per Hieronymũ Laſcum, Polonũ, excellentis ingenij uirũ, innumero cum exercitu per Vngariam tendit in Auſtriam, & primariam eius regionis urbẽ Viennam, ad Idus Septembris obſidet, & cuniculis rem agit, & qua parte mœnia ſubuertiſſet, manus acerrimè conſerit: ſed cùm milites præſidiarij Germani, quorum præcipuus dux erat Philippus Palatinus princeps, fortiſſimè ſtationẽ defenderent, poſtridie Idus Octobris, infecta re diſcedit, multis hominum millibus, in reditu, partim trucidatis, partim in miſerabilem ac fœdam ſeruitutem abductis. Vayuodam autem abiens Budæ regem conſtituit. Nouum etiam morbi genus hoc anno Germaniam inuaſit. Sudore peſtifero correpti homines, intra uigeſimam quartam horam aut exhalabant animam, aut, ſi uirus exudaſſent, ualetudinem paulatim recuperabant, &, prius quàm de remedio conſtaret, multa perierunt millia. Malum hoc, inde ab oceano, per omnem prope Germaniam peruaſit, breuiſſimo temporis ſpacio, & incredibili celeritate uelut incendium aliquod longè latéque depaſcebat omnia. uulgò dicitur morbus Anglicus. nam Henrici ſeptimi, Britanniæ regis anno primo, qui fuit annus humanæ ſalutis M.CCCC.LXXXVI, eadem lues inſulam illam inuaſit, & quoniam in re noua remedium erat incognitum, ingentem hominum ſtragem edidit. Fuit inſuper hoc tempore, frumenti ac uini tenuiſsimus prouentus. itáque illa, quæ Deus iratus eiaculari conſueuit in populum ingratum, tela, morbi contagio, bellum, inedia, ſimul uno eodémque tempore in Germaniam incubuerunt. Captiui per id tempus tenebantur Coloniæ Agrippinæ, Petrus Fliſtedius, Adolphus Clarebachus, homines literati, quòd de cœna domini, déque cæteris dogmatis diuerſum à pontificijs ſentirent. Senatus eius urbis habet ius, ut in carcerem ducat quos oportet: uitæ autem necíſque poteſtatem ſolus habet archiepiſcopus: ac fieri poteſt, ut quos capitis damnauit ſenatus, archiepiſcopi prætor abſoluat. Illi uerò per ſeſquiannum & amplius eò, cuſtodia detenti, nunc demùm ab utriſque damnati fuerunt, & exuſti, magno cum gemitu plurimorum & commiſeratione. Culpam eius rei plærique conferebant in theologos concionatores, qui ſupplicijs impiorum placandã eſſe clamabant iram Dei, nouo morbi genere nos uerberantis. Adolfus erat forma liberali, facundus & eruditus: cúnque ducerentur ad ſup-

plicium, fidei ſuæ rationem explicabant, & ſcripturæ teſtimonijs inuicem ſeſe confirmabant, ità quidem ut omnium oculi mentéſque in ijs hærerent defixi. Diximus antea de diſſidio Lutheri & Zuinglij, ſuper cœna domini: cùm illud iam ſupra triennium agitaretur, et grauis eſſet dimicatio, multi, quibus doleret hac una ſimultate conſenſionem impediri doctrinæ, remedium adhiberi cumprimis optabant. Lantgrauius ergò cum ſocijs re cõmunicata, ſolicitatis etiã Heluetijs, diem conſtituit, quo die Marpurgi cõuenirent utriuſq; partis uiri docti, déq; ſumma rei placidè conferrent. E' Saxonia uenerunt Lutherus, Melanchthon, Ionas: ab Heluetijs, Oecolãpadius, Zuinglius: Argentorato, Bucerus, Hedio: Noriberga, Oſiander: multi aderant præterea uiri graues ac eruditi: ſolus autem Lutherus atque Zuinglius cauſam diſceptabant. Sed cùm illud, quod dixi, morbi genus eò iam peruenìſſet, abrupta demum actione iuſſu Lantgrauij, ſic conuénit. Quandóquidẽ in prȩcipuis omnibus dogmatis idẽ ſentirent, abſtinendũ eſſe deinceps ab omni cõtentione, et Deũ orandum, ut in hac etiã controuerſia lumen accendat & concordiæ uiam oſtendat. Et ità quidẽ amicè diſceſſum fuit initio Octobris. Dictum eſt antè, quomodò Saxoniæ princeps & Lantgrauius, in conuentu, qui Spirę fuit ante triennĩ, fœderis ineundi mentionem fecerint. Ea res in deliberationẽ deinde non ſemel uenit, & iam potiſſimùm, hoc facto decreto, cœptum eſt de illo cogitari uehementius. & finito conuentu, concepta quędã Noribergę fuit eius rei formula, & pòſt amplius tractata. Cúnq; mẽſe Octobri Schuabachum legati principum ac ciuitatũ ueniſſent, Saxonis et Georgij Brãdeburgici nomine propoſitum fuit, quoniam religionis ac uerę doctrinę defenſio, ſit huius fundamentũ fœderis atq; cauſa, primùm oportere conſentientes omnium in eo eſſe uoluntates. Itáque recitata fuit doctrinæ ſumma, capitibus aliquot cõprehenſa, quam approbarent omnes: Argentinenſes autẽ ac Vlmenſes legati, neq; ſuperiori cõuentu Rotacenſi factã eius rei mentionẽ eſſe, neq; ſe quicquam in mandatis habere dicebãt. De cœna domini nõ erat eadẽ omnium ſententia, ſicut antè quoq; diximus: & hic ſolus erat ſcrupulus. cùm ergò decerni propterea nihil poſſet, alter fuit Smalcaldię cõuentus indictus ad Idus Decembreis.

Vbi iã Cęſar in Italiã ueniſſet, Eraſmus Roterodamus, qui Baſilea relicta, propter mutatã religionem, & uitandæ ſuſpitionis cauſa, Friburgum ſeſe receperat, Ferdinandi regis oppidũ, Nouembri menſe libellum edit, qui titulo quidẽ inſcriptus eſt contra quoſdã, qui ſeſe falſò

falsò iactant Euangelicos : reuera autem totum ordinem perstringit. Nam inter alia multa, nullū se nouisse dicit ex illis, qui nō seipso uideatur esse factus deterior. Huic deinde scripto respondent Argentinenses theologi, quoniam de ipsis potissimùm & Basilienſibus ille tractauerat, inprimis autē de Bucero. Aduentante Bononiam Cæsare, Franciscus Sfortia, qui pontifici Galliæq; regi confœderatus antè fuerat, profectus ad eum, ubi suam causam ipse dixisset, intercessione Clementis septimi, Mediolanensem principatum à Cæsare tandem recuperat, inter alia pactus ei dare aureorū millia nongenta: dimidiam quidem partem, hoc anno, reliquum autem intra decimum annum, æquis pensionibus. pignoris autem loco, Cæsar, Comū & arcem Mediolani sibi seruat, dum anni primi solutio fiat.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber VII.

DIXIMVS ANTEA, PROTESTANTES DECREVISSE legationem ad Cæsarem. hi erant Ioannes Ehingerus, Alexius Frauentrutus, Michael Cadenus Noribergenſis, qui Genuam usque profecti, de Cęsaris ab Hispanijs aduentu cognoscunt, ac deinde Septembris die nono, Placentiæ, per Mercurinum Cattinarium, qui pridie factus erat cardinalis, per Henricū Nassouium, Alexandrum Schueissium, Alfonsum Valdesium Hispanū, uiam & aditum sibi faciunt. Cæsar XII Septembris diem eis constituit: monet tamen, ut sua postulata scripto complectantur, neque sermone utantur prolixiori, propter uarias & grauissimas occupationes. Cùm ad diem uenissent, rursus per interpretē monet, ut paucis agant. Illi, sicut in mandatis habebant, ordine repetunt decretum Imperij factum ante annum tertium, quod nuper alio decreto sublatum sit: quod quidem si ualere debeat, maximæ sint ex eo turbæ nascituræ: Saxoniæ principem igitur electorem atque socios, & his adiunctas quoque ciuitates, palàm tunc esse professos, non se huic assentiri decreto: rogare autem, ne grauiter hoc ipse ferat aut mole-

ſtè, ſed neceſſitati tribuat: illos enim interea, dum cogitur concilium, nihil eſſe admiſſuros, quod non & Deo ſperent & ipſi quoque poſſe probari: deinde, maiorum exemplo facturos eſſe quiduis pro ſalute ac dignitate tum ipſius tum Imperij, ſeu bellum ſit gerendum in Turcam, ſeu quoduis aliud ſuſtinendum ſit onus: obſecrare etiam, ſi fortè res ad ipſum aliter delata ſit, ne credat, ſed huic narrationi fidem habeat, nec ullam concipiat in eos offenſionem, niſi prius ipſorum audita purgatione: præſertim, cùm hoc ſemper deferant, ſi ſcripturæ teſtimonio rectius edoceantur, nihil eſſe facturos obſtinatè uel præter officium: itáque petere, ut illos in ſuam tutelam atque patrocinium accipiat, & primo quoque tempore, clementer ac benignè ſcripto reſpondeat: & quoniam ſermone res tota non poſsit explicari, quod etiam ipſe iuſſerit, ideò ſe, quicquid omninò ſit neceſſarium ad pleniorem cognitionem, ſcripto comprehenſum ipſi tradere. Cæſar deinde, per interpretem, cuiuſmodi ſint ipſorum poſtulata, ſe accepiſſe, quam etiam ſuorum principum nomine deferant obſequentiam, habere pergratam, & communicato cum ſuis conſilio, quod æquum uidebitur, reſponſurum ſe dicit. XIII demùm Octobris die reſponſum dedit ſcriptum, ut illi petierant. de actione tota Spirenſi, déque decreto facto, per fratrem Ferdinandum regem, eiúſque collegas antè ſe cognouiſſe, quàm ipſi aduenerint: & diſſidium hoc, quod multis incommodis atque malis occaſionem præbeat, uehementer ſibi dolere: cúnque ſui ſit officij, hæc omnia præcauere, ne accidant, aut, cùm acciderint, emendare, ideò ſe diu multúmque & grauiter, de re tota cum ſuis familiaribus deliberaſſe, atq; ità reperire. decretum illud eò factum eſſe, ne quid deinceps innouetur, nec ulli ſectæ ſit in poſterum locus, cuiuſmodi iam inuectę ſint complures & admodum tetræ: deinde, ut pax & concordia per Imperium ſtatuatur: ideóque Saxoniæ principem atque ſocios meritò debuiſſe his omnibus aſſentiri: nam et ſibi & reliquis principibus, animæ ſuæ ſalutem & conſcientiæ tranquillitatem, non minus eſſe curæ, quàm illis, nec etiam minus optare ſe concilium, quàm illi, conſtituendæ reipublicæ cauſa: quod tamen concilium uideri poſſit non admodum eſſe neceſſarium, ſi modò, quæ communi uoluntate decreta ſunt atque conſenſu, ualerent, ſi quoque illud omnium ordinum approbatione factum Vuormaciæ, ſuperioribus annis, decretum, & huic à ſe coniunctum edictum, ſeruaretur, ſicut & ipſi fateantur eiuſmodi decreta firma eſſe debe-

re atq;

rè atque fixa: quod cùm ità se habeat, & quia moribus receptum sit, ut quod maior pars ordinum Imperij sanciuit, ne paucis quibusdam hoc rescindere liceat, ideò se datis literis ad Saxonem atque socios, mandasse, ut decretum factum habeant ratum, neque contrà faciant, sed obtemperent, pro ea fide, qua sibi deuincti sint & Imperio: nam alioqui fore, ut authoritatis & exempli causa, seuerè in ipsos animaduertat: existimare autem, hoc suum scriptum iam illis esse redditum, aut propediem redditum iri, & facturos quod iusserit: id sibi quidem fore longè gratissimum, præsertim in hoc tempore, cùm certò nuncietur, Christiani nominis hostem, Turcam, progressum in Vngariam, cum omnibus copijs petere Germaniam: hac nimirum de causa uehementer opus esse concordia domestica: nam etiam ut in Turcicum bellum & in alios usus Imperij, pecuniam & opem illi conferant, tamen, nisi mutua sit animorum consensio, nisi pax inter omneis ordines atque beneuolentia constet, non posse quicquam aduersus tantum hostem utiliter suscipi uel administrari: nec enim agi de una tantum & altera prouincia, sed totum hunc orbem reipublicæ Christianæ, præsertim uerò Germaniam, neque coniuges tantùm & uxores atque fortunas uniuscuiusque, sed fidem, religionem, leges omneis, & quicquid omninò charum esse potest, in præsentissimum periculum deuocari: resistendum igitur illi quàmprimum, coniunctis & animis & uiribus, aut hæc tàm horrenda, tàm funesta, tàm tetra, indubitanter expectanda: quòd si nulla subesset alia, tamen hac præcipuè de causa, debere illos omne suum studium ad maioris partis ordinum Imperij uoluntatem aggregare: quæ cùm ità sint, petere se rursus atque mandare, ut decreto facto morem gerant, uti reliqui ordines, qui non minus, quàm ipsi, cupiant suam religionem atque uitam approbare Deo: contentione quoque omni deposita & dissidio, consulant in commune cum alijs atque decernant, quomodo fratri Ferdinando regi subministrentur auxilia, quomodo uis Turcica reprimi possit, ne longius euagetur: his etiam de rebus acturum se cum pontifice, coràm, quò uidelicet & immanissimus hostis reijciatur, & religionis actio referatur omnis ad gloriam Dei, & ad communem omnium tranquillitatẽ: compositis quoque rebus per Italiam, quod fœlix atq; faustum sit uniuersæ reipublicæ, primo quoque tempore, uim omnem atque uires in Turcam uelle se conuertere: quamobrem sperare, illos, periculi considerata magnitudine,

facturos: quod alioquin ex officio debeant. Eo dato responso, legati, cùm legissent, appellationem, sic, ut erat concepta, tradunt Alexandro Schueissio, testibus ad eam rem adhibitis, ut fieri consueuit: ille quidem initio recusat, sed tandem accipit, & ad Cæsarem defert, eodémque die post meridiem redit, & reliquo sermone cõfecto, Cæsarem iubere dicit, ne pedem moueant è diuersorio, ne quid suis perscribant, ne suorum quem aliquò mittant, donec aliud renunciet, capitis atque fortunarum denunciata pœna, si secus faciant. Dum hoc agitur, fortè aberat domo Michael Cadenus, & è uestigio certior factus per famulum, rem omnem senatui Noribergico perscribit, & literas magna celeritate perferri curat: nec enim fide tenebatur deuinctus, ut collegæ. Penultimo demùm Octobris die, Parmæ, quò iussi erant sequi, Nicolaus Granuellanus, qui Mercurini partes obibat ægrotantis, nunciat eis, etsi delatam sibi prouocationem Cæsar ægrè ferat, tamen permittere, ut domum ad suos reuertantur: Cadenum uerò iubet manere, capitis pœnam comminatus, nisi pareat. cuius quidem rei hæc erat causa. Lantgrauius dederat abituro libellum eleganter adornatum, qui doctrinæ Christianæ summam paucis complectebatur, ut Cæsari daret: is per occasionem, cùm ad sacrũ iret Cæsar, porrigit: Cęsar inuicem episcopo cuidã Hispano, ut quid rei esset, cognosceret. hic fortè in locum illum incidit, ubi Christus monet apostolos, ne principatum affectent: hoc enim ipsorum non esse professionis, & gentium reges usurpare sibi talem potestatem. Eum locum author inter alia tractauerat, demonstrans, cuiusmodi sit officium ministrorum ecclesię: sed ille, cùm obiter legisset, percontanti Cæsari sic referebat, quasi magistratui Christiano ius gladij tolleret libellus, & gẽtibus duntaxat, alienis à religione Christiana permitteret. hac ergò de causa detinetur iste: hoc etiam Granuellanus addebat, uelle Cæsarem, ut idem scriptum exhibeat quoque pontifici: cùm autem ipse factum purgaret, neque satis commodum responsum ferret, & è sermone Granuellani periculum suum intelligeret, silentio conscendit equum, & celeriter Ferrariã, inde Venetias profectus, domũ reuertit. Senatus Noribergicus, acceptis literis Cadeni, de quibus antè dictum est, Saxonem, Lantgrauium atque socios ilicò certiorem facit Octobris die x xiiii re deliberata, placuit Smalcaldiæ fieri conuentum, sub finem Nouembris. Eò uenerunt ad diem Saxoniæ princeps, eiúsque filius, Ioannes Fridericus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, fratres, Lantgrauius Philippus,

Georgij

Georgij Brandeburgenſis conſiliarij, ciuitates etiam, Argentoratū, Vlma, Noriberga, Heilprunum, Rutelinga, Cōſtantia, Memínga, Campodunum, Lindauia. Sub idē tempus uenerunt ex Italia legati, cúncq; legationem renunciaſſent, ut ſuprà cōmemorauimus, uiſum fuit agendū eſſe omnium primò de religione, cuius nuper erant propoſita capita. Rogantur itáq; Argentinenſes ac Vlmenſes, quid ſit ipſorum in eo uoluntatis atq; propoſiti? reſpondent in eandem, ut nuper, ſententiam. quo tempore primùm ſit agi cœptum de fœdere, nullam eius rei mentionem eſſe factam: hoc unū modò in deliberationem ueniſſe, quomodo ſint auxilia communicanda, ſi quem doctrinæ cauſa periclitari contingeret: quid aduerſarij moliantur ac in animo habeant, eſſe non obſcurum: inter illa uerò doctrinæ capita, quæ ſunt in medium adducta, quædam poſſe diſputari: quòd ſi de ijs non conueniat inter doctos, metum eſſe, ne diſſidium oriatur, quod aduerſarijs ualde ſit opportunum atque commodum: itáque ſuum eſſe conſilium, ut ad illud, quod initiò fuit de fœdere faciundo propoſitum, omnis referatur deliberatio: Saxo, & huic adiuncti Luneburgici fratres, & Brandeburgicus, ſolicitabant eos per Noribergicos, ut aſſentirentur: Lantgrauius uerò medium ſeſe gerens, conciliationi ſtudebat: cùm nihil proficeret, reliquarum etiam ciuitatum legati uocantur, & ſi quidem eam doctrinam per omnia probent, actionem fœderis inſtitui poſſe cum ipſis, dicebatur: illi nullum habere ſe eius rei mandatum, reſpondent, & primam urgent actionem. Tandem ità diſceditur, ut qui doctrinam hanc omnem profiteri uelint atque recipere, Noribergam ueniant ad ſextum Ianuarij diem anni ſequentis, deliberandi cauſa, quid deinceps agendum ſit. Argentinenſes interea, muniendi ſui cauſa, quò uim iniuſtam à ſe ſuíſque depellerēt, cùm Tigurinis, Bernatibus, Baſilienſibus, qui & uicini erant, & dogmate magis conueniebant, fœdus faciunt in hunc modum. Si doctrinæ cauſa uim patiantur, hæ, quas dixi, ciuitates auxilia mittant atque copias, quàntas omninò res ipſa flagitabit, ſic tamen, ut in mille pedites, aureos bis mille menſtruos dent Argentinenſes, loco ſubſidij: contrà, ſi uis ipſis inferatur, Argentina nullas quidem copias mittat, ſed per belli tempus aureorum millia tria mēſtrua ſubminiſtret: item, cuius in ciuitatis finibus, alterutrius partis hoſtes deprehendentur, non ferant impunè, ſed eo loco ſint atque numero, ſicut belli ius atque gentium præſcribit. Si uis ulla fiat ſimul omnibus, tùm ſinguli ſuo ſumptu rem gerant,

& hoſtem quàm longiſſimè depellant: Argentina, pulueris tormentarij libras decies mille, Tigurum, & frumenti modios totidem, Baſileam, pacis tempore, cum erit opportunum, mittant: ex eo tamen nihil ſumatur, niſi belli tempore, & urgente inedia: tunc illud in ciues liceat diſtribuere, facta æſtimatione precij, quantum ex æquo uidebitur: uerùntamen, ſi auxilio proficiſcantur Argentinenſibus, puluere utantur, quantum erit opus, in communi autem bello dimidiã precij partem perſoluant. Decretum fuit hoc fœdus in annos quin-
M.D.XXX. decim, Ianuarij die quinto. Senatus Imperij, cui tum præerat Fridericus Palatinus, ubi reſciuit, datis literis ad exitũ eius menſis, peruulgatum eſſe dicit de fœdere, quod cum Heluetiorũ pagis aliquot feciſſe dicantur: id ſibi cumprimis eſſe mirum, eos uidelicet, qui ſunt Imperio deuincti, ſine conſenſu Cæſaris & ordinum Imperij, fœdus ullum inire cum aliquibus: & quanquam plærique omnes confirment, non tamen prius fidem habere ſe uoluiſſe, quàm ab ipſis rem omnem cognoſcant: itáque petere, ut ſibi, qui Cæſaris locum obtineant, clarè perſcribant, quid rei ſit, & quibus conditionibus pacti ſint. Ad conuentum illum, à proteſtantibus deſignatum Noribergæ, uenerunt principum & perpaucarum ciuitatum legati: conſilium erat, mittendam eſſe legationem ad Cæſarem atque Ferdinandum, ſed ab eo diſceſſum fuit. Et quia Cęſar Imperij conuentum primo uere putabatur indicturus, placuit, interea deliberandum eſſe, quid in eo proponi debeat, & quod ſingulis uiſum fuiſſet, intra tempus menſtruum Saxoni renunciandum, ut per eum cæteri quoque cognoſcant. itáque diſceſſum fuit quarto Idus Ianuarij. Cæſar interea, qui Nouembris die quinto Bononiam uenerat, Ianuarij die XXI dimiſſis in Germaniam literis, conuentum indicit omnium ordinum, Auguſtæ, ad diem octauum Aprilis, religionis potiſſimùm & Turcici belli cauſa. Vigeſimo quarto deinde Februarij die, maximo cum apparatu atque ſplendore fuit inauguratus à pontifice, quũ uerbis conceptis iuraſſet, pontificiæ dignitatis perpetuum ſe futurũ eſſe defenſorem. Antè quàm Bononiam ueniret, ad ipſos fines ditionis pontificiæ præſto fuerant ei tres cardinales, à pontifice miſſi, fidem ab eo poſtulantes, ne quam eccleſiaſticę libertati uim unquàm adferret: ille ſic reſpondit, ut oſtenderet, ſe nihil uelle ſui iuris imminuere, Parmam atque Placentiam tacitè deſignans, Mediolani ditionis urbes, quas tùm eccleſia Romana poſſidebat. Bononia Cæſar profectus, Fridericum Mantuanũ ornat dignitate Ducali. fuit olim

Mantua,

Imperij libera ciuitas: pòst autem, uarijs agitati motibus atque ciuilibus malis, ad Ludouicum Gonzagam, propter eiectam Passerini tyrannidem, rei summam deferunt, anno salutis M. CCC. XXVII. huius abnepotem, Ioannem Franciscum, Sigismundus Cæsar, creauit Marchionem, anno M. CCCC. XXXIIII, altera die Septembris. Et in hoc qui dem gradu constiterunt usq; ad hoc tempus, uti diximus. Augustam primus omnium uenit elector Saxoniæ, cum Ioanne Friderico filio: in reliquo comitatu erãt Philippus Melanchthon, Ioannes Isle bius Agricola, Iustus Ionas, Georgius Spalatinus. Mittebãt obuiam Cæsari gratulatum, Vlmenses: cùm uix ægrè tandem essent admissi, Cæsar postulat, ut à superioris anni protestatione discedant, secq; deinceps imperata facturos esse spondeant. Vrbis tuendæ causa, conscripserant Augustani ad octingentos pedites: hoc ubi Cæsar accepit, iubet eos dimitti, & alios ipse conscribit, incq; suam fidem adigit, & portam unam urbis tradi sibi postulat, diebus aliquot antè, quàm eò uenisset. Is, quem suprà dixi, Cattinarius, nuper creatus cardinalis, mortem obijt Oenipõte, in eiusq; locum successit Granuellanus Vesontinus. Hoc ferè tempore uenit in Galliam, ab Hispanijs, Eleonora, cum regijs liberis, Francisco & Henrico, qui iam totum quadriennium ibi fuerant obsides, loco parẽtis. Non multò post inaugurationem Cæsaris, pontifex ad Ferdinandum regem mittit legatum Petrum Paulum Vergerium, iureconsultum, ampla cum potestate: sed inprimis ei dedit in mandatis, omnem operam nauaret, ne prouinciæ Germaniæ concilium fiat, utque Ferdinandus omnem impediat eius generis actionem. Ille sibi commissum munus diligenter exequitur, & quacunq; ratione potest, Lutheranis incommodat, & in Ioannem Fabrum, Eccium, Cochlæum, Nauseam, munificus erat, ut foretiter agerent: Eccium quoq; Canonicum Ratisbonæ creauit, ut legatus pontificis, quo præsente solet cessare ius eligendi. Augustam Cæsar uenit idibus Iunij, sub uesperum. Iam aderant plæriq; principes, & obuiam omnes progressi, perhumaniter excipiunt aduentantem. Erat in eius comitatu Campegius cardinalis, à pontifice missus cum plenis mandatis: hunc inter & Ferdinandum fratrem Cæsar cogitabat in urbem ingredi medius, sed quia præter morem hoc erat Imperij, Moguntinus & Colonienſis proximè antecedebant: ponè sequebantur Ferdinandus atq; Campegius. Alter dies erat sacer, & corporis Christi memoriæ dicatus, ut uulgò dicunt: itáq; Cæsar ad diuorum templa supplicationem faciebat, missificante Moguntino.

Principes aderant omnes maximo numero, præter Saxonem, Lantgrauium, Luneburgicos fratres, Georgium Brandeburgicũ, Anhaldium. Cæsar quidem eis nunciauerat, ut & interessent, & suos abrogarent concionatores: illi autem neq; uenerũt, & quia conuentus hic eò sit indictus, ut omnium audiantur sententiæ, non se posse suis imponere silentium ante cognitionem causæ, dicebant. Biduo pòst fuit edictum, ut utriusq; partis cõcionatores desistant, donec de religione decidatur, Cæsar tamen aliquos constitueret, qui sine cuiusquam contumelia doceant. fuit hoc uoce præconis denũciatum, constituta pœna. Iunij die uigesimo factum est initium actionis, & Cęsar Missam aditurus de more, Saxonem adesse iubet, ac sibi præferre gladiũ. nam id Saxonicæ domus est officium in eiusmodi pompis: ille, re deliberata, cùm theologi dicerent licere adesse, quòd ad suum officium esset euocatus, non ad Missam, uelut ad cultum diuinũ, accessit, Georgio Brandeburgico comitatus: reliquorum nemo uenit: à sacro uentum est in curiam. Ibi Fridericus Palatinus nonnulla præfatus, moram Cæsaris excusat, & simul causam indicti conuentus repetit. deinde recitata fuit oratio prolixa, de scripto, sicut fieri consueuit. scire ipsos, quemadmodum simul atq; de communi consilio creatus esset Cęsar, ordinum omnium conuentus egerit Vuormaciæ: sed illo ipso tempore illatum sibi fuisse bellum, ità quidem, ut, tametsi ualde cuperet in Germania permanere, coactus fuerit in Hispaniam redire: quod tamen fecerit & de ipsorum uoluntate, & non prius, quàm Imperij res legitimè procurasset, constituto nimirum iudicio & senatu, & fratre Ferdinando, uelut altero se, legato sibi designato per suam absentiam: cúmque de illorum fide, diligentia, uirtute magnam haberet opinionem, tranquilliori animo deseruisse Germaniam: & illos quidem ità rempublicam administrasse, nihil ut amplius desiderari possit: Interea uerò, dum in Hispanijs ageret, audisse, non solùm magnas esse per Germaniam simultates atque dissidia religionis, uerumetiam Turcas in Vngariam & loca finitima uim atque bellum inferre: & amisso Belgrado, multisque alijs propugnaculis & arcibus, Ludouicum regem atque proceres, missis legatis, opem Imperij solicitare, qua freti confiderent non solùm uim omnem hostilem depellere, uerumetiam sua se posse recuperare, sin autem ea destituerentur, fore, ut quæ nunc ipsis incumberet calamitas, ea non multò pòst ad reliquos omneis finitimos inundaret: his rebus cognitis, ualdè se fuisse commotum, & idcircò, ut celeriter

auxilia

auxilia mitterentur, eam pecuniam, quam sibi Romam inauguratiõnis causa proficiscenti erant impensuri, iussisse omnem eò conuerti: sed cùm tardius hoc administraretur, hostem, ubi Rhodum, uelut alteram arcem orbis Christiani, cepisset, in Vngariam longius progressum, prælio superasse regem Ludouicum, & quicquid est urbium atq; locorum inter Sauum atq; Drauum flumina, cepisse, diripuisse, incendisse, multis hominum millibus interfectis: impetum deinde feciſſe in Illyricum, & cùm supra modum omnem ibi grassatus esset cædibus, incendijs, rapinis, deuastationibus agrorum, abduxisse illinc supra xxx hominum millia in miserabilem seruitutem, & eos, qui cum impedimentis fortè sequi non poterant, contrucidasse: deinde proximo superiori anno, in Austriam penetrasse cum innumerabili exercitu, & ijs locis urbem primariam obsedisse Viennam, & longè latéq; populatum esse agros, propè ad Lincium usq;, nec ullum inhumanitatis genus prætermisisse, nulla nec ætatis nec; sexus habita ratione, dissectis pueris infantibus, puellis atque fœminis nefariè stupratis, & more pecudum abactis: itáque planè tunc se constituisse, rebus omnibus alijs posthabitis, illò proficisci cum copijs, & omne suum robur eò conuertere: datis etiam literis tum ad Ferdinandũ regem fratrẽ, tum ad proceres atq; belli duces, Viennæ circumsessos, ut suum aduentum prorsus expectarent, ac fortiter agerẽt, hortatum esse: Cùm autem ille pedem referret, mutasse cõsilium, & multis de causis optimum iudicasse, ut rebus per Italiam pacatis, cum pontifice de summa reip. constituenda, déque religione consilia conferret, & conuentum hunc indiceret: potuisse quidem inaugurari Romæ, sine ullo impedimento, & inde Neapolim proficisci, quod eius regni status atque conditio tunc inprimis requirebat: sed tamen re priuata postposita, cogitationem omnem ad remp. cõtulisse, ut uidelicet primo quoque tempore huic adesset conuentui: Iàm uerò, licet Viennam hostis capere non potuit, tamen ingens damnum esse datum toti prouincię, quod uix lõgo tempore sarciri possit: & licet exercitum ille reduxerit, præsidia tamen atq; duces reliquisse ad fines, qui non Vngariam modò, sed Austriam quoq; & Stiriam & loca finitima continenter ab eo tempore deuastarint: & quando quidem fines nunc habeat multis in locis coniunctos nostris finibus, dubium non esse, quin ad proximam occasionem multò sit maiori cum manu reuersurus, ut ad internecionem omnia disperdat, in Germania præsertim: Atqui, post captã Constantinopolim, quàm multa nobis ademerit, quantumq; Christiani

ſanguinis hauſerit, & quas in anguſtias orbem hunc noſtrum redegerit, ſic eſſe notum, ut deploratione potius & querimonia, quàm ulla ſit opus explicatione prolixiori: ſanè tot tantiſque malis omnium animos uehementer affici, rerúmque præteritarum exemplis debere commoueri, & certò ſtatuere, quòd ſi iam rurſus, ut antehac, remiſſè, lentè, cunctanter agetur, neque maioribus, quàm hucuſque copijs atque uiribus, obuiam ibitur illius furori, non eſse quòd deinceps ullam ſalutem ſibi polliceantur, ſed fore, ut alia poſt aliam amiſſa prouincia, tandem, & breui quidem, in ipſius ditionem atque poteſtatem redigantur omnes: his quidem de rebus, per ſuam abſentiam crebros fuiſse conuentus ordinum, quibus etiam optauerit ipſe coràm intereſse, uerùm id ſibi per ſuos aduerſarios atq; bella non fuiſſe integrum, ſicut & literis & legationibus non ſemel demonſtrarit: ſed tamen ſuas priuatas iniurias & offenſiones, ubi primùm licuit, condonaſſe reipublicæ: ac pacem cum hoſte feciſſe, multáque de ſuo iure largitum eſse, publicæ pacis atq; concordiæ cauſa, néq; ſuum in Germaniam reditum uoluiſſe longius differre, & relictis Hiſpaniarum regnis florentiſsimis, non abſq; magno diſcrimine in Italiam traieciſſe, & quod ibi reliquum erat hoſtium, atque adeò totam Italiam pacaſſe: quæ quidem res impedimento ſibi fuerit, quò minus ad conſtitutum diem hic adeſſet: Et quia ſubitarijs illis & interciſis auxilijs nihil adhuc profectum ſit, opus eſſe noua & ampliori deliberatione: cùm enim eò ſpectet immaniſsimus hoſtis, ut in ſuam ſeruitutem omneis redigat, imò, ut extra naturæ fines exterminet, agendum eſse nunc atque conſiderandum, quomodo perpetuentur auxilia, ne uidelicet ullo tempore deſit pecunia, copiæ, uires, ut non modò defendi, uerumetiam inferri bellum, nec amiſsa ſolùm recuperari, ſed illis etiam ſua poſsint eripi atque auferri: Pontificem maximum liberaliter ſibi pollicitum atque prolixè: ſe quoque, tametſi pecuniam ſibi promiſsam inaugurationis cauſa, totum in hunc uſum conceſserit, licet ſumptum in hac ſolenni coronatione ſolus omnem fecerit, etſi multam præterea uim auri dependerit, tamen in hoc opere tàm ſancto tanq; neceſsario facturum eſse, quod ſe ſuámq; perſonam deceat: idem expectandum eſſe à fratre Ferdinando rege, qui iam ſit orbis Chriſtiani, Germaniæ præſertim, ueluti propugnaculum quoddam, obiectũ furori Turcico: ſed & alios reges atq; principes externos non eſse defuturos auxilio, quorum nonnullis iam eo nomine ſcripſerit, alios etiam ſit interpellaturus: Ad religionem uero quod

attinet,

attinet, inde ſtatim à ſuſcepta Imperij adminiſtratione, magno ſanè cum animi dolore ſe audiſſe, diſsidium hoc excitatū eſſe, ideoq́, ut in tempore medicinam faceret, habito Vuormacię conuentu, decretum tunc feciſſe, communi ipſorum omnium aſſenſu atq́ uoluntate, cui ſi obtemperatum eſſet, non fuiſſe tot malis & incommodis patefactam uiam, quæ nūc aliquot annis Germaniam afflixerint: quo quidem in numero popularis illa ſeditio & anabaptiſtarum ſecta principem locum obtineant: cúncq́ uarijs actionibus hucuſq́ nihil effectū eſſe uideat, magni fore momenti ſuam præſentiam exiſtimaſſe: conuentum igitur hūc indixiſſe, ut in eo, quod quiſq́ uellet, proponat in mediū, ſcripto comprehenſum, quò nimirum tantò cōmodius atq́ celerius intelligi res poſsit atq́ definiri: ſe quidem & in hac, & in reliquis omnibus Imperij cauſis facturum eſſe, quod ſui ſit officij, pro ſua erga Remp. atq́ patriam charitate, & ut pro ſe quiſq́, conſimilem huc uoluntatem atq́ ſtudium adferant, poſtulare. Principes, habita deliberatione, iudicabant omnium primò agendū eſſe de religione. Quarto pòſt die, Campegius, in conſeſſu principum, Cæſare præſente, orationem habuit latinam, hortatus eos, ut in cauſa religionis morem gerant Cęſari, collaudata ipſius uirtute ac pietate: ſe quoq́ pontificis nomine daturū operam, ut eandem fidem profiteantur omnes, & reconciliatis animis bellum in Turcam ſuſcipiatur. Ab eo, legati Auſtriaci, quantam acceperint à Turca calamitatem, exponunt, opemq́ petunt. Poſt hęc, Saxoniæ princeps elector, Georgius Brandeburgicus, Luneburgenſis, Lantgrauius, orant Cæſarem, ut ſuæ doctrinæ confeſsionem, ſcripto comprehenſam, audiat: ille iubet exhiberi ſcriptam atq́ deponi: rurſus illi, quoniam ea res ad ipſorum exiſtimationem, ad fortunas, ad ſanguinem atque uitam, & animæ ſalutem pertineat, & quia ſecus ei fortè delatum ſit, quàm res habeat, inſtant, & audiri poſtulant. Cæſar, ut poſtridie domum ſuam ueniant, iubet, ſed ſcriptum ſibi iam tradi petit: illi denuò, quàm poſſunt uehementiſsimè urgent & obſecrant: neq́ putaſſe dicunt, hoc ſibi denegatum iri, quū alios, multò ſe humiliores, in rebus etiam leuioribus audiat: cùm autem ille de propoſito nihil mutaret, petunt, ut ſcriptum ſibi relinquat, donec ſit recitatum. eo permiſſo, ueniunt altera die, atque ibi in cœtu principum & omnium ordinum, auſcultante Cæſare, recitant: poſtea latinè atque Germanicè conſcriptum ei tradunt, &, ſi quid in ea deſideretur, explicationem deferunt, &, ſi fortè iam definiri cauſa non poſsit, non ſe recuſare toties & promiſſum & decretum

concilium, demonstrant. Cæsar, qui totam hyemem, inde à Nouembri usque in Martium mensem Bononiæ fuerat cum pontifice in eodem palatio, totus eò spectabat, quemadmodum religionis dissidium absq; concilio pacaret. nam hoc esse Clementi longè gratissimum sciebat, cuius hic erat scopus, ut, si leniter sopiri causa non posset, opprimeretur armis. Itáque Iunij die XXVI, ciuitatum omnium legatos domum suam conuocat, & per Fridericum Palatinum exponit, in postremo conuentu Spirensi factum esse decretum, cui plæriq; omnes obtemperarint, idq; sibi esse pergratum: alios uerò quosdam illud repudiasse, quod sibi permolestè acciderit: itáq; postulare, ne secessionem à reliquis faciant, aut uerò facti sui rationẽ exponant, cur non obsequãtur. Ad ea protestantium ciuitatum legati respondent. inofficioſè nihil ab se factum esse: nec enim se minus, quàm suos maiores, cupere ipsi omnem fidem ac obedientiam præstare: cùm uerò causam scire uelit non admissi decreti, spacium sese petere deliberandi. septimo deinde Iulij die, scripto respondent, in eam ferè sententiam, ut anno superiori fecerant, missa in Italiam ad ipsum legatione, sicut diximus: ad eam quoq; legationem & causas tunc expositas sese reijciunt. Biduo pòst, Cæsar iubet à Saxone socijsq; rogari, num quid præterea uelint exhibere: illi nihil aliud, nisi quòd confessionis iam traditæ summam paucis repetunt. ciuitatum deinde legatis, quandoquidem conscientiæ causa non se posse parére dicant decreto Spirẽsi, mandat, ut eorum, quibus grauari sese putent, capita, scripto complectantur: Saxonicam uerò confessionem tradit reliquis principibus, ut cognoscant: hi deinde suis theologis, in quibus facilè erant primi, Ioannes Faber & Eccius. li contrarium scriptum & confutationem opponũt, quam ubi principes recitari audissent, nimis acrem esse nonnulli iudicabant, & deligendos putabant, qui partis utriusq; scripta reuoluerẽt atq; lenirent: sed uicit eorum sententia, qui sic reddendam esse Cęsari, ac rem omnem ei committendam dicerent. Interim Argentinenses, Constantienses, Memingi, Lindauij, doctrinæ suæ confessionem, scriptam & ipsi tradunt Cæsari. de cœna Domini, non idem hi, quod Saxones atque socij, sentiebant, ut suprà diximus. Re deliberata cum legato pontificio, Cæsar decreuit responsum ad scriptum Saxonicum, & principibus illud calẽdis Augusti communicat. Exitus erat uehemens atque durus, proposita nimirum pœna proscriptionis, ijs, qui non parérent: sed de principum consilio mitigatum hoc fuit. itáque tertia die Augusti conuocat omneis ordines, ac per Fridericum

Palati-

Palatinum exponit, diu multumq; se deliberasse de doctrinæ confessione Saxonica, mandasse quoque uiris aliquot honestis & eruditis, ut iudicium facerent, quid piè sit in ea, quid alienè dictum ab ecclesiæ consensu: fecisse hoc illos, & sententiam suam alio scripto demonstrasse, quod & ipse probet. deinde recitata fuit confessionis confutatio, à theologis aduersarijs conscripta, cuius hic erat ordo. Scriptum Saxonicum in duas partes diuiserant. prior habet XXI doctrinæ capita: ex ijs alia receperant, alia reiecerant, quædam partim fuerunt admissa, partim repudiata, multis patrum & conciliorum adductis testimonijs. In reiectis hæc erant, opera bona nihil mereri: Iustificationem tribui soli fidei, non etiam operibus: ecclesiam esse congregationem piorum: non posse satisfieri pro peccatis: diuos non intercedere pro nobis. alia receperant cum modo, de ceremonijs nimirum, item, uerum corpus atq; sanguinem Christi esse in sacramento, sic, ut sub qualibet specie sit Christus, & uinum atq; panis omninò mutentur: illud de confessione sic admittebant, si populus astringeretur, ut quotannis ad pascha confiteantur, & delicta omnia diligenter enumerent, & cœnam Domini percipiant, & septem esse credant ecclesiæ sacramenta: cauebant etiam, ne quis erudiendo populo præficiatur, nisi de uolũtate & permissu episcoporum: adhæc, ut leges omnes & ecclesiæ præcepta seruentur, &, quibus in locis abrogatæ sint, restituantur. Altera pars quinque præcipuè complectitur: communio cœnæ Domini sub utraq; specie, quod aiunt, reijcitur, & petebat Cæsar, ut in eo totius orbis Christiani cõsensum atq; morem sequantur: de coniugio sacerdotũ mirari se dicebat, hoc ab ipsis peti, cùm inde ab Apostolorum ætate non fuerit in usu: prorsus igitur concedi non posse: Missa recipitur ipsorum, modò cum ritu ecclesiæ Romanę conueniat, si uerò mutata sit, reijcitur, ac simul affirmatur, Missam esse sacrificium pro uiuis atq; mortuis, neq; debere Missam priuatam abrogari: Danielem multò antè prænunciasse, fore, cùm antichristus uenerit, ut sacrificium aboleatur: hoc quidem nondum accidisse, ueruntamen ijs in locis, ubi Missa iacet, altaria destruuntur, exuruntur statuæ, quibus in templis nihil cantatur, nihil legitur, nulla lucent amplius luminaria, ibi nimirùm illud iam repræsentari prophetæ uaticinium: itáque cauendum esse diligenter omnibus, ne causam præbeant aduentus antichristi: uota monastica niti tàm noui quàm Testamenti ueteris authoritate, plectendos igitur, qui suæ professionis obliti, deseruerunt ordinem: episcopos habere potestatem non docen

di tantùm, sed & administrandi remp. nec in suo iure impediendos esse, quod liberalitate maiorum sint consecuti: non abstinere à carnibus, tempore prohibito, non ieiunare per quadragesimæ tempus, non confiteri peccata, proteruiam esse, non libertatem Christianam.

His ità recitatis, fatentur non esse nulla, quæ requirant emendationem: ut etiam hæc sanẽtur, & ecclesię status corrigatur, omnem suam operam Cæsar pollicetur, & omninò se sperare dicit, quandoquidem de multis inter ipsos conueniat, fore, ut ad ecclesiæ sinum redeant protestantes, eiq; sese permittant: quod quidem si faciant, nihil esse quod ab ipso non debeant expectare: sin autem, tum sibi necessariò faciendum esse, ut ecclesiæ tutorem ac defensorem deceat. Ad ea Saxoniæ princeps, & suo & sociorum nomine. quoniam professi sint initiò, si quidem de religionis agatur conciliatione, se facturos esse, quicquid omninò salua cõscientia possint: deinde, si quis ipsorum error doctrinæ, testimonio scripturæ commonstretur, non repugnaturos: adhęc, si desideretur explicatio copiosior, daturos: & uerò, eius doctrinæ, quam obtulerint, capita quędam sint admissa, quædam repudiata, opus esse, ut amplius sua confirment atq; doceant: itaq; orare, ut confutationis exemplum sibi detur. Biduo pòst, Cęsar, cùm diu deliberasset, ait daturum se quidem, uerùm ea lege, ne quid eius euulgẽt aut typis procudant: nolle etiam ampliorem ullam admittere disceptationem, & petere, ut ad suas partes aggregentur: illi autem hac lege non se posse recipere demõstrant. Postridie, qui sextus erat Augusti dies, Lantgrauius, paucis aliquot comitatus, illinc discedit, relictis legatis. molestè hoc Cæsar tulit, & senatui mandat, ne quem omnium per locum secretiorem urbis, qui noctu solùm patefieri solet, emittant. & altera die, cùm Saxonem atq; socios euocasset, offensionem minimè dissimulat, & petit ut ad exitum ipsi permaneant: se nimirũ quod ad concordiam faciat, nihil esse prętermissurum. Illi purgant Lantgrauium, per uxoris ualetudinem, & legatos reliquisse docent, neque se discessuros aiunt: sed interim mirari, cur excubiæ sint atque stationes ad portas dispositæ: nec enim in Imperij conuentibus ità fieri consueuisse. Cæsar excusat, propter cædem factam, & Germanorum ac Hispanorum dissidia: si quid turbæ deinceps accidat, nihil eiusmodi se facturum, nisi ipsum, qui sit Imperij Marescallus, antè præmoneat. Saxo respondet, si quid accidat, in quo suum officium requiratur, pręsto se futurum, uti decet: itáq; remotæ fuerũt à portis eodem die stationes. Circiter hoc tempus finem habuit bellum Florentinũ, de quo pau-

ca quæ

ca quædam obiter sunt explicanda. Quo tempore Roma capta fuit atq; pontifex, ut suprà diximus, Florentini familiam Medicã eiecerant, & Gallis auxilia deinde subministrarant, cùm Neapoli bellum gererent. Restitutus autem pontifex, ut se suósque gentiles ulcisceretur, missa in Hispaniam legatione, fœdus cum Cæsare facit, Imperij supremam inaugurationem ei pollicitus inter alia, si quidem in Florentinos, pro eo ac meriti essent, animaduerteret. Conditionem Cæsar accipit, neq; multò pòst Genuam applicat. eò uenerunt ad ipsum à Florentinis legati deprecatum: ijs Cæsar, ubi grauiter incusasset, respondet. etsi magnam pœnam meriti sint, condonari tamen posse factum, modò pontificem recipiant: præter hanc, nullam esse aliam pacis rationem. ubi cum his mandatis domum rediissent, diu multúmque re disceptata, uicit unius & alterius sententia, qui libertatem totis uiribus propugnandam esse dicerent, illata mentione, non modò Clementem, sed & Cæsarem ipsum diuturnis exhaustum bellis, in magna esse rei nummariæ difficultate. Verúntamẽ, cùm Bononiã Cæsar uenisset, alteram mittunt legationem, sed ea non fuit admissa, pontifice nimirum ità suadente. Sic igitur à Cæsarianis atque pontificijs copijs obsessi, cùm per anni ferè tempus bellũ duxissent, quarto Idus Augusti, certis conditionibus, cum Ferdinando Gonzaga Cæsaris legato transigunt. Cæsar deinde missis eò literis amplissimis, Alexandrum Medices, cui filiam suam Margaritam notham in matrimonium promiserat, principem eis constituit. Is deinde maximæ molis arcem ibi construxit, & hoc quidem est ipsorum seruitutis initium. Deditione recepta urbe, Clemẽs primarios aliquot senatores capite mulctauerat, & reipublicæ formam aliquam instituit, certus interim, fore, ut Alexander summæ rei præficeretur. hoc enim consilium Cæsari dedit ipse, cùm in Hispaniam ei mitteret legatos, uti dictum est. Nunc ad propositum reuertamur. Post multam actionem, Idibus Augusti delecti fuerunt utrinque septeni, qui concordiæ rationes inirent. Ex pontificijs erãt, episcopus Augustanus, Henricus Brunsuicensis, iureconsulti duo, Colonienſis & Badensis, theologi tres, Vuimpinus, Eccius, Coclæus: è protestantibus erant, Georgius Brandeburgicus, Ioannes Fridericus Saxo, iureconsulti duo, theologi tres, Melanchthon, Ioannes Brẽtius, Erardus Schnepfius. Inter hos de nonnullis conuénit, sed de Missa, de coniugio sacerdotum, de cœna domini tota, de uotis monasticis, de iurisdictione episcoporũ, præcipua erat controuersia, maximè uerò de Missa

déque uotis. nam in eo nihil remittebant pontificij: reliqua, licet etiam improbarent, tolerari tamen posse dicebant ad cõcilium usque: sacerdotibus quoque permittebant coniugium, ijs tantùm, qui iam haberent uxores, reliquis non item, & hæc quidem omnia maioris uitandi motus causa: quantum ad illud pertinet de potestate & iurisdictione episcoporum, Saxones aliquantò plus erant largiti, sed neque Lantgrauiani neque Luneburgici neq; Noribergenses probabant. Visum deinde fuit, hunc numerum esse arctandum. itáq; terni sunt utrinque delecti, Melanchthon cum duobus iureconsultis, & Eccius cum totidem: sed Philippo fuit iniunctum, ne quidam plius concederet: cùm uerò sententijs nõ conuenirent, pontificij uolebãt à pluribus rem denuò tractari, protestantes autẽ, cùm hoc agi uiderent, ut plures uiæ conciliationis reperirentur, actionẽ illam detrectabant, si uerò de rationibus agere placeret constituendæ pacis interea dum concilium fiat, non se recusare dicunt. Dum hæc ità geruntur, Cęsar Georgium Brandeburgicum solicitat per episcopum Moguntinum & alios eiusdẽ familiæ, Saxonẽ uerò per Fridericum Palatinũ, per Nassouium, per Georgium Trucesium, ut ab incepto desistant. Saxonem quidem conatus est etiam ab alijs diuellere, tanquàm præcipuum, & petenti suæ ditionis inaugurationem, pro more Imperij, denegabat, nisi prius cum ecclesia Romana in gratiam rediret: alteri uerò denunciabat, nisi paréret, fore, ut Alberti sui nepotis ex fratre Casimiro, tutela ipsi adimatur. Lantgrauio conati sunt persuadere, si Cæsari morem gerat, Vlrichum principem Vuirtembergicum iri restitutum, & quam haberet cum Nassouio de Chattis controuersiam, Cæsaris interuentu posse componi. Pontifex hoc in conuentu Ferdinando regi concesserat, ut totius Germaniæ templorum ornamenta & quicquid esset auri atque argenti sumeret in bellum Turcicũ, ecclesiasticis quoque tributum imperaret: principes autem minimè assentiebantur, et Cęsarem, ut irritum faceret hoc decretũ, interpellabant. Augusti mensis die XVIII, Erasmus Roterodamus Friburgo dat literas ad cardinalem Campegiũ. magnam quidẽ esse potentiã Cęsaris, sed hoc nomen ab omnibus nõ agnosci: Germanos illud sic agnoscere, ut imperẽt uerius q̃ pareant: Lutheri doctrinam longè lateq; per Germaniam esse disseminatam, ità quidem, ut inde ab oceano, malorum ista cathena pertingat ad Heluetiorum usque fines: quòd si pontificis arbitratu Cæsar facturum se profiteatur omnia, periculũ esse, ne paucos habeat sui consilij

appro-

approbatores: impendere quoque summũ discrimen à Turca, cuius potentiæ uix totius Europæ uires conferri possint: quid autem sit inuito milite belligerari, non uno posse demonstrari exemplo: Cæsarem quidem ad pacem haud dubiè spectare, sed tamen fato quodam ad bella pertrahi: plurimis nunc annis grauiter afflictam esse Galliã & Italiam: hoc autem bellum longè futurum esse nocentissimum, nisi caueatur: uulgò sic esse persuasum, quasi põtifice authore & consiliario hęc omnia fiant: metum esse, ne periculi pars magna redeat ad ipsum Cæsarem: qui sectas ament, dignos esse quidem animaduersione, sed tamen ad reipublicæ salutem potius respiciendum esse: calamitosum etiam olim fuisse statum ecclesiæ, cùm Arriani, Pagani, Donatistæ, Manichæi, sua dogmata spargerent, & barbaræ quoque nationes bella gererent, & tamen ex his omnibus malis emersisse tandem: ipsum uidelicet tempus aliquandò remedium adferre grauissimis etiam morbis: tolerari Bohemos, licet pontificem Romanũ non agnoscant: si Lutheranis etiam idem concedatur, fore non inconsultum, sua quidem opinione; & licet graue sit hoc ipsum, bello tamen esse multò leuius malum. Septembris die septimo Cæsar omneis principes ac ordines pontificios domum suam conuocat circa meridiem: duabus deinde pòst horis, Saxonem atque socios: & remotis omnibus alijs, adhibitóq; Ferdinando fratre, episcopo Cõstantiensi, Hispalensi, Granuellano, Trucesio, per Fridericum Palatinum in hanc sententiam uerba facit. Omninò speraſſe futurum, ut tàm amanter atque benignè à se commonefacti post exhibitam cõfessionem, ad suas partes transirent: & quanquàm id frustrà sperarit, tamen, cùm intercederẽt principes, assensisse, ut ex omni numero quidam deligerentur, conciliationis causa, & rursus in nouam spem uenisse futuræ concordiæ: nunc autem non sine graui molestia cognoscere, ipsos à reliquis dissentire in præcipuis dogmatis: quod planè sibi præter expectationẽ acciderit: nec enim existimasse fore, ut ipsi, qui sint numero pauci, res nouas introducerent contra uetustum & sacrosanctum totius ecclesiæ morem, aut singulare aliquod doctrinę genus usurparent, à pontificis, à suo, à Ferdinandi regis, ab omniũ Imperij principum & ordinum, à totius orbis regum atque maiorũ instituto alienum: iam uerò, quia & concilium cogi, & decretum hic fieri pacificum petãt, se, qui pacem inprimis optet, effecturum apud pontificem & reliquos orbis Christiani principes, ut ubi primum conuenerit de loco, concilium denuncietur: hoc se recipere ipsis atq;

confirmare: uerùm ea lege tamen, ut interim eandem, quam ipſe, quã alij quoque principes, religionem ſequantur: nam ut concilium cogat, & nihilo minus rem ita fluctuare ſinat, neque nouationem iſtam coherceat, quis non uideat, quàm id ſibi reliquiſq; futurũ ſit graue?

Illi, cùm deliberaſſent, nullam ſe nouam ſectam inſtituiſſe, neq; ſeceſſionem ab eccleſia Chriſtiana feciſſe dicunt: quòd concilium non recuſet, agere permagnas gratias, & petere, ut primo quoque tempore pium atque liberum in Germania cogatur, uti proximo & ſuperiori conuentu Spiræ decretum ſit: ut autem abolitos eccleſiæ Romanæ ritus atque dogmata recipiant, non ſe poſſe, bona cum conſcientia. Cęſar à multa conſultatione, per Truceſium, actionem omnem ſibi lectam eſſe diligenter atq; perluſtratam, & reperire ait, permultum ipſos ab eccleſia Chriſtiana diſſidere: mirari etiam delectorum lenitatem, qui tàm multa conceſſerint, ipſorum uerò duritiem, qui non acceperint oblata: quòd autem ex decretis Imperij concilium petant, non habere locum, nec ipſis licere, qui poſtremum illud Spirenſe decretum repudiarint, contráque ſint proteſtati, & ab eo prouocarint: quam tamen appellationem habeat pro nulla: nam æquum eſſe, ut minor pars accommodet ſeſe maiori: quantula uerò ſint ipſi portio, ſi cum põtifice maximo, ſi ſecum, ſi cum reliquo principum cœtu componantur? itáq; petere, ut exponant, num ampliorem actionem ferre poſſint: nec enim ulli ſuo labori uel moleſtiæ ſe uelle parcere, quò tandem ad concordiam aditus fiat: quòd ſi autem recuſent actionem, nec à propoſito recedant, tum ſibi faciundum eſſe, quemadmodum eccleſiæ protectorem deceat: & quia multus iam ſit ueſper: cogitandi ſpacium ſe ipſis largiri in diem craſtinum. Poſtridie, cùm ordines omnes ad horam conueniſſent, per Pontanũ iureconſultum Saxo ſociſq; reſpondent. ſi quidem Cęſar rem omnem, ſic ut eſt acta, ſciat, habiturum eſſe fidem ſuæ narrationi ſuperiori: neque dubitare, quin ſua doctrina, pij liberíque concilij futuri teſtimonio, iudicetur eſſe conſentanea uerbo Dei: quò minus etiam eſſe mirum, quòd ea, quæ nuper oblata ſint atque conceſſa, non receperint: appellationem illam, neceſſarijs de cauſis, ea ſolùm parte interueniſſe, ubi decretum illud facit contra euangelij doctrinam & ueteris eccleſiæ morem: in reliquis enim obtemperare ſeſe: deinde, ſtatim in illius conuentus initio promiſſum fuiſſe concilium ab ipſius legatis, multò antè factum decretum: nec id modò, ſed in omnibus etiam alijs Imperij conuentibus hanc fuiſſe unam & perpetuam

petuam omnium ſententiam: cùm ergò ad ipſum pariter & ad libe-
rum concilium prouocarint, ſperare futurum, ut huic appellationi
nihil deroget, donec legitimè ſit pronunciatũ: an uerò minor pars,
hac quidem in controuerſia, cedere debeat maiori, non eſſe huius
loci diſputare: ſibi nimirum, hac potiſsimùm de cauſa, neceſſariò
fuiſſe prouocandum, ſuique facti rationem, in concilio uelle proli-
xius demonſtrare: cùm itáque ſuperiores conuentus omnes conci-
lium decreuerint ſine ulla conditione aut modo, petere uehemen-
ter, ne reſcindat ea decreta, ſed uoluntatem ſuam reliquorum or-
dinum ſtudijs accommodet: Iam, quòd ad ampliorem actionem,
ſuum quoque laborem profiteatur, permagnas agere gratias: ue-
rùm ex ijs quæ iam acta ſint, facilè apparere, quemadmodum ad
extremum ſeſe demiſerint: cúnque mirum ipſi uideatur de pontifi-
cijs, quòd adeò multà conceſſerint, non eſſe difficilè ex eo collige-
re, quid ſit ipſius iudicij: fruſtrà igitur ullam aliam actionem inſti-
tui. quoniam reliquis negocijs ea res impedimentum allatura ſit at-
que moram: ſed ut de pace per Imperium colenda uſque ad conci-
lij tempus, agatur, non ſe recuſare, quòd initiò quoque dixerint: in-
terea nihil ſe facturos, quod non & Deo putent & legitimo quo-
que concilio poſſe probari. Iuſſi diuertere, tandem reuocantur: &
quoniam ardua ſit deliberatio, conſideraturum ſe dicit Cæſar, & à
Saxone petit, quòd eſſet præcipuus, ne diſcedat. Georgius qui-
dem Truceſius & Vehus iureconſultus Badenſis, conciliationis
uias aliquot de Miſſa déque uotis, priuatim in medium adduce-
bant, ſed id fruſtrà fuit. itáque Cæſaris mandatu delecti ſunt, qui
de faciendo decreto deliberent. Hi erant, Moguntinus, Brande-
burgicus elector, Salisburgius, Argentinenſis, Spirenſis epiſcopi,
Georgius Saxoniæ, Gulielmus Bauariæ princeps, Henricus Brun-
ſuicenſis. Cùm ad XVIII Septembris diem, Saxo domũ cogitaret,
Cæſar petit, ut quatriduum ſolum expectet: Interea principes dele-
cti, formulam decreti concipiunt, & XXII Septembris die, Saxo-
nem atq; ſocios, domum ſuam Cæſar euocat, inq; pleno ſenatu prin-
cipum illud, quod ad religionem pertinebat, recitari iubet. Saxo-
nem uidelicet atq; ſocios, doctrinæ ſuæ confeſſionem exhibuiſſe, quę
poſtea ſit ſacræ ſcripturæ teſtimonijs confutata: multo deinde labo-
re tàm ſuo quàm reliquorum ordinum eò rem eſſe deductam, ut il-
li quædam eccleſiæ dogmata receperint, quædam repudiarint: quod
cùm ità ſit, ideò ſe, quò demonſtret, quàm ſit amans pacis, quàm

nihil impotenter aut cupidè faciat, singulari quadã benignitate ipsis largiri deliberandi spacium, ad XV usque diem Aprilis, ut interea reputent secum atq; statuant, num in ijs dogmatis, quæ reliqua sunt, idem quod pontifex, quod ipse, quod uniuersus denicq; orbis Christianus, profiteri uelint: interea autem sese uelle, ut pacem per Imperium colant omnes, ne Saxo socijq; noui quid interea, de religione, suis in ditionibus procudi patiantur, ne quid etiã innouent, ne quem ad suam religionem pelliciant aut cogant: ne suæ ditionis homines, qui ueterem religionem sequuntur, quò minus id faciant, ulla ratione impediant: ne monasticis personis, quò minus & sacra sua peragant, & delictorum audiant confessionem, & cœnam domini suo more administrent, ullum faceſſant negocium: ut unà secum et cùm alijs ordinibus deliberent, quomodo cohercendi sint anabaptistæ, et ij qui de cœna domini secus, quàm ecclesia, docẽt: postremò, quia multo iam tempore nullum sit habitum concilium, & uerò, tàm in hoc ciuili, quàm in ecclesiastico statu multa requirant emendationẽ, se daturum operam apud pontificem alióſque reges, ut intra semestre tempus denuncietur concilium, & anno deinde pòst inchoetur.

Ad ea Saxo socijq;, re deliberata, per Pontanum respondẽt. quòd in decreto sit perscriptum, doctrinam suam, authoritate sacrarum literarum esse confutatam, non se fateri nec agnoscere: imò ità sentire, sic illam niti scripturæ sacræ consensu, ut quod impium sit, nihil in ea reperiri possit: et si quidem lectæ confutationis exemplum impetrasſent, liquidò se potuisse hoc demonstrare: ne tamen silentio præteriretur confutatio, contrariũ se scriptum inchoasse, statim ut audissent eam recitari, quantum quidẽ inter legendũ memoria complecti potuerint: quod ipsum scriptũ nunc tandem, post multas occupationes perfectũ sit: & quanquàm ad omnia responderi non possit propter enumeratam causam, tamen, si Cæsar hoc suum scriptũ recognoscat, non dubitare, quin exhibitam confessionem, firmam adhuc, nec ullis concussam machinis reperiat. Cùm hucusque peruentum esset, Pontanus apologiam Cæsari defert: eam ubi Fridericus Palatinus accepit, subnuente Cæsare, cui Ferdinandus aliquid ad aurem insusurrauerat, reddit. Põtanus deinde pergit. quòd decretũ sit, ne quid innouent interea, neque typis euulgent, in superiori conuentu se ità de eo respondisse, ut satisfactum esse putent: eiusdem nunc quoque se uoluntatis esse, neque facturos quod iure possit exprobrari: nihil etiam sibi commune esse cum sectis: & licet uera sit, quam profitean

tur,

tur, doctrina, se tamen neminem ad illam adegisse, neque deinceps uelle: ad anabaptistas uerò quod attinet, & eos qui sacramentũ altaris cõtemnunt, suos intra fines nunquàm se toleraſſe id genus homines, uerùm contrarias illis conciones opposuisse semper, in anabaptistas etiam uindicasse, ità quidem, ut eiusmodi sectæ non modò radices agere nullas, uerùm ne consistere quidem apud se, uel pedem figere possint: cùm autem grauissima sit ista causa, quæ nimirum ad animæ uel salutem uel dispendium & iacturam pertineat sempiternam, & multam requirat deliberationem, absentium quoque sociorum legati necesse habeant ad suos omnia referre, uehementer orare, ut decreti sibi permittatur exemplum, quò considerent atque statuant interea de summa rei, quid ad diem sit respondendum. Postridie Cæsar per electorem Brandeburgicum refert, quòd adeò confidenter affirment, suam doctrinam esse piam atque synceram, non se mirari satis posse, cùm nõ solùm confutata iam sit authoritate scripturæ, uerum etiam superioribus omnibus cõciliis, & ante multam ætatem, condemnata: quò magis etiam mirari, quòd sibi reliquísque principibus errorem & falsam religionem attribuant: etenim si uera sint quæ dicant, iam & suos & reliquorum etiam principum & ipsiusmet Saxonis parentes atque maiores, qui religionem illam seruarint & propagarint, habendos esse pro hæreticis: itáque sibi persuaderi non posse, nec etiam fateri se quod dicant, ipsorum uidelicet doctrinam insistere testimonio uerbi diuini: cùm autem singulari quadam clementia studióque pacis, decretum iusserit ad hunc modum conscribi, in eóque plus æquo sese demiserit, idcircò postulare, ut sicut reliqui principes, ità ipsi quoque illud recipiant, & secum perpendant, quantis malis occasionem sint præbituri, nisi faciant: cuius quidem rei culpam Deo sint aliquandò reddituri: nullis etiam scriptis hoc esse proditum, ut spoliare quem liceat, & postea sic excusare, quasi fas non sit, eum qui damno est affectus, restituere: quòd ad scriptum attinet, oppositum confutationi, iàm anteà demonstrasse, nullam se disputationẽ ampliorem religionis uelle permittere, quandóquidem hoc neque liceat, neque sui sit officij: hac nimirum de causa illud repudiasse: nisi enim decretum hoc admittant & ratum habeant, capiendum sibi esse consilium ex tempore, & faciundum in eo, quod suam personam atque munus deceat. Brandeburgicus hoc etiam addebat, scire ipsos, quanta reliquorum principum & ordinũ diligentia fides

ac ſolicitudo interuenerit, ut diſſidium hoc placidè componeretur: nunc autem orare, ſecum expendant, quantì priuatim ipſorum interſit, quanti etiam reipublicæ ut Cęſari morem gerant & decretum admittant: niſi enim pareant, fore ut reliqui ordines omnia Cæſaris cauſa uelint atque faciant: iam enim data fide promiſiſſe, fortunas omneis ei ſe communicaturos, & ſanguinem ipſum atque uitam, ut negocio finem imponat: illum inuicem omne robur atque potentiam huc eſſe collaturum, ac promiſiſſe, non prius iturum extra fines Imperij, quàm ad exitum res deducta ſit: & hæc quidem ità ſeipſis denunciare principum atq; ordinum omnium mandatu. Illi contrà. doctrinæ ſuæ confeſſionem, cum uerbo Dei cõſentire, cui ne inferorum quidem portæ queant reſiſtere: & hoc ipſum alio ſcripto, quod nuper oblatum ſit, amplius doceri poſſe, quantùm quidem ex recitata cõfutatione retinere licuit: decretum uerò factum ſalua conſcientia nõ ſe poſſe probare, ideóq; petere, ut et totius actionis exemplum, et deliberandi ſpacium ſibi detur, ad cõſtitutum uſque diem: nihil enim facturos obſtinatè, ſed quantum omninò permiſſu uerbi diuini poſſint, largituros, & quid ſuæ ſit mentis, liquidò reſpõſuros ad diem, in cæteris etiam rebus omnibus non recuſare fortunas atq; uitam, ipſius quidem cauſa profundere: Quòd autem principes ac ordines ad hunc modum ſeſe deuinxerint Cæſari, ualde ſibi mirum uideri: nec enim eius rei cauſam ullam alicui unquam dediſſe, & nihil eſſe, quod non & ipſi, maiorum exemplo, ipſius cauſa uelint, & cùm res ità poſcet, nõ futuros in poſtremis: quòd etiam dictum ſit, neminem eſſe re ſua ſpoliandum, idem ſe quoque fateri, ſed & culpa omni uacare: quantum enim ad monachorum domicilia pertinet, non ſemel eſſe profeſſos, ità ſe rem geſturos interea, dum fiat concilium, ut certò uideri poſſit & intelligi, nullum à ſe priuatum emolumentum atque compendium captari. Cæſar ad hæc, poſt multam deliberationem, rurſus per Brandeburgicum. non ſe fateri neque concedere, quod de ſua religione iactent: ſe quoque de ſua ſalute & conſcientia ſolicitum eſſe, et à ueteri pérque manus tradita religione, multò minus, quàm ipſi, diſceſſurum: in decreto autem iam facto nihil poſſe mutari: ſi quidem illud admittant, rectè, ſin minus, cauſam ſibi præberi, ut cum reliquis aliud faciat decretum, & rationẽ ineat, quemadmodũ & hæ ſectæ nuper natæ funditus extirpentur, & pax Germaniæ concilietur, & uetus eccleſiæ religio, fides atque ritus ualeant: quæ quidem res ad ſuam curã officiúmque propriè pertineat:

niſi

niſi enim obtemperent, nunciaturum ſe omnia pontifici Maximo cæteriſque regibus, & illorum in ea re uſurum eſſe tum conſilio tum adiumento: ad illud, quòd nemini ſe dediſſe cauſam offenſionis dicāt, non eſſe nihil quod obiici poſſit: nam & ipſorum eccleſiæ miniſtros magnum attuliſſe momentum ad ſeditionem atq; bellum illud horribile ruſticorum, quo propè ad centum hominum millia perierint, & in pontificis atq; ſui & reliquorū ordinum contumeliam, ludibrium atq; contemptum, multa per ipſorum fines atq; ditionem eſſe facta: non igitur ipſos tàm uacare culpa, quàm præ ſe ferāt: principes etiam & ordines, nulla priuata cupiditate, uerùm ex officio ſuam operam ſibi deuouiſſe, præſertim, cum ipſi nullam concordiæ uiam admittāt: quàm autem hæc defectio ſit honeſta, quánq; deceat illos, qui decretum Vuormacienſe laudarunt olim & approbarunt, non eſſe obſcurum: poſtremò, uelle etiam atque mandare, ut Abbates, monachos et alios ordinis eccleſiaſtici, quos eiecerint, in integrum reſtituant: nam audire ſe quotidianos illorum gemitus, & de reſtitutione quotidie ſolicitari. Poſt interpoſitam cogitationem illi reſpondent, quoniam decreti exemplum, déque re tota deliberandi ſpacium impetrari nequeat, non eſſe quòd amplius interpellent: ideóque ſe rem omnem Deo committere, in quo primam ſpem ſalutis poſitam habeant: Quod præterea ſit adiectum de ſeditione ruſticana, prorſus nullam in eo culpam ſibi poſſe attribui, & optima ſe conſcientia niti: quid enim tunc temporis præſtiterint, quàm nulli ſuo uel periculo uel ſumptui uel labori pepercerint, eſſe peruulgatum ac manifeſtum: quæ fuerit etiam eius origo ſeditionis, quæ cauſa, demonſtratum eſſe ante annos quatuor in conuentu Spirenſi: tunc quoq; decretam fuiſſe legationem ad ipſum in Hiſpanias, ex qua res omnis ordine cognoſci potuiſſet, niſi de mittendis legatis conſilium fuiſſet immutatum: Non rectè igitur inuidiam huius facti in ſe detorqueri, ac iniuriā ſibi fieri: ſi quis etiam ſit omnium, qui uel hac ipſa, uel quauis alia de cauſa, iure ſecum atq; legibus uelit experiri, non ſe recuſare iudicium: Itáq; petere, ne grauiorem ullam in ſe concipiat offenſionem, nec ad iracundiam aut odium ſeſe patiatur accendi: ſua enim omnia, non minus, quàm reliquorum ordinum, ad ipſius uſum atq; dignitatem eſſe deſtinata. Cùm hæc oraſſent, petita dimiſſione, diſcedunt, relictis ibi conſiliarijs legatis. uerùm, antequàm abirent, Moguntinus & Treuirenſis & Palatinus per internuncios exponunt apud Saxonem & Lantgrauianos, quod Brandeburgicus elector de ſubminiſtrandis

auxilijs & communicandis fortunis ad propugnationem religionis, esset locutus, iniussu suo factum: hoc etiam ad Cæsarem minimè se dissimulasse, & quàm habeant nullam aduersum ipsos inimicitiæ causam, ostendisse: quare, si quam de se conceperint opinionē minus commodam, orare, ut illam deponant: Purgationem Saxoniæ princeps accipit, & ab se uicissim beneuolentiam omnem expectari iubet. Postridie quàm abijssent, Cæsar omneis ordines conuocat, & primò ciuitatum legatis per Trucessium mādat, ne ante comitiorum exitum discedāt: deinde, quid cum Saxone cúncq; socijs actum esset, exponit, & quoniam Argentinenses, Constantienses, Memingi, Lindauij suum quoddam singulare scriptum exhibuissent, acturum se quoq; cum ipsis, ostendit. Pòst, alia tractantur Imperij negocia, præcipuè, de bello Turcico. Romæ tunc tēporis exundauit Tiberis, maximo cum terrore ciuitatis, reflantibus uentis, & fluminis decurrentis impetum, à mari retrò pellentibus. itáq; plurimum fuit acceptum damni. Consimilis plānè calamitas & atrocior multò peruasit Batauos, ijsq; finitimos populos, quum per aggeres, quibus constringitur ijs locis, mare perrupisset, ac omnia secum longè lateq; inuolueret. Decimo tertio demum Octobris die, cùm omnes ordines, præterq; protestantes, in curiam uocati uenissent, ciuitatū legatis recitatur decretum, & petentibus exemplar, denegatum fuit, repetita semel atq; iterum prælectione. Cùm plærisq; omnes approbarent, Augustani, Vlmenses, Francofurdij, Hallenses deliberandi tēpus petunt. Octauo pòst die, Saxonis àtq; sociorū legati, Moguntino, cuius inter principes primę sunt partes, demonstrant, quòd si religioni pax detur aduscq; conciliū, se quoq; pecuniam & opem in bellū Turcicum esse collaturos. Cùm ergò postridie in curiam essent uocati, recitata fuit formula pacis, in qua hi solum erant comprehensi, qui decretum factum approbassent. de quo cùm esset orta disceptatio, & legati, non ad se pertinere illud, aut, si pertineat, clarioribus uerbis utendum esse dicerent, ne qua pòst incidat ambiguitas: illi se relaturos ad Cæsarem aiunt. Biduo pòst, Cęsar domum suam euocat Argentinenses atq; socios, & in ordinum cōsessu recitari iubet ipsorum doctrinę confutationem, scriptū ualde prolixum et acerbum, ea parte potissimū, ubi de cœna Domini tractatur. Eius erant artifices Ioannes Faber & Eccius. nam quòd inuidiosum esset argumentum, criminationis nullum genus prætermiserant, ut Cæsarem atq; principes accēderent. Exitus hic erat. quandoquidem in religione diuersam à reliquis omnibus opinionē profiteantur,

& gra-

& grauiſsimum illum errorem de ſacramento euchariſtiæ probent, ſtatuas etiam è templis eiecerint, & Miſſam abrogarint, & collegia, Cæſarum atq; regum liberalitate olim conſtructa ſubuerterint, & uarias quoq; ſectas foueant, inq; uulgus per Germaniam diſſeminent, editis libellis, qui paſsim circumferantur: idcircò ab ipſis denuò ſe poſtulare, ut ad ſanitatem redeant, & priſcam religionem recipiant, alioqui non ſe prætermiſſurum eſſe, quod ſui muneris ratio poſtulet.

Illi paulò pòſt reſpondent, in hac confutatione multa recitari ſecus quàm ipſorum habeat ſcriptum: atrocibus etiam uerbis quædam exagitari, quæ ſanè non reprehẽſionem modò ſed & animaduerſionem mereantur, uerùm ea ſibi non rectè tribui: ſuis enim in ciuitatibus nihil eiuſmodi fieri, néq; fore cuiquam impunè, ſi quidem eò licentiæ quis progrederetur: cùm ergò bene ſibi conſcij ſint, & uerò cauſa ſit grauis, & ſcriptum bene lõgum, néq; reſponderi poſsit, niſi primùm ad ſuos referant, idcircò petere, primùm, ut exemplũ ſibi communicetur, deinde, ne fides habeatur huic criminationi, prius, quàm ipſorum audita ſit atq; cognita purgatio: cæteris in rebus omnibus nihil non ſe facturos ipſius cauſa. Cęſar conſideraturum ſe dicit, & quinto demùm pòſt die per Brandeburgicum reſpondet. exemplar ipſis dari non poſſe: nam & Saxoniæ principi grauibus de cauſis hoc denegatum, & omnem de fide diſputationem eſſe prohibitam: ſi uerò conciliationi ſtudeant, & cum eccleſia redire uelint in gratiam, non recuſare, quò minus repetatur ſemel atq; iterum confutationis recitatio: mandare autem, ut idem doctrinæ genus, quod reliqui omnes principes ac ordines, profiteantur, & aduerſus Turcam auxilia conferant: niſi enim à ſua proteruia deſiſtant, acturum ſe de conſilio pontificis & aliorũ regum, ut ſe deceat. Impetrato deliberandi ſpacio, cùm adeſſent omnes ordines, habere ſe dicunt in mãdatis, ut quod ad ſuam fortè confeſsionem obijcietur, eius exemplum petant, domumque mittant: hoc autem fieri, ſua quidem opinione, non amplioris cauſa diſputationis, uerùm, ſi fortè diuerſæ partis uiri docti, ſuum ſcriptum, ſecus, quàm oportet, interpretentur, aut ſi quod ipſis crimen offeratur, ut ſit in promptu quod reſponderi poſsit & excuſari: cum autem ex recitatione confutationis intelligant, quantum quidem eius retineri potuit audiendo, ſuam confeſsionem aliò trahi, præter ſuam ſuíque magiſtratus mentem atq; ſententiam, ſecus etiam interpretari, quàm ipſa uerba loquuntur: deinde, quoniam horrenda quædam enumerantur, quæ minimè omnium ſibi poſsint aſſcribi, quod antea quoq;

dixerint, idcircò rursus petere & obsecrare, ut confutationis exemplum sibi detur, quò dilui possint obiecta: cùm etiam ad suæ confessionis exitum orarint Cæsarem, ut dissidium hoc religionis legitimo Germaniæ concilio disceptari uelit, & cùm hæc ratio sola semper uisa sit omnibus longè commodissima, cunctq; sui nullū errorem, scientes quidem, approbare uelint, nec aliquid proteruè facere cogitent, iterum atque iterum orare, ut per concilium pium atque liberum causa definiatur: quod in eo decretum fuerit, & scripturæ sacræ testimonio comprobatum, non se recusaturos: interea, quantum & uiribus & facultatibus possint, omnia Cęsaris causa facturos esse: de subsidio in bellum Turcicum & ope conferenda, proximis aliquot diebus, ad ciuitatum legatos, quid suæ sit uoluntatis, explicasse, nimirum, si pax communis per Imperium fiat, & securitas præstetur ad usque concilium, libenter collaturos, quantum ex ęquo debeant: nam & anno superiori, liberaliter ac ferè plus quàm tenerentur contulisse: quod cùm ità sit, & quia responsum adhuc nullum acceperint, orare iterum, & uehementer quidem, ut religioni pax detur: nam alioquin, etiamsi maximè uelint, non se posse quicquam contribuere. Brandeburgicus ait se renunciaturum Cæsari. post meridiem delecti quidam recitant ipsis formulam pacis, in qua solùm erant comprehensi, qui decretum reciperent, ut suprà de Saxone diximus atque socijs. Hi respondent, necq; decreti sibi traditum esse exemplum, neque se comprehendi etiam: itáque non esse quod suorum nomine promittant: & cùm in dubio res adhuc sit, expectare se, quæ Cæsaris in eo sit uoluntas, quemadmodum electori quoque Brandeburgico demonstrarint. Reipublicę Argentinensis erant in hoc conuentu legati, Iacobus Sturmius, Matthias Pharrerus, & ille quidem, tàm sui senatus, quàm sociorum nomine, causam apud Cæsarem atque principes orabat. Dum hæc aguntur, Vlmenses, Augustani, Francofurtenses, Hallenses decretum factum de religione dedinant, & concilium urgent: Faber autem & Eccius honorarium munus à principibus petunt & impetrant, ob scriptas confutationes: operam quoq; suam deinceps pontificiæ religionis defensioni pollicentur. Nam hi, sicut alij plærique, cogitabant crescere de Luthero, & Faber quidem postea Viennensem episcopatum est adeptus à rege Ferdinando. Hinc illud Erasmi Roterodami facetum, quo dicere solebat, pauperem ac tenuem Lutherum locupletare multos. Interea Saxones atq; sociorum legati Cæsarem interpellant per libellum supplicem,

plicem, & orant, ut pacem communem per Imperium constituat, neue religionis causa cuiquam ulla creetur uel molestia uel periculum. Cæsar XI deinde Nouembris die per Fridericum Palatinum respondet. quia decretum repudient, ideò se cum reliquis fecisse pactum, non quidem offendendi, sed muniendi sui causa, si qua fortè uis intentabitur ijs, qui unà secum eandem profitentur religionem: quòd autem petant, ne fisco liceat aduersum ipsos experiri, non esse æquum: hoc enim propriè ad suum pertinere munus, ut ius omnibus administretur, ideóque nolle sibi quicquam in eo præscribi uel derogari.

Cùm aliud obtineri non posset, scribunt epistolam ad omneis ordines, & quid actum sit, paucis commemorant, ac petunt, ne sub exitum decreti, suorum principum nomina reliquis inserantur: & quoniam de pace frustrà solicitarint, ad auxilia belli Turcici nihil à se posse contribui docent: deinde, quia decreto cautum sit, ut ij solum habeant locum in Imperij iudicio atque Camera, qui decretum factum admiserint, mutari hoc petunt atque corrigi: nam alioqui nihil se posse conferre sumptuum, quos Camera requirit. cùm hæc ita denunciassent Nouembris die XII, postridie discedunt. Libro quinto diximus, quemadmodum Albertus Brandeburgicus in regis Poloniæ fidem & clientelam sese dedit. Solicitatus autem Cæsar à Vualthero Cronbergo, transactionem illam, uelut in detrimentum Imperij factam, rescindit, & nullius esse momenti, XIIII die Nouembris pronunciat. Quinto post die, præsente Cæsare, decretum recitatur in omnium ordinum cœtu, & post multã enumerationem totius actionis, Cæsar statuit. ne tolerentur, qui de cœna Domini, secus, quàm hucusq; seruatum sit, docent, ne quid in Missa uel cõmuni uel priuata mutetur, ut chrismate pueri confirmentur, & ægrotantes oleo consecrato inungantur: imagines atq; statuæ minimè remoueantur, & quibus in locis ablatæ sunt, ibi restituantur: eorum opinio, qui liberum esse negant hominis arbitrium, nequaquam recipiatur, quòd & pecuina sit & in Deum etiam contumeliosa: nihil omninò doceatur, quod ulla ratione magistratus imminuere possit dignitatem: dogma illud de sola fide iustificante, locũ non habeat: ecclesiæ sacramenta sint eo loco & numero, quo antiquitùs: ceremoniq; omnes ecclesiq, ritus, exequiæ mortuorum & id genus alia seruentur: sacerdotia quæ uacant, conferantur idoneis: qui ante hoc tempus facti sunt mariti, sacerdotes uel ecclesiastici, priuentur beneficijs, quæ statim ab hoc conuentu conferantur alijs: qui tamen relictis

uxoribus ad priſtinum inſtitutum redire & abſolui cupiunt, eos, de uoluntate pontificis, cùm hoc ei legatus nunciarit, epiſcopi reſtituant: cæteri uerò nullũ uſquam habeant perfugium, ſed exulent aut etiam meritam pœnam luant: ſacerdotum uita ſit omnis honeſta, ueſtitus etiam decorus, & uitetur omnis offenſio: ſi quibus in locis eccleſiaſtici redacti ſint ad aliquam iniquam conditionem atque pactum, ſi quid etiam bonorum ſacrorum iniqua ratione uenditum ſit aut in alium uſum prophanum applicatum, id omne ſit irritum: ad docẽdi munus nemo recipiatur, niſi qui doctrinæ ſimul & uitę probatum habeat ab epiſcopo teſtimonium: in docendo ſequantur omnes hãc præſentem formulam, nec illud pro concione dicant, uſitatum, quaſi hoc nõnulli agant, ut opprimatur euangelij doctrina: tẽperent etiam à ſcommatis átq; contumelijs: hortentur populum, ut Miſſam audiat, ut diligẽter oret, ut uirginem Mariam cæteroſque diuos imploret, ut dies feſtos peragat, ut ieiunet, ut à cibis uetitis abſtineat, ut ſubueniat egenis: monachis autem demonſtrent, non licere profeſsionem ac ordinem deſerere: breuiter, in ijs quæ pertinent ad fidem atque Dei cultum, nihil quicquam immutetur: qui contrà fecerint, corporis atq; uitæ ſeu bonorum diſcrimen ſubeant: quicquid ablatum eſt eccleſiaſticis, reſtituatur: quibus in locis domicilia monachorum & id genus alia ędificia ſacra diruta ſunt, reædificentur, in ijſq; ceremoniæ fiant atq; ritus uſitati: qui ſunt in aduerſariæ partis finibus, antiquæ religionis atque fidei ſectatores, & hoc decretum approbant, in Imperij tutelam recipientur, eiſq; licebit, quò uolent, emigrare, nullo cum detrimento: de concilio pontifex appellabitur, ut intra ſextum menſem illud ad locũ aliquem idoneum indicat, ut deinde primo quóq; tẽpore, & ad ſummum intra ſpacium anni fiat eius initium: Hæc omnia rata ſint atque firma: & ſi quæ ſunt oppoſitæ uel opponentur etiam exceptiones aut appellationes, locum nullum habeant: ut uerò decretum hoc ualeat & ſeruetur, quantum quidem ad fidem atque religionem pertinet, quicquid omninò uirium atq; facultatis conceſſit Deus, id omne, uita etiam atque ſanguis huc impendetur: Si quis autem uim alicui intendet, Camera, ſimul ac interpellata fuerit, ei, qui uim uel arma parat, denunciet, ut ab incœpto deſiſtat, & legibus agat: ſi non obtemperabit, fiſcus litem in eum inſtituat, & proſcriptionem urgeat, eáque promulgata, uicinos principes atque ciuitates moneat, ut ei, qui uim metuit, ilicò ſuccurrant: In cameræ uerò iudicium nemo recipiatur, niſi qui decretum hoc de religione factum approbarit: alioqui remo-

ueatur

ueatur loco. Hoc durante comitio, Lutherus erat Coburgi, ad Franconię fines, mandatu sui principis, ut tantò uicinior esset Augustæ, si qua fortè res ipsius consilium postularet. Vt autem absens etiam aliquid in commune conferret, librum ad episcopos & id genus alios proceres in eo conuentu, conscribit, & cuiusmodi fuerit sub pontificatu Romano status ecclesiæ, quàm densæ tenebræ, quàm impia doctrina, quàm fœdi errores, demonstrat, & ipsos officij commonefacit grauissimis uerbis, & crudelitatem animúmque sanguinarium exprobrat, & ne iam sanandi mali prætermittant occasionem, hortatur, & suam doctrinam esse prophetarum ac apostolorum scriptis cõsentaneam, ostendit, & aduersus Deum frustrà iniri omnia consilia, docet. In hoc Cæsaris & pontificiorum fremitu atque comminationibus, Melanchthon animo erat admodum solicito & anxiò, non quidem sui, sed ipsius exitus & posteritatis causa, secũ mœrori, suspiriis atque lachrymis totum dabat: Lutherus autem ubi cognouit, crebris literis illum erigit & consolatur: & quia non hominum, sed omnipotentis Dei sit hoc negocium, monet, ut omni deposita solicitudine ac grauiori cogitatione, totam molem in illum reiiciat. Et cur, inquit, ad hunc modum te crucias & affligis ipse? Si filium suum Deus pro nobis impendit, quid trepidamus, quid metuimus, quid angimur atque tristamur? An sathanas est illo potentior? an qui tantum nobis beneficium contulit, in rebus leuioribus nos deseret? Cur mundum à Christo debellatum reformidamus? Si malam causam defendimus, cur non mutamus propositum? si piam atque iustam, cur Dei promissis non confidimus? præter uitam certè nihil sathanas eripere nobis potest: at uiuit tamen & in sempiternum regnat Christus, in cuius tutela consistit ueritas. Is non desinet esse nobiscum ante consummationem sæculi. Si nobiscum non est, obsecro, ubi nam reperietur? si nos ad ecclesiam non pertinemus, an pontificem & reliquos aduersarios pertinere putas? peccatores quidem sumus, non uno modo, sed tamen Christus idcircò non est mendax, cuius causam agimus. fremant reges atque populi, quantum uolent: qui cælos inhabitat, deridebit eos. Causam hanc Deus absq; consilio nostro gubernauit ad hoc usq; tempus & protexit: idem quoq; deinceps ad optatũ finem perducet. De legibus et traditionibus hominum quod scribis, non est difficilis respõsio. Nemini enim licet nouũ aliquod opus instituere uel deligere, tanquam cultũ Dei: nam & primũ decalogi præceptũ et omnes prophetæ damnant eiusmodi operas

Corporis quidem exercitium esse possunt: sed si cultus accedat opinio, statim fiunt idolatrica. Quòd ad conciliationem attinet, frustrà speratur: nec enim nos pontificem loco deturbare possumus, neque uera doctrina, saluo pontificatu, incolumis esse potest. Quod cœnam Domini uultis integrè communicari, nec aduersarijs in eo conceditis, qui contendunt esse indifferens, rectè piéque facitis. nec enim est arbitrij nostri, statuere uel tolerare aliquid in ecclesia, quod uerbo Dei defendi non potest. Clamant illi, totam ecclesiam à nobis damnari: nos uerò dicimus, ecclesiam inuitam fuisse captam & oppressam tyrannide dimidiatæ Eucharistiæ, atque ideò excusandam esse, quemadmodum uniuersa synagoga fuit excusata, quòd in Babylone captiua, legem Mosi cæterosque ritus non seruarit. etenim ui prohibita fuit, ne faceret. Episcopis uerò ne nimiam iurisdictionem tribuatis, etiam atque etiam prouidete, ne maior ex eo pòst turba nascatur. Mihi quidem omnis hæc actio de doctrinæ concordia, displicet: nam frustrà labor hic sumitur, nisi regnum suum pontifex aboleri totum uelit. Si nostra damnant, quid conciliationem quærimus? si probant, cur ueteres retinentur errores? sed damnant apertè. fucus igitur est atq; mendacium, quicquid agunt. De ceremonijs multum, ut uidetur, laborant; sed restituant antè fidei doctrinam & operum: permittant ecclesiæ suos ministros, qui faciant officia necessaria. Monachos in possessionem reduci postulãt: ipsi contrà restituant nobis tot innocentes ac pios homines, ab se trucidatos, restituãt tot animas, impia doctrina perditas, restituant amplissimas illas facultates, fraude partas atque nequitia summa, restituant denique gloriam Dei, tot contumelijs affectam. de his rebus ubi satisfecerint, agemus cum ipsis, ad utros bonorum sacrorũ possessio pertineat. Cùm de cœna Domini potissimùm ac ferè solùm, esset inter Lutherũ & quosdam alios dimicatio, sicut suprà non semel diximus, & cùm id pontificijs esset pergratũ, reliquis autem ualde doleret, Bucerus, de uoluntate Saxonis electoris & sui magistratus, Augusta profiscitur ad Lutherum, conciliationis causa, & responsum tulit non incommodum, ità quidem, ut illinc ad Zuinglium & Heluetios iret, quò propius iungerentur animis atq; sententia. Quum hic esset rerum status, & offensionibus omnia patérent, Lantgrauius fœdere sex annorum sibi coniungit Tigurinos, Basilienses, Argentinenses, ut si cui uis fiat religionis causa, mutuum præbeatur auxilium. Nouembri mense factum fuit hoc fœdus. Eodem tempore, Cæsar,

datis

datis literis, iubet Saxonem electorem adesse Coloniæ ad XXI Decembris diem, propter ardua quædam reipublicæ negocia. cùm eas accepisset ille Nouembris die XXVIII, uenerunt ad ipsum eodem die nunciꝰ atque literæ Moguntini, quibus hoc erat perscriptũ: Cæsarem à se petijsse, ut principes electores cõuocaret, creandi causa Romanorum regis. itáque citabat illum, ut ad XXIX Decembris diem adesset Coloniæ. nam Moguntini sunt in eo primæ partes, ut suprà quoque dictum est. Ea re cognita, Saxo, dimissis ilicò literis huc illuc, Lantgrauium reliquósque principes ac ciuitates protestantes orat & hortatur, ut ad XXII Decembris diem Smalcaldiæ conueniant: sed interea filium suum Ioannẽ Fridericum, & cum eo quosdam è suis familiaribus Coloniam celeriter dimittit, ut ad diem à Cæsare constitutum adsint. per eos demonstrat, citationem Moguntini non esse rectè nec ordine factam, & hac ipsa creatione regis, uiolari cumprimis Imperij ius atque libertatem, & illud Caroli quarti, Cæsaris, edictum, ideóque non se ratam habere actionem hanc neque probare. Vbi Smalcaldiam omnes uenerunt, fœderis concipiunt formulam, non quidem offendendi quenquàm, sed sui defendendi causa. subscripserunt huic continuò principes, item Albertus & Gebartus Mansfeldici, Magdeburgum etiam atque Brema: sed Argentoratum, Vlma, Constantia, Lindauia, Meminga, Campodunum, Heilbrunum, Rutelinga, Biberacũ, Isna, sic recipiunt, ut ad suos referant, & intra sextam hebdomadam disertè nuncient, quid uelint: Georgium uerò Brandeburgicum, & Noribergam placuit per literas interpellari, quandóquidem ipsorum legati nullam habebant agendi super eo facultatem. fuit & hoc decretum, Daniæ regem & Pomeranum, item Megelburgium principem, Hamburgum, Embecum, Northemium, Francofurtum, Brunsuicum, Gotingam, Mindam, Hannobriã, Hildessemum, Lubecam, Stetinũ aliáscꝫ ciuitates maritimas per legationẽ esse solicitandas. Pontifex, ubi, quis comitiorũ Imperij fuisset exitus, accepit, missis tum ad alios, tum ad Polonię regem literis, omninò se speraſſe dicit, fore, ut Cæsaris authoritas atque præsentia Lutheranam hęresim uel extingueret uel aliqua ratione sedaret: hanc enim spem sibi fuisse factam, quò primùm tempore Cæsar in Italiam uenit, eáque de causa prȩcipuè Bononiam se uenisse, ut illum, tametsi sponte sua satis animatum, amplius urgeret: hoc enim si perfectũ fuisset, & religioni, & plurimorum saluti, qui nunc per istam hæresim periclitentur,

consuli, & aduersus Turcicum furorem inueniri potuisse remedia? cùm autem è Cæsaris atque etiam legati sui literis intelligat, non solùm ad sanitatem illos adduci non posse, uerumetiam magis atque magis obfirmari, se, qui uoluntate Dei, nauiculam Petri tàm turbulento tempore gubernet, ac solicitudinis omnis maximam partem sustineat, cum cardinalibus re communicata, nullum reperire tutius remedium, quàm illud, quo sint ipsius usi maiores, nempe concilium publicum: itáque monere, cùm deducta res eò fuerit, ut uel ipse coràm, uel per legatos causam adeò sanctam adiuuet: se nimirum, ubi primùm fieri possit, ad aliquem Italiæ locum, qui sit commodus, illud indicturum esse. Datæ fuerunt hæ literæ calendis Decembris. Confœderati principes, quos dixi, Smalcaldia dant literas ad Cęsarem, die XXIIII Decembris. audire se, & peruulgatum esse, quasi fratrem suum Ferdinandum, qui ualde solicitet & ambiat, creari uelit Romanorũ regem: iam uerò, quæ sit principum electorum in eo potestas, & quid iuris habeant ex formula legis Carolinæ, quum mortuo Cæsare, totius Imperij nomine creandus est alter, notum esse omnibus: uerúntamen, ipso incolumi atque superstite, cùm in eum casum res nondum reciderit, à Moguntino Coloniam euocatos esse principes electores, ad exitum huius mensis, omninò contra præscriptum legis, contráque morem Imperij: audire etiam, uenturos eò reliquos electores, ipsius rogatu, & fore, ut ambiente ac prehensante Ferdinando, uelut ex pacto & pollicitatione, res conficiatur: hanc enim famam longè latéque iam esse disseminatam: quod cùm ità sit, uoluisse de quibusdam ipsum admonere: Et quanquam abstinere malint ab hoc genus oratione, tamen quòd & ipsum & patriam ament, eiúsque libertatem inprimis, inde à maioribus acceptam, deinde, quia nunc in hac mundi senectute multa captiosè fiant & astutè, non se posse aliter facere: primùm igitur, scire ipsum, quàm accuratè, quàm sanctè, quibus uerbis atque pactis Imperio se deuinxerit & obligarit, quomodo fide data per iusiurandum promiserit, seruare legem Carolinam, ex qua sanè libertas Imperij potissimùm dependeat, quomodo spoponderit, neque se quicquam esse contrà facturum, nec alijs etiam, ut faciant, permissurum: hæc nimirum pacta uiolari non posse neque rescindi aut mutari, nisi de communi omnium ordinum consilio ac uoluntate: nunc autem, si quidem ipso uiuo & superstite, Romanorum rex creetur, & quidem frater germanus, ambiens atq; rogans,

uidere

uidere ipſum, quemadmodum id planè fiat contra legem, contra ius atque libertatem Imperij, contráque ſponſionem atque pactum, & eam, qua ſit reipublicæ deuinctus, fidem: quàm etiã ipſi non ſit commodum, quàm ſibi quoque futurum graue, totúque Imperio, duos habere eodem tempore dominos, quibus ſit obtemperandum: Et quia moleſtè ſint laturi, ſi quidem aut ipſi tale quid, ob non ſeruatã fidem, exprobretur, aut etiam ſibi, propter ſocordiam & male defenſam rempublicam, obijciatur, ideò ſe petere maiorem in modum, ut hoc ſuum ſcriptum, & ipſius atque patriæ charitati, & conditioni temporum attribuat, & res anteactas in memoriam reuocet, & eiuſmodi creationem noui regis, pro ſuo munere & authoritate prohibeat, & ſecum diligenter expendat, quantis ea res malis & incommodis occaſionem ſit in poſterum prębitura, niſi caueatur: his etiam de rebus dare ſe literas ad reliquos electores, atque ſperare facturos eſſe, quod ſit ex uſu reipublicæ, & daturos operam ne qua fiat ordinũ Imperij diuulſio: quod reliquũ eſt, omnia ſe uelle ipſius cauſa, quantùm facultatibus omninò poſſint. Saxo deinde ſolus dat literas ad principes collegas: quandóquidem à Moguntino ſit euocatus Coloniam, ideò ſe filium ſuum & conſiliarios aliquot eò miſiſſe, qui ſuo nomine, quod opus erit, proponant & agant: iámque, ſua quidem opinione, ipſos partem aliquam ex illis audiſſe, reliquum etiam ad XXIX Decembris diem audituros eſſe: rogare autem, ut ab inſtituto deſiſtant, & ſecum perpendãt, quantùm hæc actio ſit allatura prę-iudicij, quantum incommodi, tùm ipſis omnibus, tùm poſteritati, propter uiolatum ius, decus atque libertatem Imperij: petere etiam, ut in ijs, quę filius atque conſiliarij ſui cum ipſis agent, ità ſeſe gerant, quò uideri poſſit & intelligi, rempublicam atque patriam ipſis eſſe charam. Luneburgicus autem & Lantgrauius & Anhaldius & Mansfeldici prolixè ſcribunt eodem tempore, ad electores, in eandẽ ſententiam, grauitérque monent, ne tantam iniuriam legibus atque patriæ faciant, & peruulgatum eſſe dicunt, pollicitationes atque largitiones interueniſſe: quod quidem etiam apertè ſit cõtra legem Carolinam. Pòſt, ultima Decembris die, tàm principes quàm ciuitates, quas antè memorauimus, communi nomine dant literas ad Cæſarem. in ijs repetunt actionem Auguſtanam, quomodo de pace diu multúmque ſolicitarint, quid ipſe demùm reſponderit, pręſertim de Imperij fiſco, cuiuſmodi ſit etiam poſtea factum decretum: & licet illud Brandeburgici electoris dictum ipſe mitigarit, & non offen-

dendi cuiuſquam, ſed muniendi ſui atque defendendi cauſa, pactum ſe fuiſſe dixerit cum reliquis principibus, tamen, ſi fiſco permittatur ea poteſtas agendi, quam decretum habet, cui dubium eſſe poſſit, quin ad offenſionem atque uim ea res pertineat? cùm autem & maiorum ſuorum, & ſua etiam extent optimæ uoluntatis & officiorū erga ipſum ipſiúſque maiores præclara teſtimonia, petere, ut quandoquidem illud Brandeburgicum uerbo mitigauit, hoc etiam fiſcale re ipſa leniat atque tollat, quò certi eſſe poſſint, aduſque pij liberique concilij decretum & exitum, uim nullam ſibi pertimeſcendam eſſe: & ſi quidem hoc impetrent, collaturos deinceps, ut antehac ſemper, facultates & auxilia tum in bellum Turcicum, tum in alios reipublicæ uſus. Cauſas creandi Romanorū regis has in medium Cæſar adduxit in primo congreſſu principum electorum, Coloniæ. quia diuerſis ipſe regnis atque populis imperaret, neque poſſet continenter eſſe in Germania: quia turbulentus admodum eſſet & periculoſus orbis Chriſtiani, præcipuè uerò Germaniæ ſtatus, propter diſſidium religionis, propter uim atque potentiam Turcarum, propter nuper excitatam ſeditionem atque bellum ruſticanum, & quia per Imperium multa inofficioſè fierent ac minus obſequenter: etenim, tametſi de ipſorum omnium uoluntate atque conſilio, ſenatus fuerit inſtitutus Imperij, ſuperioribus annis, tamen non fuiſſe præſtitam illis, quæ debuit, obedientiam: itáque ſibi uideri prorſus neceſſarium & ex uſu reipublicæ: ut ſecundum ſe creetur aliquis Romanorū rex, uelut alterum Imperij caput, per ſuam abſentiam, qui ſit & ingenio præditus, & uigilans, & induſtrius, & potens, & amans pacis atque concordiæ, & rerum Imperij non imperitus, & omninò talis, cui fidere, & in quo poſſit ipſe totus acquieſcere. Qui ſit autem magis ad eam prouinciam idoneus fratre ſuo Ferdinando, Bohemiæ Vngariæq; rege, nullum ſe nouiſſe alium: huius etiam fines atque regna iam eſſe ueluti murum aliquem, pro ſalute totius Germaniæ oppoſitum immanitati Turcicæ. Principes electores, à deliberatione, Cæſarem orant, ne Germaniam deſerat, ſed in ea ſibi domicilium atque ſedē collocet: cùm
M.D.XXXI. autem in ſententia perſiſteret, collatis conſilijs, quinta Ianuarij die Ferdinandum renunciant Romanorū regem. Saxo, quod unum poterat, creationem hanc eſſe uitioſam, explicatis cauſis, neque ſibi probari, per filiū diſertè proteſtatur. Multò ante, quàm Auguſta diſcederetur, diſſeminatus erat rumor, fore, ut Ferdinandus

eum

eum consequeretur dignitatis gradum. Colonia pòst, omnes profecti sunt Aquas: ibi Ferdinandus inauguratus regno fuit, undecimo Ianuarij die, & continuò dimissis huc illuc in Germaniam literis, hoc ipsum denunciat: Cæsar etiã publicis literis edicit, ut ipsum pro Romanorum rege omnes agnoscant, & separatim ad protestantes hoc ipsum perscribit. Interea dum est Coloniæ Cæsar, redditæ sunt ei protestantium literæ, quibus ab actione fiscali sese liberari petunt, ut suprà diximus. Ad eas, Aquis, per Fridericum Palatinum, Idibus Ianuarij respondet legatis: non esse, quòd responsi causa longius progrediantur aut expectent: nondum enim deliberasse, & consideraturum suo tempore, quid sit renunciandum. Eo facto, Brabantiam, Galliæ Belgicæ prouinciam, petit.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare, Liber VIII.

IN SVPERIORI CONVENTV SMALCALDIAE, HOC etiam inter alia placuit. quoniam aduersarij causam atque professionem euangelij multis calumnijs grauarent, & passim in summum odiũ adducerent, scribendum esse cumprimis & Galliæ & Angliæ regi, ne sibi persuaderi patiantur. Itaque XVI Februarij die, Saxo, Brandeburgicus, Luneburgẽsis, Lantgrauius, Argentoratum, Noriberga, Magdeburgum, Vlma, tàm suo, quàm sociorũ principũ atque ciuitatum nomine, dant literas ad utrunque, separatim, eiusdem sententiæ. Scire ipsos hauddubie, ueterem esse multorum querimoniam de uitijs ecclesiasticis, quæ multi sæpe uiri præstantes, & recenti ferè memoria, per Galliã, Ioannes Gerson, per Angliã, Ioannes Coletus, grauiter notarint atque reprehenderint: idem his proximis annis accidisse Germaniæ: cùm enim expiationes illas, quæ uulgò dicuntur indulgentiæ, monachi quidam ibi circumferrent, & magna cum contumelia Christi, summóque discrimine salutis hominum, illas celebrarent, & infamem ex ea re quæstum ubique

facerent, admonitos fuisse leniter, à uiris aliquot eruditis atque bonis, ne sic agerent: illos uerò non solùm non abstinuisse, uerumetiam atrociter damnasse monitores, ità quidem, ut hi ueritatis tutelam atque patrocinium suscipere cogerentur: per eam occasionē alia multa necessariò fuisse reprehensa, uerùm aduersarios, qui causam dederant offensionis impudenti sua nundinatione, non prius conquieuisse, quàm hæc doctrina, ipsorum opposita nugis & impostura, sine legitima cognitione damnaretur ut impia: quóque totam opprimerent, in summum odium adduxisse apud Cæsarē aliósque reges: uerúntamen effulgescente ueritatis, tanquàm solis radio, cùm essent in omnium aspectu multa, neque negari possent, quæ deprauatis iudicijs obrepserant in ecclesiam, ordines Imperij, in eo conuentu, quem primùm Cæsar egit Vuormacię, plurima illi edidisse grauissimáque postulata, quorum emendationem dicerent esse necessariam: In alijs deinde conuentibus Imperij, quum diu multúmque res inter ordines ac Cæsaris legatos agitata fuisset, componendi dissidij nullam esse uiam expeditiorem aut meliorem, quàm per liberum orbis Christiani concilium, una omnium uoce iudicatum fuisse: Cæsari quoque rationem hanc, ubi cognouit, placuisse, déque concilij tum loco tum tempore deinceps deliberatum esse: quemadmodum decretis tunc factis doceri possit: cùm autem ex Hispanijs Cæsar per Italiam uenisset in Germaniam, ad Augustæ comitia, totum in hoc fuisse, ut sine concilio res componeretur: quod quidem bono ipsum animo feciisse putent: itáque se doctrinæ suæ confessionem in eo conuentu palàm tunc recitasse, & illi exhibuisse, & si maiori opus esset explicatione, detulisse: contrarium deinde scriptum suæ confessioni, fuisse recitatum: eius ubi petijssent exemplum à Cæsare, non impetrasse, propter adiectam conditionem, quæ sibi periculo futura erat atque fraudi: pòst, ex omni numero quosdam esse delectos utrinque, uelut arbitros & conciliatores: uerùm ne sic quidem conuenisse, licet ipsi profiterentur, quicquid omninò salua conscientia possent, sese facturos: Cæsarem deinde proposuisse nonnulla, quæ seruarent interea dum fiat concilium, sed eius generis, ut, si recepissent, & cōscientiam suam ipsi læderent, & Deum grauissimè offenderent: cùm autē edictum posthac Cæsar faceret ualde durum, se necessariò prouocasse ad concilium pium atque liberum: & quanquàm ità res habeat, licet iste sit rerum status, etsi nihil ipsi magis optent, quàm ut legitimè de causa cognoscatur, tamen audire, suos aduersarios in hoc esse totos,

tos, ut Cæsarem alióſque reges contra ſe uarijs calumnijs accendant: dogmata quædam circumferri, quæ ſibi falsò tribuantur: nec enim esse tantùm à sacris literis aliena, uerumetiam abhorrere à sensu communi: si quis etiam ad hunc modum suos intra fines doceret, non illi futurum impunè: quantis autem ipsi uersentur in periculis, ob huius doctrinæ professionem, neminem esse qui non uideat: quæ sanè discrimina minimè subire uelint, nisi certò scirent, hanc ipsam doctrinam esse consentaneam uerbo Dei, & propter gloriam nominis diuini retinendam: Illud etiam spargi ab aduersarijs apud exteros, quasi doctrinæ genus hoc receperint, non quidem ulla pietate, sed ut per eam occasionem inuaderent in bona sacra: sed hanc calumniam & anteactis conuentibus esse refutatam, & fore, ut in totius orbis concilio magis confutetur: homines etiam prudentes atque iudicio prędditos, comparatione facta periculorum atque commodorum, facilè uidere, non minus absurdam & ineptam hanc esse, quàm acerbam et odiosam criminationem: An enim ullę suis in finibus tantæ queant esse facultates ecclesiarum, ut existimationem, famam, dignitatem, coniuges, liberos, denique fortunas omneis atque uitam ipsam, in præsentissimum periculum idcircò deuocare uelint? an ulla commoda sibi tàm arridere, & chara esse possint, ut non & Cæsaris, & ipsorum, laudatissimorum uidelicet regum, beneuolentiam atque gratiam, his omnibus longè præponant? suos nimirum maiores atque parentes, quum ex ijs bonis nihil attingerent, & domi cum dignitate uixisse, & sumptus etiam publicos tolerasse, nec id modò, sed ecclesias etiam partim instituisse nouas, collatis eò magnis uectigalibus, partim locupletasse ueteres ac magis exornasse: suę quidem ditionis ecclesiarum opes esse mediocres, ac licet necessariæ sint ministris, qui populo præsunt erudiendo, quorum sanè prouentus annui sint admodum accisi, non se tamen recusare, quò minus in pios usus, arbitratu concilij conferantur: modo concilium illud, tale sit, in quo præiudicijs & affectui nō sit locus. In calumnijs etiam hanc esse primā, & hoc nomine se deferri potissimùm & accusari, quasi doctrina, quam profiteantur, improbet magistratum & legum dignitatem eneruet: sed scriptum suum recitatum & exhibitū Augustę, respondere huic criminationi: hoc quoque uerè posse dici, huius temporis uiros doctos ornasse magistratus atque legum dignitatem, magis quàm ulla superior ætas fecerit; sic enim prorsus erudijsse mentes, ut & magistratus intelligat

certoque sciat, suum uitæ genus atque statum esse Deo pergratum, & populus inuicem agnoscat, honorem & obsequentiam se debere magistratui, propter mandatum Dei, qui potestatis ordinariæ contemptum non dimittat impunitũ: præterea, cùm ipsi beneficio Dei presint etiam alijs, cuius hoc esset dementiæ, tolerare doctrinam, quę frena laxaret hominibus, & obedientiã dissolueret, & populum in se concitaret? Quid etiam de præfectis ecclesiarum sentiant, in suo illo scripto luculenter explicasse: nam & ecclesiastici status administrationem legitimam sibi probari, & ministerium uerbi seu potestatem clauium summo se studio uenerari: iam uerò, cùm hæc & id genus alia crimina in se conferri audiant, & uerò publicè multùm referre putent, ut ipsi, tanta prudentia & authoritate reges, causam ordine & rectè intelligant, ideò se, purgandi sui causa, uoluisse hæc ad ipsos perscribere, & orare plurimùm, ne calumnijs illis fidem habeant, neque siniſtram ullam de se concipiant opinionem, sed integrum seruent iudicium, donec publicè purgandi sui locus detur, quod inprimis cupiant: orare etiam, Cæsarem hortentur, ut propter causæ magnitudinem & ecclesiæ totius utilitatem, concilium pium atque liberum, in Germania, primo quoq; tempore cogat, neq; grauius quid contra se statuat, donec legitimè disceptata res fuerit atque definita: nam & hucusque semper officium se præstitisse suum reipublicæ Imperij, & nunc doctrinam istam profiteri, eóque nomine in discrimen uocari, nulla certè cupiditate uel proteruia, sed propter mandatum atque gloriam Dei: quò magis etiam sperare, non ipsos esse defuturos suis precibus: nam in summa laude ponendum, si quidẽ hoc authoritate sua perficiant & intercessione, ne ferro decidãtur & armis hæ controuersiæ, sed rectum fiat iudicium, & sanentur morbi, & ecclesiæ concilientur, & uis nulla fiat hominum cõscientijs: postremò, si de ipsorum erga se uoluntate per literas cognoscant, longè id sibi fore gratissimum. Februario mense, Saxoniæ princeps elector, socios omneis conscribit, ut ad XXIX Martij diem adsint Smalcaldiæ, deliberaturi de suscipienda defensione contra uim hostilem, si qua fortè fiat. Hi erant principes ac ciuitates, quas antea sæpe diximus: uerúntamen Saxo ualetudine detentus, filium eò misit, Ioannem Fridericum. Superiori conuentu placuit, Daniæ regem Fridericum & Saxonicas maritimásq; ciuitates de fœdere solicitandas esse: nunc igitur, cùm denuò conuenissent, quid actum interea sit cum illis, & quid singuli responderint, cõmemoratur. Et Danus quidem, amare

se doctri-

se doctrinam euangelij, sed multos esse per suum regnum episcopos ualde potentes tàm opibus quàm clientelis & coniunctione nobilitatis, nec sibi integrũ esse dicebat, fœdus hoc inire, tanquam regẽ: ad alias uerò suas prouincias quod attinet, quæ sint ditionis Imperij, non recusare. Megelburgẽsis Hẽricus excusabat, quòd ipsius legati decreto subscripserant Augustano, uerúntamen nihil se facturum in ipsos inimicè. Pomeraniæ princeps Berninus, non se quidem abhorrere, sed penes fratrem natu maiorem, summã rerum adhuc esse prope totam. Lubecenses non detrectabãt, sed quòd magnos belli sumptus tolerassent, eius quoq; rationẽ haberi, et si fortè Daniæ rex Christiernus, regno pulsus, uim ipsis adferat, quid inuicem expectare debeant præsidij, scire cupiebãt. Luneburgenses, quod ipsorũ principi Ernesto placeret, idem se quoq; facturos esse prædicabant. Deliberatum deinde fuit de suffragijs exquirendis, de subitarijs auxilijs, de contribuenda pecunia, de perpetuandis auxilijs, de deligendis ducibus, de recipiendis illis, qui uelint huius esse fœderis, postea, de constituendis procuratoribus & aduocatis, qui suo nomine respondeant in iudicio, si fortè fiscus, aut mandatu Cæsaris, aut aliorum rogatu litem moueret. & huic quidem defensionis parti sese coniungunt Georgius Brandeburgicus, Noriberga, Campodunum, Heilprunum, fœdus autem repudiabant. Decretum etiã fuit, manifesta flagitia seuerè per suam cuique ditionem esse punienda.

Prius quàm fœdus iniretur, in consilium adhibiti fuerunt non iureconsulti modò, sed theologi quoque. Lutherus autem semper docuerat, magistratui non esse resistendum, & extabat eius hac de re libellus: cùm autem in hac deliberatione periti iuris docerent, legibus esse permissum, resistere nõnunquam, & nunc in eum casum, de quo leges inter alia mentionem faciant, rem esse deductam ostenderent, Lutherus ingenuè profitetur, se nesciuisse hoc licere: et quia leges politicas euangelium non impugnet aut aboleat, uti semper docuerit, deinde, quoniam hoc tempore tàm dubio tánque formidoloso multa possint accidere, sic ut non modò ius ipsum, sed conscientiæ quoque uis atque necessitas arma nobis porrigat, defensionis causa fœdus iniri posse dicit, siue Cæsar ipse, siue quis alius fortè bellum eius nomine faciat. Edito quoque scripto primùm explicat, quàm fuerint in Augustæ comitijs obstinati pontificij, deinde monet in uniuersum omneis, ne magistratui ad eiusmodi bellum imperanti militiam, obtemperent. Doctrinæ uerò pontificiæ complures &

grauissimos quidē recensēt errores, quos ait ab illis propugnatum iri, qui se castris illis adiungunt. qua quidem in re summum nefas inesse dicit: quanta sit etiam lux illata mentibus hominum hoc tempore, per euangelij cognitionem, demonstrat, & à tàm impij belli societate temperandum esse docet. De Tigurinis, Bernatibus, Basilienſibus egerant aliquot ciuitates, quòd si indefinitè, sine ullius dogmatis exceptione reciperentur, non esse recusaturos fœdus: Ioannes autem Fridericus ad parentem se relaturum dicebat. Quod de paranda defensione propositum fuit, ciuitates ità recipiunt, ut in proximo conuentu Francofurtensi planè respondeant, quid in eo uelint: de creatione Romanorum regis idem principes, quod antea, statuunt, neque se parituros esse dicunt: & quia Cęsar datis ad ipsos literis mandauerat, ut pro Romanorum rege Ferdinandum agnoscerent, placuit, ut Saxoniæ princeps interea formulam responsi concipiat, & Francofurti in medium proponat: ciuitates etiam, quid de Ferdinandi regis creatione statuant, tum explicent. Conuentui futuro dictus est dies Francofurti, ad quartum Iunij diem. Interea dum Smalcaldiæ sunt, allatę fuerunt eis literæ Cæsaris, in quibus hoc erat perscriptum. ex omnibus locis nunciari de Turca, quemadmodum ingenti cum exercitu constituerit in Germaniam inuadere: mandabat igitur, ut sine exceptione conferrent auxilia. Illi, maiorum exemplo non se recusare dicunt ullum onus aut officium, quod reipublicę præstari debeat: sed scire ipsum, in quam sententiā Augustę uerba fecerit elector Brandeburgicus, quod tamē ipse postea mitigarit, quid etiā de fisco decretum sit in eo conuentu: se quidē & tunc orasse plurimùm, ut actionem omnē fiscalem, quæ religionis nomine moueri possit, authoritate sua tolleret, & cum nihil impetrassent, nuper ante menses aliquot, missis literis atq; legatis idem denuò flagitasse, nullum uerò tulisse responsum, nisi quod ipsorū legatis Fridericus Palatinus demum dixit, non esse quòd longius progrediantur aut expectent: nam suo tempore ipsum, quid oporteat responderi, cōsideraturum: id sibi quidē omninò præter expectationē tunc accidisse, & nihilo minus putasse, fore, ut aliquandò tandē respōderetur aliquid: Cùm autem de conferendis in Turcam auxilijs nunc solicitentur, neque tamen pacem adhuc impetrent, facilè cogitari posse, quàm sit ipsis incommodum, quàm non consultum, ut in hoc dubio rerū suarum statu, cùm & proscriptiones & uim hostilem expectare cogantur, præsidia sibi detrahant, ac ueluti neruos incidant ipsi: Nā si fisco

permit-

permittatur aduersum se actio, religionis causa, cui dubium sit, quin ad uim ea res pertineat? Quapropter iterum atque iterum obsecrare, ut tandem aliquid statuat, & fisco actione omni interdicat aduscp concilij tempus, & pacem atque securitatem sibi præstet: se facturos inuicem pro sua uirili parte, non in Turcico solùm bello, sed in omnibus alijs reipublicæ negocijs, quod sui sit officij: petere autem, ut per hos legatos, quid sit ipsius propositi, renunciet. Martio mense decessit è uita Richardus, archiepiscopus Treuirensis: magna fuerat eius inter electores authoritas, propter usum rerum & studium libertatis. Veneni suspitio fuit, & ex domesticis quidam tormentis ideò subiectus, fortitudine & constantia sua periculũ euasit. Cùm Vlmenses hoc ab Argentinensi senatu flagitassent, Bucerus eò profectus, ipsorum ditionis ecclesias constituit, & religionis formulam cõscribit, adiutus ab Oecolampadio & Ambrosio Blaurero. Sub hoc tempus in Belgium uenit Maria, soror germana Cæsaris, quæ Ludouicum Vngariæ regem habuit in matrimonio, sicut antè diximus. Hanc Cæsar, amitæ suæ Margaritæ, quæ nuper è uita decesserat, substituit, & regionibus illis omnibus præficit. Clementi septimo lis erat cum Alfonso duce Ferrarienſi, de Rhegio & Mutina: tandem facto compromisso, Cæsarem deligunt arbitrum. Is, in Belgio cùm esset, per hos ferè dies, pro Ferrarienſi pronunciat. Ad principum atque ciuitatum literas, Galliæ rex, Aprilis die XXI. respondet, nihil optare se uehementius quàm totius Europæ concordiam, & pergratum esse, quòd ipsi etiam eò propendeant, quódque concilium fieri cupiant: hoc enim sibi non utile modò, sed & necessarium uideri: & quoties de sananda republica sermo incidit, ità semper iudicare, nullum esse firmius fundamentum, quàm si ueri monstrator & almus ille spiritus, primas in ea re partes obtineat: quòd si cæteri etiam idem statuant, &, si concilio deligatur locus ab omni periculo uacuus atque suspitione, quo quidem in loco suam cuique sententiam liberè pronunciare liceat, nec affectibus aliquid detur, tunc nimirum optimè sperandum esse de summa rei. Quòd autem soliciti sint, ne criminationibus aduersariorum alienior sit factus ab ipsis, non esse quod uereantur: suo enim quodam instituto atque disciplina non se consueuisse, ne de inimicorum quidem fama temere statuere: cùm uerò tanta sit, tánque uetus inter Galliæ reges ac Imperij principes necessitudo, cuiúsnam hoc esset inhumanitatis, de propinquis & amicis ullam sinistram concipere opinionem, indicta

uidelicet causa? Quantum enim ipse tribuat huic amicitiæ iam olim initæ, uel ex eo posse uideri, quòd etiam tunc, quandò fortè bellum geritur cum Cæsare, Germanis tamen & ciuibus Imperij tutus in Galliam accessus & exitus illinc pateat, ut non secus, quàm si domi essent, negociari ipsis ibi liceat, ità quidem, ut Germaniæ principum atque ciuium domicilium, Gallia rectè nominari possit: Hæc quidem esse nota & peruulgata, sed tamen non adeò magna, quin ipsorum causa, quandocunque res ità dabit, multò sit facturus maiora, præsertim, si, quod profitentur, pij liberique concilij decreta non repudient: ut enim disceptatione potius, quàm ferro dirimatur controuersia, quod quidem ipsi petant, idem sibi quoque uideri, esse tum honestum magis, tum reipublicæ salutare: quæ tristissimam subitura sit fortunam, si res ad arma ueniat. Illud de Germaniæ Galliæq; necessitudine quod dicit, sic habet. Francones Germani, Sueuis finitimi, facta quondam irruptione, & Treuiris, Menapijs, Morinis, Neruijs, Ambianis, Bellouacis, Suessionibus oppressis, in ea parte Galliæ consederunt, quę nomen ad hoc usque tempus ab illis retinet, & Francia dicitur, cuius quidem regionis caput est Lutecia Parisiorum. Et quum ordine multi reges ipsorum ibi dominarentur, suósque fines amplificarent, tandem ad Pipinum etiam eiúsque filium Carolum, rei summa peruénit, qui pòst ob rerum gestarum amplitudinem dictus est magnus, & ubi quartò Romam uenisset, à Leone tertio pontifice, & ab omni populo salutatus est Imperator Augustus, & Germaniam, Italiam atque Galliam possedit. huius deinde filius Ludouicus, & qui uenerunt ab eo nepotes, Galliæ reges fuerunt. Huc ergò suam originem rex Franciscus refert, & è Franconum stirpe procreatum sese dicit. Eodem fuit etiam usus adminiculo, superioribus annis, quum à morte Maximiliani Cæsaris, dignitatem affectaret Imperij. Quum enim exteris populis ad hunc gradum sciret esse lege iam inueterata præclusum aditum, uoluit demonstrare, se quoque Germanũ esse. Verùm enimuerò, postremus è Caroli magni stirpe masculina Galliæ rex, fuit Ludouicus quintus, qui non relictis liberis uitam finijt, anno salutis nongentesimo, octogesimo octauo, quum in ea familia regni possessio fuisset per annos ducentos, triginta octo. Post eius mortem, successio iure quidem ueniebat ad Carolum, Lotharingiæ ducem, Ludouici patruum: sed Hugo Capetus, Luteciæ Comes, uti tradunt, cuius mater, ordine longissimo suum genus referebat ad Carolum

magnum

magnum, profligato captóque Lotharingiæ duce, regnum inuasit, & ad filium Robertũ transmisit, cuius deinde masculina progenies ad Franciscum usq; regem cõtinuata fuit. Sunt, qui Capetum obscuro humilíq; loco natum esse dicunt, sed annalium scriptores plærique negant, et hanc eius, quam dixi, recensent originem. Britãniæ rex, Henricus octauus, Maij die tertio rescribit. magna se cũ uoluptate legisse, quòd eò spectent, ut salua permanẽte religione, & inuiolata pace, morbi sanentur in ecclesijs, & emendentur quæ uel hominum nequitia uel ignoratione deprauata sint atque corrupta: quòd etiã suis literis totam actionem commemorent, ualde sibi esse iucundum: excitatam quidẽ fuisse famam de ipsis non ualde cõmodam, quasi defenderent homines quosdã dementes, qui studeant omnia perturbare & summa miscere profundis: uerùm nõ se fidẽ habuisse, primùm, quòd Christiana charitas ità poscat, deinde, quòd id genus crimina iudicaret non posse cadere in tanti splendoris, nobilitatis atq; prudentiæ uiros: Et quanquam eorum, quæ ferebantur, nihil unquam crediturus erat prius, quàm certò comperisset, tamen, quòd ad hunc modum sese purgarint, perquàm sibi fuisse gratum, uel eò maximè, quòd iudicio & opinione non aberrauerit: quòd igitur emendari uitia petant, in eo suam & omnium bonorũ uoluntatem cum ipsorum studio planè cõgruere: nam rerũ humanarum hanc esse conditionẽ, ut tanquam in corpore, sic etiã in republica & omni administratione, continentibus ferè sit opus remedijs: magnam igitur laudẽ mereri, qui medicinã faciunt, & uulnus atq; morbum ità curant, ut nihil exasperent: non dubitare autem, quin eò tendat etiam ipsorum conatus: cauendum esse tamen diligenter ab illo genere hominum, qui res nouas appetunt, & ordinum æqualitatem prædicant, & magistratum efficiunt contemptibilem: eius enim sectæ quosdam intra sui regni fines aliquandò fuisse, & inde ex Germania eò penetrasse: Et quoniam de reuerentia magistratus mentionem suis in literis faciant, ideò se paucis uoluisse commonefacere, ne cui licentiæ fenestram aperiant: hoc enim si caueant & emẽdationi studeant, optimã operam esse nauaturos reipublicę: Concilium quidẽ publicum inprimis etiã optare se, Deúmq; precari, ut principũ animos in hanc curã accendat: de ipsis autẽ omnia se rectè sperare, nec esse quicq;, quod ipsorum causa non uelit: intercessurum etiã apud Cæsarem diligenter, ut concordiæ rationes inueniantur, in eóque se facturum, quod ipsimet singulis temporibus optimũ esse iudicabũt. Cùm ad diem

uentum esset Francofurtum, legati ciuitatum, sicut cõstitutum erat, quid de Romanorum regis creatione sentirent, exponunt. post multam deliberationem ità se reperire, ut propter titulum Ferdinando regi tribuendũ, litem ullam non necessariam subeant, aut periculum sibi creent ipsi, non uideri consultum: quándiu enim Cæsar aut uita superstit, aut sit intra fines Imperij, omnem esse penes ipsum potestatem: absente autem illo, rei summam ad Ferdinandũ quidem uenire, sed tanquam nomine & loco Cęsaris: iam aliquoties omnia sua se detulisse Cæsari, quantùm quidem facultatibus omninò possint: quòd si nunc autẽ creationi regis obsistant, fore, ut uanam fuisse pollicitationem illam plærique dicant, & idcircò fiant alieniores, & suam operam aduersum se multi profiteantur, qui quidẽ contra religionis atq; doctrinæ causam nihil erant alioqui facturi: metum etiam esse, ne fortè alij, qui sese aggregare huic fœderi cogitabant, hoc ipso iam deterreantur: his igitur de causis non sibi esse integrum, in ea quidem re, Ferdinando resistere, sed electionem, cuiusmodi sit, in medio sese relinquere: quòd si Ferdinandus autẽ aliquid mandet, uerbo Dei contrarium, non se parituros: quòd si uim faciat, tum facturos ex formula fœderis, & ad defensionem omnia sua collaturos esse.

Principes autem ad Cęsarem & ad Ferdinandum scribunt. quòd contra morem ac libertatem sit actum Imperij, non se posse illud approbare, nec ipsi titulum tribuere Romanorum regis. Hoc etiam in literis ad Cæsarem addebat Saxo. quòd si legitimè res tractetur, non se dissimilem futurum à suis maioribus. De Heluetijs in fœdus recipiendis, quod ciuitates ualde cupiebãt, Saxo per legatos respondet. quoniã de cœna domini diuersum sequantur dogma, non sibi licere societatem cum ipsis ullam coire: quanti sit ipsorum coniunctio, propter uires atque potentiam, non se quidem latére, sed eò sibi minimè respiciendum esse, ne tristis inde sequatur exitus, quod ijs accidisse scriptura testetur, qui, muniendi sui causa, cuiusque modi præsidijs usi fuissent. Eo durante conuentu, literæ fuerunt allatæ Saxonis atque Lantgrauij, ad reliquorum principum atque ciuitatum legatos, quibus hoc perscriptum erat. Moguntinum archiepiscopum & Palatinum principem Ludouicum, permissu Cęsaris, uelle intercedere de pace, & datis ad se literis, petere, ut idem ipsi quoque permittant: tunc enim diem esse dicturos conuentui. re deliberata, legati placere sibi respondent. Cùm igitur Lantgrauius atque Saxo renunciassent, actionem sibi non improbari, si modò si-

dò fiſcus interea quieſcat: illi, cùm hoc impetraſſent à Cæſare, diem conſtituunt, penultimum Auguſti menſis diem. Legatos habebant hoc in conuentu ciuitates, Argentoratum, Vlma, Lubeca, Noriberga, Cõſtantia, Rutelinga, Meminga, Lindauia, Biberacum, Iſna, Campodunum, Heilprunum, Magdeburgum, Brema, Brunſuicũ, Gotinga. Bambergenſis epiſcopus Vuigandus, aliquot annis antè, querimoniam habuerat ad ſocios Sueuici fœderis, de Georgio Brandeburgico, quòd ſuũ ille ius eccleſiaſticum interpellaret, quòd uectigalia ſibi faceret deteriora, quòd facultates ſacras aliò conferret, quòd ſacerdotes ad nouum iſtud atque falſum doctrinæ genus cogeret, aut ſi non parérent, eĳceret: & quoniã in eo Romani pontificis atque Cæſaris edicta, ſed & leges & æquitatem ipſam uiolet, ſummámque ſibi faciat iniuriam, petebat, ut uel gratia & authoritate ſua illum ad officium adducant, aut opem illã ſibi præſtent, quam ex fœdere debeant, quò ſua deinceps tueri poſſit, & amiſſa recuperare. Cùm autem poſt uariam diſceptationem, eius rei cauſa dies eſſet dictus hoc anno, Norlingæ, menſe Iulio, uenerunt eò, rogatu Brandeburgici, proteſtantium legati: cùm Bambergenſi erant Auguſtanus, Vuirciburgenſis & Aiſtetenſis epiſcopi, tanquam adiutores & conſiliariĳ. proponit actor, & quantum acceperit iniurię, quantúmque damni, commemorat: & licet ſocĳ fœderis, propoſita pœna, reo mandarint iam olim, ut ab incepto deſiſtat, ipſúmque reſtituat in integrum, nihil tamen adhuc effectũ eſſe docet. itáque petit, ut iuxta formulam fœderis agatur. Reus, ea quidem parte, quæ propriè ad religionem & iuriſdictionem eccleſiaſticam pertinebat, interponit appellationem, & ab illorum edictis atque iudicio prouocat ad concilium. Illi uerò, diebus aliquot interiectis, quòd ad hunc modum prouocarit, ualde ſe mirari dicunt: nam eſſe & inuſitatum & contra præſcriptum fœderis, quo cautum ſit, ut actor & reus in omni controuerſia ſequantur arbitrium delectorum iudicum: adhæc, ità conueniſſe, ut eccleſiaſticorum libertatem omnes defendant: huius ergò litis cognitionem ad ſe propriè pertinere: cùm etiam hucuſque iudicium hoc agnouerit in hac ipſa cauſa, ſine exceptione, non eſſe quod iam recuſet: deinde, concilium ſibi præiudicare non poſſe, nec eſſe præferendum hac quidem in parte: his itáque de cauſis non ſe recipere prouocationem, ſed edicta ſuperiora confirmare: niſi autem obtemperetur, ex pacto ſibi faciundum eſſe demonſtrant. Reus contrà, quantum ad ſacram iuriſdictionem pertinet, in appellatione

permanere neque iam latam ſententiam admittere ſeſe proteſtatur. Cauſam hanc agebat Brandeburgicus tàm ſuo, quàm ex fratre Caſimiro nepotis Alberti nomine, cuius erat tutor. Interea Cæſar, componendi diſsidij religionis cauſa, conuentum indicit Imperij, Spiræ, ad idus Septembris: ſed undecimo calendas Septembris ad Saxonẽ ueniunt Gulielmus Naſſouius & Nuenarius, Comites, magnæ propter uirtutem authoritatis uiri, ac permiſſu Cæſaris de conciliatione agunt, & quinque omninò proponunt. de cœna domini, de ritibus eccleſiæ, de bonis ſacris, de auxilijs in Turcam, de Ferdinandi regis electione. Cùm autem ex ipſorum uerbis appareret, Cęſari perſuaſum eſſe, quaſi Zuinglij doctrinam & anabaptiſtarum, ipſe probaret, reſpondet. cuiuſmodi ſit doctrinæ ſuę genus, & quid ſuæ ditionis eccleſiæ miniſtri doceant, ex Auguſtana confeſsione ſatis eſſe notum: ſed & hoc conſtare, quum eſſet in comitijs Auguſtę, nullum ſibi fuiſſe cum ijs, qui Zuingliani uulgò putantur, commercium, ſed ne poſtea quidem, donec ſententiam illi ſuam explanaſſent: eiuſdem ſe nunc etiã eſſe propoſiti, et quam ſit Auguſtę profeſſus doctrinam, in ea ſe beneficio Dei permanſurum eſſe, ad extremũ uſq; ſpiritũ, & orare, ut ad Cæſarẽ hoc nomine ſeſe purgent. Illi, iam antea ſe nouiſſe, rem ità habere, ſed tamen explicaturos Cæſari dicebant, neque dubitare, quin ei ſit auditu futurum ualde iucundum atque gratum: ad reliqua poſtulata quod attinet, placuit in proximum Imperij conuentum ea differri. petebant autem illi, ut ad eum conuentũ aut ipſe ueniret, aut filium eò ſuum mitteret. Ille, cupere ſe quidem omnibus modis gratificari Cæſari, ſed ætate iam eſſe grauem, & ad profectiones inhabilẽ, & ſubeſſe dicebat cauſas non leues, cur nec ipſe ueniat, nec filium quoque mittat: nam & Spiræ & Auguſtæ ſibi quædam accidiſſe non boni exempli, ſic quidem, ut niſi fide publica Cęſar ſibi ſocijſq; caueat, adeſſe non poſsint: deinde, ubicunque ſit futurus, nõ ſe poſſe carere doctrina & prædicatione uerbi diuini, nec etiam pati, ut ciborum & alimoniæ diſcrimen ullum ſibi præſcribatur: iam uerò, ſi de religione futura ſit actio, rem ipſam poſtulare, ut Lutherum & alios eò ſecum adducat, quibus etiam idoneè cauendum ſit: adhæc, ſæpenumero ſe rogaſſe Cæſarem, de ſuæ ditionis inauguratione, pro more Imperij, déque rebus alijs, neque tamen quicquam impetraſſe, licet magnæ pollicitationes interuenerint: imò Fridericum Palatinum in proximis Auguſtæ comitijs, ità ſibi ad ea reſpondiſſe illius mandatu, ut facilè uideret, iratum

ſibi

sibi esse Cæsarem, tametsi nullo suo merito: his igitur de causis non sibi esse integrum, eò uenire: quòd si autem ipsorum intercessione Cæsar ante conuentum ea sibi concedat, non esse defuturum. Cùm sub exitum Augusti mensis, Moguntini ac Palatini principis legati, Smalcaldiam ueniissent, protestantium legatis exponunt de suorum principum erga rempublicam atque patriam charitate: quum enim infecta re sit Augusta discessum, ipsos, considerata periculi magnitudine, quod ex eo dissidio sit oriturum, non prius conquieuisse, quàm Cæsar ipsis intercedendi, déque pace tractandi facultatem permitteret: optimum ergò sibi uideri, ut quæ conciliari non potuerunt Augustæ, nunc denuò tractentur, & qui tunc illius fuit exitus, idem sit huius initium actionis. Ad hæc illi. suos ignorasse, quid proponeretur, ideóque nullam certam aut definitam agendi rationem sibi dedisse, uerùm, ut postulata scripto comprehensa domum referant, mandasse: itáque licere proponant quod uidebitur: se deinde quod in mandatis habeant, esse facturos. Rursus illi de præclara suorum principum erga patriam uoluntate prolixè commemorant: & cùm illud fiscale sit impetratum, existimasse, pleniorem ipsos agendi potestatem habituros esse, præsertim de illis, quæ decidi non potuerunt Augustæ: iam uerò, si quidem in eo permaneant, nec amplius proferant mandatum, fore, ut & Cæsari hoc & suis quoque permolestè accidat. Hi contrà. non esse quòd incusentur eo nomine: nam intercessores nullum prodidisse genus actionis, uerùm in genere locutos esse de pace: non igitur alia sibi potuisse dari in mandatis: deinde, ad earum rerum tractationem opus esse theologis atq; uiris doctis, quorum hoc propriè sit munus: cùm igitur, cuiusmodi esset actio futura, nesciuerint, orare, ne secus interpretentur, & ad Cæsarem quoq;, si sit opus, excusent: ut etiam concordiæ rationes proponant admodum sese cupere. Tum illi, ex literis ad Saxonem atq; Lantgrauium datis, fuisse non difficile, futuram actionem colligere: deinde, non hoc sui esse propositi, ut de dogmatis agant, sed quia pacem ipsi flagitent adusque cõcilij tempus, ideò se uoluisse conferre sermonem, quid interea de dogmatis illis, adhuc quidem indefinitis, statuendum sit: his nimirùm de rebus habere se mandatum ut agant, & inuestigẽt, quomodo uel pax coire possit uel inducíæ: sed id confici non posse, nisi prius de rebus controuersis aliquid definiatur: quòd si per mãdatum ipsis fortè non liceat ista tractare, demonstrent tamen, quæ potissimùm ratio componendi dissidij uideatur omnium esse commodissima. Respon-

dent hi, nihil esse in literis, quod ullam conditionem actionis futuræ significet: quòd autem scire cupiant, quid interea, dum fiat cõcilium, de dogmatis nondum definitis agendum sit, non se uidere, quomodo statui aliquid in eo possit, nisi scriptura duce planũ fiat, quid uerum sit atque pium, quid mendosum & impium: ut autem hoc fiat, non esse huius loci: nam scriptum illud suum, exhibitum Augustę, & confutationem, huic oppositam, esse mediocriter magnam, & multa cõplecti, & ad istam tractationem adhibendos esse uiros rerum sacrarũ peritos: ut autem ipsi uiam conciliationis & rationẽ aliquam ostendant, non hoc sui esse muneris, qui litis alteram partem sustineant: in comitijs Augustæ sæpe rogatum esse Cæsarem de pace, pòst etiam, semel & iterum, per literas atq; legatos: idem nunc quoq; sese flagitare. Referunt isti, rationem illam, de qua prius dixerint, sibi uisam fuisse percommodam, sed quia mandatum eius rei nullũ habere sese dicant, nolle amplius urgere. Verúntamen, ut ad hunc modum discedatur, non sibi uideri consultum, & quia Cæsar, intercessione suorum principum inducias concessit, existimare futurũ non inutile, si dies aliquis constituatur, quem ad diem ipsi principes & ciuitatum legati conueniant: cúnq; sit Imperij conuentus proximè futurus Spiræ, quò Cæsar hauddubie ac reliqui ordines accedent, constituendum esse tẽpus, quo & ipsi prius eò ueniant: quod si fiat, sperare se fore, ut in longius aliquod tempus inducíæ proferantur: sed tamen omninò uideri necesse, ut inprimis illud tractetur, quid unumquemq; magistratũ interea facere conueniat erga suos atque etiam alienę ditionis homines: quòd si autem, nisi fide data publica, recusent eò uenire, licet nihil opus esse putent, tamen non dubitare, quin intercessores facilè hoc apud Cęsarem perficiant. Hi, quid habeant in mandatis, iàm antea se demonstrasse, nempe, ut postulata, quæcunq; futura sint, literis consignata domum referant: ideóq; nec de illis, quæ desiderent, agere, nec ullam aliam concordiæ uiam ostendere sibi licere dicunt: suos nimirum principes & amare pacem, & omnia sua consilia eò referre, quod superioris temporis actionibus facilè doceri possit: eiusdem se quoque uoluntatis esse, & quicquid ad salutarem reipublicæ constitutionem pertineat, ut in eo elaborent, agnoscere, sui hoc esse officij.

Cùm aliud agi non posset, tandem placuit, Spiræ conueniendum esse ad diem, qui uidebitur intercessoribus, ubi primùm de Saxonis atque Lantgrauij uoluntate cognorint: qui nimirùm, quid suæ sit in eo mentis, primo quoque tempore, suo sociorúmque

nomine

nomine renunciare debeant. Decretum hoc fuit altera die Septembris: initio autem mensis Octobris Moguntino ac Palatino principi Saxo & Lantgrauius rescribunt, & actione repetita superiori, de rebus propositis nihil agi posse cum fructu, sine theologis, demonstrant: se nimirùm in ea, quam sint Augustæ professi, religione, permanere: cúnque in omnibus propè comitijs, & absente Cæsare, & nuper etiam præsente, concilium sit promissum, & ità quidem promissum, ut non multò post exitum comitiorum indiceretur & inchoaretur, sperare se, futurum, ut Cæsar illud quàm primùm in Germania procuret: in eo se uidelicet socios que doctrinam suam copiosius explicaturos, & quod ad piam conciliationem faciat, nihil præteritu ros esse: Verùm, ne quid interea tumultuosè per Imperium fiat, orare se rursus, & uehementer quidem, efficiant apud Cæsarem, ut eos, qui doctrinam euangelij uel iam profitentur, uel in posterum etiam profiteri uolent, sinat uti pace, donec legitimi concilij decretum & autho ritas interueniat: Quòd si autem ipsis tractandum uidebitur & agendum de formula pacis, eó que nomine diem constituent, missuros eò se legatos: in doctrina uerò sua, quam exhibuerunt Augustæ, si quis errorem adhuc aliquem residere putet, idque demonstrare uelit, aut si docere non possit, sacræ scripturæ testimonio se submittat, pergratum id sibi socijsque futurum: Et, si Cæsar eo nomine diem præfiniat Spiræ, si sibi socijsq; & Luthero, quem eò secum adducturi sint inter alios ecclesiæ ministros, idoneè caueat, si liberas & publicas uerbi diuini conciones, & usum cœnæ Domini, iuxta mandatum Christi permittat, si ciborum discrimen nullum indicat, fore, ut uel ipsi ue niant eò, uel mittant legatos cum necessarijs mandatis, & sui dogmatis rationem omnibus explanent: Quòd si tum in eo congressu, doctrinæ suæ confessio, sacris literis refelli non possit, sperare, Cæsarem nihil amplius moturum, quò minus in ea religione permaneant: Et quoniam ad concilium legitimum prouocarint, neque repertum adhuc sit in sua doctrina, quod uerbo Dei repugnet, cùm etiam ex præscripto iuris atque legum, appellatione pendente, nihil in prouocatorem grauius decerni debeat, omninò se confidere, futurum, ut Cæsar, ipsorum quidem interuentu potissimùm, pacem in Germania componat. Diximus antea de conuentu Imperij futuro Spiræ ad idus Septembris: Cæsar autem, cùm de apparatu Turcico multorum literis atque nuncijs doceretur, in mensem Ianuarium anni sequentis, diem producit, & Ratisbonę locum indicit, ut Austrię tantò

esset uicinior, ubi bellum esse futurum uidebat. Quomodo bellum illud, quod ante biennium, Tigurini & Bernates erant facturi quinquepagicis, aliarum ciuitatum interuentu pacatum fuerit, libro sexto docuimus: hoc autem anno recruduit uulnus, & urbes illæ duæ, locis omnibus occupatis atque clausstris uiarum, ne quid ad illos deueheretur alimoniq, prohibebant. fuit hoc ad solstitium æstiuum. Et cùm res ad magnum aliquem motum spectaret, Galliæ rex, item Glareani, Friburgñ, Soloturñ, Appecellenses intercedunt, & à multa disceptatione has proponunt leges. ut conuiciorum aboleatur memoria, incp posterum temperetur, & maledicis ignoscatur: ut exules religionis causa, restituantur: ut quinquepagici in religione quidem sua permaneant, sed tamen ueteris & noui testamenti lectione suis non interdicant: ut Tigurinorum & Bernatum socijs nulla molestia fiat: ut mutua subministrentur auxilia. Cum hæc frustrà fierent, Tigurini & Bernates, euulgato scripto, quemadmodum maximis illorum & uarijs iniurijs coacti, commeatu ipsos intercluserint, exponũt: & quoniam pacis rationes ab interpellatoribus propositas illi repudient, nec obscuram hostilis animi significationem ostendant, & superiorum annorum pacta uiolent, quandò cautum fuit, ne religionis causa cuiquam sit fraudi, licere sibi dicũt illis denegare annonam: Si quis ergò nascetur ex eo motus, hoc illis, qui præter dissidia nihil expetant, tribui oportere. fuit hoc Septembris die nona. Quum autem quinquepagici maximè rerum necessariarum inopia premerentur, silentio conductis copijs, Octobris mensis die nono signa proferunt, & opinione citius ad Tigurinorum fines perueniunt. quibus in finibus erat iam antè dispositum à Tigurinis præsidium circiter mille militũ & amplius. Et hi quidem suos monent, crebris in oppidum dimissis nuncijs, ut mox aduolent, sed tanta fuit hostium celeritas, ut hi uix ægrè subsidio uenire possent. & cùm iam superassent montem, quà faciundum erat iter, laborare suos in proxima ualle, et in præsenti periculo uersari conspiciunt. ibi tum ad uirtutem sese cohortati, promiscuè decurrunt ex monte, cuius hæc erat natura, ut singularibus eundum esset. ea res in causa fuit, quum uniuersi non possent in acie consistere, ut multitudine superati, plurimos è suis desiderarent, ac terga uerterent. fuit hoc undecimo die Octobris. In cæsorum numero fuit Zuinglius. Nam Tigurinorum ità fert consuetudo, cùm in hostem exitur, ut ecclesiæ minister primarius unà prodeat. Zuinglius etiam uir fortis alioquin & animosus, cùm se-

cum

cum reputaret, quòd si domi resideret, ac prælium fortè fieret aduersum, fore, ut magnam ipse sustineret inuidiam, quasi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine remolesceret, uoluit omninò cõmunem subire Martem. In corpus autem exanime ualde sæuitum fuit, & uix etiam illius morte potuit odij acerbitas exaturari. natus erat annos quadraginta quatuor, minor Luthero quatuor annis. Per totum ferè mensem Augustum, uisus antea fuerat cometa, & illis ipsis diebus mortem obijt Galliæ regis mater Ludouica, Sabaudiæ Ducis Caroli soror consanguinea. Bernates, qui finitimis Vnderualdijs erant facturi bellum, ubi resciuerunt, iubent Tigurinos bono esse animo, & auxilia pollicentur, & suis omnibus cum copijs breui sese adfuturos nunciant, & hostis ulciscendi prouinciam sibi deposcunt. Vbi demum conuenissent omnes, quod fuit octauo circiter die post factum prælium, & Bernates aliquantò remissius agerent: Tigurini, quibus auxilia miserant Basilienses & Schafusiani & Sangallij & Mullusiani, deligunt aliquot signa ex omni numero, qui de nocte profecti, quiescebant in mõte, prope Mencingum, ut ad primum lunæ splendorem impetu facto, propinquum oppidum Tugium, ex improuiso caperẽt. Hostes uerò, qui non procul inde cõfederant, cùm id per indicium accepissent, celeriter arreptis armis ante lucem, procedũt, & illos quiescentes inuadunt Octobris die uigesimaquarta, magno sublato clamore & ululatu, quò plus terroris inferrent, utrinq; multi ceciderunt: & quanquam superiores extiterunt quinquepagici, de religionis tamen studio nihil remittebant Tigurini. Pace demum facta per intercessionem, hoc etiam fuit additum, quod nuper cum Argentinensibus atq; Lantgrauio fecissent fœdus Tigurini, Bernates, Basilienses, ut ab eo discedant: idem de Ferdinando faciant quinquepagici. itaque redditis literis, quibus inuicem tenebãtur, dissoluta fuit hæc utrobiq; cõfœderatio. Sub finem Nouembris Oecolampadius è uita decessit: ex interitu Zuinglij maximum animo perceperat dolorem, eáq; res morbum etiam auxisse putatur, erant enim coniunctissimi. Natus fuit annos quadraginta nouem. Extant eius in prophetas aliquot, lucubrationes, quę ualde probantur doctis. Ad xix Decembris diem legati protestantiũ Francofurti rursus conueniunt, & quod reliquum erat de paranda defensione, statuunt. Hoc in cõuentu Goslarienses et Embecenses in fœdus recepti sunt, paulò antè etiam Eslingenses. Aberant autem Georgius Brãdeburgicus & Noribergenses & Cãpodunenses & Hailbrunẽses.

nam hi licet doctrinam profitebantur eandem, ſicut antè diximus, à
M.D.XXXII. fœdere tamen erant alieni. Cæſar, initio menſis Ianuarij, relicto Belgio, Ratisbonam petebat, conuentus agendi cauſa, ſicut antè diximus. In itinere, cùm Moguntiam ueniſſet ad calendas Februarij, Moguntinus archiepiſcopus & Palatinus princeps iterùm de pace intercedunt, & actionem permittente Cęſare, Saxonem atq; Lantgrauium monent, ut idem faciant. itáque miſſis ultrò citróque literis, Schuinfurti, quod eſt ad Mœnum flumen, oppidũ Imperij, fit conuẽtus ad initium Aprilis. ibi cœptum eſt agi de pace ad cõcilium uſq; ſeruanda. principes interceſſores ipſi aderant, & de præſcripto Cæſaris hæc illis mandata proponunt. ut præter ſcriptum illud exhibitum Auguſtæ de religione, nihil innouent, nihil doceant, nihil euulgent, & intra hos fines permaneant aduſq; concilij tempus, ità tamen, ut cum Zuinglianis & anabaptiſtis nihil habeant commune: ne per occaſionem religionis, alterius ditionis homines ad ſe pertrahant aut in ſuam tutelam recipiant: ne quem ſuorum extra ſuæ ditionis fines docere patiantur: ut ab omni temperetur contumelia: ne iuriſdictionem, ritus atq; ceremonias eccleſiaſticas interpellẽt: ut opem aduerſus Turcam ferant, & decretis obtemperent, quæ ad rempublicam & adminiſtrationem Imperij pertinent: ut Cæſari ac Romanorum regi pareãt, & ſi quod fœdus contra Cæſarem, regem aut diuerſæ religionis ordines fecerint, aboleant: hoc ſi faciant, ſperare ſe, fore, ut Cæſar atque rex omnem ſuperioris tẽporis offenſionem deponant. Saxo filium eò miſerat, Ioannem Fridericum, ipſe ualetudine detentus: aderant etiam Franciſcus Luneburgenſis & Anhaldius, deinde reliquorum principum atq; ciuitatum legati, quibus interim acceſſerant Nortuſiani & Sueui Hallenſes. Poſt multam diſceptationem, interceſſores, rem omnem ad Cæſarem, qui conuentus agebat Ratisbonæ, perſcribunt, ut quid ipſius eſſet uoluntatis, cognoſcerent. Ad illud poſtulatum, quod erat, ut Saxo ſocijq; Romanorum regi pareant: illi, quid in eo deſiderent, & quid à Cæſare requirant, ſcripto conſignant, & interceſſoribus Aprilis die XVII tradunt, & ut Ferdinandus rex ab inſtituto deſiſtat, néque pro Romanorum rege ſeſe gerat, petunt: ſi uerò Cæſari uidebitur opus eſſe aliquo tanquam coadiutore, ut tum de uoluntate cõſilioq; principum electorum, legem Carolinam interpretetur, & edicto ſanciat in perpetuum, ut quidem iure fieri debeat, in hunc modũ. Ne uidelicet poſthac unquam uiuo Cęſare crẽetur Romanorum rex, niſi primùm electores & his adiuncti ſex alij

principes

principes Imperij iudicent ità fieri oportere: & cùm apparebit ex usu esse reipublicæ, ut tùm Moguntinus collegas & sex reliquos principes ad locum idoneum, amplius deliberandi causa, conscribat, & ubi rem omnem diligenter expenderint, tùm soli. principes electores, & his adiunctus Bohemiæ rex, creandi regis potestatem habeant: Romanorum rex, uiuo Cæsare creatus, non suo, sed Cæsaris tantùm nomine rempublicam administret, nec ullam sibi potestatem aut imperium arroget: principes ac ordines Imperij non teneantur ei ulla fide uel iureiurando, nisi post mortem Cæsaris: cum creabitur nouus rex, non aliter quàm ex formula legis Carolinæ iuretur, neq; sit in electorum potestate, formulam hanc immutare: qui cõtra iusiurandum illud feciſſe conuictus fuerit, aut alioquin in grauem suspitionem uenerit, neq; se purgauerit, is omni iure electoratus in perpetuũ careat: posthac ex eadem principum familia tres reges ordine non creëntur, uitandæ causa præscriptionis: nullus creëtur Romanorũ rex, qui non sit ex aliqua Germaniæ principum familia progenitus: quæ lex Carolina sanciuit de creatione regis, ea neq; Cæsar néq; Romanorum rex mutet: quum electoribus apparebit creandum esse regẽ, necesse non habeant hoc antea denunciare Cęsari, neq; Cęsari in eo casu liceat episcopo Moguntino mãdare, ut electores conuocet, sed quum iustis de causis uidebitur, quibus oportet, Cæsare superstite regem esse creandum, Moguntinus Francofurtum collegas ad certum diem cõuocet, neq; sit in ipsius potestate cõuentum alio in loco indicere, nisi collegæ grauibus de causis permittant: coronam, sceptrum & alia Imperij ornamẽta Moguntinus à Noribergicis minimè petat, nisi assentiantur collegę: trimestre illud spaciũ, quod à denunciatione principibus datur ut conueniant, non deminuat: Imperij enim & reipub. plurimum referre, si fortè unus & item alter, tempore excluſi, non adsint: interea dum Francofurti deliberant electores, omnes alij excludãtur: si quid harum rerum uioletur, tum electores non teneantur uel eò uenire, uel permanere, & quicquid actum ibi fuerit, irritum habeatur: neque Cæsar neq; Romanorũ rex in Italia, Gallia, cæteríue locis electorum insignia prę ferri, nec officia sinat exerceri, nisi per electores aut ipsorũ legatos: inaugurationem supremam Roman. rex non accipiat, nisi uel electores uel ipsorum adsint legati: neq; Cæsar neq; Romanorũ rex impediat, quò minus exterorũ regum atq; principũ legati ueniant ad Imperij conuentus, atq; ibi sua proponant: hoc enim & ad ius gentiũ pertinere, & alioqui plenum esse humanitatis & officij: nec Cęsar nec

Romanorum rex, in cauſis principum Imperij, ſingularem aliquam poteſtatem ſibi ſumat decernendi, ſed legitimè ſinat illas, quo loco oportet, iudicari: quæ ad principum & Imperij decus, honorem atq; ſalutem pertinent, quæque data fide ſeruaturum ſe promiſit Cæſar, ea tueatur, & ſi quid cõtrà factum ſit, emendet, & lege caueat, ut quicunque Romanorum rex erit, eadem ſeruet. Ad hunc modum ſi Cæſar legem Carolinam explanet atq; confirmet, Saxoniæ principem non eſſe defuturum officio, cùm reſpublica deliberationem eiuſmodi poſtulabit: ſin autem hæc interceſſores à Cæſare non impetrent, non ſe defugere legitimam cognitionem, ſic tamen, ut rex Ferdinandus interea nullam ſibi ſumat aut uſurpet adminiſtrationem rerum Imperij, nec authoritatem, in ipſos præſertim & Gulielmum atq; Ludouicum, fratres Bauariæ principes: quòd ſi ne hoc quidem impetretur, petere, ut tùm Cæſar palàm ipſos in cœtu principum & reliquorum ordinum audiat. ibi ſe demonſtraturos, quàm grauibus & iuſtis de cauſis hanc electionem non probent: Et uerò, cùm ob hanc recuſationem intelligant ſe non ſolùm apud Cæſarem, ſed apud exteros etiam reges atque populos in ſuſpitionem adduci rebellionis, idcircò rogare plurimùm, ne Cęſar moleſtè ferat, ſi per Germaniam & extra fines etiam Imperij, facti ſui rationem hominibus demonſtrent: hoc enim ſibi neceſſariò faciundum eſſe. Quod inter alia dicitur, ut electores iurent ex formula legis Carolinæ, ſic habet. Cùm Francofurtum illi uenerunt, peracto ſacro, procedunt ad aram, & librum, uti uocant, ſacratum ibi manibus contingunt, & uerbis conceptis religioſè iurant per eam, qua Deo ſint & Imperio deuincti, fidem, ſe creaturos eſſe reipublicæ Chriſtianæ nouum atq; ſummum magiſtratum, quem eo munere dignum & inprimis idoneum ac ſalutarem eſſe putent, quantum quidem iudicio poſſint & ingenio conſequi, nullo interueniente pacto, neq; largitione, neq; præmio, neq; pollicitatione. Quòd Bauaros principes fratres in ſuo numero ponunt, hanc rationem habet. Hi Ferdinandi regis electionem improbabant etiam, & communicatis conſilijs, cum Saxone, cum Lantgrauio, Gallięq; rege fœdus inierant, Germaniæ libertatis tuendæ cauſa: & Galliæ quidem rex aureorum millia centena depoſuit apud Bauaros, ut eſſent in promptu, ſi res ità ferret. Principes interceſſores, ad illa, quæ recitauimus, Aprilis die xx reſpondent. pacis & concordiæ cauſa tractare ſe negocium hoc, neq; putaſſe fore, ut hæc ab eis proponerentur: quòd autem Cæſare ſuperſtite Romanum regem crearint, habere ſe grauiſsimas cauſas,

ſas, quæ tunc Ioanni Friderico parentis legato ſint explicatę, & ſi res ità poſtulet, copioſius explanari poſſint: cùm autem non ad ſe tantùm, ſed ad Cęſarem etiam atque regem cæteróſque principes collegas ea res pertineat, nolle ſe prolixius de eo diſceptare, ſed in medio relinquere, quò facilius ad reliquam conciliationem perueniri poſſit, cuius quidem cauſa ſit hic indictus conuentus: Verúntamen, ſi res eò ſpectet, & hoc agatur, ut ſibi omninò ſit atque ſuis reddenda ſui facti ratio, non ſe recuſare iudicium, & ità ſuam cauſam eſſe probaturos, ut iure nihil exprobrari poſsit: Iam uerò, ſi quidem hæc ad Cæſarem deferantur, metuere ſe cumprimis, ut non modò nullum habeant locum, ſed reliquam etiam pacis tractationem impediant atque tollant: ut igitur inducię fiant & conciliatio tàm religionis quàm electionis nomine, neque ſeparentur alterum ab altero, plurimùm orare ſe tum patrem tum hæredem filium, Saxoniæ principes, ut ipſorum habeant in eo rationem, & à ſententia deſiſtant: ſic enim ſperare futurum, ut Cęſar atque rex idoneè & abunde caueant, electionem illam nec ipſis nec hæredibus unquam fore detrimento: non dubitare etiam, quin offenſionem omnem deponant, & mutuam ipſis omnibus beneuolentiam declarent, Saxoni pręſertim, in ijs, quæ ſoliciter, negocijs, & in ipſa quoque religionis cauſa, quantùm quidem omninò fieri poſsit: nam ut religioni pax detur, & electionis cauſa maneat indefinita, ualde ſe uereri, ut hoc poſsit impetrari: ſe nimirum hæc amanter ità conſulere, & orare, ut in eam partem accipiant, & ità ſeſe gerant, ut ſuam commendationem habuiſſe pondus, & diligentiam bene collocatam eſſe uideant. Ioannes Fridericus princeps ad hæc, quarto pòſt die. Non ſe tale ab ipſis reſponſum expectaſſe: cùm enim inter alia nuper dixerint, pro ſalute ac dignitate Imperij creatum eſſe Romanorum regem, neceſſariò ſibi reſpondendum ad hoc fuiſſe, tum ſui parentis tum ſociorum nomine, quibus hoc ſit perſuaſum, electionem hanc eſſe uitioſam & minimè ſalutarem Imperio: Cúnque iam ipſi perſonam ſuſtineant interceſſorum, omninò ſe ſperaſſe futurum, ut cauſam hanc non defenderent, ſed ut dubiam atque controuerſam, in medio relinquerent: nam ea quæ prius ab ſe dicta ſint, non ad ipſos, qui iam intercedunt, pertinere, ſed ad illud tempus referri oportere, cùm hæc in communem deliberationem uenient: Coloniæ quidem, quandò fratrem ſuum Ferdinandum, ad Imperij ſocietatem Cæſar cooptari petebat, propoſitas fuiſſe rationes, cur id

fieret, uerùm eas non sibi uisas esse tantas, ut idcircò lex Carolina & Imperij ius atque libertas uiolaretur: se quoque tunc & reliquos sui parentis legatos ipsis respondisse, quamobrem ità fieri non oporteret: Quod igitur postremò dictum sit, idem se nunc quoque repetere. si uidelicet hæc sua postulata Cæsar non admittat, ut tum legitimo iudicio causa disceptetur, & suæ recusationis causæ cognoscantur: cúnque ex æquo & bono agant, existimasse futurum, ut ipsi, qui de reliquis intercedunt, in hac etiam controuersia uiam aliquam & rationem honestam ac utilem Imperio, commonstrarent: sed cùm id non fiat, nolle amplius urgere: parentem uerò suum atque socios hauddubiè demonstraturos esse, nullius tamen cum iniuria, quomodo sit in leges atque libertatem Imperij commissum, &, si quid ex eo nascetur incommodi, quàm nihil ipsis culpæ sit attribuendum: sperare etiam, quum ad reipublicæ decus atque salutem ista pertineant, fore, ut Cæsar non inclementer accipiat. In reliquis postulatis, illud, quod primum est, ea parte, quæ est de Zuinglianis, eò spectabat, ut principes à plærisque ciuitatibus diuellerentur, & in disceptatione sic illud intercessores explanabant: quòd si Zuingliani faterentur errorem atque desisterent, comprehendi etiam in hac pace, sin minus, tum deserendos, nec auxilij quicquam eis communicandum, neque fœdus ullum cum ipsis faciundum esse: uerùm anno superiori Smalcaldiæ conuenerat inter protestantes, & cùm Argentinenses ac Sueuiæ ciuitates aliquot, dogma suum de cœna domini, propositum in comitijs Augustæ, copiosius tunc explicassent, recepta fuit à Saxonicis ipsorum interpretatio. Coniunctis igitur animis idem nunc respondent omnes, ad quæcp; postulata, & has conciliandæ pacis rationes demum proponunt. Ipsi, qui doctrinæ confessionem & eiusdem apologiam exhibuerunt Augustæ, quíue postea doctrinam hanc recipient, intra hos limites consistant, neque præterea quid innouent, ad concilium usque, toties promissum atque decretum: ijs, qui de cœna domini déque baptismo secus docent, quàm ipsorum habet scriptum, exhibitum Augustæ, minimè se coniungant, quantum quidem ad doctrinam attinet: alienæ ditionis homines non pertrahant ad se, neque defendant, occasione religionis, uerùm, si, quibus, aut lege uel conditione liberum sit proficisci quò uelint, ut hi, quum suis dominis hoc antea denunciarint, aliò migrent, si uelint, atque recipiantur: extra suos fines non emitant concionatores, qui doceant,

nisi

niſi fortè magiſtratus eius loci cupiat uel permittat, cùm ibi conuentus aliquis erit, nam ſi recuſet, tum domi faciant, licebit: quòd ſi autem interſint comitijs Imperij, uel ſi copias mittant aduerſus Turcam, utantur ſuis doctoribus atque etiam cœna domini, iuxta mandatum Chriſti: temperetur à contumelijs, uerúntamen eccleſiæ miniſtri, pro ſuo munere moderatè reprehendant errores atque uitia, quódque rectum eſt, demonſtrent: qui ſuæ ſunt religionis, non excludantur ab Imperij camera: iuriſdictio eccleſiaſtica maneat quo nunc eſt loco, neque liceat epiſcopis, ob huius doctrinæ profeſsionem alicui creare periculum aut moleſtiam: ſententiæ latæ de religione, de iuriſdictione, de ceremonijs, de bonis ſacris, quæ quidem in executionem nondum uenerunt, ad concilium uſque prorogentur: bonis eccleſiæ utantur fruantur ij, qui permanſerint ijs in locis, quò propriè bona illa pertinent, neque per uim cuiquam eripiatur aliquid, & annui prouentus ad ea loca, quò ſolent antiquitùs, deferantur, donec concilium aliter ſtatuat: in rebus omnibus politicis, quod ſui eſt officij quiſque faciat, & rempublicam omnes procurent, ac mutuam fidem beneuolentiámq; præſtent. Cùm utrinque uentum eſſet ad extremum, neque propius coniungi poſſent, interceſſores pergendum eſſe tamen in actione ducebant, & quò celerius ad Cæſarem omnia perferrentur, Noribergæ conuentum alterum indicunt ad tertium Iunij diem. Ibi tandem, licet ſumma rei conciliari non poſſet, tamen, quòd irruente in Auſtriam Turca, neceſſe erat omneis undecunque uires contrahere, Cæſar pacem publicam totius Germaniæ ſancit, &, ne religionis cauſa cuiquam ulla moleſtia creetur, edicit, aduſque concilij tempus, aut ſi nullum fiat, tantiſper, donec per ordines Imperij alia fuerit inuenta ratio diſsidium hoc ſanandi: qui contrà fecerint, ijs grauem conſtituit pœnam, & omnem operam ſe daturum ait, ut intra ſextum menſem concilium denuncietur, & anno pòſt inchoetur, aut, ſi hoc impetrari non poſsit, ut tum in Imperij comitijs de ſumma rei tractetur: itáque mandat, ut interim actiones omnes forenſes, religionis cauſa iam intentatæ, ſuſpendantur, neque poſthac in proteſtantes ullæ moueantur, & ſi quid fortè contrà fiet, irritum eſſe iubet. Proteſtantes inuicem, qui tum ſeptem erãt principes & ciuitates XXIIII, obſequentiam & officium illi deferunt, & auxilia pollicentur aduerſus Turcam. Hanc pacis formulam interceſſores decreuerũt Iulij die XXIII, Cæſar autem, quem per literas atque nuncios interpellabant,

Augusti mensis die secundo ratam habuit, & edicto publico deinde sanxit, & Cameræ cæterísque iudicibus mandabat, uti pareant.

Dum hæc geruntur, Cæsar conuentus agit Ratisbonæ, sicut antè diximus, & inter alia commemorat, se iampridem de concilio misisse legationem ad pontificem & collegium cardinalium, ac responsum tulisse, quod postea cum Galliæ rege communicarit, qui necessarium quidem esse concilium iudicet: uerùm in eo, quod de modo, præcipuè uerò de concilij loco pontifex rescripsit, permagnam esse difficultatem, neque statui quicquam adhuc potuisse: sed tamen quum dissidium hoc religionis augescat indies, & magnum ab eo sit periculum, se daturum operam, ut intra constitutum antea tempus pontifex illud indicat ad locum idoneum, & sperare, non illum esse defuturum reipublicæ nec officio suo: sin minus, tum in alio Imperij conuentu, quem ideò sit indicturus, rationē ineundam esse remedij. In Augustæ conuentu decretum etiã fuerat, ut Cameræ, quã uocant, iudicium reformaretur. Ad eam rem Cæsar suo nomine binos attribuit, & insuper Moguntinum delegit atque Palatinum, electores, item Spirensem episcopum, Ioannem Palatinum Simmerium, Gulielmum episcopum Argentinensem, Philippũ Marchionẽ Badensem. horum legati singuli, cùm ad calendas Martij postea Spiram uenissent, leges faciunt, quæ partim ad iudices, partim ad aduocatos, partim ad litigatores pertinent. Huius autẽ emendationis formulam illi hoc in cõuentu Cęsari exhibent. qui cõmunicato cum reliquis cõsilio, sibi placere illam affirmat, & paucula quædam adijcit.

Hoc anno Christiernus Daniæ rex, in decimum nunc annũ exul, ut suprà diximus, comparata classe, cogitabat amissa recuperare, sed captus mari, custodiæ traditus fuit, eodémque ferè tempore filius eius adolescens, quem Cæsar auunculus educabat, mortem obijt.

Libro superiori diximus, quomodò Cæsar transactionem Alberti Prussiæ ducis cum Poloniæ rege Sigismundo, rescidit: cùm autem Albertus in proposito maneret, proscriptus hoc tempore fuit à Camera, solicitante Vualthero Cronbergo. Qua re cognita, Poloniæ rex, per legatũ hoc in cõuentu docet Prussiã esse antiquitùs in fide & clientela sui regni. petit igitur proscriptionem illam aboleri totam. Cronbergus autem oratione prolixa demonstrat Iunij die tertio, Prussiã esse ditionis Imperij, nec ad Poloniæ reges pertinere quicquam: & licet sui maiores, bello deuicti, fidem dare coacti sint Casimiro Sigismundi patri, tamen id omninò fuisse contra superioris

temporis

temporis pacta: Quòd autem ità res habeat, id uel ipsius Alberti testimonio posse doceri, qui ante annum octauū, in comitijs Norib. gæ sit illud professus. Itáq; petit, ut Poloniæ regis postulato repudiato, sententia in Albertū lata mandetur executioni. Præcipua fuit in his comitijs belli Turcici deliberatio. cúmq; literis quotidianis atq; nunciijs adferretur, Turcam præmisisse iam multas equitum copias, propter Danubiū, legati etiā Austriaci et finitimarū gentium, quanto ipsi essent in discrimine, docerent, decreta fuerunt auxilia, sic, ut omnes Imperij ordines, non pecuniā sed militem in hoc bellū submi nistrarent. itáq; XXVII Iulij die finē habuit hic conuentus, & ad bel lum sese comparabāt omnes. Ad idus Augusti Saxoniæ princeps elector diem supremū claudit: ei succedit Ioannes Fridericus filius.

Cùm Solymannus Belgradū uenisset, deflectit ad læuam, & Giurtium oppidū arcemq; frustrà tentat, fortiter illud propugnante Nicolao Iurixio, deinde prædatū emittit ad quindecim equitū millia, duce Casono. Is Linciū usq; supra Viennā excurrit, & longè latéq; deuastatis agris, nullū immanitatis genus prætermittit: cùm uerò pedē referret, in nostros equites, qui fuerāt emissi, ut rapinis ac populationibus illū prohiberent, incidit, & diuersis locis ad internecionē propè cōcisus, tandem & ipse occumbit. Solymannus, magis atq; magis ad læuā tendens, Gratium petit, oppidum Stiriæ. Quo cognito, Cæsar, qui tum erat Lincij, deliberat quid facto sit opus. Tandē ea sententia uicit, ut castris omnibus ad Viennā positis, hostē expectaret. Sic tandē Solymannus, nulla re memorabili perfecta, discedit. Galliæ regem Cæsar de auxilijs appellauerat: uerùm is respōdit, ut quidem Cæsar tum referebat, Germaniā esse potentē satis, quæ sola Turcæ resistat: Angliæ rex cunctanter etiā necq; satis apertè rescripsit: Clemēs pōtifex opē tulit, & summę rerū præfecerat Hippolytū Medices cardinalē. Heluetij, licet à Cæsare solicitati, non se cōmouerunt. per Septembrē & Octobrem uisus hoc tēpore Cometa fuit ante solis ortū.

Cùm pedē Turca retulisset, Cæsar, eorū reiecta sententia, qui persequendum hostem esse dicerent, exercitum dimittit, quòd hyems iam suberat, & Vienna cōtendit in Italiā. Mantuę cùm esset, decima Nouembris die datis literis ad ordines Imperij, fratrē suum Romanorū regē ait per suā absentiam esse gubernaturum remp. se, grauibus de causis è Germania profectū esse in Italiā, & ibi cū pontifice uelle agere de concilio, sicut Ratisbonæ decretū sit: pacem ergò colāt omnes, quam nuper edicto sanxerit, & fratri nō secus atq; sibi ipsi pareant.

Inde Bononiam profectus, cum Clemente ſeptimo uenit in colloquium, déque religione & concilio inter alia deliberat. Fœdus etiam cum eo facit & cùm cæteris Italiæ dynaſtis, aut potius renouat in ſeſquiannum, uerbo quidem, pro tuenda Italiæ pace, ſed reuera, ne Gallis patéret aditus. Reclamabant fortiter Galliæ regis legati: Clemens autem monebat, ut remiſſius agerent, tacitè ſignificans, non fore diuturnum. Adduxerat enim Cæſar magnas Hiſpanorum copias, à quibus Italiam liberari pontifex cupiebat. itáque fœdus hoc probabat, obſecutus tempori. Cæſar pòſt in Hiſpaniam nauigat
M.D.XXXIII menſe Martio: neque multò pòſt, legatum pontifex in Germaniam mittit Hugonem Rangonum, epiſcopum Rheginum: Is, ubi demum ad Saxonem uenit, comitatus legato Cæſaris, in hanc ſententiã uerba facit. Cùm ante menſes aliquot pontifex atque Cæſar, multis grauibúſq; de rebus conſilia Bononiæ conferrent, cauſam religionis etiã tractaſſe: uiſum itáq; tandem fuiſſe pontifici, mittendã eſſe legationẽ in Germaniam: Et quanquam rei magnitudo poſceret aliquẽ maiori prædituũ ingenio & experientia, ſibi tamen, quantúmuis etiã deprecanti, munus hoc iniunctũ fuiſſe: per hanc igitur occaſionẽ ad ipſum quoq; ueniſſe iam, ut quæ ſit pontificis mens atque uoluntas, proponat: Cæſaris autẽ hęc omnia fieri uoluntate & approbatione. Clementẽ ergò ſeptimum, inde à ſui pontificatus initio, cumprimis hoc optaſſe, ut nata per Germaniã diſſidia religionis cõponerentur, quò uidelicet eccleſiam ipſe ac rempublicã tranquillè poſſet adminiſtrare: hac etiã de cauſa multos non ſemel in Germaniã amandaſſe uiros eruditione præſtantes, qui hoc perficerent, ſed adhuc quidẽ fruſtra ſumptum eſſe laborem omnẽ: cùm autem ex Hiſpania demùm Cæſar in Italiam ueniſſet, abiturus illinc in Germaniã, in maxima ſpe fuiſſe pontificem, fore, ut ille, pro ſua gratia & authoritate, diſſidium hoc facilè ſedaret: Et Cæſarẽ quidem, ut priſtinæ religioni patriam reſtitueret, nihil ad ſummã diligentiam feciſſe reliqui, & comitijs aliquot habitis nihil tamẽ potuiſſe perficere, præſertim, cùm Chriſtiani nominis hoſtis, Turca, pulcherrimos ipſius conatus impediret atq; tardaret: Cùm uerò iam iterum in Italiã Cęſar ueniſſet, poſt multam pontificis cum eo collocutionẽ, uiſum ei fuiſſe, remedium nullũ adhiberi poſſe commodius uel efficacius, quàm per concilium publicũ, cuius Germani quoq; principes uehementer ſint cupidi: rationem autẽ hanc placuiſſe quoq; pontifici, tum reipublicæ, tum etiam cauſa Cæſaris, cui gratificari cupiat: hanc nimirum ſuæ legationis eſſe cauſam,

fam,& habere se in mandatis, ut hoc ipsi nomine pontificis denunciet: Sed quia res ipsa postulet, ut de concilij futuri modo, deque tempore & loco prius deliberetur, habere se capita quædam à pontifice notata, quæ formulam eius rei complectantur, quorum nonnulla pertineant ad modum & ordinem, nimirum, ut sit liberum atque commune concilium, & omninò tale, sicut patres habere consueuerunt, quorum mentes gubernarit hauddubiè spiritus diuinus: deinde, qui sunt interfuturi concilio, ut illius decreta se seruaturos esse spondeant: nisi enim id caueatur, frustrà sumi laborem omnem: quid enim prosit, condere leges, quas nemo seruet, quas impunè quisque uiolare possit? ad hæc, qui coràm ipsi non poterunt adesse, ut suos eò mittant legatos: item, ut interim omnia suo loco maneant & ordine, nec ulla fiat ante concilij decretum innouatio: De loco diu multúmque cogitasse pontificem: nam inprimis eiusmodi locum esse deligendum, qui sit & fructuosus, & ad supportandum commeatum idoneus, & salubris etiam: itáque uideri pontifici Placentiam aut Bononiam fore non incommodam, aut certè Mantuam, quæ sit Imperij ciuitas, & Germaniæ uicina, & pulcherrimo loco sita, & rebus necessarijs abundans: ut autem ex his tribus unam sibi deligant, licére: Si qui uerò principes ad eiusmodi concilium fortè non uenient, nec legatos etiam mittent, pontificem nihilò minus in actione progressurum esse: quòd si deinde concilij decretis parére aliqui recusent, & à pontifice deficiant, proximum esse, ut Cæsar alijque reges atque principes ipsum & ecclesiam defendant, ne quid accipiant detrimenti: Quò minus autem in hoc ipso tempore concilium denuncietur, hanc esse causam, quòd circumstantias omneis diligenter prius considerare oporteat: & quum toties futuri concilij spem Cæsar fecerit, ipsi placuisse, ut Germaniæ principibus de uoluntate quoque pontificis nuncietur: Iam uerò, si quidem adhæc postulata Romanorum rex & cæteri Germaniæ principes commodè respondeant, fore, ut pontifex, re deliberata cum alijs etiam regibus, intra sextum mensem concilium indicat, anno deinde pòst, inchoandum, ut interea uictus & res necessariæ comportentur, & ad profectionem sese comparent omnes, præsertim longinquiores. Cùm hæc orasset, ea quæ diximus capita scripto comprehensa tradit electori. postea Cæsaris legatus uerba facit. quia superioribus omnibus comitijs, & adhuc quidem frustrà sit tentata religionis compositio, & per

concilium posse rem componi, iudicatum sit, Cæsarem illud nuper apud pontificem impetrasse, nempe, ut ad eum modum, eóque tempore & loco, sicut ipsius exposuit legatus, habeatur: ideóque se missum à Cæsare, ut pontifici placere concilium testificetur: & quoniam ille de re tota sit abunde locutus, non esse quòd ipse pluribus agat: petere autem, ut narrationi fidem habeat et beneuolè respondeat. Saxo, quia magni sit res momenti, consideraturum se dicit, & ut interim aliquam paruam moram leniter ferant, petit. Adhæc legatus pontificius. rectè ipsum facere, quòd deliberationem interponat, & meritò spacium hoc ei concedi: nam esse rem inprimis arduam. fuit hoc Vinariæ. paucis pòst diebus respondet Saxo. Quòd concilium Cæsar atque pontifex decreuerint, uehementer sese lætari: nam reipublicæ statum hoc inprimis flagitare, ut habeatur quale Cæsar sæpenumero Germanis promisit, in quo nimirum legitimè res tractetur, iuxta præscriptum uerbi diuini: quod si fiat, non se dubitare, quin rectè procedant omnia: se quidem & orare Deum, ut id largiatur, & suæ quoque ditionis populum, ut idem faciat, moniturum esse: studium etiam suum eò se conferre totum, & socijs, ut eandem curam suscipiant, authorem esse uelle: cupere se quidem ipsis iam iam respondére, sed esse multos alios eiusdem religionis, qui cum parente suo Ioanne, doctrinam hanc in comitijs Augustæ professi sint apud Cęsarem: ut autem his inconsultis respondeat, neque priuatim sibi licere, nec etiam utile esse causæ: multò enim præstare, ut idem communi nomine respondeatur: Et quia Cæsar atque pontifex, hyeme superiori, datis Bononia literis ad ordines Imperij, legationis & concilij futuri spem fecerint, ideò se sociósque diem constituisse, uigesimum quartum Iunij diem, quo conueniant Smalcaldiæ, de re tota deliberaturi: quapropter orare, ne procrastinationem hanc molestè ferant: simulac socij conuenerint ad diem, fore, ut communicatis consilijs, uel per legatos uel epistolam ipsis breui respondeatur: se quidem sic acturum esse, Dei beneficio, ut non solùm hæc ætas, uerumetiam posteri uideant, omnium rerum se nihil magis optasse, quàm ut pura doctrina religióque & pax non Germaniæ tantùm, sed totius reipublicę Christianę floreat, & Cæsari, supremo magistratui, suus honos atque dignitas constet. Cùm deinde socij uenissent, re deliberata, communi nomine per literas responsum fuit ultima die Iunij. permagnas agere se gratias Cęsari, qui pro gloria Dei et salute reipublicę laborem hunc susceperit;

nec

nec enim dubitare, quin ex animo concilium optet: itáque se precari Deum, ut ipsius mentem confirmet, eóque dirigat, ut ueritas celebretur, & falsa doctrina, uitiosi cultus atq; ritus tollantur, & animis hominum eripiantur errores, & purus Dei cultus, aliæque piæ uirtutes rursus excitentur: nam inprimis optare se concilium, in quo, causa controuersa rectè & ordine definiatur: Cæsarem etiam eiusmodi concilium iam olim promisisse, & in multis Imperij comitijs, à graui deliberatione decretum fuisse, ut in Germania cogeretur: hanc enim dissensionem ex eo fonte manasse, quòd nimis impudenter quidam prædicarent eas, quas uulgò uocant indulgentias: quo sanè tempore magni quidam errores, qui dissimulari non poterant, patefacti sint atque demonstrati: Et quanquam Leo pontifex doctrinam istam, quæ detexit errores, damnauit, se tamen condemnationem illam adhuc oppugnasse prophetarum & apostolorum testimonijs: itáque summè necessarium semper uisum fuisse concilium, in quo rursus de causa cognosceretur, quò uidelicet planum fieri posset, quid uerum sit, quid falsum: & ità quidem non se modò, uerumetiam reliquos omneis iudicasse principes ac ordines, quòd uiderent & faterentur, irrepsisse in religionem multa, quæ tolli debeant & emendari, quòdque scirent quid homines cuperent & quid respublica flagitaret: Cùm uerò doctrinam hanc pontifex condemnasset, in conuentibus Imperij fuisse decretum, his uerbis, ut uel omnium populorum, uel prouinciæ Germaniæ concilium fieret liberum atque Christianum: ideò nimirùm his uerbis, ne uel illa sententia pontificis, uel cuiusuis alterius uis atque potentia causæ præiudicaret: deinde, ne secundum leges pontificias & scholarum opiniones, uerùm iuxta sacram scripturam in hac tota causa iudicium fieret: nam si cuius potentia plùs ualere debeat, quàm sacræ literæ, quàm legitima cognitio, quis dubitet, aduersus pontificem frustrà laborem omnem & actionem suscipi? satis enim esse notum, quid anteactis aliquot conciliis profectum sit: emendationem tunc quidem institutam, sed interpellatione pontificum fuisse totam sublatam: grauissimis igitur de causis decretum esse factum, ut in Germania fieret concilium: hoc etiam Cæsari sic placuisse, uerùm ista pontificis postulata pugnare omninò cum Imperij decretis, quæ principum atque Cęsaris sint obsignata signis: etenim, etsi de libero concilio loquitur, tamen aliò ipsum hauddubiè spectare, quandò uidelicet hoc agit, ut sibi reges atque principes obstringat; nam si liberum esse uellet, quor-

ſum attineret hæc obligatio? nunc uerò, cùm huc totus incumbat, hoc nimirum ipſius eſſe propoſiti, ut nomine concilij ſuam dominationem atq; potentiam defendat, neue quis errores atque uitia reprehendat, aut ſi quis hoc moliatur, non ferat impunè: Quid alij facturi ſint, non ſibi conſtare, ſed hoc illius poſtulatum eius eſſe generis, & ità conſcriptum, ut à concilio magis abſterreat, quàm ad illud inuitet: quis enim ad hunc modum ſeſe deuinciat, præſertim, cùm nondum appareat, qui ſit concilij futurus ordo, qui modus, quæ forma, cùm ignoretur, an ſuam ibi pontifex atque ſuæ clientelæ præcipuam eſſe uelit atque ſummam authoritatem, utrum de controuerſia cognoſci uelit iuxta ſacras literas, an uerò ſecundum traditiones atque leges, nullo ſcripturæ teſtimonio confirmatas? concilij quoque libertatem impediri, dum ait, illud peragendum eſſe more ueteri & iam olim recepto: ſe quidem ſuperioris ætatis conciliorum decreta, ſacris literis conſentanea, minimè recuſare, ſed noſtræ ac paulò uetuſtioris memoriæ concilia, quæ decretis hominum & pontifici plus æquo tribuerunt, à priſcis illis plurimùm differre: Quòd igitur illud futurum eſſe dicat iuxta ueterem morem, captioſè fieri, ne uidelicet ea ſit ſententiarum libertas, qualem & ipſi petant, & cauſa quoque poſtulet, ſed ut ſecundum ipſius leges atque poteſtatem, quam ſibi ſumit & arrogat, iudicetur, ſicut in poſtremis aliquot concilijs factum eſſe conſtet: eiuſmodi autem actione non pacificari eccleſias, neque dubias & adflictas conſcientias expediri, ſed amplius inuolui tenebris, & maiori ſeruitute conſtringi: cùm igitur poſtulato ac deſiderio tum Cæſaris tum ordinum Imperij pontifex nondum ſatisfaciat, orare ſe plurimùm, ut Cæſar, conſiderata cauſæ magnitudine, quæ uniuerſam rempublicam & omneis nationes complectitur, det operam, ut legitimè res agatur: nam hoc ipſius eſſe officium, eique licere legibus, quandò uidelicet pontifex ueritatem impugnat: prouidendum enim eſſe, ne ſit & actor ille uel reus, & ſimul iudex: Omneis uidelicet populos erectos eſſe in ſpem huius concilij, & ſummis uotis atque precibus flagitare, ut tandem dubitatione & angore adflictæ conſcientiæ liberentur, & uia ſalutis commonſtretur: à multis enim ſæculis non fuiſſe talem de tantis rebus dimicationem, ut in hoc tempore: certamen autem iſtud eſſe natum ex uarijs erroribus atque uitijs, quæ multò ante noſtram ætatem inundarint: Quòd ſi autem ea fallat expectatio, neque tale concilium, uti iam olim

promiſ-

promissum est, habeatur, quantum ea res mœrorem atq; cruciatum allatura sit mentibus hominum, facilè posse cogitari: deinde, si legitimam cognitionem pontifex defugiat, metum esse, ne respublica & ecclesia maioribus agitentur fluctibus, quàm antehac unquam: Sed cùm Imperij ordines omnes, in omnibus conuentibus rectum concilium decreuerint, non dubitare se, quin in eo quoq; permaneant, & laqueum illum atq; uincula, quæ pontifex ipsis induere cogitat, longissimè repudient: idem à cęteris quoq; sese regibus expectare: quam enim ille molitur obligationem, esse plenam captionis & insidiarum, neq; uerum posse fieri iudicium, nisi liberę sint & expeditæ omnium mentes: Si uerò pergat, & concilium habeat suo arbitratu, rem omnem se commissuros esse Deo, qui suam ipse causam atq; doctrinam haud dubie sit uindicaturus: uerum enimuerò, si res eò recidāt, ut hoc pontifici permittatur, quod tamen minimè credant, consideraturos amplius, quid facto sit opus: & si fortè citētur atq; uideant se posse aliquid pro gloria nominis Dei facere, uenturos eò fide publica, cùm idoneè cautum fuerit, aut, missis legatis, quicquid suæ causæ necessitas ratioq; postulabit, in medium esse proposituros, ea lege tamen, ut interim illa pontificis postulata minimè recipiant, nec etiam ullum concilium, quod sit ab Imperij decretis alienum, admittant. Etenim non uidere se, quomodo pontificis hoc institutum ad diuturnam ecclesiæ uel reipublicæ pacem pertinere possit: ipsi quoq;, si modò ueri pastoris officium facere uelit, non esse decorum, ut ad hunc modum agat: nam proprium eius esse munus, ut hominibus consulat, ueræq; doctrinæ pabulum proponat: Quod cùm ità sit, orare se plurimùm, ut hoc suum responsum ad Cæsarem atque pontificem referant, néue Cęsar, quem, uti summum magistratum à Deo constitutum, reuerenter agnoscant, in malam partem istud accipiat, sed in hoc elaboret, ut secundùm Imperij decreta concilium fiat, & per homines pios minimeq; suspectos cōtrouersia tota disceptetur: hoc nimirum ad ipsius laudem atque salutem pertinere, ut potentiam omnem & authoritatem ad ueræ doctrinæ conferat amplificationem, non ad confirmandam eorum crudelitatem, qui multis nunc annis in homines innocentes acerbè uindicant, ob euangelij solùm atq; doctrinæ salutaris professionem: Quod reliquum est, omnia sua se deferre Cæsari, nec esse quicquam cæterarum rerum, quod non ipsius causa uelint. Erat tum apud Ferdinandum regem pontificis legatus Petrus Paulus Vergerius, de quo superiori libro diximus. Et quia Rheginus episco-

pus ętate iam erat prouectus, et ualetudine minus firma, Clemẽs Vergerio mandabat, si quidem illi quid accideret impedimẽti, ut ipse legationem subiret: inprimis uerò monebat, ut in memoria semper haberet, quæ sua sit de concilio mens atq; uoluntas: mandatis igitur atq; formulæ præscriptæ diligenter insistat, neq; latum unguem ab ea discedat, nec in angustias ipsum atque necessitatem peragendi concilij conijciat, etiamsi fortè rex Ferdinandus maximè urgeat & instet.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber IX.

CVM AD HVNC MODVM RESPONDISSENT, FACto decreto placuit, theologis & iureconsultis dandum esse negocium deliberandi de futura concilij actione, responsum quoque pontifici datum, euulgandum, & exteris regibus atq; populis communicandum esse, mittendos etiam legatos, ad iudices Cameræ, qui præter edictum Cæsaris litem nonnullis mouebant religionis causa, deinde, iudicium illorum esse recusandum, nisi desistãt: ad Moguntinum simul & Palatinũ principem, intercessores mittendam legationem, & ad Cæsarem postea rem omnem perscribendam.

De Georgio Saxoniæ principe non semel diximus, quomodo & Lutherum priuatim, & publicè totam ipsius doctrinam odisset: cùm autem è suis esse multos intelligeret, qui cœnam Domini percipiendam esse dicerent iuxta Christi mandatum, ecclesiarũ ministris iniunxit, ut ijs, qui tempore paschali, de more ueteri, peccata sua confiterentur, & cœnam Domini iuxta pontificum decreta sumerent, symbola quędam ac ueluti tesseras darent, quas illi pòst redderent senatui, quò sciri posset, quinam pontificium, qui uerò Lutheri dogma sequerentur. itáq; Lipsiæ, quod est eius regionis primarium oppidum, deprehensi fuerunt ad LXX. sine symbolis. Hi Lutherum antea consuluerant, quid facto esset opus: ille per epistolam respondit, ut qui certò crederent integram sumendam esse cœnam, nihil agant contra conscientiam, & capitis discrimen potius adeant. sic ergò confirmati perseuerant,

uerant, & citati à principe, cùm eis propè bimestre tempus concederetur ad deliberandum, neque propositum mutarent, tametsi priuatim singuli solicitarentur, eiecti sunt oppido. Lutherus in ea, quam diximus, epistola, Georgium sathanæ uocabat apostolum: ea res magnam excitauit turbam, & Georgius quidem datis ad patruelem electorem Saxoniæ literis, accusabat illum, quòd non modò conuicium sibi faceret & contumeliam, sed suæ quoque ditionis homines ad rebellionem inflammaret. Elector ea de re Luthero scribit, & inter alia, nisi de oblato crimine sese purget, necessariò sibi in ipsum esse uindicandum ait. Hac igitur occasione Lutherus, edito libello criminationem illam refellit, & se consuluisse dicit illis, non ut principi resisterent impia mandanti, sed ut exilium paterentur potius: hoc autem ad nullam pertinere rebellionem: nam eos, qui uiribus & armis resistendum esse magistratui docent, hoc nomine censeri: quòd autem suæ ditionis populum Georgius iureiurando deuincit & astringit, ut doctrinam hanc persequantur, id quale sit, omnibus iudicio præditis æstimandum sese relinquere: sanè, si princeps elector tale quid aduersus ipsum à suis præstari uellet, non se dubitare, quin ille, quo est ingenio, statim, ut seditiosum sit interpretaturus: Atqui, dignitatem magistratus atq; legum ità se scriptis illustrasse suis, ut amplius non possit à quoquam: etenim sub pontificatu Romano iacuisse prorsus in magnis illis tenebris, hanc etiam de magistratu doctrinam, & uulgò persuasum fuisse, quasi uitæ genus illud non esset Deo gratum: eos autem qui sic docent, esse reuera seditiosos, et extare Petri apostoli de ipsis uaticinium: sed hoc esse proprium euangelij professionis, ut tanquam seditiosa condemnetur: Christum ipsum hoc nomine atque titulo raptum esse ad mortem omnium indignissimam, quasi ludęorum rex esse uellet, & populum, ut à Cæsare deficerent, incitaret. Huic deinde libello subiunxit epistolam, qua ciues Lipsenses exules consolatur, & monet, ut præsentem fortunam moderatè ferant, & simul Deo gratias agãt, qui uim istam mentis atque constantiam sit ipsis largitus: non fore perpetuum hoc neque solidum gaudium aduersarijs euangelij, sed omnium opinione citius interiturum, & adhuc quidem omneis illorum conatus irritos fuisse, ac singulari Dei beneficio concidisse demonstrat. Suprà diximus de Cęsaris & Clementis septimi colloquio: Cùm autẽ in Hispaniam Cęsar rediisset, Clemẽs, rogatu Gallię regis, per mare Liguſti cũ uenit Massiliam, autumni tẽpore, & arctioris necessitudinis causa,

neptem ſuam Catharinam Medices, in matrimonium dat Henrico rẽ gis filio, principi Aureliano, xv annorũ adoleſcenti. De familia Me dicea, quoniam res ità fert, nonnihil hoc loco dicemus. Inprimis nu merantur Sylueſter, Auerardus, Ioannes, qui patricij Florentini fue runt: Coſmus uerò ſplendorem ei familiæ primus omnium dedit, non ſuæ tãtùm ciuitatis, uerùm Italiæ quoq; totius longè ditiſsimus. huius filius Petrus genuit Laurentium & Iulianum. huic natus eſt fi lius poſthumus, Iulius, qui deinde fuit Clemens ſeptimus, tametſi de natalibus eius non eadem eſt fama. Laurentio nati ſunt Petrus, Iulia nus, Ioannes. hic demum factus eſt pontifex, Leo decimus: Iulianus non reliquit liberos: Petrus, eiectus Florentia, & tempeſtate demum ſubmerſus in oſtio Liris, filium habuit Laurentium. Is in matrimo nium duxit, è familia Bolonica, Gallam, ex eaq; ſuſcepit hanc, de qua loquimur, Catarinam. Commoratus Maſsiliæ Clemens per men ſem & amplius eò, prius, quàm domum rediret, in gratiam regis at que procerum, quos regi charos eſſe uidebat, cardinales quatuor crea uit, Gallos, Odetum Caſtilionæum, Philippum Bolonicum, Clau dium Gifrium, Ioannem Venerium, epiſcopum Lexouienſem. Quin ad ſtatus Italiæ mutationem hæc affinitas pertineret, nemo ferè dubi tabat, & mirabantur plærique diſparitatem coniugij: ſed & Clemen tem ſubdubitaſſe, neq; prius credidiſſe ferunt rem agi ſeriò, quàm in complexus illi ueniſſent. Menſibus aliquot pòſt, Lantgrauius ad Galliæ regem Franciſcum proficiſcitur. Eius autem rei hęc cauſa fuit. Anno ſalutis decimo nono ſupra mille, quingentos, Vlrichus prin ceps Vuirtembergicus ditione ſua pulſus fuit & eiectus à Sueuici fœ deris ſocijs, cùm Rutelingam, oppidum Imperij, confœderatum ipſis, nuper cepiſſet. Eam deinde prouinciam Cęſar, ab illis, pòſt, Ferdinan dus frater à Cæſare, cum hereditas diuideretur, eſt conſecutus. In Au guſtæ uerò comitijs principes quidam intercedebant, ut Vlrichus, qui iam in undecimum annum exulabat, reſtitueretur: ſed id fruſtrà fuit, & Cæſar, repetitis ab initio cauſis, quamobrem fuiſſet profliga tus, ornamenta ſolennia principatus fratri ſuo tũ publicè conferebat. Lantgrauius ergò, qui magna neceſſitudine & propinquitate coniun ctus erat Vlricho, cogitabat illo ipſo tempore aliquid moliri, ſed à nonnullis, qui ſuam operam erant polliciti, deſtitutus, ad commodio rem occaſionem rem diſtulit: & nunc, per abſentiam Cæſaris, cùm e tiam hoc ipſo tempore, Sueuicum fœdus, in annos undecim antea fa
M.D.XXXIIII. ctum, diſſolueretur, Galliam petit, & agrum Mompelicartum, regi,

pro

pro certa pecuniæ ſumma, nomine Vlrichi principis, oppignorat, ea lege, niſi intra tertium annum ille luat, ut tum ſit regni Galliæ hæreditarius: præter eam pecuniam rex quoq; mutuò ſe daturum promiſit alteram ſummam, facta ſpe, non repetitū iri. Hoc tēpore, maxima rerū eſt facta per Angliam immutatio, quod ſic accidit. Angliæ rex Henricus ſeptimus, duos habuit filios, Arturum & Henricū. Arturus in matrimonium duxit Hiſpaniæ regis Ferdinandi filiam Catarinam, mortuus non relictis liberis. Henricus pater, qui cuperet neceſſitudinem hanc perpetuari cum Hiſpanis, Iulij Secundi, pontificis permiſſu, Catarinam alteri filio tradi curat, quem deinde regni ſucceſſorem habuit, mortuus anno ſalutis humanæ M. D. IX. Henricus igitur, eius nominis octauus, quum à morte parentis eam duxiſſet, poſt complures annos, in regno iam ſatis confirmatus, epiſcopis aliquot animi ſui ſcrupulum proponit, & in deliberationem adducit, an legitimum ſit cum ea, quæ fratris fuiſſet uxor, matrimonium, & multos menſes à congreſſu uxoris abſtinuiſſe dicitur. Epiſcopi priuatim agunt ipſius mandatu cum regina, & pontificis diploma non eſſe idoneum atque ſyncerum dicunt. Illa, nunc ſerò cognoſci de diplomate, reſpondet, quod olim approbarint. Cunq; res tenderet ad iurgium, imploratum eſt Romani pontificis Clementis auxilium. Abortierat aliquoties illa, neque fœtum ullum edidit diu uitalem, præter unam puellam, Mariam. Pontifex cauſam delegat duobus cardinalibus, Campegio, quem in Angliam miſit, & Eboracenſi. Poſt multam diſceptationem, cùm regi facta ſpes eſſet ex urbe Roma, fore, ut ſecundum ſe iudicaretur, Campegius, in ipſo propè ueſtigio futuræ iam iudicationis, monitu pontificis, tergiuerſari cœpit & procraſtinare. cuius quidem rei cauſam fuiſſe dicunt, quòd per interitum Lautrechi ducis & extincti circa Neapolim exercitus, & propter Andreæ Auriæ defectionem, quæ in illud tempus incidit, pontifex exiſtimaret, Cæſarem, Catarinæ nepotem è ſorore, cui per Italiam omnia fœliciter euenirent, non eſſe temere offendendum. Itáque Campegius, nulla re perfecta, non ſine maxima regis offenſione tandem diſcedit. Rex autem, ne quid temere uideretur agere, miſſis internunciis, per Galliam, Italiam, Germaniam exquirit theologorum ſententias, & Pariſienſes quidem uidebantur approbare, non ſine largitionis opinione, ſicut alij plærique. Cæterùm, erat in gynecæo reginæ uirgo quædam eximia pulchritudine, Anna Boleina: hanc rex adamare cœpit, nec obſcurè ſignificabat ſe illam ex-

petere sibi coniugem. Hoc ubi cardinalis Eboracensis animaduertit, regi familiarissimus, quem authorem fuisse diuortij dicunt, mutat propositum, & datis ad pontificem literis, monet, ne diuortium approbet: nam alioqui futurum, ut Catarinæ succedat altera, quæ Lutheri sit infecta dogmate. Quod ubi rex, per legatum suum, qui tunc Romę erat, accepit, magnopere fuit offensus, & aliquantò pòst, Eboracensi, qui & regni Cancellarius erat, & treis obtinebat episcopatus, primò magistratum abrogat, deinde binos episcopatus adimit, & tandem, cùm ille priuatam uitam agens domi suę, uoces quasdam emitteret insolentiores ac uindictæ studium præseferentes, mandat, ut dimissa familia, non magno cum comitatu ad se ueniat. Sic ille, cùm aliter non posset, in uiam sese dat, sed in itinere, prius, quàm ad regem perueniret, cùm ex animi ægritudine in morbum peracutum incidisset, uitam finit. Pontifex autem, ut discedendi causam aliquam Campegius haberet, litem ad se reuocarat, & quòd Annæ coniugium sibi perniciosum esse futurum uideret, regem subinde monet, ac minis etiam territat, ut ab instituto desistat: Cùm nihil proficeret, in gratiam Cęsaris, secundum Catarinam pronunciat, huius anni mensis Martij die XXIII, quum rex ante annum, Catarina repudiata, & Maria filia pronunciata illegitima, duxisset alteram. Vbi sententiam contra se latam esse cognouit, grauissimum odium in pontificem concipit, & continuò decretum facit, quo se, per Angliam, ecclesiæ caput, proximum à Christo, pronunciat, & pontificatum planè projicit, & capitis pœnam constituit, si quis episcopo Romano suprematam potestatem ascribat: tributum etiam annuum, Romani pontificis quæstori dari solitum, denegat, & ne qua pecunia Romam deinceps deferatur, grauissimis uerbis edicit, & hęc quidem omnia, de senatus ordinum regni, quod parlamentum uocant, assensu. Galliæ rex Franciscus, putatur non minimum attulisse momentum ad hoc diuortium, ut sic illum ab amicitia Cęsaris totum auerteret. Quod de tributo diximus, sic habet. Inas, Britanniæ rex, ad annum salutis D.CC. XL, opinione religionis ac pietatis, regnum suum pontifici Romano uectigale fecit, ut quidem memoriæ proditum est, & in singulas domos imposuit singulos numos argenteos. Itáq; pontifices deinde suos habebant ibi quæstores, qui stipendium hoc quotannis colligerent. uulgò uocabant diui Petri denarios. Cunq; inde ab eo tempore, ad hanc ætatem usq;, Britannia Romanis episcopis eam pecuniam dependisset, Henricus, omnium primus inhibuit amplius eam

persolui.

perſolui. Quomodo ſcriptis aduerſarijs egerint Lutherus et Eraſmus de libero arbitrio, dictum eſt libro quarto: ſed hoc anno recruduit ſimultas, & Lutherus per occaſionem epiſtolæ cuiuſdam amici, grauiter incuſat Eraſmum, quaſi religionem Chriſtianam in dubium uocet, rideat & contemnat: adductis etiam aliquot ipſius lucubrationum locis, demonſtrare illud conatur, & in ſcribendo flexiloquum eſſe docet, & eloquentia ſua tyrannidem quandam exercere dicit, & quoniam in rebus diuinis ad eum modum ludat uerbis ambiguis, cùm apertius loqui poſſit atq; debeat, aduerſus ipſum interpretanda eſſe omnia contendit. Huic deinde ſcripto reſpondet Eraſmus, & aſperè quidem. nam omnium rerũ maximè timebat, ne gratiam & authoritatem amitterent ſua ſcripta. His ferè diebus monachi Franciſcani cruentum ac funeſtum ediderunt ludũ in Gallijs, Aureliæ. res uerò ſic habet. Prætoris uxor eius urbis, teſtamento cauerat, ut ſine pompa ſepeliretur atq; ſtrepitu. Cùm enim è uita quis exceſſit in Gallijs, præcones funebres, ad hoc conducti, per urbis loca frequentiora circumeunt, & cymbalis excitato ſono multitudinẽ conuocant: deinde nomen eius qui deceſſit atq; titulos, edunt, et hortati populũ, ut pro mortuo Deũ precentur, quãdò ſit et ubi ſepelien dus, pronunciant. Cùm autẽ funus defertur, adhiberi ſolẽt plerunq; monachi mendicãtes, & multa preferuntur luminaria. certatim iſta fiunt, & æmulatione quadam, & quo magnificentior eſt apparatus, eò maior eſt populi concurſus & admiratio: ſed ea, quam dixi, fœmina, nihil earum rerũ ſibi fieri uoluit. Maritus ergò, qui coniugis memoriam diligeret, morem ei geſſit, & Franciſcanis, quorum in templo ſepulta fuit iuxta patrem & auum, muneris loco dabat ſex tantùm aureos, cùm illi multò ſperaſſent maiorẽ prædam. Et cùm deinde ſyluam cæderet atque diuenderet, petentibus illis ligna ſibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc ualdè grauiter, & cùm antea minus illum probarent, ulciſcendi rationem hanc excogitabant, ut dicerẽt ipſius uxorem in ſempiternũ eſſe damnatam. Architecti erant huius tragœdiæ Colimãnus et Stephanus Atrebatenſis, ambo theologi doctores, & ille quidẽ erat exorciſta, totúmq; ſuum apparatum, in eiuſmodi rebus adhiberi ſolitum, habebat in promptu: rem uerò ſic adminiſtrant. Nouicium quendam adoleſcentem ſupra teſtudinẽ templi collocant: is intempeſta nocte, cùm ad demurmurandas preces illi more conſueto uenirent, magnum excitat ſtrepitum: adhibentur adiurationes & exorciſmi: ſed nihil ille proloquitur: iuſſus edere

signum, quo declaret, num sit mutus spiritus, denuò tumultuatur & perstrepit: id erat loco signi. Eo iacto fundamento, ciues aliquot, & celebres quidem ac ipsorum studiosos adeunt: narrant sibi triste quiddam accidisse domi, neque tamen quid rei sit, exponunt, sed rogant, ne grauentur adesse nocturnis precibus. Cùm hi uenissent, & precationum esset factum initium, ille de superiori loco turbam excitat. rogatus quid uellet, & quis esset, significat non sibi licere loqui: iubetur ergò per signa respondere ad interrogata. foramen autem erat factum, per quod, admotis auribus, exorcistæ uocem haurire poterat & intelligere: deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, sic ut infrà posset exaudiri. Primùm itáque rogatur, num sit ex eorum numero, qui sint ibi sepulti? postea multis ordine recitatis nominatim, quorum erant ibi corpora condita, uenitur tandem ad uxorem prætoris: ibi dato signo, se spiritum eius esse demonstrat. An sit damnatus, & quónam suo merito seu delicto? num propter auaritiam, aut libidinem, aut superbiam, aut non præstitam charitatem, an uerò propter nuper natam hæresim & Lutheranismum? deinde, quid sibi uelit illo strepitu & inquietudine? num ut corpus, loco sacro sepultum effodiatur, alióque transportetur? Ad hæc omnia, sic ut iussus erat, per signa respondet, quibus aliquid uel affirmabat uel negabat, prout bis aut ter tabulam feriret. Cùm autem & suæ damnationis causam esse Lutheranam hæresim, & effodiendum esse corpus significaret, monachi petunt à ciuibus quos adhibuerant, ut ijs, quæ coràm uidissent, dent testimonium, & actis, quæ iam erant confecta superioribus diebus, subscribant. Hi, re deliberata, ne prætorem offenderent, aut molestiam sibi crearent, id facere recusant: illi nihilominus panem azymum, quem uocant hostiam & corpus domini, cum reliquijs omnibus diuorum aliò transferunt, & Missas ibi suas peragunt. quod lege pontificia fieri solet, cùm locus aliquis propter infamiam & prophanationem est expiandus. nam certa quædam eius rei capita sunt ipsorum comprehensa libris. Episcopi autem uicarius iudex, officialem uocant, ea re cognita, ut propius omnia cognosceret, uenit eò, comitatus honestis aliquot uiris, & exorcismos fieri se præsente iubet, ac deligi nonnullos petit, qui supra testudinem ascendant, & uideant num spectrum aliquod appareat. Ibi Stephanus Atrebatensis admodum repugnat, & ualde dehortatus ne fieret, aiebat non esse turbandum spiritum:

Et

Et quanquam is, quem dixi, uicarius multum instabat ut adiuratio nes fierẽt, tamen impetrare nihil potuit. Interea prætor, ubi reliquos iudices urbanos, quid fieri uellet, docuisset, ad regem profectus, rem omnem commemorat. Et quia suis priuilegijs ac immunitatibus freti, iudicium monachi declinabant, rex è senatu Parisino deligit, qui de causa cognoscant, ijsq; plenam potestatem attribuit. facit idem cancellarius, Antonius Pratensis, cardinalis & legatus per Galliam pontificius. itaque, cùm nullam haberent exceptionem rei, traducti Luteciam coacti sunt respõdere: sed nulla potuit ab eis exprimi confessio. positæ singulis erant custodiæ separatim, & nouicius quidem tenebatur in ædibus Fumæi senatoris, ac sæpe solicitatus nihil uoluit fateri, metuens, ne pòst interficeretur ab illis, ob inustam ordini maculam & factam ignominiam: sed cùm iudices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent ut in ipsorum potestatem minimè rediret, totam actionem ordine recenset, & adductus ad illos, idem affirmat. Illi, quanquam erant conuicti, & in ipso propè maleficio deprehensi, recusabant tamen iudices, ac priuilegia sua iactabant: uerùm id frustrà fuit, & de communi consilio lata sententia damnati sunt, ut Aureliam reducti & in carcerẽ conditi, publicè deinde producerentur ad primarium templum, & ad eum urbis locum, ubi supplicia sumuntur de maleficis, atque ibi suum scelus ipsi profiterẽtur. Sed his ipsis ferè diebus incidit in Lutheranos persecutio, sicut infrà dicemus. quæ res in causa fuit, quò minus ea sententia, licet admodum lenis pro tanto flagitio, ueniret in executionem. Nam quia Lutheranorum nomen erat odiosissimum, metus erat, ne, si quid grauius fieret, non tàm illis debita persoluta pœna, quàm ordini facta putaretur iniuria: & quicquid eis accideret, Lutheranis id iucundissimum fore spectaculum plærique iudicabant. Franciscanorum autem ordo magnam habet ad uulgus opinionem sanctimonię: & quũ illi iam damnati Lutecia deportarentur Aureliam, fœminæ quædã, impulsæ misericordia, multis cum lachrymis atque suspirijs, ad portam eos usque sequebantur. Vbi uenissent Aureliam, in singulos carceres abducti, rursus immunitatem ac priuilegia sua iactabant, & tandem post diuturnam custodiam, nulla grauiori pœna mulctati, ac soluti uinculis euaserunt. Dum essent captiui, nihil eis deerat, & tàm ad uictum, quàm ad comparandũ patrocinium atque gratiã, abunde subministratum eis fuit, à fœminis præsertim. Nisi persecutiones illę, quas attigimus, & incendia rem impediuissent, constituerat rex,

ut quidem terebatur, ædificium illorũ omne diruere ac æquare solo.

Cæterùm, in regno pontificio creberrima solebãt esse spectra. nam demortuorũ spiritus, ut credebatur, tumultuãtes à funere, quamobrem uel essent damnati, uel ad tempus, igni purgatorio, sicut uocant, affligerentur, exponebant, & proximos agnatos uel amicos, ut miseris opem ferrent, solicitabant. Frequens autẽ erat, ut aut uota, quæ diuis fecissent, persolui, uel pro sui liberatione, missarũ aliquem certum numerum atque sacrificia fieri postularent. Ea res & opinionẽ purgatorij mirabiliter auxit, & missis authoritatem summã conciliauit, & sacrificis erat supra modum quæstuosa: sed postquam innotuit & aliquid roboris assumpsit Lutheri doctrina, paulatim euanuerunt eiusmodi spectra. Docet enim Lutherus è sacris literis, mortuorum animas quiescere, & iudicij diem supremum expectare: turbas autẽ illas atque strepitus formidolosos & phantasmata, per Sathanã excitari dicit, qui nullam prætermittat occasionem, ut impios cultus & falsas opiniones in animis hominum confirmet, & Christi seruatoris nostri beneficium extinguat. / Lantgrauius, ubi cum Galliæ rege pepigisset, primo uere copias cõscribit, & tunc demùm datis ad Ferdinandum regem literis, quibus facti sui rationem explicabant ambo, cùm Ferdinandus interim ad iuris atque legum disceptationem, causam reijceret, exercitum educunt, & Maij die decima tertia, cùm in copias hostiles, qui erãt ad duodecim millia peditum incidissent, emissis tormentis, in fugam illos conijciunt, prope Laufenum oppidum agri Vuirtembergici. Ferdinandicis præerat Philippus princeps Palatinus, qui machina uulneratus in eo conflictu, calcem pedis amisit. In fuga, quàmplurimi, cùm in Neccarum flumen sese præcipitassent, perierunt. Eo facto, plæricq; omnes per agrũ Vuirtembergicum, in Vlrichi principis potestatem redeunt: Aspergum, altissimo et singulari monti superimpositum, item Vrachũ, Tubinga, Nipha, loci natura munitæ arces, tandem & ipsæ deditionem faciunt. Calendis Maij Ferdinandus euulgato scripto mãdauerat, ne quis illorum factioni sese coniungeret, sed ut omnes, pro sua quisq; uirili resisterent, & protestantibus ea de re sigillatim scripserat: Cæsar etiã in eandẽ sententiam aliquot antè diebus edixerat, et publicè quidem nemo suppetias illis tulit, & erecti erant omnium animi, quorsum hic motus tandẽ exiret. Sub huius belli tempus, archiepiscopus Moguntinus & Saxoniæ princeps Georgius, Lantgrauij socer, agebant de reconciliatione Ferdinandi regis & Saxonis electoris, &

Cadami

Cadami demum, quod est oppidum Bohemiæ, Junij die penultimo pacem faciunt his conditionibus. religionis causa uis nulla fiat, neq; lis ulla forensis moueatur, & ea pax, quam Cæsar fecit, seruetur: Ferdinandus efficiat loco Cæsaris, ut Cameræ iudicium ab omni supersedeat actione contra protestantes, in quibus tamen nec anabaptistæ, nec sacramentarij nec id genus aliæ sectæ sint comprehensi: Saxoniæ princeps atque socij Ferdinandum agnoscant pro Romanorum rege, titulúmque tribuant: Ferdinandus inuicem hoc apud Cęsarem & reliquos electores efficiat intra certum tempus, ut decretū eiusmodi fiat. cùm tempus olim incidet creandi Romanorum regis, uiuo Cæsare, ut tum principes electores antè conueniant, & deliberent num iustæ sint & idoneæ causæ, & si appareat, tum demum ex formula legis Carolinæ pergant: quod secus factum fuerit, irritum sit: hoc uerò decretum nisi fiat intra decimum mensem, Saxo socijque non teneantur pacto: successionem quoque Saxonis in bonis paternis & auitis, intra tempus illud Cæsar confirmet: Ferdinandus etiam det operam, ut quæ Saxoni sunt cum principe Cliuensi pacta matrimonij, Cæsar approbet. Dum his de rebus agūt, simul alteram quoque pacificationem tractant. & Saxo quidem Lantgrauij atque Vuirtembergici nomine spondet, tanquam mandatarius, ratum habituros quicquid conuenisset. Post multā actionem, recuperato iam omni agro Vuirtembergico, sic pactum fuit. Vlrichus princeps & ipsius hæredes masculi, sint Ferdinandi regis, tanquam Austriæ principis, beneficiarij, & agri Vuirtembergici possessionē ei ferant acceptum: extincta fortè familia Vuirtembergica, nec extantibus masculis, Austriaci principes eam regionem obtineant, Imperij beneficio & authoritate, cui & hoc nomine teneantur: Vlrichus Ferdinandum agnoscat pro Romanorum rege, neque fœdus ullum aduersus eum faciat: occupata per hoc bellum bona, Lantgrauius & Vlrichus restituant dominis: ad mutandam religionem neminem cogant: ecclesiasticis liberam permittant bonorum possessionem: qui uel metu uel pudore cesserunt, ijs liceat redire domum: qui uolent, his liberum sit, saluis bonis, quò uelint, proficisci: tormenta bellica, quibus munitum fuit Aspergū, Ferdinando cedant: æs alienum, quod Ferdinandus conflauit, & in rem suam uertit, persoluat ipse, quod ad regionis autem impensum est utilitatem, eo teneatur Vlrichus: in agro Vuirtembergico quæ bona dependent à Bohemię regum beneficio ac tutela,

eorum nomine Vlrichus eiúſque hæredes, Ferdinando hæredibúſque Bohemiæ regibus teneantur: Philippus Palatinus reliquique captiui dimittantur abſque precio: Lantgrauius & Vlrichus intra certum tempus ueniam petant à Ferdinãdo rege ſupplices aut ipſimet aut ipſorum legati: tunc quoque plenum ius poſſeſſionis à Ferdinando Vlrichus accipiat: Ferdinandus intercedat, ut etiam Cæſar ipſis condonet: pro ſumptu belli nihil utrobique poſtuletur: ex ijs copijs quas habent Lantgrauius & Vlrichus, Ferdinando ſuppeditent equites quingentos, peditũ uerò millia tria, qui ſumptu ipſorum è ueſtigio ad Monaſterij obſidionem profecti, Ferdinando fidem per iuſiurandum præſtent, & ſi fortè ſit opus, in treis menſes militent: Vlrichi coniunx Sabina, utatur fruatur ijs bonis, quæ nomine dotis ei conſtituta fuerunt: hanc uerò tranſactionem habeat ratã populus omnis atque nobilitas. Circumſeſſa fuit per id tempus Monaſterium urbs Vueſtphaliæ, quam occupauerant anabaptiſtæ, ut infrà ſuo loco dicemus. hanc igitur ad oppugnationẽ Ferdinandus auxilia petebat ab illis. Recuperata iam omni propè ditione Vuirtembergica, pecuniæ pars, quam Galliæ rex pactus erat in pignus, allata demum fuit: id autem non culpa regis acciderat, uerùm adminiſtri ſeu quæſtoris, qui cùm in literis obligationis aliquid deſideraret, longiorẽ interpoſuerat moram. Facta uerò pace, ac dimiſſis iam copijs, altera quoq; pars allata fuit, quam mutuò rex dare promiſit: Vlrichus autem intra finẽ anni uertentis pecuniam rependit, & Mompelicarti poſſeſſionem recuperat: mutuatam uerò pecuniam, cuius erat non exigua ſumma, rex ei dono dabat. Pacificationẽ hanc permoleſtè tulit põtificius legatus, Petrus Paulus Vergerius, & cũ Ferdinando rege, nomine Clementis expoſtulabat, quòd principes Lutheranos in amicitiam recepiſſet: Ille uerò, maioris uitandi motus atque turbarum cauſa, temporibus hoc ſe tribuiſſe, reſpondit. Cùm Vlrichus pelleretur, filius eius Chriſtophorus, erat circiter quatuor annorum puer, & initio quidem ab auunculo Bauariæ principe Gulielmo, tutore, fuit educatus, deinde traductus Oenipontem, Ferdinandicæ ditionis oppidum: cúnque Cæſar, domum reuertente Turca, ſicut antè diximus, in Italiam rediret: ille, iam antè ſolicitatus & edoctus à ſuis propinquis atque neceſſarijs, diuertit ex comitatu Cæſaris, inque uicinam Bauariam peruénit. Nam, cùm ſolus eſſet hæres, hoc fuiſſe conſilium putatur, ut ad exteros abductus, fieret ordinis eccleſiaſtici: ſed reſtituto parente, profectus in Galliã,

regis

regis clientelæ seſe dedit. Rebus pacatis, Lantgrauius XXI die Iulij dat literas ad Cæsarem, in Hispaniam missо tabellario, & factæ pacis conditiones perscribit, & sibi atque Vlricho principi condonari petit, & omnem in posterum obsequentiam ipsi ac Ferdinando regi, tum suo, tum Vuirtembergici nomine pollicetur. Ad ea Cæsar calendis Septembris, Valentiæ, per epistolam respondet. de re tota se iam antè ex fratre Ferdinando cognouisse: quid etiam suæ sit mentis, ad illum scripsisse, & iam quoque missо legato nunciare: futurum igitur, ut ex eo, de sua clementia studióque pacis intelligat: deinde monet, ut quæ uerbis pollicetur, ipsa re declaret, & obsequentem seſe præbeat, & à turbulentis omnibus abstineat consilijs.

Bello durante Vuirtembergico, Mediolani princeps Franciscus Sfortia II, in matrimonium ducit Christinam, Daniæ regis captiui Christierni filiam, Cæsaris è sorore neptem. Galliæ rex bellum ei facturus erat: sed mors Clementis septimi, quicum fœdus antè fecerat, uti diximus, moram & impedimentum intulisse putatur. nam is diuturno stomachi uitio sublatus, quum uictus rationem suasore medico Curtio mutasset iam senex, ad exitum ferè Septembris decessit, & successorem habuit Paulum tertium, Farnesium. qui non multò pòst, Alexandrum, ex filio notho Petro Aloisio, ualde adolescentem, & Ascanium, ex filia notha Constantia nepotem, creat cardinales. Vergerium deinde uocat ex Germania, déque statu regionis cognoscit, & cum cardinalibus deliberat, quomodo sit impediendum nationis concilium interea, dum occultis consilijs ad arma Cæsar alijq; reges excitentur. placuit tandem in Germaniam esse remittendum Vergerium, qui generale, sicuti uocant, concilium promitteret, idque daret operam, ne quid astutè uel captiosè fieri putaretur, quod Clementi nimirum acciderat, útque profectus ad omneis principes, Mantuæ futurum concilium, ac ibi de conditionibus agendum esse diceret: inprimis autem attenderet, quam uellent actionis esse formam protestantes, ut ea perspecta, modum eis deinde præscriberet atque leges, quibus minimè uenturos esse sciret. Mandauerat etiam, ut principum animos in Angliæ regem accenderet, cuius ditionem omnem in prædam dare cogitabat occupanti: uideret præterea, num qua ratione possent Lutherus atque Melanchthon ab instituto dimoueri. Delecti quoque fuerunt cardinales aliquot & episcopi, numero ad nouem, qui formulam aliquam emendationis ecclesiasticæ conscriberent. ea tandem

exijt in manus hominũ, ut suo loco dicetur. Ferdinandus rex author fuerat Paulo, remittendi Vergerij, quòd eum inprimis idoneũ esse diceret ad munus illud fœliciter obeundum. Erat hoc tempore Venetæ reipublicæ dux, Andreas Grittus, maximæ uir dignitatis, ob eximiam prudentiam usúmque rerũ. Huic, quo tempore Byzantij uixit, natus est filius nothus, Ludouicus, qui teneris ab annis educatus ibi, quum ingenio ualeret, ac industria singulari summas parasset opes, & liberalitate sibi multos adiungeret, aulicis primùm, deinde per Ibraimum, uirum prætorium, qui tunc solus omnia poterat, Solymanno sic innotuit, ut ad priuatũ etiam admitteretur colloquium. Hac usus tempestate secunda, de uoluntate beneficióq; Solymanni, maximo cum apparatu atque splendore uenit in Vngariã, ut Illyrici partem illam, quæ Venetorum est proxima finibus, teneret, Vngariæ uerò partem inferiorem, cuius est caput Belgradum, Turcarũ Cęsari custodiret. Erat ei filius Antonius episcopus Quinqueclesiensis: eum Clemens pontifex, in patris auíque gratiam cogitabat adiungere numero cardinalium: sed ecce, dum regnũ sibi Ludouicus pollicetur, & in summa est omnium expectatione, pater etiam hoc tanto filij successu plurimùm gauderet, per occasionẽ simultatis atque factionis, in eum excitatæ, comprehensus ab aduersarijs & capite mulctatus fuit, eo ferè tẽpore, quo Clementi successit Paulus. Interea per Galliam nouus oritur motus in eos, qui de Lutheranismo erãt quoquo modo suspecti, cuius quidem rei hæc erat occasio. Lutetiæ Parisiorum, & alijs quibusdam in locis & in ipso regis palatio, ferè eodem tempore, noctu, chartæ quædam fuerunt affixæ, in quibus de religione déque Missa cumprimis, multa erant perscripta: mox inquiri cœptum est ac inuestigari, & per indicium nonnulli, quidam uerò per suspitionem comprehensi, habita quæstione, uiui cremantur, horribili sanè spectaculo. Nam ad machinam alligati, & in altum sublati, deinde in ignem è sublimi demissi, & rursus adducti, carnifice demum abscindente funem, in subiectam flammam corruebant: ijs etiam, qui paulò uidebantur eruditiores, antequam producerentur, lingua resecta fuit, ne uel supplicij causam, uel suæ doctrinæ summam ad populum explicarent. Erat autẽ huius rei perquam idoneus administer, Ioãnes Morinus, propręt or. etenim, ut sagacissimè nouerat eos odorari & peruestigare, de quibus erat aliquid suspitionis, ità etiam, cùm deprehendisset, in irrogandis pœnis atque supplicijs omnem prope sensum humanitatis exuebat.

Prodijt

Prodijt nihilominus hoc tempore libellus, authoris incerti, Gallica lingua conscriptus in pontificios mercatores atque caupones, facetus quidem, sed serius & grauitate conditus. Ac primò quidem, inquit ille, mercatura, uitæ genus est & exercitium, non illiberale nec inutile reipublicæ, modò fraus absit & auaritia. Nam Christus ab hoc hominum genere similitudinem sumpsit, quando iussit exerceri talentum acceptum, ut fieret fructuosum. qui quidem locus est intelligendus mystice: pastores enim & ecclesiæ ministros nihil minus decet, quàm uel ulla suspitio sordidi quæstus. ueruntamen Deus, hominum sceleribus offensus, in ecclesiam suam inuadere permisit atq; grassari, non solum mercatores prædiuites & amplos, uerumetiam fures. Quis enim non furem esse dicat eum, qui uel alienam uel adulterinam mercem, pro sua, próque syncera diuendit? an non emptor pulchrè decipitur? Sed hoc nobis iam olim accidit: nam loco pastorũ insinuarunt se lupi supra modum rapaces. & quanquam nullius ingenium aut lingua satis explicare possit illorum artes omneis, tamen nonnullas attingam. Negociatores igitur hi, de quibus loquimur, callidi sunt supra modum, suamq; mercaturam sic amplificarunt, ut nullus omninò sit locus uel angulus, quem non suis repleuerint tabernis: & hæc quidem omnia, specie quadam simulata sanctimoniæ. Vestitu uerò differunt à reliquis, & sunt plærique raso uertice: nec enim ulli, qui non magnæ illius bestiæ characterem habeat & insigne, mercaturam exercere conceditur: hi soli uendunt, reuendunt, permutant, & quidem omni tempore. Nam cæteri mercatores, diebus festis, præsertim celebrioribus, planè cessant: deinde, plærique sectantur & exercent unum aliquod mercaturę genus. Aut enim lanam, aut sericum, aut frumentum, aut uinum, aut pecora uel metalla distrahunt: hi uerò nullum anni tempus intermittunt, & omnis generis merces tractant, nihilq; est, quod ipsorum manus effugiat, non uiri, non mulieres, non infantes, tàm nati, quàm nascituri. quæstum enim faciunt ex omnibus rebus in uniuersum: seruit ipsorum cupiditati cælum, infernus, terra, tempus ipsum & omnes planè creaturæ, tum animatæ tum inanimes, uinum, panis, oleum, linum, lac, butyrum, caseus, aqua, sal, ignis, fumigationes. Ex his inquam rebus omnibus norunt elicere aurum & argentum, incredibili sanè cum populi dispendio, tum fortunarum, tum animæ cũ primis, uitiata nimirũ & prorsus extincta uera de Deo doctrina. Quid? est ne subtilis cuiusdam artis, uendere aliquid, & carè quidem,

unde nihil ad emptorem perueniat, pręter ſolum aſpectū rei uenditę? Mercatores alij, quandò ſuas merces exponunt, prouerbio dicere ſolent, exhibitæ rei conſpectum eſſe gratuitum, & omnibus cōmunem: hi uerò noſtri longè ſecus faciunt. Decedit quiſpiam è uita: mox tibi pręſto ſunt, rogant, uelíſne mortui corpus ad ſepulturam deferri, ſtragula honeſtiori contectum, an ſordidiore uel mediocri? uelíſne crucem elegantem, an uerò minus pulchram antè ferri? nam prout deleggeris, dandum erit precium. Obſecro te, quid habes, quid aufers prę ter intuitū? nam mercem oſtentatam reponūt, et poſtridie alteri tantidem uendūt. Eiuſdem eſt artificij, quòd ex mercatoris etiam ueſtitu preciū augetur: quam enim abbas decantat aut epiſcopus, multò conſtat maioris, quàm alicuius monachi ſeu uicarij, Miſſa. qua quidē in re nihil differunt à meretricibus. nam hę, quò ſunt ornatiori cultu, eò carius turpitudinem ſuam uendunt. Huc pertinet, quòd eandē rem, eodem temporis puncto, pluribus diuendunt in ſolidum, & quidem inſcijs emptoribus, præſertim, ijs locis, ubi maior eſt hominū frequentia. Venit ex nobilitate quiſpiam in ædem Dominicanorum, & miſſam depoſcit: annuit monachus: mox alius idem petit, & item tertius, eoęp plures. prodit tandē ille perſonatus, & miſſa peracta, pecuniam à ſingulis accipit integram. Hoccine tu nihil eſſe putas? ingenio certè res iſta non caret: ac ferè uideas, nō illis ad faciendum quæſtum aliqua maiori opus eſſe materia. nam uel ceræ particulam ſibi fructuoſam faciunt. Fortè in templum ingreditur muliercula quępiam, & cereum ante diuū aliquem affigit: adeſt è ueſtigio meus hic uenditor: corripit cereum, extinguit, & compluribus deinde alijs ordine uendit. Ceram autem plęriqp omnes exercent, tenuiores quidem, ſic ut iam diximus, maiores autem in literis atque diplomatis, cuiuſmodi ſunt qui uulgò dicuntur officiales, copiſtæ, ſigilliferi, datarij & id genus alij. Magnificus autem ille, qui cæteris omnibus præſtat, & ſanctiſſimi nomen ſibi ſumit, non quidem utitur cera, ſed mirabili quodam artificio plūbum conuertit in aurum: deinde pileos maximo uendit, præſertim purpureos, quibus amplificati emptores, paſſim in hominum cœtu ſeſe oſtentant, & alacres per omnia loca uolitant, regumqp ferè ſectantur aulas, & maximis fruuntur prerogatiuis. Obtinent enim, quot libet, ſacerdotia, & ſine ſumptu quidem atque diſpendio: deinde, ſunt eius ordinis, unde proximus eſt aſcenſus ad ſummum dignitatis gradum atqp ſedem. Horum exemplo, Sorboniſtæ Lutecianí ſuos etiam pileos diuendunt theologię candidatis, eorúmque ſumptu epu-

ptu epulantur splendidissimè. Sed hic scire uelim, quando quidem Ioannem eius nominis octauum, fuisse fœminam, & tertio pontificatus anno filium peperisse tradunt, scire inquam uelim, primùm, an spiritus sancti numine fuerit electa: deinde, num eius acta debeant haberi rata, quandò uidelicet aut cardinalatus aut episcopatus aut abbatias uendidit: postremò, quid sentiendum sit de charactere sacerdotali, quo fuit insignita: Sed ad institutum redeo, quod eò pertinet, ut ostendam, hoc negociatorum genere nihil esse magis astutum aut captiosum in orbe terrarum. An non uidemus, quemadmodum Imperia, regna, prouincias, urbes ac possessiones amplissimas ad se traduxerint: an non sæpe reges principesq; uiros redegerunt in ordinem, & spoliatos rebus omnibus in summas coniecerunt angustias: Nunc autem eò potentiæ deuenerunt, ut hæc omnia ui possideant, & cælum terræ misceri potius uelint, quàm pati sibi quicquam auferri. O lupos insatiabiles: quàm accuratè uos depinxerunt multis antè sæculis, tum prophetæ, tum apostoli, Paulus inprimis atq; Petrus. Negociatores reliqui neminem adigunt ad suarum mercium emptionem: hi uerò cogunt inuitos, ut emant, & si quis recuset, hæreticum esse clamitant. Moritur quispiam re ualde tenui, relictis liberis & uxore: lamentabilis nimirum casus, & uidua mulier liberalitate aliqua meritò subleuanda: quid autem isti: non modò non miserentur, sed mox ad prædam oculos adijciunt, & demurmuratis cantionibus atq; missis, epulum ac pecuniam deposcunt. Quid autem est iniquius, quàm uendere rem non suam, imò uendere ijs, ad quos ea propriè pertinet, & quidem compluribus rem unam: Cedo, campanas quis fieri curauit atq; cõflari: solum & area templi ad quem, obsecro, pertinet: num illorum est patrimonium: minimè: cur igitur sonitum campanæ, cur solum alienum tam carè, tanq; sæpe diuendunt: Dicent, opinor, hoc esse ius ecclesiæ. fateor: sed non eius, quam Christus lauit, instituit, sanctificauit, uerùm eius, in qua uersantur ipsi, quæ furtis, rapinis & omnis generis est accumulata flagitijs. Nam Christus iubet hæc omnia conferri gratis. Periucundum est autem & elegans ualde spectaculum, uidere decertantes inter se uultures de cadauere. Cùm enim aliquis re lauta decessit è uiuis, mox illi conuolant, & in prædam pro se quisque totis uiribus incumbunt, hi præcipuè, qui uulgò nomen habent à mendicitate, monachi. Nam Franciscani cum Dominicanis, Carmelitæ uerò cum Augustinensibus non rarò digladiantur, condendi corporis atq; sepulturę causa: genus hominum uidelicet igna-

uum, iners, & non inutile modò, sed etiam graue cumprimis, & meritò pellendum è republica. Hæc quæ dico, negari non possunt, & palàm conspiciuntur, & tamen sic infatuati sunt miseri mortales, ut, quo ducantur illi spiritu, non intelligant. Cùm sacerdotium aliquod uacat aut præfectura, Deus bone, quæ solicitatio, qui concursus, quàm diligens inquisitio de prouentibus annuis, quid absenti, quid præsenti conducat: quantum ex infantium baptismis, ex matrimonijs, ex diuorum, quas uocant, reliquijs, ab anniuersarijs exequijs, è sepulturis, ex legatis atque testamentis corradi possit. optimum uerò est aucupium ex diuis illis, qui propter opinionem alicuius potentiæ sunt formidabiles, & tanquam Veioues conciliantur donis atque uotis. Quid ad ista tam nefaria & impia conniuetis uiri principes? cur tantam indignitatem, tàm patienter, tàm longo tempore dissimulatis? Recusant illi quidem uestram cognitionem: sed tamen habetis in ipsos reuera, uelint, nolint, imperium: Vobis enim à Deo traditus est gladius & cohercendi potestas: quin eam exercetis igitur, & in raptorum genus hoc immanissimum uindicatis? Requirit hoc à uobis officium Deus, & neglectum non dimittet impunitum.

Vtinam in eius celebranda gloria tàm sitis uigilantes & excitati, quàm sunt hi suis in negocijs tractandis. nec enim ullam prætermittunt occasionem: stant in perpetuis excubijs uigiles & erecti, nec minus oculati, quàm Ianus pater aut Argus. Quòd si campanæ sonitus alicubi exauditur, mox illuc accurrunt: si quis locupletior ægrotet, ingerunt sese, neque discedunt nisi ablata præda: si nuptiæ peragantur, adsunt, & super thoro geniali suas preces expediunt, casti scilicet homines ac inprimis temperantes, qui in turpissimo cœlibatu uiuunt, ut eò licentius in omni nequitia bacchentur. Cæterum, quod de istis diximus, ad mercatrices quoque pertinet, quarum non unus est ordo: moniales & nonnæ uulgò dicuntur. Omnis autem ista colluuies, dici non potest, quantam & quam fœdam inuexerit idolatriam. Exurge tãdem Deus, & nominis tui gloriam, in cuius societatem nemo uenire debet, ipse uindica. Quum eius, quam dixi, lanienæ factum esset initium, Nouembri mense, Luteciam rex Ianua-
M.D.XXXV. rio pòst uenit, & placandi numinis diuini causa, supplicationem facit ad templa diuorum, incredibili hominum studio atque concursu. Colitur Lutecię Geneuefa uirgo, propè supra omneis alios diuos: huius quoq; simulacrum in illa pompa gestatum fuit. quod non nisi durissimo tempore fieri consueuit, cùm uel expiatur ultio diuina, uel

summis

ſummis copijs præliandum eſt, uel cùm ſterilitas & inopia metuitur. tunc enim ad hanc, uelut ad ſupremam anchoram, & portum uni/cum ſalutis confugitur, & uulgò perſuaſum eſt, fruſtrà nunquam eius auxilium implorari. Geſtatur autem à lanijs, ueteri conſuetu/dine, qui dies aliquot antè, ieiunijs atque precibus ad eam rem ſeſe comparant: & præſto ſunt apparitores atque miniſtri publici, qui uix magno molimine uiam patefaciunt. nam ſumma religione con/curritur ad ſimulachrũ, quandò circumfertur, & bene ſecum agi pu/tant, qui uel extremo digito, uel pileo, uel linteo poſſunt illud contin gere. Peracta Miſſa, cùm in uicina epiſcopi domo rex prãdiſſet, prę/ſentibus liberis exteriſque legatis, & omni circumfuſa nobilitate, o/rationem habuit plenam affectibus, dolorem ſuum, quem ex im/piorum hominum audacia cepiſſet & improbitate, teſtificatus: dein/de, cùm de ſua in eccleſiam obſeruantia prolixè diſſeruiſſet, horta/batur omneis, ut ab hac tàm peſtifera ſecta ſibi cauerent: nec enim ulli fore impunè, ſi quid deprehendat: &, ſi quam ſui corporis par/tem iſta contagione ſciret infectam, reuulſurum illam eſſe dicebat, ne longius ſerperet. Expiationis uerò cauſa producti fuerunt eo die ſex, qui machinis illigati, ſicut antè dictum eſt, diuerſis locis, quâ regi domum redeunti faciundum erat iter, exuſti fuerunt, illo ipſo tem/poris punctò, cùm rex præterueheretur, igni ſuccenſo, & ipſis mi/ſericordiam illius atque gratiam implorantibus. Galliæ fert con/ſuetudo, ut poſt meridiem ſumantur ſupplicia, de quibus oportet. ibi tum facto ſilentio, recitantur animaduerſionis cauſæ: cùm autem ob Lutheraniſmum, ſicut ipſi uocant, in aliquem uindicatur, ſi ui/delicet de iuſtificatione fidei, non operum, de non inuocandis diuis, de Chriſto ſolo pontifice & aduocato generis humani, uerba quis fecit, aut ſi quis fortè diebus uetitis carnem edit, nihil eiuſmodi pronunciatur, ſed generatim & uniuerſè maieſtatem læſiſſe diui/nam, & in Mariam uirginem reliquóſque diuos fuiſſe contumelio/ſus, & eccleſiæ, communis omnium parentis, decreta uiolaſſe dici/tur. itáque uulgò creditur, id genus hominibus in orbe terrarum nihil eſſe nocentius, nihil ſceleroſius: & ferè ſit, cùm iam flammis illi torrentur, ut populus etiam fremat, & in mediis cruciatibus, uelut im pios & aſpectu ſolis indignos, execretur. Cùm autem hoc ipſo tẽpo re Turcici legati eſſent in Gallijs, eoq; nomine rex in odiũ atq; ſuſpi/tionẽ uocari ſeſe per Germaniam audiret, illa quoq; ſupplicia, quæ di ximus, multos offenderent, Calendis Februarij dat literas ad Imperij

principes omneis & ordines,ac illud de Turca primùm excùſat, & ta cito nomine,quoſdam ait annis iam aliquot, ad Turcam ſubinde mi ſiſſe legatos,& ab illo inuicem accepiſſe,non conſultis ijs,quorum in tererat ſcire,quid agerent: illos nimirum non recuſaſſe ſtipẽdium at que uectigal annuum dependere Turcæ, quò peruenirent ad eum, quem animo iampridem conceperunt,dominatum:ſibi uerò,ſi quie ſcere uelit à bello,maximas à Turca proponi conditiones,uerùm eas adhuc quidem ſe repudiare ſemper, & uelle, ut cæteri quoque reges atque principes in ea pace comprehendantur: id autem quò minus fiat, in cauſa eſſe illorum ambitionem, de qua Turcarum Imperator compertum habeat, neque ferre poſſit ipſorum ſic augeſcere poten tiam,quę pòſt ipſi futura ſit inuidioſa:quòd ſi autẽ certus eſſe queat, ſuos intra fines quencp manere,nec aliena cum iniuria ſuam ditionem amplificare uelle, non dubium eſſe, quin ille remotis armis à noſtris finibus, in diuerſos & longinquiores populos impetum ſit facturus omnem:in nobis igitur eſſe poſitum,ut tàm potẽtem hoſtem ſine cę de & ſanguine remoueamus:& ſibi quidem optimũ hoc uideri con ſilium,ut pacis & induciarum ineantur cum eo rationes, hoc præſer tim tempore,quandò multis & peruerſis in religionem inuectis opi nionibus,reſpublica ualde ſit dilacerata:Quòd ſi Clementi VII. Deus uſuram lucis magis diuturnam dediſſet,diſſidium hoc omne religio nis potuiſſe componi: multum enim ſibi cum illo ſuper ea re ſermo nem fuiſſe,nec aliud quicquam tunc obſtitiſſe,quò minus concilium indiceretur, quàm quòd Cæſari promiſerat, in Italia illud habere: cùm ipſe contrà ſentiret,& quandóquidem pacata non eſſet Italia,Cę ſar etiam atcp ille copias ibi haberent, necp dum ſublata eſſet armo rum cauſa,ut in Germania concilium cogeretur,contenderet:nam ne que ſibi propter belli ſuſpitionem, necp Germanis omnibus propter diuerſam religionis profeſsionem,tutum eſſe in Italiam armatam ac cedere:ueruntamen,quod Clemente pontifice fieri non potuit, ut id Paulo III. ductore bene ſuccedat,optare ſe plurimùm. In huius dein de commendationem atcp laudem ingreſſus,ait nullum in ipſius crea tione uitium, nullam interueniſſe largitionem,nec eſſe cur ea metuat ille,quæ nonnullis metum adferre ſolent,quò minus legitimę ſeſe co gnitioni ſiſtant:et quanquam fuerit non difficile,ſuæ gentis aliquem eò promouere dignitatis,tamen ſuaſiſſe cardinalibus, qui ſuam tunc ſequebantur authoritatem,ut hunc deligerent:& cùm deinde creatus eſſet,rogaſſe per literas atcp legatos,ut loco tuto et idoneo concilium

primo

primo ſtatim tempore conſcriberet: ut itaq; bono ſint animo, neque de conciliatione religionis animum deſpondeant, hortatur: nec enim ulli ſe labori ſuo parciturum eſſe: declarent ipſi modò, quid ſe uelint apud pontificem perficere. Pòſt, alterum criminationis caput diluit, & uel contra ſuum inſtitutum atque naturam ſeuerum ſe fuiſſe dicit in homines quoſdam audaces atque facinoroſos, qui ſub religionis prætextu, reipublicæ moliebantur excidium: itáque ne longius hæc contagio ſerperet, grauiter in illos uindicaſſe more maiorum: iam uerò, ſi quis in eo numero fuiſſet deprehenſus homo Germanus, eodem loco ſe habiturum fuiſſe illum, quo cæteros: etenim, ſi qui ſuæ ditionis atque gentis in ipſorum finibus aliquid ſimile perpetraſſent, non ſe recuſare, quò minus in ipſos acerrimè uindicetur: ſed neminem eſſe repertum Germanicę nationis, affinem huic impiæ ſocietati, quod ſibi periucundum acciderit: itaque ſuum regnum atque domicilium ipſum patére Germanis, non minus quàm Gallis: huius autem obtrectationis authores id agere ſolùm, ut Galliam à Germania diuellant, aſtuto nimirum & inſidioſo conſilio, ut per diſſidium illud, & in his offenſionibus, ad optatum ipſi finem perueniant, & utriſque dominentur. Vere primo, Lantgrauius ad Ferdinandum regem proficiſcitur, ut anno ſuperiori conuenerat, integræ reconciliationis cauſa. Erat tum apud Ferdinandum, Roma nuper à pontifice reuerſus Petrus Paulus Vergerius, & per hanc occaſionem mandata ſua de concilio, ſicut antè diximus, Lantgrauio exponit: ille, ſumpto ad deliberandum ſpacio, nihil tum aliud reſpondit. Vergerius deinde, ſicut iuſſus erat, ad reliquos principes profectus, negocium ſuum agebat. Aliquot uerò menſibus poſt Lantgrauium, Vlrichus etiam princeps ad Ferdinādum regem ibat. Quod conſtitutum fuit, ut ſupplices ueniam ab ipſo peterent, id Ferdinandus, cùm ſinguli diuerſo tempore ueniſſent, remiſit. Vlrichus autem, illud, quo cautum erat, ut eſſet Auſtriacæ domus beneficiarius, indigniſſimè ferebat, eóque nomine tum Lantgrauio tum interceſſori Saxoni grauiter erat offenſus, & diu multúmque deliberauerat, an factam pacem ratam haberet, an minus. tandem perſuaſus ab amicis, ad Ferdinandum ex pacto ſeſe contulit.

Cæſar Aprili menſe Barchinone ſoluit, & in Aphricam cum exercitu profectus, cùm Tunetem urbem & arcem Goletam cepiſſet, regem eius loci Muleaſſem, Mahometanæ religionis, quem Turcicus legatus Barbaroſſa finibus eiecerat, reſtituit, ſibique

uectigalem facit, arce communita ualido præsidio, pòst, in Siciliam nauigat. Ad hoc bellum Paulus pontifex ei misit auxilio triremes aliquot instructas, Virginio Vrsino ductore, simul, ut ordini ecclesiastico per Hispaniam imperaret decumas, permisit. Barbarossa, nostrorum incuria & errore dilapsus, Hipponam, inde Argieram confugit, classémque reparauit ac Byzantium discessit. Erant in Anglia Ioannes Fischerus, episcopus Roffensis, & Thomas Morus, uterque celebris & eruditione clarus: & illius quidem multi sunt aduersus Lutherum editi libri, Morus etiam, dum regni fuit Cãcellarius, qui præcipuus est ibi magistratus, in suspectos de Lutheranismo grauiter animaduerterat. Hi neq; diuortium regis probabant, & multò minus decretum illud, quo, pontificis abrogata dignitate, profitebatur se caput esse totius per Angliam ecclesiæ: capti igitur, cùm in sententia permanerent, huius anni mense Iulio, capitè mulctati sunt. Captiuum Roffensem pontifex creauit cardinalem, eaque res odium regis amplius accendisse creditur. Sub finẽ deinde mensis Octobris, Mediolani princeps Franciscus Sfortia decedit è uita, non relictis liberis. ea res noui belli dedit occasionem, ut infrà dicemus. Interea Cæsar è Sicilia Neapolim uenit, & literis inde datis ultima die Nouembris, ad protestãtes, pacem Noribergicam seruaturum quidem, sed audire se dicit, ipsos inuadere & occupare pontificiorum bona, & cùm in iudicium idcircò uocentur, obducere pacem illam atq; transactionem Noribergæ factam, nec illos restituere: quod sibi & minus ęquũ uideatur, & non possit non esse molestũ atq; graue. Ad hoc ferè tempus elector Saxonię princeps ad Ferdinandum regem iuit in Austriam, & rebus ibi cõfectis, quarum rerum causa profectus erat, cùm Pragam uenisset, urbem Bohemiæ primariam, domum rediturus, interpellatus fuit à Petro Paulo Vergerio, quem pontifex Paulus cõcilij causa miserat in Germaniam, ut suprà docuimus. Is mandata sua refert. hoc nimirum esse tempus illud toties optatum futuri concilij: hunc enim pontificem, Cęsarem atque regem Ferdinandum, ista cogitatione & solicitudine cum primis affici, quemadmodum ad Christi gloriam & ad hominum salutem omnia cõferantur: eandem etiam cæterorum principum esse uoluntatem: pontificem quoque suos huc illuc emittere iam legatos, non quidem ad speciem, sed seriò & reuera, nec illos imitari, qui magna sæpe polliciti, diuersum ab eo quod profiterentur, egerint: ipsius autem hoc esse præcipuum & unicum propè studium, ut ad rem & actionem quàm primùm ueniatur,

ut con-

ut concilium sit pium, liberum, ad quod omnes populi conueniant: Quòd ad locum attinet, pontifici grauibus de causis Mantuam solam placere: de forma & modo futuræ actionis non esse iam, sed in ipso conuentu disputandum: ipsos iam antea semper desiderasse legitimum concilium, & placere sibi quod ea de re scriptum ediderunt: eiusmodi uerò concilium à pontifice nunc repræsentari: Cæsarem etiam atque regem nihil esse reliqui facturos ad summam in eo diligentiam: quòd si iam ipse unus recusèt, fore, ut plærique omnes putent ei nullam actionem placere: Clementem septimum aliquot proposuisse conditiones, hunc uerò, nullas: itáque pauciores nunc esse recusandi causas: Quæ sit reliquorum principũ in eo mens atque uoluntas, liquidò sibi constare: nam solicitasse omneis: pontificem sanè sic ardere totum, ut nisi perficiat, uita sit illi futura non iucunda: & sua quidẽ opinione iam esse in itinere nuncios ab illo, qui concilium indicant: nunc ergò tempus ipsum postulare, ut, quantopere gloriam nominis diuini & rempublicam amet, ostendat: si enim assentiatur, fore, ut tanto maiori cum fructu negocium tractetur: sin autem recusèt, nihilo tamen secius concilium inchoatum iri: præsentem igitur occasionem minimè omnium esse negligendam, quam uix ullo deinde tempore sit recuperaturus: ueruntamen, etiámsi nihil agat ipse, neque concilium adiuuet, ipsum tamen Christũ non esse defuturum: quòd si ampliorem etiam desideret explicationem, non se recusare. Ad ea Saxo, re cum socijs communicata, se responsurum ait, simul reliquo sermone confecto, petit, ut quæ dixisset, literis complectatur, sibíque tradat. Ille igitur calendis Decembris exhibito scripto, quædam prolixius & aliter declarat. pontificem misisse diuersos legatos ad omneis reges, concilij causa, se uerò missum ad Romanorum regem Ferdinandum et ad Germanię principes: & Cæsari quidem atque regi placere concilij locum, Mantuã: nec in eo quicquam esse noui: nam & ante biennium ità fuisse uisum Cæsari, suámq; uoluntatem misso in Germaniam legato declarasse: nec esse cur sententiam mutet, imò, cur in ea permaneat, non unam subesse causam, hanc uerò potissimùm, quòd sacramentarijs, anabaptistis & id genus alijs sectis Germania redundet, néq; sit tutum exteris nationibus eò proficisci: nam illos magna sui parte insanire, nec rationẽ ullam adhibere: quanti sit autem res periculi, eò uenire nullo cum præsidio, & ipsorũ ibi condemnare furorem & immanitatẽ, quis non uideat? Eos uerò, qui pontificem existiment à suo iure,

quod longo iam tempore sit confirmatũ, uelle discedere, plurimùm falli: qui Cæsarẽ quoq; credant, inuito pontifice, prouinciæ Germaniæ concilium habiturũ esse, frustrà sperare: nam ad concordiam nõ esse uiam aliam expeditiorẽ, quàm ut publicũ fiat & omnium populorum cõmune concilium: quod quidem etiam si nonnulli recusent, pontificem tamen esse progressurũ, omni reiecta in Christũ fiducia, cuius ibi negociũ agat: neq; uerò defuturos illi reges atq; principes, de quorũ erga tàm pium opus uoluntate compertũ habeat: Et quia re cum socijs cõmunicata se responsurũ dixerit, orare, ut id quàmprimum faciat: se nunc ad Ferdinandũ regem proficisci, atq; ibi responsum ab ipsis expectare uelle: Quod etiã de cautione et fide publica rogarit, &, si fortè sit in Italiam eundum, nõ literis modò cauendũ, sed obsides quoq; dandos esse dixerit, non sibi causam apparere, cur ità fieri oporteat: nam esse Mantuã Imperij ditionis urbẽ, uicinam Germaniæ, propinquam & Cæsaris & Venetorum finibus: ità q; nihil esse periculi: sed tamen petentibus neque Cæsarem neque sanè pontificem, quantũ quidem ipse possit atque soleat, hoc esse denegaturũ.

Paulò suprà diximus, quemadmodũ à pontifice fuerit in Germaniam remissus Vergerius. Cùm in ea legatione Lutherum quoque Vuittembergæ conueniisset, ac è Saxonia rediret ad Ferdinandum regem, in itinere Saxonẽ, ab illo reuertentem, offendit. Erat iam antea dies dictus, Decembris dies sextus, quo Smalcaldiæ conuenirent protestantes, alijs de causis: cùm autẽ hæc interim legatio superuenisset, habita deliberatione, Decembris die XXI, per literas respondẽt, quid Pragæ sit actũ, ab electore principe se cognouisse: & licet non omnes habeant in mandatis, ut agant, nec enim omnibus denunciari potuisse tàm breui tẽpore, suũ tamen hoc esse ad ipsius postulata responsum, non quidẽ tàm exactum, quàm res ipsa postulet, sed nudũ & apertum, præcipuè, quum ipse quàmprimum sibi responderi cupiat. Et primo quidẽ, quid sit ipsorũ de concilio uoluntatis, iam antea se declarasse non unis comitijs, & ante bienniũ, Cæsaris atq; Clementis VII legatis exposuisse: nam se quoq; reipublicę et communis omniũ salutis causa, legitimũ optare conciliũ, & cum reliquis principibus hoc à Cęsare flagitasse, qui & ipse iudicarit hoc esse necessarium: nõ dubitare etiã, quin omnes pij tale conciliũ requirant, quod reip. mederi possit atq; prodesse: multis enim uiris bonis dolere plurimũ, iniusta quorundã crudelitate uerã atq; salutarẽ doctrinã opprimi passim, et ecclesiæ mẽbra dilacerari, et manifesta uitia confirmari:

talem

talem uerò sæuitiam non illos decere, qui præfecti sint regendis ecclesijs: futurum etiam, nisi caueatur, ut hac agendi ratione prorsus deuastentur ecclesiæ: quapropter, si unquam aliâs, nunc maximè opus esse concilio, ut & inueterata uitia tollantur, & iniusta uis atque crudelitas coherceatur, & in posterum ecclesiæ rectè constituantur: non ergò se defuturos reipublicæ & libenter ad eiusmodi concilium esse uenturos, ut in Imperij comitijs non semel decretum sit: precari quoque Deum, ut ad ipsius gloriam et ad hominum salutem omnes conferantur actiones: Quòd uerò Mantuam pontifex delegit, omninò se sperare, Cæsarem in eo non esse discessurum ab Imperij decretis, nec à suis etiam promissis, quandò cautum fuit, in Germania cogendum esse cõcilium: nam quòd periculosum esse in Germaniã uenire, neque liberè posse ibi pronunciari dixerit, hanc ipsam nimirum esse causam, cur inprimis ibi conueniri oporteat, quò uidelicet rectè & ordine disceptentur controuersiæ, & libera sint iudicia, neque per uim aut factiones absterreantur uiri boni, quò minus liberè sententiam dicant: quid autem esse queat in Germania periculi, ubi principes omnes atque ciuitates uni Cęsari parent? ubi ciuitates ità sunt constitutæ, ut exteros ab omni iniuria defendant & magno studio conseruent? Quòd pontificem dicat, more consueto, & quantum ipse possit, uenturis ad concilium esse prospecturum, ignorare se, quomodo sit hoc intelligendum, præsertim, cùm ad superioris ætatis facta respiciunt: rempublicam Christianam opus habere pio liberóque concilio, séque ad eiusmodi conuentum prouocasse: iam uerò cùm ipse dicat, nõ esse de modo seu forma tractandum actionis, nec obscurè præ se ferat, ad pontificis hoc pertinere potestatem, non se uidere, quæ sit ibi futura libertas: Antè biennium à Clemente septimo promissum fuisse concilium, additis conditionibus ualde captiosis: nunc autẽ id quod præcipuum est, quod cõcilij libertatem & cognitionis modum atque formam complectitur, partim insidiosè prætermitti, partim ad põtificem referri, cuius esse dicat denunciare & peragere concilia: pontificem uerò, qui doctrinam ipsorum atque religionem toties damnarit, esse manifestum aduersarium: at si iudicium permittatur aduersario, iam sanè concilium non posse esse liberum, in quo uidelicet de uoluntate Cæsaris, regum atque principum, ex omni numero deligendi sint homines idonei, qui iuxta uerbum Dei causam cognoscant atque definiant: concilia enim esse non pontificis modò, sed aliorum etiam ordinum

ecclesiæ tribunal atque iudicium: nam & sacris literis & ueteris eccle siæ demonstrari posse exemplis, adhibitos fuisse concilijs atque cognitioni uiros principes olim & alios ordines: quòd autem ecclesiæ totius authoritati, pontificis nonnulli præferant potestatem, iniquum esse & tyrannidis plenum: Cæsaris enim esse & reliquorum ordinum, interponere suum ius in concilijs, & deligere uiros peritos, præsertim in hisce causis, ubi errores impugnantur pontificij, falsa doctrina nimirum & impius cultus: hoc enim & iuris pontificij licere testimonio: cúnque sit communis hæc omnium causa, & ad uniuersam rempublicam pertineat, Cæsaris atque principum esse prouidere, ut rectum fiat iudicium: nam & quosdam episcopos, à suis populis, & pontifices, à Cæsare simul & ecclesia, propter errores atque pertinaciam olim fuisse condemnatos: hac autem ætate de multis & arduis rebus acrem esse dimicationem, quas pontifex non uerbo tantùm, sed impijs etiam & crudelibus edictis defendat, & in eos, qui non obtemperant, acerbissimè uindicet: cùm ergò sit aduersarius, & alteram litis partem sustineat, rem ipsam flagitare, ut ecclesia tota, Cæsar alijq; reges interueniant, & actionis futuræ modum præfiniant: Quod igitur adhuc semper fecerint, idem nunc etiam orare, ut instituatur actio syncera: nam et æquum, et sacris literis atq; etiã ecclesiæ ueteris hoc esse consentaneum exemplis: & si res ad eum modum agatur, non se defuturos, ac sperare, fore ut & ueritas patefiat, & gloria Christi celebretur, & ecclesiæ sua restituatur tranquillitas: quòd si secus fiat, non dubium esse, quin multò sint orituri grauiores motus: se quidem non esse neglecturos ullo tempore communẽ rempublicam, et sicut à uera doctrina recedere non possint, ità etiam alijs in rebus omnia facturos esse concordiæ causa. Galliæ rex, quiiam planè constituerat in Italia belligerari, legatum misit Gulielmũ Bellaĩum Langæum ad hunc Smalcaldiæ conuentum. Is XIX die Decembris orationem habuit, et primò de supplicijs regem excusat. illum animaduertisse quidem in suæ ditionis quosdam: sed hoc ad ipsorum iniuriam nullam pertinere, tametsi maleuoli dicant, quum illos è medio sustulit, ipsorũ quoq; causam ueluti prɛiudicio quodã cõdemnasse: rogat autẽ, ne tam ineptis calumnijs moueantur, & rem omnem diligenter secum expendant: Etenim in Germania multos ab ipsorum doctrina prorsus abhorrere, quosdam nõ omninò subscribere, sed & ipsos, qui sint eiusdem doctrinæ, non semper idem sensisse: quòd nunc autem idem profiteantur, pergratum esse regi;

non

non se dubitare, tantam ipsorum esse modestiam & humanitatem, ut nemini uelint præscribere, neque hoc sibi sumant aut arrogent, ut ad suam religionem etiam inuitos adigant: Regem solere de ipsis amanter & perhumaniter loqui, & ab ipsis agnoscere quædam esse sanctissimè declarata, sed moderatius quædam fieri uoluisse: uidere quidem illum, & longinquitate temporis, & hominum indiligentia, & superstitione, ceremonias in ecclesiam obrepsisse quasdam inutiles atque superfluas, uerùm ut omnes idcircò promiscuè tollantur absque decreto publico, minus ei placere: ceremonias enim esse uelut adiutrices atque pedissequas religionis, & singulis fuisse temporibus, & in eos, qui uiolassent, grauiter atque seuerè semper esse uindicatum: & cùm rusticorum seditionem ipsi totis uiribus oppressérint, cùm anabaptistas coherceant, cùm sine causa nihil facere uideri uelint, cur non idem de rege amico statuant? cur non cogitent, graues omninò fuisse causas & summam necessitatem, quamobrem in suos animaduerterit, etiamsi fortè quidam minus fuerint nocentes? cuiusmodi enim sint illorum flagitia, non esse huius loci commemorare: quædam enim plærunque fieri, quæ, ne cùm facta quidem sunt, sciri ab omnibus expediat, cur ità facta sint, & pro temporis conditione remitti, nonnunquam etiam augeri pœnam: ipsi quidem regi, cuius tàm latè pateat imperium, non ad præsens modò tempus, sed ad futurum etiam respiciendum, & prouidendum fuisse, ne sua lenitate plurimorum improbitati fenestram patefaceret: cúnque natura sit & educatione mansuetus & perhumanus, necessitate coactum, uicisse naturam, & aliam ad tempus induisse personam: & sicut dissérentes de quaque re libenter audiat, sic etiam illis offendi, qui temerè quid moliuntur, nec ad eos referunt, quorum est definiendi potestas: illos uerò, de quibus pœnam sumpsit, non idem quod ipsi, uerùm longè sensisse diuersa: Iam, quòd ad ipsorum attinet doctrinam, regem existimare, quicquid eius rei fecerint, communi factum esse consilio: cuiusmodi uerò sint ipsorum dogmata, in medio relinquere: nam in rebus tàm arduis nolle sibi iudicis personam præ cæteris arrogare, & utrobique esse aliquid, quod & probari possit & improbari: nimirum sic esse comparatum, si penes eundem sit & asseuerandi & iudicandi potestas, ut falli quis & errare possit. Beneuolentiam deinde captat, & illos refellit, qui Germanis dicebant esse cauendum ab exteris legationibus; nam ad ipsorum hoc pertinere detrimentum

atque ſeruitutem demonſtrat: etenim nullius populi tantas eſſe uires, ut diu ſtare poſſit atque florere, niſi finitimorum ſit amicitia munitus et ſocietate: ſed perantiquam eſſe Gallię regum & Imperij principum coniunctionem, et utriuſque gentis eandem eſſe ſtirpē & originem, & propter ſitum atque propinquitatem, non uſui tantùm atque præſidio, ſed & ornamento inuicem eſſe poſſe: Regem igitur, quum Germanis inter ſe minus conuenire audit, dolere plurimùm, & quantùm quidē ipſe poſſit, conciliationi ſtudere: non ſemel etiam eſſe ueritum, ne diſſidium hoc religionis, luctuoſum aliquē haberet exitū: Et quia conueniſſe iam ipſos, tuendæ ſuæ dignitatis cauſa, nec etiam eos, qui ſint diuerſæ religionis, ab ipſorum acceperit excludi contubernio, ſpem habere illum permagnam, fore, ut ea res ad opinionum atque doctrinę conciliationem, aditum faciat: his itáque de rebus admonitum, uoluiſſe per legationem, quid ſui ſit conſilij, demonſtrare: Et quia temporum hic ſit ſtatus, ut commune liberum concilium adhuc quidem cogi non poſſit, optimū regi uideri, ſi Germani conueniant interim omnes, & collatis ſententijs rationē ineant concordiæ, quæ facilè ſarciri poſſit, modò nihil obſtinatè fiat, & errore deprehenſo non pigeat mutare ſententiam, & cedere meliora docenti: ſi quidem hoc fiat, regem ipſis in eo futurum eſſe ſocium & adiutorium: Nam & Paulum tertium pontificem interpellatum à rege ſuper eo, fateri, non ſic eſſe traditionibus humanis inſiſtendum, ut nō pro conditione temporis, & publicæ quietis cauſa, mutari poſſint, &, ſi rectè atque ordine omnia fiant, profiteri, multa ſe temporibus, multa communi concordiæ permiſſurum eſſe: Quòd ſi ipſis etiam placeat, ut delecti aliquot Galliæ uiri docti & periti rerum ſacrarum interſint huic actioni, uel, ſi quos ipſi de ſuis in Galliam mittere uelint ea de cauſa, longè hoc illi forè gratiſſimum, & ipſorum hoc arbitrio totum permittere: quod ſupereſt, hortari, ut pacem inter ſe colant, ſeſéque muniant coniunctis animis: id enim ad externam quoque pacem pertinere, & regem quidem ipſorū hoſtibus unquam nec ope neque conſilio adfuturum eſſe, modò, quod adhuc fecerunt, in eadem erga illum uoluntate permaneant. Initio huius libri diximus de Cameræ iudicibus, qui præter edictum Cæſaris, litem proteſtantibus mouebant. ſic autem res habet. Hi, quos dixi, iudices, erant plærique omnes religionis pōtificiæ, & cùm poſt bellum Auſtriacum in Italiam Cæſar rediſſet, ab eccleſiaſticis interpellati, qui de proteſtantibus querimoniam haberent, in ius illos uocabant

cabant. & licet protestantes exciperent, & affinem esse religioni controuersiam, edictóque Cæsaris comprehendi testificarentur, qui litem omnem & actionem ex religione natam suspenderat, illi tamen, his omnibus reiectis, pergebant nihilo minus. itáque protestantes datis in Italiam ad Cæsarem literis, de sua molestia queruntur, & alterum impetrant ab eo mandatum: illi uerò Cæsari rescribunt, nescire se, quemadmodum agi debeat, aut quomodo sit ipsius parendum mandatis: litigatores enim inter se nõ rarò disceptare, quæ sint religionis causæ, quæ minus: quid igitur ipsius in eo sit uoluntatis, renunciari sibi petunt. Ad ea Cæsar respondet, ijsque potestatem facit, ut, cuiusmodi sint causæ, cognoscant, utrum ad religionẽ, an aliò pertineant. hanc adepti facultatem, pergunt alacriter, non solùm in mixtis, uerumetiam in merè religiosis causis, & non modò, si quid ablatum esset ecclesiasticis, reddi, uerumetiam missas & omnem alium ritum atque cultum pontificium restitui iubent. Cùm autẽ elector Saxoniæ princeps, alijs de causis Cadanum uenisset per id tempus ad Ferdinandum regem, queritur, quid sibi, quid socijs accidat. & cùm de cæteris rebus inter ipsos cõuenisset, ut suprà diximus, Ferdinandus edictum Cæsaris confirmat, & factam pacem obtinere iubet, & Cameræ mandat, ut ab omni supersedeant actione: sed illi nihil eo cõmoti, procedunt. protestantes igitur explicatis causis, illos, uti suspectos & aduersarios, more solenni recusant, & arbitros designant, Henricũ Megelburgium, Robertum Bauarum, Christiernũ Holsatiæ principem, Georgiũ Vuirtembergicum, Augustanũ atq; Vuormacienſem senatum, aut quosuis alios, homines æquos, qui de causis recusationis cognoscant, utrum legitimæ sint, an minus. Nam ipsorũ procuratores, offensionibus atq; metu deterriti, mussabant, neque causam, ut erat necesse, defendere audebant. Illi autẽ, interposito decreto, recusationem hanc, ut iuri scripto & legibus Imperij contrariã, reijciunt, et irritam pronunciant. Venit deinde Saxo Viennã, ad Ferdinandũ regem, ut antè diximus, & nouũ rursus mandatũ impetrat. sed & hoc frustrà fuit, ut infrà dicetur. Et quia pacẽ Cęsar aduſq; concilij tempus modò, largitus erat, aut ad proximum usq; conuentum Imperij, Saxo rogauerat Ferdinandũ, ut posterius hoc omitteretur: deinde, petierat, qui non essent pacis Noribergicæ socij, & tamen eandem cum ipsis doctrinam celebrarent, ut eiusdem essent conditionis, qua reliqui, neque lis ulla forensis in ipsos moueretur. Adhæc Ferdinandus, nisi de uoluntate Cæsaris, nihil in eo

se mutare posse respondet. Saxo contrà, periniquum esse dicebat, ad uersarijs licere, quo uelint tẽpore, à pace discedere, sibi uerò socijsq; facultatem hanc eripi: nec enim suis rebus esse consultum, ut obscura spe & cæca expectatione suspensi pendeant & incerti: futurũ etiam, ubi primùm denunciabitur Imperij conuentus, ut hoc ueluti signum non seruandæ pacis, & classicum esse putetur futuri motus: qua quidem ex re multum oriri possit incommodi: quòd si etiam doctrinæ socij non habeant pacis illius beneficium, & fortè proscribantur aut alioqui grauentur, sibi reliquisq; durum esse futurum, ad ea conniuere, & deserere periclitantes. Eo sermone nihil amplius profecit: hoc solum addebat ex primis Ferdinandi consiliarijs quidam, longum adhuc superesse tempus ad Imperij conuentum, nisi fortè grauior incidat aliqua deliberatio: cúnque in eum casum res adducetur, ut sint habenda comitia, fore, ut id de ipsius atque etiã de Lantgrauij consilio fiat. sic ergò quieuit ille. Cum pacis confirmationem peteret, Ferdinandus respondit. se quidem anno superiori, sicut Cadami pactum erat, Cameræ iudicibus mandasse, ut desisterent: illos uerò dicere, causis religionis admisceri quasdam alias & merè prophanas actiones atque ciuiles, quæ sint omninò ipsorum iurisdictionis: nec enim ad fidem seu religionem eas pertinere, sed ad uectigalia & prouentus annuos. Huic Saxo respondet. has esse illas ipsas actiones atque causas, quamobrem inducias atque pacem tantopere flagitarint: & licet ad bona pertineant siue possessiones, manare tamen illas ex religione: per intercessores etiam principes, Moguntinum atque Palatinum posse doceri, de huius generis causis, cùm ageretur de pace, mentionem esse factam: cæteras enim causas, quæ propriè ad fidem atque conscientiam pertinent, nullo unquam tempore fuisse iurisdictionis Cameræ, neque sibi socijsq; fuisse necesse interpellare Cæsarem, ut hoc nomine silentium illis imponeret: deinde, Cameram multò ante pacificationem Cadamicam contendisse, causas eiusmodi non esse affines religioni, atque idcircò tunc inter alia Cadami fuisse cautum, ut ipsius regis interueniret authoritas. His ità tractatis, rex tandem assensit atque promisit, effecturum se, ut in omnibus causis, quas ipse atque socij pacis Noribergicæ, tanquam religionis causas defendant, supersedeatur. Ad ea, quæ legatus Gallicus dixerat, ut suprà recitauimus, responsum fuit. etsi de supplicijs illis uarij sint rumores, tamen, quia seditionẽ illos excitare uoluisse dicat, non esse, quòd regis institutum ipsi reprehendant, qui neq; suis

in fini-

in finibus id genus homines patiantur: uerúntamen, cùm de receptis dogmatis atque ritibus non idem omnes ubíq; ſentiant, orare ſe regem, det operam, ne promiſcuè ſæuiatur in omneis, & ut illi ſeruentur qui demõſtratis erroribus atq; uitijs, puram euãgelij doctrinam, quam in Auguſtæ comitijs ipſi profeſſi ſint, amplectuntur: negari enim nullo modo poſſe, multas in eccleſiam opiniones falſas & impias inuaſiſſe, quas homines indocti atq; maleuoli magna crudelitate defendant, quæſtus atq; potentiæ retinendæ cauſa: nimirum hos ipſos artificio quodam ſingulari multa ſæpe crimina cõfingere in homines innocentes atq; pios, ut regum animos exacuant: ſed cum propriè ſit hoc regum atq; principum munus, ut gloriam Dei quærant, ut eccleſiam ab erroribus repurgent, ut iniuſtam crudelitatem reprimant, orare ſe uehementer, ut in iſtam curam potentiſſimus rex totus incumbat: hoc enim ſi faciat, exiſtimaturos amico ipſum atq; beneuolo in ſe eſſe animo, quod tum ſibi, tum eccleſiæ fœlix atq; fauſtũ eſſe cupiant: De uetuſta Galliæ regum atq; perpetua cum Imperij principibus amicitia, periucundũ ſibi ſermonem ipſius omnem fuiſſe: daturos quoque operam, ut iſta neceſſitudo mutuáq; beneuolentia deinceps confirmetur: Quòd regem de nonnullis rebus purgatũ eſſe uelit, facilè hoc ab ſe impetrari, & cupere inprimis, ut concordiã publicam Deus largiatur, & multo ſanguine partam olim Germaniæ libertatem tueatur atq; propugnet: Illud uerò, quod de conciliatione dogmatũ dixerit, paucis uerbis explicari non poſſe: Regem tamen pro ſua prudẽtia facilè uidere atq; intelligere, diſſidium hoc omne natum eſſe ex aduerſariorum obſtinatione, qui doctrinam hanc omnem acerbiſſimè condemnarint: ſe quidẽ plurimis nunc annis nihil aliud flagitare, quàm ut de re tota legitimo concilio diſceptetur, ſed pontificem eiuſq; clientelam totis uiribus hoc impedire: futuri concilij cõditiones aliquot à Clemente ſeptimo fuiſſe propoſitas, uerùm eius generis, ut ſatis appareret, eum non poſſe ferre liberam cognitionẽ: hunc uerò pontificem, etſi concilium promittat, tamen de forma, décq; modo nolle tractari: deinde, indicere illud extra fines Imperij: qua quidẽ ex re facilè uideri poſſit, dolum ſubeſſe ac impoſturam, & hoc ſolùm agi, ut ſub nomine concilij uera doctrina deleatur: Cùm autem non ſit ſolius epiſcopi Romani, denunciare concilijũ, ſed ad reges etiam atq; principes ea res æquè pertineat, obſecrare ſe regem, efficiat, ne uiolentũ aliquod cogatur concilium in loco ſuſpecto & periculoſo, uerùm, ut de rebus tàm arduis, quæ totius eccleſiæ ſalutem atq; pacem continent, quęq; pri-

uatim ad singulos pertinēt, liberè cognoscatur: hoc uidelicet nomine, non hanc ætatem modò, sed omnem quoq; posteritatē ei plurimùm deuinctam fore, & gratias habituram immortales ob tantū acceptum beneficium. Quòd autem de cōmunicatione doctorum hominum in mediū adduxerit, opus habere magna deliberatione: plæroscq; etiam, ut in re improuisa, nullū à suis habere eius rei mādatum: ubi primùm ergò constitutū aliquid in eo fuerit, per epistolam esse renunciaturos regi: nihil enim desiderare magis, quàm ut doctrina salutaris quàm longissimè propagetur: Postremū illud, ubi regem nihil opis in ipsos laturum esse dixit, magna se cum uoluptate audisse: quamobrem se quoq; in ijs rebus omnibus, quæ ad Cęsarem & Imperium nihil attinent, nulli daturos in ipsum auxilia. Legatus idem egerat priuatim cum Pontano, cū Melanchthone, cum Lantgrauianis et Iacobo Sturmio, de multis dogmatis, & quæ regis esset de singulis opinio, quæ theologorū sententia per Galliam, Luteciæ præsertim, explicabat, de primatu pontificis, de cœna Domini, de Missa, de mortuorū inuocatione, de statuis, de libero arbitrio, de purgatorio, de iustificatione, de uotis monasticis, de cœlibatu sacerdotum. In plærisq; dicebat regem esse non alienum à libro Philippi, quo locos ille tractat communes theologicos: de pontifice uerò placere dicebat regi, non esse primum neq; pręcipuū iure diuino, sed humano, sicut Philippus affirmet: sed Angliæ regem, utrunque negare: & sanè pontificem arrogare sibi niniam potestatē, dum reges atq; Cęsares in ordinem pro suo arbitratu redigit. quod quidem exemplum nūc etiam in Britānię regem statuere cogitet, quantumuis & rex et plęriq; cardinales intercedant: theologos quidem affirmare, caput illum esse ecclesię, iure diuino, sed tamen poscenti regi non illud potuisse demōstrare: uulgatam quoq; de purgatorio igni opinionē ab eis defendi: nam ex eo fonte manare missam, exequias anniuersarias, legata, & quicquid est nundinationis: Missa uerò sublata, rationem ipsis omnem auferri tuendę potētiæ suæ, ac ueluti neruos incidi sanguinis atq; uitę: Cúmq; rex illis aliquot esset largitus menses, intra quos de purgatorio sententiam scriptura docerēt, hoc demū respondisse, aduersarijs non esse porrigenda tela, quæ pòst retorqueant: Ad uota monastica quod attinet, regē putare, posse hoc à pontifice impetrari, ne qui iuuenes ante maturam ætatem illi uitæ generi deuinciantur, utque liceat illis, cùm uidebitur, ab eo discedere & contrahere matrimonium: ut autem eiusmodi collegia diruantur, regi non uideri consultū, sed educandam esse potius ibi iuuentutem

tem ad literas atque pietatem: theologos etiam urgere cœlibatum sacerdotum, sed regem hanc ueluti mediam inuenisse uiam, ut qui iam sunt in matrimonio, permaneant, reliquis autem non liceat uxorem ducere, uel, si duxerint, abstineant ab ecclesiæ ministerio: nam ad illud, quod de Paphnutio solet adferri, qui patribus concilij Niceni sacerdotum persuasit matrimonium, theologos ità respondere, probari non posse, ullo tempore sacerdotes contraxisse matrimonium, sed, antè quàm in ordinem sacerdotum allegerentur, uxores habuisse, non ipsos diffiteri: de cœna Domini integra percipienda, uel, quod aiunt, sub utraq; specie, sermonem fuisse regi cum Clemente VII, sperare etiam ab hoc impetrari posse pontifice, ut facto decreto liberum permittat usum eius rei, pro cuiusq; conscientia: Regem hoc præterea dicere, patrum memoria distributam fuisse per Galliam quibuslibet integram cœnam, non quidem in medio templo, sed in sacellis: hoc illum à nonnullis accepisse grandi ætate, qui ritum istum in Gallijs fuisse confirment ante centum & uiginti annos: deinde, Galliæ regibus administrari totam: & cùm inter disputandum, theologis hoc ipsum rex obijcit, illos respondere, unctos esse reges æquè ac sacerdotes, & scripturam loqui de sacerdotio regali: quod autem regibus liceat, non item esse permittendum alijs: In precationibus etiam illis quotidianis & familiaribus ordini sacerdotum, agnoscere regem, multa posse resecari, quædam etiam esse prorsus tollenda: Clementem quoq; VII, eius rei curam demandasse cardinali Cruceio, Hispano, cuius nunc extet liber, quem theologi Parisienses, ut hæreticum damnarint: nam esse genus hominum, quod non modò Germanos, ut impios & malè sentientes de religione condemnet, sed ipsos quoq; cardinales atq; pontificem, si res ità ferat: cùm uerò negociũ hoc omne sit cum primis arduum, regem in hoc esse totum, ut ecclesiæ pax & concordia restituatur: se quoq; cum Bauariæ principibus ea de re sermonem contulisse, qui sibi multò sint uisi duriores theologis Parisinis, tametsi quidam illorum consiliarius postea dixerit, factos esse mitiores, quod ipsum etiam Iulius Pflugius de Georgio Saxoniæ principe, decq; Moguntino sibi confirmarit: regem itaq; sic existimare, conferenda esse omninò consilia: pergratum autem ei futurum, si prius quàm conueniatur, aliquot è præcipuis ipsorum theologis, pauci tamen, in Galliam mittantur, qui cum Lutecianis conferant: ad eiusmodi colloquium regem esse delecturum aliquot præfractos & acres, et his additurũ esse quosdam non alienos à puriori doctrina,

quò per hanc rationem ueritas patefieri possit & elici. Eo finito sermone, hortabatur, ne quem concilij locum protestantes recipiant, nisi de sui atque etiam Angliæ regis consilio, qui sint inuicem idem facturi: Ludouicum Gallię regem superioribus annis contendisse, Iulio pontifici non licere concilium indicere, nisi de uoluntate Cæsaris atq; regum: huius quoq; sententiæ tum fuisse regem Nauarrę, cúnq; Iulius utrúnq; proscriberet, Ferdinãdum Hispaniæ regem hoc titulo Nauarram occupasse: regem etiam huius esse mentis atq; sentẽtię, neque probare concilium ullum, nisi loco tuto fiat, minimeq; suspecto, uel ad iniuriam opportuno, quo quidem in lóco liberè pronunciare quiduis liceat. Præter ea quę diximus, magno studio solicitabat illos de fœdere cum rege ineundo, et hęc quidem erat potissima legationis causa: cùm autem ipsi Cæsarem exciperent, aduersus quem nihil sibi faciundũ esse demonstrabant, infecta re discessit, & priuatim ad quosdam, mirari se, quòd tantum regem negligerent, & tempus aliquãdo fore dicebat, quùm illius coniunctionem magnò redẽptam cuperent.

Angliæ quoq; rex, Henricus octauus, legationem eò misit, cuius erat princeps, Eduardus Foxus episcopus Herfurtensis. Hic initiò commemorat. quum magna sit inter Britanniæ reges & Saxoniæ principes agnatio, sanguinisq; propinquitas, regem optimè erga ipsum atq; socios adfectum esse, præsertim, cùm hoc eos inprimis agere uideat, ut pura Dei cognitio propagetur etiam ad alios: Et quãquam multæ sint ipsis hoc nomine factæ contumeliæ, tamen idcircò nihil eum abhorrere, neque de ipsis aliter sentire, quàm de uiris bonis, qui præter officium ac sine ratione nihil facturi sint, & hoc solùm spectent, ut per ueram euangelij prædicationem gloria Dei celebretur: Idem quoq; regis esse studium, idque satis declarare illam, quæ iam sit per Angliam facta, mutationem: Etenim regis mandatu iam abolitam esse magnam partem errorum, et de communi omnium assensu, pontificatum Romanum ac illius impostura omneis è regni finibus exterminatas esse, non secus atq; per Saxoniam: Cúnq; sit idem utrobiq; studiũ atq; uoluntas, regem singulari quadam in ipsos accẽdi beneuolentia, & rogare, ut ità pergant, & eandem planè doctrinam profiteantur omnes: hoc enim esse perpetuæ pacis firmamentũ: & quanti sint exorti motus ex opinionũ uarietate, regem habere compertum, et anabaptistas exemplo suo demonstrasse: prę se ferre nunc pontificem, quasi de cõcilio cogitet: ac sanè, si qua sit adhuc reliqua dissensio, neq; de dogmatis omnibus conueniat, incõmodum hoc ipsis futurum, ubi

uentum

uentum fuerit ad concilium: qua tamen in re theologis minimè culpam attribuat: nec enim unq̃ ecclesiæ statum ità fuisse tranquillum, ut non aliquod fuerit aliquãdò dissidium: hoc etiam Petri & Barnabæ atq̃ Pauli demonstrari posse exẽplo: cogitandum igitur esse de pace, quæ firmo scripturæ fundamento nitatur: pontificẽ autem hoc agere totis uiribus, ut eiusmodi pacem atq̃ concordiã impediat & euertat: ltáq̃ regem sic existimare, quoad illius imperiũ, tyrannis atq̃ sæuitia durabit, ad conciliationẽ peruenirí non posse: propter electã nuper ex Anglia seruitutem omniũ fœdissimam, et recuperatam à rege libertatẽ, idolum illud & antichristũ planè furere, & quum apertè nihil possit, moliri fraudem & insidias, & falsis criminationibus concitare reges: Nam etsi potentiæ suæ retinẽdæ causa quíduis faciat, tamen hoc etiam eius esse consilij, ut inflammatis animis utrinq̃, bellũ exardescat: Hæc autẽ ideò regem ipsis exponi uoluisse, non quòd põtificem metuat: sic enim esse paratũ à rebus omnibus, ut neq̃ de illo, nec de ipsius omni clientela sit solicitus, uerùm, ut ipsi, quid moliatur antichristus, liquidò perspiciant, hoc præsertim tẽpore, quandò concilium ille se procurare simulat, cùm interim longè diuersum habeat in animo: regem agnoscere quidẽ atq̃ fateri legitimam disceptationẽ fore cumprimis utilem & reipublicæ salutarem: sed tamen, ne cõcilium fiat, in quo de stabilienda solùm dominatione pontificis tractetur, omnibus modis prouidendũ: itáq̃ petere & admonere, ne quod cõcilium approbent prius, quàm publica pax orbis christiani cõstituta sit: cupere etiam, ut uerus Dei cultus restituatur, ad eamq̃ rem perficiendam & tuendã, non recusare, sese ipsis cõiungere: Et hæc quidem esse quæ habeant in mandatis: rogare autem, ut in posterũ sibi liceat amplius de his rebus, priuatim cum delectis aliquot conferre: sic enim affectũ esse regem erga religionem & ipsos, ut suas fortunas omneis atq̃ se ipsum eò sit impensurus. Ad hæc illi respõdent, et collaudata regis uoluntate, cupere se demõstrant inprimis, ut longè lateq̃ dissemínetur euangelij doctrina: quicquid etiam eius rei faciant, ex officio fieri: Et quanq̃ summis eo nomine sint adfecti cõtumelijs & iniurijs, tametsi grauissimas in se concitarint offensiones, licet fremitum atq̃ minas plurimorum sæpe sint experti, non tamen idcircò remisisse studium rei sanctissimæ propagandæ: huius autem odij tàm uehementis & acerbi hanc solam esse causam, quòd impios errores & falsa dogmata repudiarint: Iam, quòd suam operam in eo rex amplissimis uerbis polliceatur, quòd etiam è suis finibus episcopi Romani tyrannidem, à quo sanè

tanq; à fonte dimanarit quicquid est impij falsiq; cultus, proiecerit et eliminarit, id sibi periucũdum auditu fuisse, deúmq; precari, uti pergat: Quòd etiam moneat, cauendum esse, ne quid incommodi pariat dissensio doctrinæ, permagnam habere se gratiam: sed nihil esse reuera dissidij, & in ea se permansuros esse doctrina, quam sint Augustæ testificati: nam ad anabaptistas quod attinet, uindicare se grauiter in eos, nisi ad sanitatem redeant: illos etiam ibi potissimum regnare, quibus in locis prohibita sit euangelij doctrina: De cõcilio decq; pontificis astu sermonem illum omnem sibi pergratum etiam esse: iam autem in Germania uersari legatum põtificis, & polliceri concilium, Mantuæ cogendũ: egisse quoq; de hac re cum electore Saxone: quid autem ipsi, communicatis consilijs, ad illius postulata responderint, scripto comprehensum esse, quod ei sint daturi, perferendum ad regem, ut quid suæ sit in eo mentis, intelligat: legatũ illum pontificium præ se ferre, quasi solius sit pontificis indicere & habere concilia: se uerò existimare, cæteros reges & ordines reipublicæ non hoc ei concessuros, ut ipsis inconsultis ità faciat, in hac præsertim religionis atque fidei causa, quæ legitimam disceptationem postulet: Iam, de coniunctione regis quod dixerit, agere summas ei gratias: ut etiam hæc tam salutaris doctrina cursum suum retineat, nulli se labori suo uel periculo parcituros esse, neque dubitare, quin Deus hanc omnem actionem regat, quantumuis etiam inuitis & reluctantibus aduersarijs: & quia priuatim cupiat de hisce rebus conferre prolixius, delectos esse quosdam ad eam rem, quibuscum sua communicet: rogare autem, ut regi ista renunciet, suumq; studium illi commendet. Cùm ad XII. Decembris diem à Ferdinando rege Smalcaldiam Saxo uenisset, pridie Natalis Christi facto decreto, fœdus, quod annum adhuc unum durabat, renouatur in annos decem, & de reliquo apparatu constituitur, & recipiendos esse placet in hoc fœdus, qui uelint atque cupiant, modò doctrinam Augustę propositam in comitijs, profiteantur, & sortem cõmunem subeant. In his erant Pomeraniæ principes, VIrichus Vuirtembergicus, Robertus Bauarus Bipontinus, Augusta, Francofurtum, Campodunum, Hamburgum, Hãnobria, quorum nonnulli iam tum petebant admitti, reliqui spem faciebant. De Camera sic uisum fuit: quandoquidem pacis, quam Cęsar fecit, confirmationem, rex Ferdinandus in se recepisset, eo singulis utendũ esse præsidio, quos Camera fortè citabit: quòd si nihilominus illi pergant, & proscriptionibus agant, & sententiam exequi uelint, tum

euul-

euulgato ſcripto cõmuni rogandos atq; monendos eſſe Imperij ordi nes,ne moueantur hac illorum iniuſtitia,ſed ut Cæſaris atq; regis iudicium ſequantur,& eiuſmodi ſentẽtias habeant pro nullis,neq; uim ullam faciant:nam alioqui rationem ſibi ineundam eſſe,quomodo iniuriam depellant,& ſe ſuoſq; tueantur:deinde,cùm in pace Noribergica ſit cautum,ne cui ſuæ facultates eripiantur,hoc quoq; diligenter eſſe præſtãdum,ſed tamen in iuriſdictione eccleſiaſtica,in ceremonijs & id genus alijs emendandũ eſſe quicquid ſit uitij,placuit. Eodem tẽpore Gulielmus Comes Naſsouius in fœdus fuit admiſsus:et quanquam Lantgrauius, propter controuerſiam inter ipſos, de ditione Chattorum, non aſsentiebatur,tamen,ſi qua uis illi fieret ob euãgelij profeſsionem,non ſe defuturum dicebat auxilia petenti. Hoc etiam anno ſenatus Auguſtanus, omni demum ſublata diſsenſione, doctrinam euangelij recipit,& datis ad Lutherum literis orat, ut fideles eccleſiæ miniſtros,& in his,Vrbanum Regium,mittat.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæſare, Liber X.

NVNC AD OBSIDIONEM MONASTERII, QVAE eſt primi nominis urbs Vueſtphaliæ, ueniendum: ſed paulò ſunt quædam altius repetenda, inde ab initio,uſq; ad illud tempus, quo capta demum urbe, de authoribus fuit ſumptum ſupplicium. De Thoma Muncero diximus libro quinto, quemadmodum ſeditionem multitudinis concitarit, cuiuſmodi fuerit ipſius doctrina,quis etiam uitæ finis:Ex huius officina prodijt genus hominum,qui propter actionem & ipſum dogma uocantur anabaptiſtæ, de quibus etiam ſuprà nonnihil dictum eſt. Nam & paruulos arcẽt à baptiſmo, & rebaptiſantur ipſi,& ità faciundum eſſe omnibus, affirmant,& uim omnem priori baptiſationi detrahunt. Sanctimoniam quandam externam præ ſe ferũt,docent non licere Chriſtianis in foro contendere,non gerere magiſtratum,non iuſiurãdum dicere,non habere quid proprium,ſed omnia debere omnibus eſſe cõmunia. Et hæc quidẽ illi principiò,ſed multò deinde grauiora propoſuerunt,ut

postea sum dicturus. Cúncq; per Germaniam longè latéq; serperẽt, Lutherus autem & plærieq; omnes uiri docti reclamarent, magistratus etiam animaduerteret, ità quidem, ut maiori aliquo numero uix possent coalescere, tandẽ in ea quam diximus urbe, ualde quidem munita, locum atq; sedem occuparũt. Id autem sic accidit. Est non procul ab urbe Monasterio, diui Mauricij templum: in eo docebat euangelium anno salutis nostræ M.D.XXXII, Bernardus Rotmannus, frequenti ciuium auditorio: cúncq; de illo in urbem recipiendo cogitarent: pontificij, ut hoc impedirent, mediocrem pecuniæ summam ei dant, quò scilicet exercendi sui causa proficiscatur aliò: Discedit ille, & locis aliquot perlustratis, ubi fructum aliquem & culturam ingenij percipere posset, redit post aliquot menses: illi uerò, qui reditum ipsius molestè ferrent, conantur eum à concionibus remouere: sed id frustrà fuit, applaudente nimirum populo. Mox quidam è ciuibus præstantiores, in urbem hominem recipiunt: cúncq; à templis excluderetur, foris in porticu suggestum ei collocant: augescente uerò indies numero ciuium & auditorum, postulatur à põtificijs, ut templum ei patefaciant, sin minus, ui patefactũ iri. Non multò pòst, ille, de consilio delectorum populi, missis literis in uicinam Hessiam, Lantgrauianæ ditionis, petit uiros aliquot bonos atque doctos ad se mitti, qui unà secum euangelij semẽtem ibi faciant. itáq; Marpurgo bini mittuntur. Cùm eò uentũ est, deliberant numero sex, quomodo pontificatum inde primo quoq; tẽpore profligent, ut euangelium maiori cum fructu doceri possit. Ad eam rem hæc est uisa ratio commodissima: pontificios errores conscribunt, & in XXX. circiter capita referunt, eáque senatui tradunt, sic interim animo parati, ut nisi demonstrent è sacris literis, hæc omnia cum uerbo Dei pugnare, nullam pœnam recusent. Senatus in curiam uenire iubet pontificios, & ea quæ diximus errorum capita proponit: & quia semper præ se tulissent, doctrinam suam esse puram & niti uerbo diuino, concionatores autem hoc ipsum pernegent, idque demonstrare uelint etiam sui capitis periculo: rogat ex illis, an ea quæ obijciantur, sacris literis confutare uelint. Ad hunc modum interpellati, cùm magnopere senatui rem esse cordi uiderent, paucis respondent, nihil habere se quo sua defendant: quòd autem hucusque dixerint, suum institutum esse probum atque rectum, id opinione esse factum & ignoratione. Tùm senatus, quandóquidem erroris & falsæ doctrinæ conuicti, nihil habeant quod opponant, & suam

ipsi

ipſi nequitiam agnoſcant: iubet, ut in poſterum à docendi munere abſtineant, nouis autem doctoribus, qui detexiſſent ipſorum impoſturas, locum in templis omnibus permittant. Pòſt, de uoluntate ſenatus atque populi, templa ſingulis attribuuntur, ubi doceant: eam rem perquàm moleſtè tulerunt pontificij, ſed inprimis ij, qui primarium templum obtinent, plærique omnes genere nobiles. Hi, cum aliud non poſſent, irati diſcedunt, & ad eius urbis epiſcopum abeunt, & inito conſilio ſtatuunt, occupandas eſſe uias omneis & aditus, ne quid in urbẽ importari poſſit annonæ. Aliquãtò pòſt, omnibus iam undiq; uijs obſeſſis, epiſcopus, et ij quos diximus, amplioris ineundi conſilij cauſa, Telgetum ueniunt, quod eſt ab urbe oppidulum, ad milliare unum: illinc tabellarius ad ſenatum mittitur cum literis, in hęc uerba. deſiſtant ab inſtituto, priſtinúmque ſtatum reſtituant, ſin minus, hoſtium numero facturos. Epiſcopus erat, Comes Franciſcus Vualdeccus. proximè antè ipſum fuerat archiepiſcopi Colonienſis frater germanus, Fridericus: uerùm is, uel quòd ijs locis parum uteretur firma ualetudine, uel quòd aliquid eſſet odoratus, non ità pridem ſponte loco deceſſerat, & priuata uita contentus in patriam reuerterat. Monaſterienſes, re deliberata, nuncium detinent, & de nocte profecti, quæ diem natalem Chriſti præcedit, circiter nongenti, cùm ex improuiſo ueniſſent, oppidulum capiunt, & occupatis portis, ne quis euaderet, omneis comprehendunt: epiſcopus fortè pridie diſceſſerat: mox in urbem captiuos adducunt. in his erant primi nominis pontificij, & ex reliqua nobilitate nonnulli. Rogat ex ijs ſenatus, quid ſit ipſorum uoluntatis, & an euangelij prædicationem cogitent poſthac impedire? Liberaliter illi reſpondent, ſe daturos operam, ut ea doctrina uigeat: itáque fit pactio, cuius exemplum ſenatus Lantgrauio mittit, & ſimul orat, ut euangelij ac reipublicæ cauſa uelit non deeſſe negocio. mittit ille quoſdam de ſuis: iſtorum interuentu pactum fuit, ut reconciliatis animis & offenſione ſublata, pacem utrinque colant: in ſex templis euangelium doceatur: quicquid ſit impiæ religionis & ſuperſtitioſæ, tollatur: in primario templo nihil mutetur, neque ciuitas illud quicquam ad ſe pertinere putet. hæc pacis formula fuit obſignata Lantgrauij & epiſcopi & ipſius clientelæ & nobilitatis & totius populi ſignis, Februarij die decimo quarto, anno ſalutis M.D.XXXIII. Hunc ad modũ rebus pacatis, uenit Monaſterium ſarcinator quiſpiam Hollandus, Ioannes Leidenſis, anabaptiſta uehemẽs. Is priuatim rogat ex euan-

gelij doctoribus initiò, cùm in eorum sermonem se familiariter insi-
nuasset, num arbitrentur paruulos rectè baptisari? cùm affirmarẽt,
ille, qui totus esset deditus opinioni contrariæ, cœpit ridere & con-
temnere. Qua re intellecta, Bernardus Rotmannus, de quo suprà
diximus, pro cõcione populum hortatur ad precationem, ut puram
ipsis doctrinam seruare liceat, & à fanaticis hominibus incorruptam
defendere, inprimis autem ab anabaptistis, qui nunc etiam latenter
apud ipsos obrepant, & hominum cœtibus aggregentur, quorum
opinio si uincat, miserum esse futurum, non reipublicæ modò statũ,
sed & religionis. Eodem ferè tempore uenit eò Hermannus Stapre-
da, qui Rotmanni factus collega, publicè in paruulorum baptismũ
inuehebatur. præceptorem iste habuit Henricum Rollium, de quo
Traiectenses paulò antè supplicium sumpserant ob anabaptismum.
Et hic quidẽ fuit alter ueluti gradus ad nouũ istud doctrinę genus,
iámque res eò processit, ut de anabaptistis plurimus esset per urbem
sermo, tametsi priuatim adhuc & occultè res ageretur. nemo enim
qui non esset ipsorum sectæ, admittebatur: deinde, non profitebantur
ista palàm authores, neque docebant nisi de nocte, & quandò
somnum reliqui caperent: tunc demum sua peragebant mysteria.
sed re patefacta, cùm plærique ciues fremerent, & indignum esse cla-
marent, nouum dogma clanculum & noctu disseminari: fit senatus-
consultum, quo iubentur authores ab urbe proficisci, uerùm egressi,
redibant alia uia, & mandatum à Deo sibi iactabant, uti permanerẽt,
causámq; suã grauiter & seriò perficerent. Mouit ea res senatum,
& nonnihil etiã perculit admiratione quadam: itáque maioris uitan-
di motus et periculi causa, iubentur in curiam uenire tàm anabaptis-
mi quàm euangelij doctores, & cum his aliquot homines eruditi.
Tùm Rotmannus, quod eousque occultauerat, ingenium suũ pro-
dit, & paruulorum baptismum, ut impiũ & execrandũ damnat: sed
Hermannus Buschius inprimis, ità coram senatu diuersam sententiã
defendit, ut illi decreto publico iuberentur urbe quàmprimum ex-
cedere. Cùm autem per episcopi fines non sibi licere tutò profici-
sci dicerent, senatus & fidem eis publicam impetrabat, & uiaticum
unà dabat: ipsi uerò, qui multò antè constituissent nusquam alio
proficisci, clàm ad suæ doctrinæ sectatores digressi, latitabãt aliquán
diu. Senatus interea, priusquam è suis illi latibulis denuò prodirẽt,
omnia templa claudit, uno solum aperto. nam metus erat, ne anaba-
ptistæ, quorũ indies augescebat numerus, comitati suis doctoribus,

euan-

euangelij præcones è templis exturbarẽt. Mense deinde Nouembri, Lantgrauius, rogatu senatus mittit eò duos, docẽdi causa, Theodoricum Fabritium, Ioannem Melsingerum: & hic quidem cognita rerum perturbatione, periculo etiam commotus, domum redit: alter autem strenuè monebat ciues, ut ab anabaptistica doctrina diligenter cauerent: & in hoc quidem stadio decurrit atque permansit, donec anabaptistæ, superiores facti, reliquos urbe pellerẽt, ut postea recitabitur. Et ne quid omninò desiderari posset, certam doctrinæ & administrationis ecclesiasticæ formulam conscribit, senatu populóque comprobante. permisso deinde senatus, incipit rursus docere Petrus Vuirtemius: sed uix paucis habitis concionibus, impulsu Rotmanni ab anabaptistis eijcitur, qui iam ferociores facti, Fabritium & alios ad disputationem prouocabant: assentiente senatu, placuit, ut è sacris tantùm literis alijsq; scriptis horum similibus res ageretur, adhibitis aliquot uiris literatis atque bonis, uelut arbitris, qui partis utriusque sententijs & argumentis probè cognitis & inuestigatis decernerent: quod ij statuissent, ratum fore, quò sublatis tandẽ dissidijs, pax restitueretur ecclesiæ: sed conditionem hanc Rotmannus atque socij repudiabant. Cùm ergò cognitionẽ subterfugerent, cœperunt uulgò contemni: hanc uerò maculam ut eluerent, aliã rationem inueniunt magis compendiosam. Ex ipsis quidam uelut afflatus numine, per urbem discurrit, &, pœnitentiam, inquit, agite, & rebaptisamini: sin minus, iam ira Dei uos obruet. hic cœptũ est uulgò tumultuari, & quicunque rebaptisarentur, eadem quæ ille, eodémque modo declamabant: multi, quòd iram Dei metuerent, quã isti tantópere iactabant, simplicitate circumuenti, homines alioqui non mali, morem ijs gerebant: alij etiam, quò suas fortunas conseruarent. aduersarios enim anabaptistæ malè mulctatos, possessionibus deijciebant. fuit hoc ad exitum Decembris. & iam illi rursum è suis latebris exierant, de quibus antea diximus, & ad forum facto concursu, clamorem tollunt, & omneis non baptisatos iubent interfici, tanquam paganos & impios: deinde tormenta publica & curiam inuadunt, & multis uim faciunt. Alij autem, ut se suósque ab iniuria defenderent, alium quendam urbis locum natura munitum occupant, & cõplures ex ipsis capiunt. ea dimicatio in anabaptistas, qui forum tenebant & undequaque munierant, eousque durauit, donec utrinque datis obsidibus uentum est ad compositionẽ, qua cautum fuit, ut suam quisque religionẽ sequerentur, ut domum redeant &

pacem colãt. Rotmannus interim & Bernardus Cnipperdolingus, facilè primus eius factionis, etsi compositionem hanc laudarant, tamen occultè missis literis in oppida uicina, sui generis homines monebant, uti fortunis omnibus relictis, ad se quàm primum aduolarent: quicquid reliquissent, fore, ut cum usura decupli recipiant. his tam magnificis et amplis excitati promissis, maximo numero commigrant, uiri pariter ac mulieres, & certissima spe consequendi maiora, præsertim tenuiores, & qui domi stare non poterant, Monasterium petunt. Oppidani autem, ij præsertim, qui erant re lauta, cùm uiderent externis hominibus urbem compleri, subducunt se quàm possunt commodissimè, relictis anabaptistis et promiscua plebe. fuit hoc sub Bacchanalia, mense Februario, M. D. XXXIIII. Ad hunc modum debilitatis alterius partis uiribus, anabaptistę nouum deligunt senatum, suæ factionis omneis, creant quoque consules & in his Cnipperdolingum, paulóque pòst, ædem diui Mauricij, sub urbẽ, inuadunt, & cum uicinis omnibus ædificijs incendunt, deinde templa omnia diripiunt, & primariã ędem intus labefactãt. mox per omneis uias confertim discurrunt, & primò quidem, pœnitentiam, inquiunt, agite: mox uerò, migrate hinc è uestigio impij, nisi uitæ discrimen subire, uobis propositum est. simul, armati concurrunt, & quicunque non essent ipsorum sectæ, statim ex urbe propellunt, nulla nec ætatis habita ratione, neque sexus, ità quidem, ut in his turbis atque fuga præcipiti, fœminæ aliquot grauidæ abortũ facerent. continuò pòst, eorũ, quos eiecissent, bona occupant. Et quanquam istud accidit pridie, quàm urbem episcopus obsideret, tamen cùm ex ista profugientium turba, quidam in episcopi manus incidissent, habiti sunt hostium loco, ex ijsque nonnulli capitis adierunt discrimen, & in his unus & alter euangelij doctor. Ille, de quo suprà diximus, Petrus Vuirtemius, cùm & ipse periclitaretur, interuentu Lantgrauij seruatus est. ea re permoti reliqui oppidani, homines boni, qui uidelicet, etiámsi urbem desererent, præsens tamen imminere sibi foris periculũ uidebant, coacti propemodũ & inuiti remanserunt. Ad hoc tempus, primi nominis apud ipsos propheta, nam hoc sibi nomen usurpãt: Ioannes Mathæus, mandabat, ut quod quisq; haberet auri, argenti, rei mobilis, id omne deferret in mediũ, capitis proposita pœna, & in hunc usum publica fuit constituta domus. Hac edicti seueritate populus ualde attonitus, obtemperabat: nec integrũ erat cuiquam fallere aut partem aliquã defraudare: nam puellæ quędam

duæ

duæ uaticinantes, quod cõmissum esset fraudis, denunciabant. nec uerò sua tantùm illi conferebant, sed eorum etiam, quos eiecerant, facultates, in suos usus assumebant. Posthęc, idẽ propheta mandabat, ne quis ullum deinceps librum haberet aut sibi seruaret, prẹter sacra Biblia: reliquos omneis in publicum deferri iussit & aboleri: hoc se mandatũ diuinitùs accepisse dicebat. itáq; magno numero libri comportati, flamma fuerũt omnes absumpti. Fortè per id tempus faber quispiam, Hubertus Trutelingus, ridiculũ quid in eos dixerat, qui se prophetas ipsi uocabant. eo cognito, multitudinem illi conuocãt, & armatos iubent adesse: mox hominẽ accusant capitisq; damnant: perculit ea res populum uehemẽter: primus autem ex ijs propheta, quem suprà nominauimus, corripit miserum, & humi prostrato impingit hastã, absque uulnere mortifero tamen, utcúnq; magno prosilijsset in eum impetu: pòst, illinc amotum aliò transportari iubet: tùm arrepta, quam uicinus adolescens gerebat, machina, iacentem pila transuerberat: ne sic quidẽ illo statim extincto, cœlitus patefactũ sibi dicebat, nondum uenisse tempus, quo mori ipsum oporteret, ac Deũ suam ei gratiam impertiuisse: uerùm ille paucis pòst diebus uitam finijt: ea re cognita, prælongã hastam corripit propheta, & incitato impetu per urbem procurrens, Deum patrem sibi mandasse clamabat, ut hostem ab urbe reijceret: ubi propius ad castra uenit, exceptus à milite quopiam, confoditur. Et quanquam ipsius prædictionum detectus iam iterùm fuit error, tamen socij prophetæ sic homines infatuauerant, & rem sic ornabant ad uulgus, ut etiam magnum eius desiderium excitarent, & calamitatem ipsis aliquã impendére dicerent, uiro tàm præstanti sublato: proximus autẽ ab illo uates, Ioannes Leidensis, iubet eos esse animo præsenti: multò enim antè sibi reuelatum, illum esse talem habiturum uitæ finẽ, & quam reliquisset uxorem, eam in matrimoniũ se ducturum. Biduo ante Pascha decurrunt in templa, et simul omneis ubiq; campanas impellũt: aliquot pòst diebus uaticinatur Cnipperdolingus, fore, ut in summo gradu collocati, deturbentur, alij autẽ è sordibus & infimis emergant subsellijs: deinde iubet omnia tẽpla destrui, grauiter asseuerans, à Deo profectũ hoc esse mandatũ. itáq; mos ei geritur, & quod è cœlo uenisse dicebat edictũ, magno studio perficitur. His ipsis ferè diebus, Ioannes Leidensis gladiũ tradit Cnipperdolingo, carnificémq; eũ cõstituit: sic enim uisum esse Deo, ut qui summũ antea magistratũ gesserit et cõsul fuerit, nunc infimum locum obtineat, & sit carnifex:

ille minimè recusans, gratum etiam habuit delatum munus. Cùm iam episcopus, aliquot mensibus, omnem belli sumptum solus fecisset: Colonien sis archiepiscopus, Hermannus, & Cliuensis princeps, Ioannes, auxilio miserunt pecuniam, tormenta, peditum & equitum cohortes aliquot. Colonien sis etiam in castra fuit profectus, communicandi causa consilij, neque multò pòst urbs fuit aliquot locis oppugnata: cùm autem eius per uim capiundæ spes nulla supereſſet, septē fuerunt extructa circùm castella seu propugnacula, tollendi causa commeatus, cum singulis peditū signis & cohortibus aliquot equitum, qui ibi essent in hybernis. continuandæ uerò causa obsessionis atque belli, quod ad omneis æquè pertineret, Monasterien sis episcopus, ab ijs principibus atq; ciuitatibus, quæ sunt Rhenanæ prouinciæ, tanquam à uicinioribus, auxilia petit. Eius rei gratia conuentus indicitur Confluentiæ, ad XIII Decembris diē M.D.XXXIIII. Germania est enim omnis in sex descripta prouincias, in Franconiā, Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Rheni tractum, & Burgundiam. His finibus omnes ubique principes ac ciuitates, in Imperij comitijs, antiquo more censentur: hodie uerò Saxonia diuiditur in superiorem ac inferiorem, deinde adijcitur inferior Germania & Vueſtphalia, & Austria. itáque decem regionibus Imperium nunc circumscribitur. Post frustrà tentatam oppugnationem, Ioannes Leidensis ad quietem sese componit, & totū triduum somniat: expergefactus, nullum uerbum facit, sed chartam poscit, in eáque duodecim uiros describit, & in his aliquot nobili genere natos, qui summæ rerum præessent, & tanquam in Israele, cuncta gubernarent: hanc enim patris cœlestis uoluntatem esse dicebat. Cúnque hac ratione per duodecim uiros, ad regnum uia parata iam esset, dogmata quædam proponit concionatoribus, eáque postulat scripturę testimonio sibi confutari: quod si non possint, ad multitudinem se relaturum, ut approbentur & sanciantur. eorum hæc erat summa. uirum non esse deuinctum uni coniugi, & licere quantumuis multas in matrimonium ducere: sed cùm sententiam hanc doctores impugnarent, conuocat eos in curiam, adhibitis duodecim uiris. eò cùm ueniſſent omnes, pallium sibi detrahit, & in terram abijcit, unà cum libro noui testamenti. per ea ueluti symbola testatur & iurat, quod promulgasset dogma, cœlitus esse patefactum sibi: grauissimis itáque uerbis comminatur eis, quasi Deum non sint habituri propitium, nisi consentiant. tandem opinionibus conueniunt, & de matrimonio totum

triduum

triduum doctores pro concione loquuntur. Mox ille ternas ducit uxores, quarũ una fuerat eius, de quo diximus antea, magni prophetæ, Ioannis Mathæi, coniunx. hoc deinde exemplum alij quoque sequuntur, ità quidem, ut etiam in laude poneretur frequẽs matrimonij repetitio. Ciues autem nonnulli, quibus hoc institutum ualde displiceret, dato signo per urbem, eos omneis, qui doctrinam euãgelij amarent, in forum conuocant, deinde prophetam & Cnipperdolingum & doctores omneis cõprehendunt. quod ubi uulgus accepit, ad arma procurrunt, captiuos illis extorquent, & ad quinquaginta circiter magno cum cruciatu interficiunt. nam religatos ad arbores atque palos tormentis traijciebant, acclamante propheta primario, ut qui rem gratam Deo facere uellent, primum telum emitterẽt: alij alio modo necabantur. Ad octauum calendas Iulias oritur propheta nouus, aurifex. Is conuocata in forum multitudine, commemorat patris cœlestis hoc esse mandatum & uoluntatem, ut imperium totius orbis terrarum Ioannes Leidensis obtineat, ut cum ualidissimis copijs egressus, reges atque principes omneis promiscuè interficiat, & multitudini solùm parcat, ijs uidelicet, qui iustitiã ament, utq; sedẽ patris sui Dauid possideat, donec regnũ pater ab ipso repetat: oppressis enim impijs, regnaturos esse pios in hac ipsa uita. His rebus palàm pronunciatis, cõtinuò Ioannes Leidensis in genua procumbit, et sublatis ad cœlũ manibus, per multos, inquit, dies hęc mihi res comperta fuit, uiri fratres: neq; tamen eã diuulgare uolui: nam fidei faciendæ causa pater alio est usus administro. Sic ergò rex factus, ilicò XII uiros abrogat, & pro consuetudine regum delígit sibi proceres, coronas etiã duas et uaginam et torquem et sceptrũ & alia id genus ornamẽta sibi parari iubet ex auro lectissimo: deinde certos constituit dies, quibus palàm audiret omneis, qui quaque de re uellent ad ipsum aliquid deferre. Quoties in publicũ prodiret, comitatus erat suis officiarijs & proceribus domesticis: proximè eũ sequebantur adolescentuli bini, equites, dexter coronã & Biblia gestabat, alter euaginatũ ensem: eadẽ erat pompa primarię uxoris. nam plures habebat eodẽ tempore: In foro paratũ erat ei solium sublime, panno uestitũ aureo: quę deferebãtur ad ipsum actiones et querimonię, plerunq; ad cõiuges pertinebãt atq; diuortia, quibus nihil erat frequentius, ità quidẽ, ut nonnulli, qui per multam ætatẽ unà uixissent, tunc primùm dirimerentur. Accidit autẽ, cùm in foro staret populus, audiendi causa, condensatus & arctus, ecce Cnipperdolingus exilit,

manibus pedibúſq; reptans per homines confertim ſtantes, in ſublimi diſcurrit, & in os illis inhalans, pater, inquit ad ſingulos, te ſanctificauit: accipe ſpiritum ſanctum. Alio quodã die choream ducens coram rege, ſic ſolebam, ait, aliquandò cum mea meretricula: nunc autem pater mandauit, ut in aſpectu regis ità faciam: cúnque nimius eſſet neq; deſiſteret, rex offenſus, abit: tum ille conſcendit in ſolium, & pro rege ſe gerebat: interueniens autem rex deturbat hominem, pérque triduum in carcere detinet. Durante obſidione, librum conſcribunt & edunt, Reſtitutionem ipſi uocant: hoc in libro tradunt inter alia, regnum Chriſti futurum eſſe eiuſmodi ante ſupremum iudicij diem, ut pij & electi regnent, impijs omninò deletis ubique: tradunt etiam licere populo, magiſtratum abrogare: item, etſi nullum habuerunt apoſtoli mandatum uſurpandæ iuriſdictionis, tamẽ eos, qui nunc ſint, eccleſiæ miniſtros, debere ſibi ſumere ius gladij, pérq; uim conſtituere nouam rempublicam: adhæc, neminem, qui non reuera ſit Chriſtianus, in eccleſia tolerandum eſſe: tum & illud, nõ poſſe quenquam fieri ſaluum, niſi facultates omneis in commune deferat, nihílque proprium poſſideat: Lutherum etiam & pontificem Romanum aiunt eſſe falſos prophetas, Lutherum tamen altero deteriorem: ſed & matrimonium eorum, qui uera fide non ſunt illuſtrati, pollutum & impurum, ac pro ſcortatione uel adulterio potius habendum eſſe dicunt. Hæc illorũ dogmata cumprimis oppugnabant Melanchthon, Iuſtus Menius, Vrbanus Regius, quorum extant ea de re ſcripta, ualde luculenta & copioſa. Paucis deinde pòſt hebdomadis, propheta nouus, quem antea diximus, tuba canit per omneis uias, & edicit, ut ad primarij templi ueſtibulum armati conueniant: nam ab urbe profligandum eſſe hoſtem. cùm eò uentum eſt, cœnam reperiunt paratam. iuſſi diſcumbunt ad millia quatuor: deinde cœnant etiam ij qui interea fuerant in excubijs, circiter mille: rex & regina cum ſuis domeſticis miniſtrant. ſumpto cibo, iámque ferè peracta cœna, rex ipſe panem ſingulis porrigit, his uerbis, accipite, comedite, annunciate mortem domini: Regina uerò poculum porrigens, bibite, inquit, & annunciate mortẽ domini. pòſt, ille, quem diximus, propheta, conſcendit in ſuggeſtum, & rogat an uerbo Dei uelint obtemperare? cùm affirmarent omnes: patris, inquit, mandatum eſt, doctores uerbi eſſe emittẽdos, circiter XXVIII, qui ad quatuor mundi plagas profecti, doctrinã, quæ hac in urbe celebratur, denuncient. nominatim deinde recẽſet eos, et quò quémq;

proficiſci

proficiſci oporteret, demonſtrat. Oſenbrugum itáque miſſi fuerũt, VI, Vuarendorfum totidẽ, Suſatum VIII, Cosfeldiam totidẽ. Poſtea rex & regina cœnant cum reliquis miniſtris et illis, ad profectionem deſignatis. Inter cœnandum rex conſurgit, ait ſibi quidpiam eſſe negocij, quod pater mandarit. fortè captus erat miles quidam: hunc proditionis, ut alterũ Iudam, rex inſimulat, et decollat ipſe, pòſt redit ad cœnam, & facinus illud ſuum facetè commemorat. Cœnati dimittuntur ij, quos diximus XXVIII, ſub noctem, & præter uiaticũ ſingulis datur numus aureus, quem ijs in locis, quę doctrinam ipſorum non admittant, relinquere iubentur, teſtimonium ſcilicet futuri ipſorum interitus & exitij ſempiterni, ob repudiatam pacem & doctrinam adeò ſalutarem. Hi, cùm egreſſi ad locum quiſque ſuum ueniſſent, excitato per oppida clamore, ut pœnitentiam agant homines, alioqui perituros breui, coram magiſtratu ueſtem humi tendunt, & quos acceperant numos aureos ſuperinijciunt, & ſe miſſos à patre confirmant, ut pacem ipſis deferant: eam ſi recipiant, iubent omneis fortunas communicare: ſin autem repudient, tum hac uelut arra ſeſe conteſtari hoc ipſorum facinus & ingratitudinem: hoc enim eſſe tempus, quod prænunciarint omnes prophetæ, quo tempore per uniuerſum orbem terrarum Deus uelit coli iuſtitiam: & quum officio ſuo rex perfunctus eò rem deduxerit, ut, ubiq; iuſtitia regnet, tum fore, ut patri ſuo Chriſtus regnum tradat. Sic locuti, capiuntur, & primùm amicè, deinde per tormẽta rogati de ſua fide atque uita, déq; urbis munitione, reſpõdent, ſe ſolos habere ueram doctrinam, idque ſui capitis periculo uelle conteſtari: nam inde ab apoſtolorum ætate, neque rectè denunciatum uerbum Dei, nec ullam fuiſſe iuſtitiam: eſſe quatuor omninò prophetas, quorum duo ſint iuſti, Dauid & Ioannes Leidenſis, duo autem iniuſti, pontifex atque Lutherus, & hic quidem illo deterior. Interrogati, cur homines innocentes præter fidem datam ex urbe profligarint, ipſorum occupatis bonis, uxoribus atque liberis, & quo ſcripturæ loco ſuam hanc iuſtitiam probare uelint atque defendere? iam tempus illud adeſſe dicunt, quo fore Chriſtus dixerit, ut mites terram poſſiderant: ſic Ægyptiorum bona Deum Iſraëlitis olim dediſſe. Poſtea de copijs & annona ciuitatis locuti, plærosque dicunt habere ſupra quinque uxores: adhæc, expectari copias è Friſia & Hollandia: ſimul ac iſti uenerint, regem omni cum exercitu proditũrum, ut mundum ſibi ſubijciat, interfectis regibus ob non adminiſtratam iuſti-

tiam. Post habitam quæstionem, cùm in proposito manerent, nec ullum agnoscerent magistratum, præter suum regem, capitis pœna mulctati sunt: ex ijs tamen unus euasit. Iam autem erat urbs adeò grauiter & angustè circumsessa, nullus ut cuiquam patéret exitus: itáque ciues inediam ueriti, déque suo periculo soliciti, cogitabant comprehendere regem, & uinctum tradere episcopo: Rex autem, qui per indicium rem cognouisset, ex omni multitudine delígit sibi duodecim, quos maximè fideles sibi esse putabat, eósque uocabat duces, & singulis attribuit partem aliquam urbis tuendam, & satellites, ut ne quis populi motus exoriri posset: deinde, toti multitudini promittit, fore, ut ad Pascha liberentur ab obsidione simul & inopia: quos uerò delegerat duces, ijs ampliora multò pollicetur, & rerum dominos ait futuros: nominatim etiam, quam cuique prouinciam, quas arces atque prædia daturus esset, exponit: uni tantùm Lantgrauio parcendum esse dicebat, quòd hunc suarum partium aliquando futurum esse speraret. Suprà diximus, conuentum fuisse indictum Confluentiæ, ad mensem Decembrem, eorum ordinum, qui sunt prouinciæ Rhenanæ: his etiam Saxoniæ princeps elector, Ioannes Fridericus, ultrò se coniunxit. Eo in conuentu re deliberata, decernuntur episcopo auxilia subitaria, equites c c c, peditum millia tria, in sex menses: his copijs totíq; bello præficitur Vuirichus Comes Oberstenius. hoc etiã decernitur, reliquos omneis ordines Imperij solicitandos de auxilijs, &, quoniam Cæsar esset in Hispanijs, Ferdinandum regem orandũ, ut in Aprilem mensem, eius rei causa conuentum publicum indicat. Missis deinde literis, grauiter monent obsessos, ut à proposito desistant, quod adeò sit inhonestum et impiũ, ut nihil suprà: nisi pareant, seséq; legitimo suo magistratui dedant, profitentur, episcopo, qui nunc ipsos obsideat, non esse defutura Imperij totius auxilia. fuit hoc sub finem Decembris. Illi rescribunt idibus Ianuarij, anno salutis M. D. XXXV, multis quidem uerbis, uerùm alienè, sic tamen, ut institutum suum laudarent atque defenderent: ad illud uerò, quod ipsis obiectũ erat de creato rege, nihil quicquam respondent: sed in literis priuatim ad Lantgrauiũ scriptis conantur excusare, multa locuti de clade & internecione omniũ impiorũ, de liberatione & regno piorũ in hac uita. simul ei mittunt eũ, de quo suprà diximus, librũ de restitutione, & monẽt ut resipiscat, neq; reliquorũ principum more, qui sunt impij, bellum ipsis inferat, hominibus innoxijs et populo Dei.

Lantgra-

Lantgrauius, lectis illorum literis atque libro, quid in eo uituperaret, annotat, suisque mandat, uti respondeant. Et quoniam illi, paucissimis uerbis atque subobscuris, regem, non tàm ab ipsis quàm à Deo constitutum esse scripserant, rogat, cur non ea scripturæ loca, quibus id sibi licuisse putent, euulgarint, & signis atq; prodigijs antea comprobarint? nam de Christi aduentu Deum per prophetas omneis multò antè prænunciasse, ità quidem euidenter, ut non solùm de familia seu stirpe, sed etiam quandò nasciturus esset & ubi, certò constaret. Causæ quoque fieri cognitionem illi postulauerant: ad hoc Lantgrauius. non istud iam habere locum, quandóquidem & gladij potestatem sibi sumpserint, & tantæ calamitatis extiterint authores: nam omneis uidere, quorsum exeant, nimirum, ut leges omneis atque respublicas euertant: & sicut ipsorum institutum planè sit impium atque sceleratum, sic etiam, quòd nunc de causa cognosci petant, fictum esse ac simulatum: se quidē ipsis ecclesiæ ministros misisse fideles, à quibus hauddubiè rectè sint instituti: quod autem eorum proiecta doctrina, deficiant à magistratu, quòd aliorū facultates occupent, quòd plures habeant uxores, quòd nouum sibi regē delegerint, quòd ex Maria uirgine Christum negent assumpsisse naturam humanam, quòd liberū esse dicant hominis arbitrium, quòd ad bonorum communicationem homines adigant, quòd lapso peccatori denegent absolutionem, hæc omnia tum sacris tum humanis etiam legibus aduersari. Cùm hoc ad eos esset allatum responsum, denuò scribunt, & librum unà mittunt, lingua populari compositū de scripturę mysterijs. per epistolam denuò suam causam exornant & dogmata defendunt: in libro autem, quem diximus, totius mundi tempus atque cursum omnē in treis partes diuidunt. & primum quidem mundum, inde ab Adamo usque ad Noham inundatione perijsse, alterum, in quo nos hodie uersamur, igni perituru, tertium planè nouum esse futurum dicunt, in quo iustitia regnet: prius uerò, quàm hic postremus illucescat, eum, qui nūc sit, oportere per ignem expurgari, sed id non antè futurum, quàm sit reuelatus antichristus, & illius oppressa planè potentia: tunc demum fore, ut collapsa sedes Dauidis erigatur, & Christus regnum suum in terris obtineat, & prophetarum omnia scripta compleantur: præsentem uerò mundum esse uelut ætatem Esau: nam & in eo silere iustitiam, & pios affligi: sed, ut à captiuitate Babylonica, sic etiā nunc à tantis ærumnis adesse tempus liberationis ac restitutionis, & futurum, ut impijs cu-

mulatè rependantur ipſorum ſcelera, ſicut in apocalypſi denunciatũ ſit: hanc autem reſtitutionem antecedere futurum ſæculum, ut impijs omnibus oppreſſis, iuſtitiæ ueluti domicilium atque ſedes adornetur. Eo perlecto libro, Lantgrauius negocium dat ſuis aliquot eccleſiæ miniſtris, ut contrarium ſcriptum opponant. Decretum illud Vuormacię factum, ciuitates quædam perpaucæ, quæ tùm interfuerant, minimè comprobant, ac domum ſe renunciaturos dicũt. Poſtea, reliquæ omnes Imperij ciuitates conueniunt Eslingæ, & ibi demùm ſtatuunt, eos qui Confluentię conueniſſent antea, non habere ius, ullum onus ipſis imponendi: nam in eo Cęſaris & omniũ ordinum debere cõſenſum & authoritatem interuenire. decretũ itaq; factum repudiant, & inuicẽ auxilia promittunt, ſi quem hoc nomine periclitari contingat: quod autẽ in publicis Imperij conuentibus, legitimè, pro republica fuerit decretũ, in eo ſe facturos officium, demonſtrant. Ingraueſcente uerò annona per urbẽ, Februario menſe, ſic ut nonnullis etiam, fame ac rerum inopia pereundũ eſſet: quæpiam ex reginis miſerata uicem populi, fortè ad alias dixit, non putare ſe, Deum hoc uellè, ut adhunc modum homines inedia conſumantur. Rex, qui penum haberet inſtructam domi, non ad uſum modò neceſſariũ, ſed ad luxum etiã, ubi reſciuit, in forum illam producit, & unà reliquas omneis, & in genua cõſidére iuſſam, capite plectit, & mortuam ignominia notat, uti ſcortum. eo facto, reliquę concinunt, & patri cœleſti gratias agunt: deinde choreã rex ducit: multitudinem etiam, cui præter panem atq; ſalem nihil iam erat reliqui, ad ſaltationem atque lætitiam cohortatur. Cùm ueniſſet Paſcha, neque liberatio appareret ulla, rex, qui magnificè promiſerat, ut ad excuſationem aliquid inueniret, per ſex dies ęgritudinẽ ſimulat: poſt in forum prodit, & aſino cæco ſe inſediſſe, totiúſque multitudinis peccata ſibi patrem impoſuiſſe dicebat: nunc igitur ipſos planè eſſe mundos, & ab omni piaculo ſolutos: hanc illam eſſe, quam promiſerit, liberationem, qua quidem debeant eſſe contenti. Lutherus, inter alia, quę populari ſermone per hoc tempus emiſit, ah, quid, inquit, aut quomodo querar, ac perditos illos homines deplorem? ipſa nimirum res loquitur, cacodæmones ibi confertim habitare: ſed tamen immenſam Dei miſericordiam celebrare nos meritò decet. Nam etſi propter euangelij contemptum ac nominis diuini cõtumeliam, & piorũ hominum profuſum cruorẽ, digna ſit Germania, quã grauiter Deus affligat, ſathanę tamen impetum adhuc & uiolentiam

coher-

cohercet, neque laxis habenis illum grassari permittit, sed clementer nos admonet, & per tragœdiã hanc Monasterienſem, minimè artificioſam, ad uitę uocat emendationem. E tenim, niſi Deus illum frenaret atque retraheret, nihil dubito, quin ſubtiliſſimus ille ſpiritus & tantus artifex, longè ſecus rem fuerit acturus: nunc uerò, quandò ſecurim ei Deus iniecit, non quantum cupit atq; uult, ſed quantùm ei permittitur, furit et tumultuatur. Nam qui fidẽ Chriſtianam conatur euertere genius malus, nõ hanc uiã ingreditur, ut polygamiã introducat: cùm enim nefas & rei turpitudo ſit in omniũ aſpectu, ſatis intelligit homines abhorrere. Politia quidẽ & ciuilis gubernatio poteſt hac ratione turbari, ſed Chriſti regnũ aliis eſt oppugnandũ telis atq; machinis. Qui uult in fraudẽ homines ac inſidias pellicere, nõ eſt quòd regnum aut dominatũ affectet, ac tyrannũ agat: hoc enim omnes improbant, & quò tendant illius conſilia, uident: ſed occultis rationibus, tanq; ſemitis, eò perueniendũ eſt. obſoletè ac inuſitatè ueſtiri, uultũ ad auſteritatem cõponere, caput in terrã deiicere, ieiunare, non attingere pecuniã, non ueſci carnibus, abhorrere à matrimonio, functionẽ ciuilem ſeu magiſtratũ habere pro re prophana, recuſare dominatũ, ac animi demiſſionem ſingularem profiteri: hæc inquam eſt methodus atq; ratio, quæ ſapientes etiã circumuenire poſſit, quæq; diſſimulanter & occultè uiã ad regnum aditúmq; patefacit. uerùm, impudentia ſumma regnũ ſibi uendicare, próq; libidine quot libet uxores ducere, nõ hæc eſt alicuius exercitati, ſed rudis etiámnum cacodæmonis techna, uel ſi eſt exercitati, iam ſanè Deus illũ ità reuinxit catenis, ut ſubtilius inſidiari non poſſit. quod eò facit hauddubiè, ut ipſius numen reuereamur, & ad pœnitentiam excitemur prius, quàm frena laxet illi perito, qui certè multò nos acrius eſt adoriturus. Nam ſi tantam turbam grammatiſtes ille poteſt excitare, quid futurum eſt, ubi plenis uelis in nos inuehetur ille maiori præditus cognitione ſathanas, leguleius nimirum atque theologus? Itáque nihil ab hoc tam inuenuſto genio magnopere metuendum eſt: opinor etiam non omnibus in urbe ludum hunc atque fabulam probari, ſed plæriſque uehementer dolere, qui non abſque ſuſpiriis ac lachrymis à Deo liberationem expectent, ut ſuperioribus annis in ſeditione quoque ruſticorum accidit. Atque utinam nullus in orbe terrarum ſit diabolus aſtutior hoc Monaſterienſi: modò uerbum ſuũ Deus nõ eripiat nobis, equidem perpaucos fore credíderim, qui tam craſſo magiſtro minimèque ſobrio ſint habituri fidẽ.

Quanquam sanè, cùm exardescit ira Dei, nullus est error tam absurdus & inconditus, quem non sathanas persuadeat, ut in Mahometi dogmate uidemus accidisse. nam etsi totum est ineptum, tamen extincta luce uerbi diuini, robur assumpsit, & in tantã sese diffudit amplitudinẽ atque potentiam, uti uidemus. quòd nisi Munceri cõsilium & conatum repressisset Deus, idem erat in Germania futurũ: quantúmuis enim exiguam scintillam, permittente Deo, sathanas in immensum inflammare potest, nec incẽdij melior est uia restinguendi, quàm per uerbum Dei: cùm enim hostis armatura sit omnis incorporea, non potest aut equitum turmis aut machinis ullis debellari. Nostri uerò principes ac episcopi diuersum agunt: euangelij doctrinam impediunt, qua sola mentes hominum atque corda sanari possunt: interim supplicijs grassantur, ut corpus eripiant Diabolo, sed potiorem hominis partem, cor ipsum & animam ei relinquunt. Ea res nimirum illis ità cedet, ut Iudæis olim, qui cruce uolebant atque supplicio Christum extinguere. Iam uerò, quantum ad ea pertinet, quæ de Monasterienſibus diuulgata sunt atque scribuntur, equidẽ sic rem habere puto, fidémque mihi facit illud nuper ab ipsis editum scriptum, quo suum ipsi furorẽ pulchrè depingunt. Primùm enim, de fide uehementer absurda docent, déque Christo, quasi non sit ex Maria satus, ut ipsi loquuntur, tametsi de semine Dauidis uenisse fatentur. sed non satis rem explicant, & sathanas hauddubiè monstri aliquid alit: hoc quidem non obscurè significat & innuit, Mariæ semen aut carnem non posse nos liberare. sed frustrà nititur: nam ex Maria uirgine natum esse Christũ scriptura dicit. quę quidẽ uox in omnibus linguis ad fœtum refertur, qui de carne matris ac sanguine cõceptus atq; formatus in lucem editur. Deinde, quòd Baptismum superioris temporis, uti prophanum damnant, inscienter quoque faciunt: nec enim illum, ueluti rem institutã à Deo, sed tanquam opus humanum, censent & æstimant. Quòd si autem planè contemni debet atque proijci, quicquid impij dant aut habent, miror sanè, cur aurum, argentum, ac cæteras facultates, ereptas impijs, non etiã asperneantur, & nouam materiam fingant? nam ut ista, sic etiã baptismus est opus & creatura Dei. Cùm impius iurat, abutitur uero nomine Dei: si non sit ei uerum Dei nomen, non delinquit: qui latrocinatur, furatur aut prædam facit, mandatum Dei uiolat: si non sit ei uerum Dei mandatum, nihil peccat: sic etiam, si prior baptismus nihil sit, iam illi, qui sunt eo tincti, nihil errarunt. Cur igitur eiusmodi baptismum

ptiſmum execrantur iſti, uelut rem impiam, cùm tamen nihil ſit, ut ipſi confirmant? Si matrimonia ſuperioris ætatis habenda ſunt pro ſcortatione ac adulterio, ſicut ipſi dicunt, quandóquidem ab iſs contracta ſunt, qui fide carebant, ut aiunt, quæſo, nónne meretricum ſeſe filios eſſe fatentur? Iam, ſi ſpurij ſunt & illegitimi, cedo, cur ſuæ ciuitatis atque maiorum poſſeſſiones obtinent? æquum erat profectò, quoniam eiuſmodi ſunt, ne quam hæreditatem adirent, ſed in hoc ſuo nouo matrimonij genere ſibi nouas compararent facultates ac opes, quæ titulum haberent honeſtiorem: nec enim iſtos tàm ſanctos & religioſos uidelicet homines decet, ut meretricijs illis ac illegitimis bonis uitam tolerent, aut alijs illa per uim & latrocinium adimant. Ad ipſorum illud ridiculum regnum quod attinet, adeò multa ſunt & aperta quidem in hac una re flagitia, nihil ut ſermone prolixiori ſit opus: ac ſanè hæc ipſa quæ dicimus, & nimis multa, neque magnopere uideri poſſunt neceſſaria, præſertim, cùm ab alijs abunde ſatis tractata ſint & explicata. In Imperij conuentu, quem rex Ferdinandus, rogatu principum, Aprili menſe, Vuormaciæ, per legatos agebat, ciuitates, quæ nihil adhuc dederant pecuniæ, proteſtantur initiò, ſe ad eum diem adeſſe, non propter decretum Confluentiæ factum, ſed ut Cæſari ac Ferdinando regi morem gerant. pòſt, magna fuit ipſis, de contributione, cum principibus, altercatio. Tandem fuit decretum auxilium in menſes quinque, nempe ad uiginti aureorum millia menſtrua: item, ut expugnata uel capta urbe, parceretur innocenti turbæ, & ut uiris bonis, qui uel eſſent obſeſſi, uel aliò migraſſent, bona reſtituerentur. Eo facto decreto, Monaſterienſis epiſcopus exercitum tradit Oberſtenio: ſed cùm negligenter admodum & propè ſerò conficeretur pecunia publica, nihil potuit præclarè adminiſtrari: tùm & ipſi duces, ob difficultatem rei nummariæ, non ſemel in magno fuerunt uitæ diſcrimine, tumultuante milite. Cùm intra urbem iam res in eũ eſſet deducta caſum, ut fame complures quotidie morerentur, multi etiã aliò diſcederent, ac foras prodirent adeò tenues et adflicti, ut etiã hoſtis uteretur in eos miſericordia: belli duces monebant oppidanos, quòd ſi regem & paucos prẹterea quoſdam traderent, ipſis nihil futurum eſſe fraudi. Ciues, etſi uehementer optabant, ſeueritate tamen & uigilantia regis deterriti, nihil audebant. tàm enim erat rex obſtinatus, ut quándiu ſupereſſet, quod ipſe cùm paucis ederet, non eſſet facturus deditionem. Itáque duces reſcribunt, & iu-

bent,ne posthac ullos emittant,ne pueros quidem aut mulieres.fuit hoc calendis Iunij: postridie respondent illi. queruntur non admitti ad cognitionem legitimam, & præter omne suum meritum grauissimè adfligi: quòd si quis errorem ipsis demonstret, non se defuturos officio: deinde,locum quendam Danielis explicant, de quarta bestia,longè omnium sæuissima:exitus erat literarum,se beneficio Dei in hac ueritatis cõfessione perseueraturos. hæc autem omnia de uoluntate regis ità scripta fuerunt. Rebus autem ad extremum in urbe adductis,duo quidam profugiunt. ex ijs unus capitur à militibus,alter,interposita fide,ad episcopum uenit,& utérque potiundæ urbis rationem ostendit. Oberstenius & episcopus,audito perfugarum sermone,& re deliberata, Iunij die uigesima secunda monent per colloquium oppidanos,ut sese dedant, & multitudinem conseruent, quæ fame contabescat: Illi, præsente rege, per Rotmannum respondent,sic tamen ut à proposito nollent discedere. Biduo pòst, noctu sub horam undecimam, copiæ silentio ad urbem accedunt,& industria perfugæ,milites aliquot delecti,per fossam in uallum perueniunt, interfectis excubitoribus: hos alij subsecuti portam minorem offendunt patentem,et circiter quingenti cum ducibus aliquot atque signis in urbem inuadunt. Ibi tùm oppidani, facto concursu, reliquos conantes irrumpere morãtur, atque uix tandem reijciunt, & occlusa porta,mox in eos,qui fuerant ingressi,facto impetu, multos interficiunt: cúnque per unam & alteram horam esset acriter dimicatum, qui erant inclusi milites,proximam portam,quæ minimo tenebatur præsidio,ui refringunt,et socijs aditum faciunt,qui statim ingenti agmine sese inferunt, cúnque initio resisterent oppidani, & occupato foro sese communiuissent, re desperata, ueniam petunt & impetrant. Rex autem & Cnipperdolingus in hoc ipso tempore capiuntur: Rotmannus,abiecta spe salutis,cùm in confertam hostium turbam incurrisset,confoditur, ne uiuus in illorum ueniret potestatem. Vrbe capta, episcopus dimidiam prædam & tormenta sibi sumpsit, postea dimissis copijs,duo tantùm signa sibi seruat præsidij causa. Secutus est deinde alter Imperij conuentus, Vuormaciæ, ad idus Iulias. In eo Ferdinandus rex per legatos proponit & rogat, occupata nunc urbe,num præterea sit agendum de delendis in uniuersum anabaptistis: monet etiam, ut pontificem Romanum de concilio principes interpellent. Illi,quid de anabaptistis fieri conueniat,esse iam antea cautum aliquot edictis: de concilio pontificem esse non

semel

semel solicitatum à Cęsare: neque se posse aliquid præterea dicebant. Eodem in conuentu, Monasterienſis episcopus petit impensas atque damnum sibi sarciri, et pactam pecuniam nondū esse persolutam queritur. Cùm nihil amplius decerni posset, perpauci etiam ordines adessent, indictus est alter ibi conuentus, ad calendas Nouembreis, in quo de rationibus & sumptu belli cognosceretur, &, quæ reipublicæ forma sit instituenda posthac Monasteriį, decerneretur. Vbi uenisset dies, Ferdinandi regis legatus paucis repetit causas indicti conuentus, ut uidelicet inter alia deliberetur etiam, quomodo ciuitas nuper occupata, deinceps in ueteri permaneat religione. Posthæc, episcopi legatus exponit, quantos ille toto belli tempore sumptus fecerit, quàm magnum æs alienum conflauerit, quomodo capta urbe, motus & periculi uitandi causa, necesse habuerit bina extruere in urbe castella, præsidijsque munire. quarum rerum omnium rationem haberi petebat. Ad ea responsum est, episcopum & prædæ maiorem partem & tormenta omnia, & ciuium etiam bona cepisse, quæ quidem omnia sint reipublicæ Imperij: æquū esse, ut æstimatione facta, cum sumptibus hæc cōmunicentur: quod amplius desideratum fuerit, eius quoq; rationem habendam esse. Postea decernitur, ut episcopatus Monasterienſis Imperio subsit, pro more antiquo, nobilitas omnis restituatur & ciues etiam, qui migrarint aliò, modò ne sint anabaptistæ: de religione agat episcopus secundum Imperij decreta, primo uere sequentis anni, principum legati Monasterium profecti, de statu ciuium cognoscant, innoxios conseruent, munitiones omneis ab anabaptistis excitatas, demoliantur, & episcopus etiam ab se ædificata castella in urbe, diruat, regem autem & Cnipperdolingum & Crechtingum captiuos, primo quoq; tempore, pro ipsorum merito, plectat, neque amplius detineat. Ad illud quod de religione decretum esse diximus, palàm testati sunt, non se assentiri, Saxo, Lantgrauius, Vuirtembergicus & Anhaldius: idem profitebantur etiam ciuitates, sed neq; ueteres urbis munitiones dirui uolebāt: de nouis non repugnabant. Rex & socij duo captiui, ducebātur huc illuc ad principes, spectaculi & ludibrij causa. Per hanc occasionem, Lantgrauiani concionatores cum rege sermonem cōferunt, & disputationē ineunt de his potissimùm dogmatis, de regno Christi, de magistratu, de iustificatione, de baptismo, de cœna Domini, de incarnatione Christi, de coniugio, & scripturæ testimonijs eò proficiunt, ut illum, quantumuis reluctantem suaq; defendentem, etsi non mutarent totū,

flecterent tamen atq; labefactarent, sic ut plęraq; tandem concederet. quod tamen uitæ seruandæ causa fecisse putatur. Cùm enim secundò redissent ad ipsum, promittebat, impunitate proposita, se facturum, ut qui per Hollandiam, Brabantiam, Angliam, Frisiam essent maximo numero anabaptistæ, silerent, & per omnia magistratui obtemperarent. Cum ipsius deinde socijs ijdem & coràm & scripto disputarunt, de mortificatione, de baptismo paruulorum, de cõmunione bonorum, de regno Christi. Cùm essent adducti Telgetum, rex ab episcopo rogatus, qua fretus authoritate, tantam sibi licentiam arrogasset in suam ciuitatem atq; populũ? rogat inuicem, quis ipsi ius & imperium in eam ciuitatem dedisset? cùnq; respõderet episcopus, de collegij populiq; uoluntate sibi ditionem hanc obuenisse: refert ille, & se
M.D.XXXVI. diuinitus eò uocatum. XIII deinde calendas Februarij, Monasteria reducuntur, & singulis attribuitur custodia separatim: eodem etiam die uenit illuc episcopus, & cum eò Colonienſis archiepiscopi & principis Cliuensis legati. Quod secutum est biduum, pijs admonitionibus datum est, ut ab errore deducerentur: & rex quidem agnouit peccatum, ac precibus ad Christum confugit: reliqui duo nec ullum fatebantur delictũ, & obstinatè sua defendebant. Postridie rex in locum editiorem productus, alligatur palo: aderant bini carnifices ac forcipes igniti: ad treis primos morsus conticuit, deinde misericordiam Dei continenter implorans, cùm horam & amplius ad hunc modum laceratus esset, transacto demũ per pectus mucrone, decessit: idem supplicium & socios eius perculit. Extincti, caueis ferreis alligantur singuli, & ad summam turrim urbis exponuntur pensiles, rex quidem, medius, &, quanta est hominis statura, sublimius illis.

Huius anni mense Ianuario mortem obijt Catharina, quam ante annum tertium Henricus Anglię rex, repudiauerat, ut suprà docuimus. Libro quarto diximus, quomodo Holsatiæ dux Fridericus ope Lubecensium fuit creatus Daniæ rex: cùm is mortem obijsset, natum est bellum inter eius filium, Christianum, regni successorem, & Lubecenses, admodũ graue: sed cum Saxo, Lantgrauius, Ernestus Luneburgius, Bremẽses, Hamburgij, Magdeburgici, Brũsuigij, Luneburgenses et Hildessemij intercederent, huius demum anni mense Februario pacificatum fuit. Bellum tunc Geneuensibus aliquandiu fecerat Sabaudiæ princeps Carolus, adiutus ab eius urbis episcopo, uel potius instigatus, partim, ob euangelij professionem, partim alijs de causis. Erant autem Geneuenses Bernatum Heluetiorum socij, & tãdem

ab il-

ab illis adiuti ſummis copijs, uim hoſtilẽ reijciunt. & Bernates progreſſi, quicquid ipſorum finibus erat opportunum, occupant, ad Lemanum uſq; lacum. faciebant idem etiã reliqui Heluetij, quorum ad fines Allobroges pertingunt. Dum hæc geruntur Galliæ rex, qui multò antè conſtituerat in Italia belligerari, maximè uerò poſt mortem Franciſci Sfortię, de quo diximus, uere primo cõſcriptis copijs, bellũ & ipſe principi Sabaudiæ facit, auunculo ſuo, propter controuerſiam hęreditatis, quam ſibi deberi dicebat, ab illo poſſeſſam & occupatam. Sabaudus iam antea debilitatus, ut dictum eſt, et impar hoſti tàm ualido, breui tẽpore, ferè totis finibus eiectus fuit. Rex enim ſuperatis alpibus, Pedemontanam quoq; regionem inuadit, & inter alia præcipuum ijs locis oppidum Taurinum capit, & opere præſidióq; munit, ductore Philippo Schaboto Amiralio. Habebat in matrimonio Sabaudus Emanuelis Luſitaniæ regis filiam, Mariam, Cæſar autem Mariæ ſororem, Iſabelam. & ſuperioribus quidem annis neutri ſeſe dederat ille: cùm autem nunc ad Cæſarẽ inclinare uideretur, regem è ſorore conſanguinea Ludouica nepotẽ in ſe concitauit. Sunt qui dicant, Clementem põtificem, quo tempore Maſſiliæ fuit, ut ſuperiori libro diximus, regi conſilium hoc dediſſe, ut ſi Mediolanum aliquandò recuperare uellet, uicinam Sabaudiam atque Taurinos primùm occuparet. Vtcunq; ſit, rex, anno ſequenti, noua quadã cõſuetudine, per ſui regni prouincias inſtituit milites legionarios, ad quadraginta circiter millia, qui ſeſe armis exercerent, & cùm tempus ità poſceret, eſſent expedeti. Cùm enim antiquitûs Galliæ reges plurimùm ualeant equitatu, quem alunt perpetuum, iſte peditatũ etiam uoluit habere delectum, ne ſemper opus eſſet externo milite. Erat autem propoſiti regis, producere exercitum, & bellũ in Inſubria uicina facere, quò principatum Mediolanenſem recuperaret, quem antea toto ſexennio poſſeſſum, ad ſe ſuoſq; liberos pertinere contendebat, per Valentinã, Philippi Vicecomitis, poſtremi Mediolani principis ex ea familia, ſororem, proauiam ſuam. Ità res autem habet. Vicecomitum familia per Inſubriã illuſtre nomen obtinet. In ijs primo loco refertur Otho, Mediolanenſis archiepiſcopus, qui Rodulpho, Cęſare, Turrianos, nobilem & inſignẽ familiam, eiecit. Hunc ſequitur ex fratre Theobaldo nepos Mathæus, inde Galeacius, Actius, Luchinus, Ioannes, Matthęus II, Galeacius II, Barnabas, Ioannes Galeacius, quem Vuenceslaus Cæſar primum Mediolani ducem creauit. Huic erant filij duo, Ioannes, Philippus, qui ſine liberis deceſſe-

runt,& Valentina. Philippi filiam notham, Franciscus Sfortia, uir militaris, Iacobi filius nothus, in matrimonium ducit,& per eam occasionem principatum Mediolanensem inuadit, excluſa Valentina, Philippi sorore, quam in matrimonio habebat Caroli sexti Galliæ regis frater, Ludouicus, dux Aureliæ. Sfortiæ nati sunt liberi, Galeacius, Ludouicus, Ascanius: ex ijs Ludouicus dominatum inuasit, & filios procreauit Maximilianū, Franciscum. Ex Valētina liberos habuit Aurelię dux, Carolum, Philippum, Ioannem. Carolus, pater fuit Ludouici ducis Aureliæ, qui pòst factus est Galliæ rex, eius nominis duodecimus. Philippus absq; sobole decessit. Ioannes Engolismorum princeps filium suscepit Carolum, patrem Franciſci regis, qui Maximiliano Sfortia capto, suã in potestatem redegit Insubriã: sed Leo decimus & Cęsar, ipso profligato, Franciscū Sfortiã exulem restituerunt. quo nunc demùm extincto, rex Franciscus, repetendi sui iuris, ut ait, & uindicandi causa, bellum denuò mouet, quia post interitū Sfortiæ, Cæsar Insubriam suæ ditionis fecerat per Antoniū Læuam, quem, nauigaturus in Aphricã, ut suprà diximus, legatum & custodem ibi reliquerat. Vbi primùm ergò de conatu regis intellexit, ilicò per Germaniam, alijsq; in locis, quantum omninò potest, conscribit exercitum, & in Italiã euocat: & quum Neapoli Romam ueniſſet initio mensis Aprilis, aliquot pòst diebus, senatum sibi dari petit, & in frequenti cœtu cardinalium, præsente pontifice & exterorum regum legatis, orationem habet grauem ac uehementem in Galliæ regem, qui rupto fœdere & inueterato quodã odio, pulcherrimos ipsius & sanctissimos conatus impediret ac euerteret. Exitus orationis erat, ut diceret se paratum esse cum illo dimicare singulari certamine, quò uidelicet alterutrius priuato potius, quàm publico totius orbis incommodo, belli finis aliquandò fiat. Prius quàm Neapoli discederet, fœdus cum eo Veneti fecerunt in Turcam, eóq; magis, quòd fore sperarent, ut Mediolani possessionem alicui traderet. Nam cùm reliqui per Italiam dynastæ, tum inprimis ipsi, neq; Gallos neq; Cæsarem uolebant amplissimo principatu locupletari, & superioribus annis eò sæpe conspiraverant, nunc in Gallum, nunc in Cæsarẽ, ut Franciscus Sfortia restitueretur, quòd ab eo sibi minus esse periculi putarent. Etenim, eius fœderis, quod ante annum decimum Clemens atq; Veneti contra Cæsarem inierant, hæc fuit causa, quòd illum, profligato Sfortia, totam Insubriam uelle sibi putarent uendicare, quod quidem certissimo suo cum detrimento coniunctũ esse

esse iudicabant: & quum ante annũ sextum, Clementis pontificis interuentu, Sfortiã Bononiæ restitueret, incredibilem sibi conciliauit beneuolentiã. Neapoli quoq; Cæsar nuptias peregit filiæ suę nothæ cũ Alexandro Medices, quẽ Florentiæ ducem cõstituerat, uti libro septimo diximus. Alexander hic erat filius nothus Laurentij Medices, qui patrem habuit Petrũ, quem superiori libro diximus in ostio Liris obrutũ fluctibus interijsse. De Vergerio dictũ est libro superiori, quare fuerit amandatus in Germaniã: cùm autẽ Cæsar Neapolim ueniret, pontifex illũ reuocat: ubi magna celeritate Romã uenisset, legationẽ renunciat: protestantes concilium postulare, liberũ & Christianum, & quidẽ intra fines Imperij, loco opportuno, quod Cæsar sit ipsis pollicitus: de Luthero cæterisque nullam esse spem, nisi opprimantur: ad illud de rege Britanniæ protestantes minimè assentiri, cæteros uerò principes admodum frigere: Georgiũ autem Saxoniæ ducem affirmare, maximum esse periculum à Lutheranis, quod sanè non alia ratione depelli possit aut euitari, quàm si bellum Cæsar illis atque pontifex quamprimùm faciant. Ea re cognita, Vergerium pontifex, ut Neapolim celeriter ad Cæsarem transcurrat, & hæc illi commemoret, præsertim illud de capiendis armis in Lutheranos, dimittit. Cùm deinde Romam Cęsar uenisset, quod fuit Apri li mense, sicut antè docuimus, indictionem concilij multùm urgebat, eiúsque rei diploma secum asportare cupiebat: pontifex autem, non quidem recusare, sed aliquam urbem Italiæ deligere, & conditiones uelle se præscribere dicebat, ecclesiæ Romanæ necessarias. Tum Cæsar, modò peragere illud uellet, non se reliqua morari: nam Germaniæ potissimam partem, ut in eo ipsum sequantur, adducturum. Sic ergò nouem ex eo numero deligit pontifex, qui diploma conscribãt. Hi erant Campegius, Cesius, Simoneta, Ginucius, Contarenus, Polus, cardinales: archiepiscopus Brundusinus, episcopus Rhegiensis, Vergerius, tunc primùm factus episcopus Modrusiensis, ac non multò pòst, Iustinopolitanus: hi simul omnes, primùm, pontifice prẽsente, postea separatim formulam indictionis conscribunt, ut infrà dicetur. Suprà dictũ est de legatione Britannica: cum ijs actum fuit Smalcaldiæ certis conditionibus. ut puram euangelij doctrinã, Augustę propositam, & pòst explicatã, rex propaget, & in legitimo concilio, si quod erit, unà cùm ipsis defendat: ne cõcilij uel indictionem uel locum alterutri recipiant, nisi de communi uoluntate: quòd si tamen certis & indubitatis argumentis appareat, eiusmodi futu-

rum esse concilium, quale pontificio legato Paulo Petro Vergerio sit demonstratum, ne repudietur: quòd si põtifex nihilóminus pergat, ut tùm eius institutum impediatur, & testificatione publica recusetur: sicut ipsorum doctrinæ sese res adiunxit, ità quoq; fœderi coniungat, eiúsq; dicatur patronus atq; defensor: illa uulgaris de primatu pontificis opinio, reiciatur in sempiternum: si quod bellum nomine religionis aut quauis alia de causa fiat in alterutros, ne quid auxilij detur ei qui uim facit: ad fœderis defensionem rex dependat aureorum millia centena, cuius quidem pecuniæ partem dimidiam confœderati, cùm opus erit, impendant, reliquum uerò sumptum ex ea, quam ipsi contribuerunt, pecunia, faciant: quòd si autem diuturnum sit bellum, & uis hostilis ità cogat, tum ad ducenta millia rex annumeret, quando quidem ipsi, cùm in eum casum res deuenerit, non facultates modò, sed uitam etiam atque sanguinẽ profundere pacto teneantur: eius quoq; summæ sit eadem ratio quæ superioris, nec in alium usum quàm ad defensionem erogetur, & quod reliquũ erit confecto bello reddatur: hęc ad regem legati perscribãt, & cùm de ipsius mente cognorint, Saxoni, Lantgrauioq; renuncient, quò communis deinde mittatur ad illum legatio. Cùm ad regem hęc postulata legati misissent, Vuittembergã profecti, reliquam hyemem ibi transigunt, & interea cum theologis ibi differunt de dogmatis, & potissima erat eis controuersia de cœlibatu sacerdòtum, de cœna Domini, de missa pontificia, de uotis monasticis: inprimis autem solicitabant, ut diuortium regis, theologi probarent: sed hi non se posse per scripturam dicebant: cúnq; illi multa deinde persuadendi causa in medium adducerent, hoc inprimis, Clementem põtificem sententijs uariasse, & ad Gallię regem, colloquio priuato, quid sentiret, explicasse: theologi respondebant, si quidem ità sit, magnas regem habuisse causas: urgentibus autem illis, ut iustissimas fuisse causas dicerent, denegabant. Cùm autem ex Anglia uenissent iam literæ, quibus animum suum rex atque sententiã explanabat, legati certiorem de eo faciunt electorem, & XII die Martij, de regis optima uoluntate prolixè locuti Vuittembergæ, quò tum princeps uenerat, postulata plęráque illi placere demonstrant, si pauca quędã emendentur: Et quanquam omnia sint per Britanniam pacata, neque subsit causa, quamobrem ab ullo sibi rex metuat, &, si qua fortè causa fuit, ea nunc uxoris repudiatæ sit interitu sublata, recuperandę tamen atq; retinendæ uerę doctrinæ gratia, non illum recusare, quam flagitent, pecuniæ summam

depen-

dependere, si fœdus coëat: hac etiam de re uelle prolixius agere coràm cum ipsorum legatis: quòd autem honorem hunc ei deferãt, ut sit fœderis defensor atq; patronus, permagnã habere gratiam, & ipsorum agnoscere beneuolentiã: ac licet intelligat, quanta sit hoc cum inuidia coniunctum & offensione, reipublicæ tamen causa non detrectare, si de primo atq; secundo postulato conuenerit: nisi enim doctrinæ sit concordia, putare, prouinciam hanc non satis honorificam sibi futuram: cupere autem inprimis, ut suæ atq; ipsorum ditionis uiri docti prorsus idem sentiant: & cùm id fieri non posse uideat, nisi quædam ipsorum doctrinæ confessionis & apologiæ loca, priuatis colloquijs præmolliantur, ideò rogare plurimùm, ut legatos mittãt, & in his aliquem insigniter doctum, qui cum suis de doctrina tota, deq; ceremonijs conferant atq; statuant: cúnq; tàm liberalẽ sese præbeat, inuicem ab ipsis petere, primùm, si quis ei bellũ faciat, ut aut quingẽtos equites aut naues decem instructas & ornatas, suppeditẽt in menses quatuor, deinde, ut sumptu ipsius, equitum millia duo, peditũ uerò quinq; procurent: postremò, quam sententiam de diuortio facto theologi Vuitembergici pronunciassent, ut eam ipsi quoq; laudẽt, & in futuro concilio propugnẽt. Saxo, quoniã ad socios ea res omnis pertineat, communicaturũ se consilia respondet. Aprilis deinde dies XXVIII constituitur, quo die Frãcofurti cõueniant omnes, cum hac ipsa tum alijs de rebus. Cùm eò uentũ est, legatis responsum fuit, etsi iam primùm in fœdus nonnulli sint recepti, quidam etiam propter itineris interuallum, quòd ad suos referre non possint, definiendi mandatum nullum habeant, fore tamen, ut in hoc ipso conuentu, quemadmodum sit ad regem mittẽda legatio, statuatur, & qui iam statuere non possunt, intra mensem unum Saxoni Lantgrauióque suam uoluntatem declarent, quod ipsis ilicò pòst, eo, quem designauerint, loco, renuncietur, neq; dubitare, quin & hi maioris partis, quæ iam legationem approbarit, sententiam probent. Concepta deinde fuit actionis instituendæ formula, quam in Angliam mittendi legati sequantur. in ea cautum fuit inter alia, quum eò uenerint, & de fœdere fortè decreuerint, ut in rebus omnibus Imperium atq; Cæsarem, cui fide sint atq; iurciurando deuincti, claris uerbis excipiant. Ciuitatum nomine fuit ad legationem designatus Iacobus Sturmius: theologi uerò Melanchthon, Bucerus, Georgius Draco. Recepti sunt in fœdus, hoc in conuentu, Vuirtembergicus princeps Vlrichus, Berninus & Philippus fratres, Pomeraniæ principes, Georgius & Ioachimus Anhaldij, fratres,

item Augusta, Francofurtum, Campodunum, Hamburgum, Hanobria: de cæteris quoq; rebus, ad fœdus atq; defensionem pertinentibus, deq; iudicio Camerę tractatum fuit: hoc etiam decretum, mittendos ad Cæsarem esse nuncios atq; literas, quibus ad ipsius epistolam, Neapoli datam, ut superiori libro diximus, respondeatur. De Georgio Saxonię principe iam sæpe diximus, quomodo Lutheri doctrinam inde ab initio uehemēter odisset: cùm ergò per hanc occasionem uariæ lites inter ipsum atq; Saxonem electorem patruelem, huius parentem, nascerentur, ità demùm transacta res fuit, ne quod religionis causa dissidium sit, uerùm in eo sese gerant uterq;, quemadmodum id putent Deo se posse probare, deinde, ut & alterutrius & utriusq; pariter beneficiarij seu clientes, cuiuslibet religionis, eodem sint iure quo prius. nam habent uterq; princeps permixta dominia: quod quidem pacis retinendæ gratia consultò maiores ità constituerunt, ut uter eorum uellet mouere bellum, suis ipse finibus atque populis damnum dare cogeretur. Georgius autem, ea postposita trāsactione, quibusdam ecclesiasticis ditionis electoris, annuos prouentus, quos in ipsius agris haberēt, non multò pòst, eò quòd Lutheri doctrinam sequerentur, denegabat: eadem etiam de causa, communes utriusque clientes, ab usitato moribusq; recepto possessionis beneficio repudiabat. Mortuo uerò Saxone, Ioannes Fridericus filius cœpit per legatos & per literas eum admonere pacti, sed ille minus amicè demùm rescribens, ueluti per contumeliam obiecit inter alia defectionem ab ecclesia & à pontifice atq; Cęsare: cúmq; post multam actionem, hoc demum anno frustrà rursum esset tentata conciliatio, per legatos elector hoc in conuentu rem omnem socijs ordine commemorat, & opem consilióq; iuuari sese petit, si quam ille fortè cum suis uim paret. Ad decimum deinde Maij diem dimittitur conuentus. Initio autem Iunij mensis, Angliæ rex cōiugem suam Annam Boleniam, adulterij damnatam & incestus, capite plectit, quum filiam ex ea procreasset Isabelam. ea res legationē, de qua diximus, Anglicanam sustulit. Inflammato iam bello Cæsaris cum Galliæ rege, Paulus III, Iunij die secūdo scriptum edit. posteaquam ad hanc dignitatem beneficio Dei peruenit, nihil magis optasse, quàm ut ecclesia, quæ suæ curæ sit à Deo commissa, sancti spiritus auxilio suáq; uigilantia repurgetur ab hæresibus & erroribus, qui iampridem in ea nati sint & aucti, tum etiam, ut emendatis moribus atq; disciplina, restituatur in pristinum statum: nam & ciuilibus bellis & impiorum etiam machinis illam dilacerari

lacerari: quod sibi cumprimis doleat: cogitanti uerò magna cum solicitudine, quemadmodum hisce malis remedium adhiberet, nullam occurrisse uiam commodiorem, quàm illam ipsam, qua consimilibus in rebus ecclesia semper sit usa, concilium uidelicet publicum: hanc nimirum rationem & antea sibi semper esse probatam, & nunc etiam, simul atque peruenit ad hunc dignitatis gradum, probari, de eóque literas ad Cæsarem aliósque reges dedisse non semel, & iam planè rem constituisse, & omninò sperare, futurum, ut per hanc ueluti medicinam, non solùm ex agro domini reuellantur hæreses, uerumetiam ut compositis regum dissidijs & confirmata pace, bellum inferatur hostibus fidei, quò scilicet nostra recuperentur, & ex ergastulis illis atque miserabili seruitute captiui liberentur, & homines prophani nostræ fiant religionis, & in unum uelut ouile congregentur omnes: quod cùm ità sit, pro ea, quam obtineat potestate, déque fratrum suorum cardinalium assensu, concilium indicere se totius orbis Christiani publicum, ut ad uigesimũ tertium Martij diem anni sequentis, Mantuam ueniant omnes, locum fructuosum & opportunum, quò concilij tunc fiat initium. Itáque mandare in uniuersum omnibus ecclesiæ præfectis, ubicunque terrarum uiuant, ut per eam, qua sint deuincti, fidẽ, illò ueniant ipsi: nisi pœnam legibus constitutam subire uelint: Cæsarem autem, reges, principes & alios, quibus uel iure uel consuetudine licet interesse concilijs, monere atque rogare per Christum, ut ipsi quoque reipublicæ causa ueniant, aut si non possint, legationes eò mittant honorificas & amplas: Cúnque ad omnium ordinum salutem hoc pertineat, ut ipsimet coràm intersint, sperare se, Cæsarem inprimis atque Galliæ regem non esse defuturos: & Cæsarem quidem, religionis amore, tum suo tum Ferdinandi fratris & Imperij principum nomine, non semel de concilio solicitasse Clementem septimum: quia uerò bellis & alijs incommodis, maximè uerò Clementis morte res impedita sit, ab initio statim sui pontificatus, quid suæ uoluntatis esset, Cæsari sese nunciasse, cui pergratum etiam illud fuerit: scripsisse quoque Gallorum regi, qui liberaliter & amicè responderit, cùm antea quoque datis ad Clementem atque senatum cardinalium literis admodum pijs, mentem atque sententiam ille suam ea de re demonstrasset: uerúntamen, si fortè non ueniant ipsi, rogare tamen, ut suæ ditionis homines, quibus interesse licet, eò uenire iubeant ipsos, aut si iustis illi de causis non possint, cuius quidem

rei fidem facere debeant, legatos mittant, qui ad exitum usque Mantuæ permaneant, ut uidelicet in eo conuentu decreta fiant, quomodò & ecclesia reformetur, pristinúmque splendorem recuperet, & funditus tollantur hæreses, & in hostes religionis bellum moueatur: Et uerò quia scriptum hoc ad quosdã pertineat, quibus absque periculo res denunciari non possit, deinde, ne quis ignorantiæ causam aliquam obducat, placere, ut in æde diui Petri & Lateranensi palàm recitetur illud, & pòst in urbe, quibus oportet atque fieri consueuit locis, affigatur. subscripserunt huic diplomati cardinales uiginti sex. Ad septimum Iunij diem, Ferdinandus rex, Oenipontè misso legato ad Heluetios, Iacobo Sturcelio, iureconsulto, Galliæ regem solicitasse uos, inquit, de auxilijs, neque tamen impetrasse quicquam audio: quod quidem summa cum uoluptate accepi, & ad Cæsarem perscripsi: nam certè per se æquum est, ut ità fiat. Etenim huius belli causam Cæsar nullam dedit, & omninò constituerat hac æstate cum barbaris & nostrę religionis hostibus dimicare. Gallus autem ilicò post Francisci Sfortiæ, Mediolani ducis interitum, etsi nihil in eo principatu iuris habet, quanquam superioribus annis de re tota transegerat, cœpit inire belli consilia, & uiolatis pactis Insubriam sibi restitui postulabat, addita comminatione, nisi impetraret: simúlque eodem tempore conductis undique copijs transcendit alpes, & Sabaudiæ ducem, Imperij principem aggressus est, eo uidelicet consilio, ut illa patefacta uia & subiugata prouincia, longius progrederetur. Itáque Cæsar, ut regionem illam defenderet, necesse habuit exercitum & ipse conscribere. Et quanquam non solùm inde ab initio, sed pòst etiam, cùm iam sui muniendi atque tuendi causa maximos feciſſet sumptus, pacem uehementer expetiuit, neque detrectauit quò minus Insubriam ille certis conditionibus acciperet, ut quidem & pontifici coràm & cardinalium senatui & multorum regum legatis Romæ nuper ipse demonstrauit, Gallus tamen, ijs omnibus repudiatis, in sententia permansit. Nunc autem ad me defertur, illum rursus instare continenter apud uos & urgere auxilia, & præ se ferre, tanquam ex lege fœderis illa sibi debeantur, eò quòd in suis ipse finibus bello petatur, & Cæsar ipsum retrò cedentem ultrò persequatur. Longè uerò res aliter habet. Nam ut suprà dictum est, non Cæsar, sed ille huius belli fecit initium, & Cæsarem inuitum ad arma pertraxit. Ac licet nunc propter oppositam Cæsaris aciem retrò cedat,

& Cæsar instet discedenti, non propterea belli Cæsar est dicendus author, sed rectè facere uideri debet, qui consectatur hostem, ut et de damno dato sibi satisfiat, & ocium publicum recuperetur. Non habet ergò locum, illud, quod tantopere iactat et urget, confœderationis caput. Quod cùm ità sit, & quoniam uiolata fide bellum rursus excitauit, peto, ut ne quas ad illum copias transire patiamini. hoc & Cæsari mihíque pergratum erit, & ad reipublicæ uestræ tranquillitatem inprimis pertinebit. Interea protestantes legationem mittunt ad Cæsarem in Italiam, & illud, de occupatis ecclesiasticorum bonis, qua quidem de re Cæsar cum ipsis per literas expostulauerat, ut superiori libro diximus, excusant, & de Cameræ iudicio querun-tur: sed antequam legati peruenissent eò, Cæsar, Iulij die septimo, Sauilia oppido literas dederat ad protestantes. Etsi frequenter antehac tum literis tum per legatos ipsis nunciarit, eò se spectare totū, ut pacem in Germania constituat, & quicquid est dissidiorum, præsertim uerò religionis, placidè componat, nec eo nomine cuiquam fiat ulla molestia, licet ipsa quoque re præstiterit adhuc quod scripsit, tamen, quia Galliæ rex, cui nunc obuiam ire cum exercitu cogatur iniqua molienti, falsò suggerat ipsis, quasi nactus occasionem, sit uiolaturus inducias atque pacem, ideò se rursum his literis ipsos uoluisse cōmonefacere, ne quid eius rei credant, sed hoc certò persuasum habeant, seruaturum se pacta, neque religionis causa cuiquam facturū bellum, nec ullum in Germania motum excitaturum esse: nam hunc apparatum bellicum fieri totum, iuris & authoritatis uindicādæ suę causa: sint igitur animo tranquillo, nec ad ullum motum excitari se-se patiantur: hoc & sibi pergratum, & ipsis quoque futurū esse perutile. Collectis iam uiribus, & per mediam Italiam facto itinere, ualido cum exercitu Cæsar in prouinciam Galliam inuadit. Rex ad Auenionem castra posuit, inter Rhodanum et Druentiam flumina, & deuastatis agris, qua parte Cæsarem esse descensurū uidebat, cùm pugnandi potestatem non faceret, in summas illum difficultates coniecit. nam inopia rerum omnium Cæsar adductus, & multis hominum millibus ex inedia & contagione desideratis, Antonio quoque Læua sublato, cùm reliquas copias dimisisset, Genuam redit. Alter eius exercitus, per eam æstatem, in Veromanduis bellum faciens, oppidum Peronam obsedit, Henrico Nassouio ductore, uerùm infecta re, per idem ferè tempus, quo Cæsar ex prouincia, discessit, & utriusque rei nuncius allatus Luteciam eodem die, magna lætitia ci-

uitatem affecit. nam ualde trepidatum fuit, & graues habebantur ad populum in Cæsarem conciones, & uallis atque fossis urbem munire cœperant legati regis, & ad portas erant dispositæ stationes. Militabat hoc in bello Galliæ regi, Gulielmus Furstembergius Germanus. Sub huius initium belli uitam finijt Galliæ regis filius natu maximus, Franciscus, octodecim annorum adolescens. Veneno perijsse fama fuit, & Italus quidam Sebastianus Moncuculanus in suspitionem uocatus, habita quæstione, diuersis equis Lugduni fuit distractus, & rex datis postea literis ad Germaniæ principes, inter alia grauem ea de re querimoniam habuit, in Antonium Læuam & Ferrandum Gonzagam, Cæsaris administros, omnem inuidiam facti conferens. Archiepiscopus Colonienſis Hermannus, cùm iam olim emendationem ecclesiæ cogitaret, hortatu suorum, prouinciæ suæ concilium cogit in hoc tempore, uocatis eò reliquis, uti fieri solet, suæ ditionis episcopis, Leodino, Traiectensi, Monasterienſi, Osnabrugensi, Mindensi. facta sunt ibi decreta de ceremonijs atque doctrina: pòst etiam eius rei liber fuit editus, quem Ioannes Gropperus, iuris pontificij professor, composuit, in quo plæraque omnia dogmata pontificia, nouis interpretationibus & ueluti coloribus uestiuntur. Hoc ipsum uerò scriptum, neque tum satisfaciebat, licet ederetur, & aliquot pòst annis, episcopo minus placuit, ut suo loco dicemus. Ad hoc etiam tempus, Iulio mense, decessit è uita Erasmus Roterodamus, septuaginta circiter annorum senex, Basileæ sepultus, quo remigrauerat Friburgo relicto. Quantus & quàm eloquens uir fuerit, quantúmque ei res omnis literaria debeat, testificantur ipsius monumenta. Per occasionẽ profligati pontificatus, & repudiatæ filiæ Mariæ, quam uulgò diligebant, & suppliciorum, quibus nonnulli fuerunt affecti, quòd regijs edictis non obtemperassent, nata fuit grauis per Angliam seditio: quæ breui tempore sic exarsit, ut rex conductis copijs obuiam illis procederet: cùm autem castris utrinque positis in colloquium esset uentum, demulsis quorundam animis, reliqua turba discessit ab armis: & cùm iam æstus ille deferbuisset, capite plærique mulctati fuerunt, eius motus authores. Quas Iulio mense Cęsar dedit literas, ut dictum est, ijs protestantes nona die Septembris respondent, & quòd adeò benignè liberalitérque scripserit, permagnam animo cœpisse uoluptatem atque lætitiam ostendunt: nam licet ipsius uerbis atq; promissis fidẽ haberent, tamen, quòd essent ad se uarij rumores

allati

allati de ipsius offensione, deinde, quòd Cameræ & plærique alij iu
dices, non habita ratione pacis, contra se multis modis experirentur,
causam sibi dubitationis atq; solicitudinis iniectã fuisse: nunc uerò,
postquam rursus adeò beneuolè & apertè scripserit, nihil amplius
dubitare, quin & illa præstet, & maleuolorum calumnias excludat:
idem se facturos inuicem, nec ijs, qui secus de ipso persuadere uelint,
habituros esse fidem, in cæteris etiam rebus omnibus acturos quod
sui sit officij: Et quanquam nunc diuulgatum sit de concilio, quod
ipso solicitante, ut quidem scriptum habet, pontifex ad uigesimum
tertium Maij diem anni sequentis, Mantuam conuocarit, ex quo sa
nè scripto, cuiusmodi sit futura conditio, qui modus concilij, uideri
non possit, tamen, cùm & ipsi pium liberúmq; cõcilium in Germa-
nia cogendũ, semper flagitarint, cùm & in Imperij comitijs & pacifi-
catione quoq; Noribergica sic decretũ sit, & cùm ante annũ tertium
ipsius atq; etiã Clementis põtificis legato, claris uerbis hoc ipsum &
abunde satis demõstrarint, omninò cõfidere, futurũ, ut legitimè rem
instituat. Hoc ipso mense põtifex aliud scriptũ euulgat, & interea
dum fiat concilium, uelle se dicit sanctam ciuitatem Romam, totius
orbis Christiani caput, & doctrinæ, morum atque disciplinæ magi-
stram, emendare, & ab omnibus eluere sordibus atque uitijs, ut sua
nimirum domo rectè purgata, reliquas eó facilius etiam purgare li-
ceat: & uerò, quia sit imbecillis hominum natura, nec ipse rem tantã
obire solus, & simul alia quoq; reipublicæ negotia procurare possit,
ideò se cardinales aliquot delegisse, quos sibi Deus immortalis, offi-
cij sui & solicitudinis tanquam adiutores atq; socios adiunxerit, qui
rem istã adeò necessariam atq; salutarẽ administrent, Ostiensem, San
seuerinũ, Ginutium, Simonetam, & cum his episcopũ Cassanensem,
Nuuosicum, Aquensem. His iubet omneis parére, graui constituta
pœna, qui secus fecerint. Cæsar Octobri mense Genua soluit, &
in Hispaniam redit. Galliæ rex Luteciam deinde uenit, & calendis
Ianuarij filiam natu maximam Magdalenam, in matrimonium ibi M.D.XXXVII.
dat Iacobo quinto Scotiæ regi, qui superiori autumno uenerat in
Galliam. Ad hoc ipsum ferè tempus, Laurentius Medices, gentilẽ
et propinquũ suum, Alexandrũ Medices Florentinũ principem, no
ctu per insidias interficit, cùm in suas ædes eũ traduxisset, iniecta spe
potiundæ cuiusdam matronæ nobilis, uicinæ suæ, quę forma & pu-
dicitię laude cęteris anteibat. Eo sublato, summa rei peruénit ad Cos
mum Medices, qui de uolũtate Cęsaris in matrimoniũ postea duxit

Petri Toletani proregis Neapolitani filiam Eleonorã. Idibus deinde Ianuarij, Galliæ rex, Luteciæ Parisiorum uenit in curiam forensem, quod rarò fieri consueuit, & frequenti admodũ senatu, grauem habet de Cæsare querimoniã, & causas explicat, cur Flandria & Artesia prouinciæ, quas regum Gallorum beneficio atque tutela Cæsar teneat, sicut ipsius etiam maiores, ad Galliæ patrimonium reuocari debeant. uerba faciebat aduocatus regius Capellus, neque Cęsarem, sed Carolum Austriacũ appellabat. Interim Tigurini, Bernates, Basilienses, Argentinenses, ad Galliæ regem intercedunt pro ijs, qui propter religionẽ erant in uinculis, & ut exules restituerentur, orabant. rex iam antea redeundi facultatem dederat profugis, & libertatem cõcesserat captiuis, ea lege, si quidem ad episcopos eorúmque uicarios crimen intentatum abiurarent, & in posterum rectè cauerent: hanc uerò conditionẽ legati cupiebant omninò remitti, & rex nonnihil quidem laxauit, sed desiderio tamen illorum non satisfecit, & die xxiiii Februarij, per Annam Momorancium, curiæ magistrum respondit: de quo suspitio deinde fuit, quòd ipsius impulsu rex minus liberaliter egisset. usi fuerunt opera reginæ Nauarræ legati, quæ soror erat germana regis, lectissima mulier, & ueræ doctrinæ perquàm studiosa. Cõscriptis interea copijs, rex, initio Martij progressus in Atrebates, oppidum & arcem Hesdinum ualde munitam obsidet, ac intra mẽsem deditione capit. Ad hoc ipsum tempus uenit ad regem legatus à pontifice, Reginaldus Polus Anglus, nuper factus cardinalis, amplissimo genere natus. Legationis causa fuisse putatur, ut aduersus Angliæ regem aliquid cuderetur. Sub illud tempus, quo Galliæ regis filiam Scotiæ rex ducebat, pontifex ei dono miserat ensem fabrefactum, multique precij, & in Angliæ regem, ipsum excitabat. Solent autẽ pontifices, in nocte natalis Christi, certis quibusdam ceremonijs, ut alia multa, sic etiam ensem consecrare, sicuti uocant, quem deinde honoris & beneuolentiæ causa tradunt aut etiã absenti mittunt, cui uidetur. Sixtus quartus hunc morem inprimis usurpasse dicitur, ut quidem ipsorum habet ceremoniarum liber. Polus librum postea conscripsit, cui titulum dedit, pro ecclesiasticæ unitatis defensione. Regem autem Henricum affatur, grauitérque reprehendit, quòd sese caput ecclesiæ constituat: nam ad solum pontificem Romanũ id munus pertinere, qui sit Christi uicarius & successor Petri, quem Christus apostolorum principẽ designarit: hunc enim esse, qui solus responderit, Christum esse filium

lium Dei: super hunc, ueluti petram, Christum ædificasse ecclesiam suam: pro eius fide Christum orasse, ut ipse conuersus fratres quoque suos conuerteret: Ioannem, à morte Christi semper obsecutum esse Petro, cúnque ad sepulchrũ Christi simul ambo properarent, noluisse priorem ingredi, sed honorem hunc illi detulisse: curã pascendi oues, illi fuisse demandatam à Christo præcipuè: sed & rete plenum piscibus, quod à multis trahi non poterat, ab uno Petro fuisse pertractũ in littus. Ad causam diuortij pòst accedit. regẽ non conscientiæ terrore neq; metu numinis diuini, sicut præ se ferat, sed libidine & cæco quodam amore concitatum, deseruisse Catarinam uxorem, quam Arturus frater, XIIII annorum adolescens, et imbecillus, uirginem reliquisset: Annam Boleniam non ei licuisse ducere, cuius antea sororem habuerit concubinam: uirginem autem fuisse Catarinam, ipsúmmet esse professum tum alijs, tum Cæsari. Vehementer etiam exagitat, quòd dimissis literis ad omneis academias, de primo suo matrimonio rex consilium exquisierit, & sua sit ipse lætatus turpitudine, quum illud incestum fuisse nonnulli pronunciarent: ualde autem esse pudendum, quòd scorti filiam, legitimæ filiæ, & probatissimæ quidem uirgini, præferat. Pòst, de supplicio Roffensis episcopi & Thomæ Mori multum sermonẽ habet, detestatus crudelitatem. Adhæc, quomodo rex omneis ordines adflixerit, in quantã miseriam florentissimum regnũ adduxerit, quantum ei periculũ immineat à Cæsare, propter repudiatam materterã ac profligatam religionem, & quàm nullum possit aut debeat à suis uel etiam externis auxilium expectare, qui tàm sit malè meritus de republica, demonstrat, & ad Cæsarem oratione conuersa, plurimis eum uerbis, ut familiæ suæ contumeliam tàm insignem ulciscatur, exacuit, & Turcicum semen per Angliam atque Germaniã dissipatum esse dicit, doctrinã, pontifici contrariam, designans. Post multã deinde criminationẽ & acerrimã reprehensionem, ad pœnitentiã inuitat, nec ullum superesse dicit aliud remedium, quàm ut ad ecclesiæ gremium reuertatur, quam aliquando libris editis defenderit, glorioſissimo nimirum exemplo. Scriptum hoc excusum Romæ, nõ addito tempore, diu latuit, & post multos demum annos, ad unum & alterum in Germaniam emanauit. Scribẽdi uerò causam hanc esse dicit, quòd rex id aliquandò petierit. Et quanq; nõnulli per Angliam uiri docti, qui idẽ fecissent, uitam profuderunt, se tamen, qui plurimùm ipsi debeat, quid sui sit consilij, non potuisse dissimulare: neq; uerò maledicentię

tribuendum istud esse: natura enim & uitæ quodam instituto plurimùm ab eo morbo sese abhorrere: sed quoniam adulatorũ uocibus deceptum,& toto cœlo, quod dici solet, errantem,in uiam reuocet, maximum ei sese dare beneficium. Henricus rex in literis eum instituui curauit, adolescentem, & benignè multa in eum fecit: cùm autem ea, quam diximus, mutatio per Angliam fieret, nec ille probaret, Paulus tertius,monitu & commendatione Contareni, cardinalem ipsum creat & Romam accersit. Qui familiariter hominem norunt,euangelij doctrinam ei probè cognitam esse dicunt: quòd autem in Henricum regem ità scripserit, causam esse putant, ut suspitionẽ euitaret Lutheranismi. Librum uerò sumptu suo curauit Romæ procudi, sicuti ferunt,& ad se receptis omnibus exemplis, pontifici tantùm atque cardinalibus & intimis amicis legendum dabat. nam & illis probare sese uolebat,& simul uerebatur,ut est credibile, ne si uulgò legeretur in eorum reprehensionem incurreret, qui longè diuersum ab ipso non semel audiuissent.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber XI.

DE AVGVSTANIS LOCVTI SVMVS LIBRO NOno. cùm hi demùm religionem mutassent,& ecclesiastici plærique genere nobiles, hanc ob causam iratí deseruissent urbem, senatus ad Cæsarem, Ferdinandum regem & omneis Imperij ordines edito scripto, facti sui rationem explicat,& quàm amicè cum illis egerit, quàm multa pertulerit, quàm autẽ illi sese gesserint odiosè, & quomodò seditionem aliquoties in urbe conati sint excitare, commemorat. Huic deinde scripto, non multò pòst, tum suo tum suorum nomine respondet episcopus Christophorus, & à multa criminatione,Cæsarem atque principes hortatur,quandóquidem ad ipsos non minus quàm ad se periculum pertineat, ut in medium consulant. De legatione protestantium in Italiam ad Cæsarem missa,dictũ est libro superiori. Hi erant Ioachimus Pappenhemus,

Ludoui-

Ludouicus Bambachus, Claudius Peutingerus iurecõsultus, et tria potissimùm habebant in mandatis, de quibus agerent: ut famam illã excitatam, quasi cùm Galliæ & Angliæ rege fœdus ipsi fecissent, refutarent, ut Cameræ iudicium Cæsar cohiberet, ut qui post pacifica tionem Noribergicam in fœdus ueniissent, eius quoque pacis beneficio fruerentur. Ea postulata Cęsar audiuit quidem, sed rebus bellicis occupatus, in Germaniam se missurum esse legatum ait, qui respondeat: cùm ergò Genua rediturus esset in Hispaniã, ut antè diximus, Mathiam Heldum procancellarium in Germaniam amandat. protestantes, cùm id ex legatis domũ reuersis audissent, septimũ Februarij diẽ constituunt, quo die Smalcaldię cõueniant omnes: et quia concilij dies instabat, neq; dubiũ erat, quin Cæsaris orator ea de re quoq; dicturus esset, placuit, theologos etiam, & primi quidem nominis, adduci oportere. ueniunt igitur ad constitutum diem, præter principes atque ciuitatum legatos, Lutherus, Melanchthon, Bucerus, Osiander, alijq; multi. Heldus, Ianuario mense Vienna digressus à Ferdinando Romanorum rege, & in itinere certior factus per Saxonem atque Lantgrauium de ipsorum conuentu, cùm Smalcaldiã ueniisset, Februarij die XV in omnium consessu uerba facit. Iniunctũ sibi esse à Cęsare, ut Saxoni tantùm atq; Lantgrauio sua mandata referat, sed quoniam hi putarint socijs esse communicanda quoque, uoluisse morem eis gerere: non sibi quidem esse notos confœderatorum legatos omneis, ideóque, si qui sint in eo numero, ad quos responsum hoc Cæsaris nihil pertineat, non esse, quòd hi secum aliquid actum arbitrentur, inprimis autem Augustani, qui & in Italia Cæsarem & in Hispania priuatim de religione sæpe solicitarint, & nuper etiam Genuæ per legatum, cui tum Cæsar dixerit, fore ut per aliquem è suis, in Germania det ipsis responsum: illos autem aduentu suo minimè expectato, mutasse statum religionis, non absque Cęsaris & contemptu & ludibrio: itáque se mutata necessariò consilij sui ratione, cùm Augustam ueniisset, nihil quicquàm egisse cum illis, & rem omnem ad Cæsarem bona fide scripsisse. Cùm deinde suę legationis exhibuisset testimonium, pergit, & Cæsaris nomine dicta salute, quòd de fœdere Gallico & Britannico tàm diligenter sese purgarint, auditu suisse pergratum Cęsari, qui & fidem ipsis habeat, & uirtutem quoque collaudet, quòd à Gallicis artibus, insidiarum plenis, prudenter sibi caueant: pòst, de bello Sabaudico, déque Galliæ rege multa locutus, illum non Cæsari modo impedimentum in-

ferre, quò minus omne robur in Turcam expediat, sed consilia quoque communicare cum Turcis, & illos in rempublicam Christianã excitare dicebat: hoc etiam eius esse perpetuum studium, ut diuulsis & exacerbatis animis, bellum ciuile per Germaniam accendat, & in hoc nunc esse totum, ut ipsis persuadeatur, quasi pacta Cæsar non sit seruaturus: petere autem, ne tàm fraudulentis consilijs fidem habeant: Cæsarem enim ea esse uirtute, ut à pactis minimè sit discessurus, & eius quidem rei non unum ipsos habere documentum: Ad illud de iudicio Cameræ quod attinet, mandasse Cæsarem, ut à causis religionis abstinerent: illos autem, datis postea literis ad Cæsarem, exposuisse, controuersiam oriri sæpenumerò, quæ sint religionis causæ, quæ minus: itáque iussisse Cæsarem, ut quas causas à religione separatas esse putarent, de ijs indifferenter cognoscerent: perquàm enim illi fuisse graue, iuris administrationem retardari: quanta etiam in eo fuerit difficultas, in actione Noribergica satis potuisse uideri: sed ab eo tempore multas incidisse causas, de quibus cùm Cameræ iudices agere uellent, ab ipsis & recusati sint, & asperioribus etiam uerbis compellati, & eius rei querimonias ad Cæsarem esse delatas à litigatoribus, qui suum iure consequi non se posse dicant: quæ sanè res permolesta sit Cæsari, præsertim, cùm plærique omnes iudices delecti sint ex Imperij prouincijs, nec in suspitionem temere uocari possint: Cæsarem ipsum quoque, re tota diligenter perueſtigata, quas ad religionẽ ipsi causas aliquot rescribant, existimare, non eò referri oportere, uerùm ità sentire, cùm lis oritur, quo in numero collocari causa debeat, à iudicibus petendum hoc esse, non ab ipsis litigatoribus: nam ut à causis religiosis abstineatur, satis ipsis esse debere: quòd si uerò iudices præter Cæsaris edictum egerint, non laturos impunè, & fore, ut iuxta legem Ratisbonæ latam mulctentur: sed Cæsarem ipsos inuicem monere, ne priuatim à nonnullis instigati, temere quid faciant, néue Cameræ præscribant: hoc enim nec licere, & esse turbulentum, & ad Cæsareæ iurisdictionis contemptum pertinere cumprimis, & in ipsos quoque iudices contumelioſum esse, qui sint partim illustribus nati familijs, partim eruditione & uirtute præstantes: petere igitur, ne ius ipsum impediant. Quod est è postulatis tertium, ut etiam illi, qui pace Noribergica non sunt comprehensi, fruantur eius pacis commodo: Cæsarem, quo tempore, ipsorum essent in castris legati, per occupationes bellicas ea de re non potuisse cognoscere: & licet religionem

ligionem à nonnullis mutatam intellexerit, tamen, quòd in fœdus præterea recepti sint alij, nihil audisse: quòd si iam ea sit ipsorum mens atque postulatum, ut reliquis omnibus per Imperium, qui longè secus antehac promiserunt, qui decreta comitiorum laudarunt, qui pactis etiam antiquæ religioni sese deuinxerunt, liceat, posthabitis promissis, pactis et obligationibus, à ueteri religione deficere, & suo arbitratu nouam constituere, séque ipsis adiungere, quàm id Cæsari non sit integrum, et quantópere conscientiam eius grauet, per se uoluisse testificari: quod si etiam Cæsar concedat, aut si sponte sua reliqui ordines faciant & Cæsar habeat ratũ, uidere tamen ipsos, quàm id nõ sit pacificationi Noribergicæ congruum: etenim si cuilibet à promisso discedere, & quam uelit religionẽ sequi liceat, quid aliud inde sit expectandum, quàm, ut fundamentum actionis Noribergicæ, nimirum pax ipsa, uioletur? Cæsarem ergò, cùm de reliquorum instituto certius cognouerit, facturum esse, quod æquum uidebitur, sed interim postulare, ut & inducias ipsi seruent, & ne uiolentur ab alijs, dent operam: quod quidem ipsos planè facturos esse confidat, præsertim, cùm iam concilij tempus appropinquet, quo controuersias omneis compositum iri sperare liceat: ipsos nimirum ad Cæsarem de concilio quoque scripsisse, & quartum hoc esse caput, de quo mandatum habeat cum ipsis agendi, ut uidelicet cognita Cæsaris in eo uoluntate, facilius decernant. Et primo quidẽ, scire ipsos, quemadmodum Cæsar & præsens, & absens per legatos, multis in Imperij comitijs, de componenda religione, diu multúmque deliberarit, facto demùm decreto, conciliũ esse peragendum: non prius autem conquieuisse Cæsarẽ, quàm illud indiceretur, & hoc eius fuisse propositi, ut ex Aphrica reuersus, intra fines Imperij maneret, donec interuentu concilij dissidium esset omne sublatum: quòd autem hyeme superiori nauigandum fuit in Hispanias, non paruam ei molestiam attulisse: uerúntamen constituisse iam uere primo in Italiam redire atque interesse concilio, nec in eo quicquam ei fore impedimento, nisi maior aliqua belli tempestas oriatur, cui sit totis uiribus resistendum: & ut impediatur bello, quò minus ipse coràm adsit, daturum esse tamen operam, ne quid hac in parte desiderari ab ipso possit: ac licet Galliæ rex, omni uiolata fide, gerendi belli necessitatẽ ipsi imposuerit, tamen, quò minus pax cum eo fiat, nihil esse, quod æquum sit, prætermissurum: & cùm ipsi concordiæ semper sint uisi perquàm esse cupidi, nec alia quàm per concilium appareat uia

commodior,ad quod etiam ipſi prouocarint, putare Cæſarem,non eſſe defuturos reipublicæ,nec aliorum perſuaſu mutaturos propoſitum, aut maiori diſſipationi cauſam daturos eſſe, præſertim, cùm aliæ quoque gentes huc ſuas cogitationes atque ſtudia referant, & ſpes magna ſit,fore, ut non modò diſſidia tollantur,uerumetiam eccleſiæ rectè conſtituantur & emendentur: Quid autem ipſorum in eo ſit uoluntatis, cupere Cæſarem clarè cognoſcere: nam ſi recuſent & excipiant & procraſtinent,arbitrari Cæſarem,futurum, ut & res pulcherrima, tanquam in medio curſu tardetur, & exteri quoque ſuſpitionem de ipſis concipiant, quaſi perturbationem reipublicæ magis quàm pacem & ocium ament: cúnque Cæſar eò ſolùm ſpectet,ut gloria Dei celebretur et hominũ ſaluti cõſulatur,hortari atq; petere uehementer, ut & ipſius & reipublicæ deſiderio ſatisfaciant: habere quoque ſe in mandatis, ſi quid incidet hac in re diſceptationis, ut id omne diluat & componat: ſuum igitur in eo paratum eſſe ſtudium atque uoluntatem: ſi quid etiam ſui ſermonis amplius ab ſe uelint explicari,non ſe recuſare. Poſtridie,quàm hæc dixiſſet, priuatim egit cum electore Saxoniæ principe. Cæſarem ei cumprimis optimè uelle: quò minus autẽ illud adhuc quidem declararit, impedimento fuiſſe diſſidium religionis: Cùm uerò ſpes magna ſit, indicto iam concilio, rem omnem poſſe componi, flagitare, ut adſit concilio, ſuóſque mittat legatos, quò nimirum omni ſublata diſcordia, ſuam ei beneuolentiam demonſtrare poſſit: nam ſi recuſet & exceptionibus utatur,quid ex eo ſit naſciturum incommodi,facilè ipſum uidere: deinde, quia maximos hoc tempore Turca faciat apparatus bellicos, ut Germaniam inuadat, petere, ut auxilia decreta Ratisbonæ, contra uim Turcicam, mittat, aut ſi fortè Turca non promoueat caſtra, neque Germaniam adoriatur, ut tum eadem auxilia ſubminiſtret aduerſus Galliæ regem, qui prouinciam Imperij Sabaudiam occuparit: poſtremò, quia per tempus iam aliquod Cæſar in Cameræ iudicium ſolus omnem ſumptum fecerit,& uerò maximam uim auri bellis abſumpſerit, poſtulare,ut pro ueteri more Imperij, pecuniam eò contribuat, quod principes etiam reliqui promiſerint. Saxo,quoniam non ad ſe tantùm hæc,ſed ad ſocios quoque pertineant, deliberaturum ſeſe dicit. Vigeſimo quarto deinde Februarij die reſpondent ſimul omnes confœderati, & multam inuicem precati ſalutem Cæſari, quantùm ad Auguſtanos attinet, rem omnem ex ipſorum audiſſe legatis, nec illos ab ſe poſſe

dicunt

dicunt segregare: de bello Cæsaris cum Galliæ rege, dolere sibi non mediocriter, quòd hostibus Imperij Turcis peropportunum id esse uideant: quòd ipsorũ Cæsar satisfactionem acceperit, & factam Noribergę pacẽ seruare cogitet, lætari plurimùm, et agere gratias: de Cameræ iudicio quod dixerit, & quàm fuerit graue Cęsari, iuris administrationẽ retardari: difficultatẽ quidem in eo fuisse docẽt, quo tempore Moguntinus atq; Palatinus intercedebant, sed tamen à multa deliberatione, nullã apparuisse firmiorem uiã constituendę reipublicæ, quàm si religioni, & omnibus in uniuersum causis religioni coniunctis pax daretur, aduſque uel publicum Europæ, uel Germaniæ prouinciæ concilium: nisi enim ità fieret, &, nisi quæcunq; profluunt à religione causę cõprehenderentur unà, quàm facili momento turbis esset futurus locus, & tunc fuisse animaduersum, & nunc etiã intelligi posse: uerba quoq; Cæsaris edicti, quod tunc ea de re proposuit, satis hoc demonstrare: sui uerò consilij fuisse nunquam, ut ullam aliam, quàm religionis causam obducerent, neque Cameræ iudices, opinione quidem sua, contrarium posse docere: Iam uerò, quòd Cæsarem dicat, illis, ut de qualitate causarum cognoscerent, potestatem fecisse: perquàm hoc sibi molestum esse: nam omneis illas actiones habere se pro religiosis, & esse reuera tales, quæ uidelicet decidi non possint, nisi controuersia primùm religionis legitimo sit definita concilio: quod ipsum & Cæsari & Ferdinando regi subinde per literas atque legatos nunciarint: hanc enim de religione quæstionem, esse præiudicialem, & concilio debere definiri prius, quàm de reliquis, quæ dependent ab ea, cognoscatur: cùm autem propter meritum & officium conferantur beneficia, non se posse illis, qui per suam ditionem, diuersam à sua doctrina religionem sequuntur, permittere, ut ecclesiæ bonis utantur fruantur, quæ nullo ipsis iure debeantur, quandóquidẽ officium præstare uel nolunt uel nesciunt: Et quoniam ad animi conscientiam ea res pertineat, nullum esse locum iuri possessionis aut restitutionis: cùm etiam Noribergæ transigeretur, se nominatim consignasse lites omnes atque causas, quæ tùm in Camera & passim in alijs iudicijs pendebant, eásque, tanquam causas religionis, intercessoribus repręsentasse, qui tum receperint se daturos operam, ut Cæsar eas omneis iudicijs eximeret: idem quoque Ferdinandum regem in conuentu Cadanico recepisse: & illis edicti uerbis, ubi Cæsar omnem actionem rescindit, facultatem de statu causarum cognoscendi, Cameræ iudicibus

omnem ablatam atque præcisam esse: & quanquam in illos nihil grauius dicere uelint, multos tamen, quòd alacritatem in ipsis quandam contra se decernendi uiderent, esse factos audentiores, ut lites mouerent: idque non una re posse demonstrari: suos enim homines, cùm quid in iudicio petunt, non modò non admitti, sed contumelioſis etiam uerbis repudiari: nuper etiam Hamburgenses ab illis esse iussos, ut suæ ciuitatis ecclesiasticos, non facultatibus tantùm atque bonis, uerumetiam religioni pristinæ & omni iurisdictioni restituant, & cùm id facere bona conscientia non possent, in magnam auri uim esse condemnatos: quid sit igitur ipsorum mentis atque propositi, Cæsarem ex hoc uno facto posse uidere: nam aut hanc esse religionis causam, aut certè nullam aliam: Si uerò liceat ad hunc modum agere, iam sanè fruſtrà fuisse pactas inducias, &, si quidem hac ratione ceremoniæ ritúsque mutati restitui debeant, nihil opus fore concilio, cuius tamen ad cognitionem hæc omnia Cæsar ipse pertinere dicat: iustis ergò & necessarijs de causis illud se recusasse iudicium, quum uarijs exceptionibus nihil proficerent: Iam uerò, quantum ad personas Cameræ pertinet, uix unum & alterum, suæ religionis, in eo reperiri confessu: cuiusmodi sit etiam Ratisbonæ factum decretum, esse non ignotum: etenim quò quisque uehementius ipsorum doctrinam oppugnet, hoc esse gratiorem ibi: sed & ipso etiam ex uultu, quomodò sint animati, quandò causas tractant, posse non obscurè perspici: quòd cùm ità sit, sperare, Cæsarem, illis, ut omninò desistant, mandaturum esse: De mulcta déque lege lata Ratisbonæ quod dixerit, ad nullum suum pertinere compendium: has enim causas, non item ut ciuiles atque forenses uel æstimari posse uel sarciri: quòd si autem Cæsar ullam aliam ab se causam prophanam admisceri putet, non se recusare, quò minus de eo cognoscatur, sic tamen, ut interim Cameræ iudicium quiescat: Iam, ad eos, qui post pacificationem Noribergicam ad suam religionem accesserunt, quod attinet: superioribus annis, intercessores quidem hoc ab se Schuinfurti contendisse, ne quem in suum præterea numerum atque fœdus reciperent: se uerò tùm illud recusasse, & cùm Noribergam deinde uentum esset, in eadem sententia perseuerasse: quòd autem interuenisse multorum pollicitationes affirmet atque pacta, ne religionem mutarent, hos ità respondere. quosdam ex ipsis nihil promisisse, quosdam priuatis transactionibus, ut hoc sibi liceret, excepisse, quosdam uerò promisisse quidem, sed ea fidu-

cia

cia, quòd Cęsar spem faceret, intra sextum mensem indictum iri concilium, anno pòst inchoandum: & uerò, cùm longior in ea mora interueniret, atque ipsi interea, beneficio Dei, ueram doctrinam rectius intelligerent, non potuisse differre longius, & sui muneris existimasse, quod uerum atque pium esse scirent, profiteri: Nam & ius pontificium ità docere, si quis etiam iuratus astrinxerit se facturum aliquid, quod impium sit, nullo uinculo teneri: deinde, sicut aduersarij non sint repudiaturi, si quis è suo numero transeat ad ipsos, ità quoque sibi non licere, cùm quis ab ipsis in sua castra transit, impedire, quò minus id faciat: orare ità que uehementer, ut Cæsar & iudices reprimat, & non se tantum, sed alios etiam, qui pòst accesserunt, eius pacis beneficio sinat uti frui: nam si secus fiat, & si qua uis intentetur, nòn se posse uel fœderis, uel etiam doctrinæ socios in ea necessitate deserere: quod ipsum Viennæ sit etiam Ferdinando regi demonstratum: nam illorum causam, non minus atque suam, ad concilij notionem pertinere: quam si Camerales anteuertant & ad se rapiant, quis dubitet, quin uis in eo sit & iniustitia, contra quam ipsi, iure naturæ, sese defendere cogantur? in eo uerò quantùm sit incommodi, quis etiam eius rei futurus exitus, Cæsarem pro sua prudentia uidere: se quidem exoptare pacem, & cupere modis omnibus gratificari Cæsari, sic tamen, ut ad ueram doctrinam aditus pateat omnibus: &, si quidem hoc obtineant, paratiores in eo se futuros, quod de Turca déque Camera Cæsar atque Ferdinandus rex flagitarint: Ad concilium quod attinet, quòd Cæsar ipsos inuitet: quas ea de re literas Paulus tertius euulgauit, earum se legisse exemplum, & deprehendere non eandem illius esse, quæ Cæsaris, mentem atque sententiam: Etenim, etsi Adrianus sextus, in comitijs Noribergæ, per legatum suum profiteretur, plæraque omnia Romæ esse uehementer corrupta, pollicerétur etiam operam suam, ut inprimis emendarentur hæc omnia, successorem tamen illius, Clementem septimum, biennio pòst, in Germaniam ad altera comitia misso legato, longè diuersam instituisse rationem, ità quidem, ut Cæsaris tum legati cæteríque principes, facto ibi decreto, concilium liberum in Germania cogendum esse statuerent, quo nimirum in concilio, quicquid in ecclesiam erroris atq; uitij sese insinuasset, tolleretur: hoc postea decretum à Cæsare fuisse probatum, intercessoribus Moguntino, ac Palatino principe: Clementem uerò pontificem, anno pòst, concilium proposuisse longè

diuersum ab Imperij decretis, & locũ in Italia designasse, quod tùm ipsi recusarint: idem postea fecisse Paulum tertium, misso legato, cui responderint etiam, eadem secuti uestigia, quæ prius: nunc autem illo suo diplomate pontificem idem moliri, licet occultè, quod Clemens aliquandò claris uerbis prę se tulerit: iam enim illum præiudicio quodam condemnare doctrinam, quam ipsi profiteantur, dum de nuper natis loquitur hæresibus: quòd enim de hac doctrina sentiat, eámque conetur extirpare funditus, id testificari pœnas atque supplicia, quibus homines innocentes afficit propter huius doctrinæ professionem: atque interim tamen illum, impudenti quadam simulatione præ se ferre, tanquam ecclesiæ suæ tetros illos errores atque uitia, de quibus, per tot annos, tam multi uiri boni & docti grauissimam habent querimoniam, emendare cogitet: & Cæsarem hoc illius astu persuasum, ipsos ad concilium euocare, quod minimè sit facturus, si fraudem illius & insidias haberet exploratas: his etiam artibus illum uti, quandò per legatos solicitat reges atque principes, tùm ipsos quoque, ut concilium admittant, quò uidelicet impij sui propositi laudatores habeat atq; defensores, & ut approbatione concilij suam ipsi doctrinam condemnent: qua quidem arte Iulianus olim apostata milites Christianos circumuenerit: Ac licet aduersarij personam pontifex gerat, arrogare tamen sibi potestatem iudicis, omninò præter fas & æquum, in eóque consentientes habere reliquos omneis, qui iureiurando sint ipsi multísque modis deuincti: quàm id autem non liceat, aut, quàm eis concedi non possit, Cæsarem hauddubiè, cæterósque reges, opinione quidem sua, posse iudicare: Quòd enim errores in ecclesiam pontifex, & doctrinam, non solùm uerbo Dei, sed uetustis etiam conciliis atque doctoribus contrariam, inuexerit atque defendat, quòd leges etiam tulerit quàmplurimas, præter mandatum Dei, quibus uera cognitio sit oppressa penitus & obscurata, illud nimirum suos theologos abunde beneficio Dei demonstrasse, ideóque se cogitare, de his tantis rebus, in legitimo quouis conuentu, pontificem atque socios & acccusare, & intentati quoque criminis conuincere: Quemadmodum etiam malis artibus & inhonestis rationibus, per uim atque dolum, ad eiusmodi præfecturas perueniant, quàm turpem uitam agant, quàm illaudatis exemplis præluceant, quàm nihil sui muneris faciant, quomodò suæ fidei commissos homines negligant, & in omni uitæ nequitia

bacchentur,

bacchentur, id uulgò sic esse notum atque testatum, ut explicatione prolixiori nihil sit opus: His etiam de causis pontifici non licere, uel suimet iuris testimonio, indicere concilium, multò minus in eo præsidere: sed neque socijs illius iuratis licere, iudicis personam usurpare, quum legitimi concilij ne pars quidem esse possint: Adhæc, in Italia constitutam esse concilij sedem, planè contra Cæsaris & ordinum Imperij decreta, quæ contemptim ille negligat: nondum etiam sibi constare, an cæteri orbis Christiani principes eum locum approbent, & subesse graues causas, quamobrem eò uenire sibi suisque sit periculosum: nam etiamsi rectè caueatur, tamen, quia suas ibi passim clientelas habeat pontifex, qui doctrinam hanc oderint acerbissimè, magnum esse discrimen ab insidijs & occultis consilijs, quæ locis illis magnoperè sint metuenda: deinde, cùm hæc sit omnium longè grauissima causa, nec alia sub hoc sole possit oriri maior, quæ nimirum ad sempiternam uel salutem uel condemnationem pertineat, & cùm rei magnitudo postulet, ut ipsi magno numero cum suis ecclesiæ ministris atque doctoribus interfint, neque solis legatis rem tantam aut procuratoribus committant, perquàm sibi graue futurum, excedere finibus Imperij, & in Italiam abire, suosque fines atq; populos, in hac animorum offensione per Germaniam, sine præsidio, & ecclesias absque ministris aliquantò diutius relinquere: quapropter orare etiam atque etiam, ut hæc omnia Cæsar diligenter secum expendat, & cum sit præcipuus magistratus, ad quem inprimis ueræ doctrinæ propugnatio pertineat, totus in hoc incumbat, ut uera Dei cognitio legitimè propagetur & augescat: nec enim ullum se doctrinæ genus impium amplecti, nec aliud quàm nominis diuini gloriam spectare. Hoc de consilio responsum approbabant etiam Georgij Brandeburgensis & Noribergensium & Hallensiū & Hailbrunensium legati: reliquis non se admiscebant, quia non erant confœderati. Cùm ad hunc modum essent locuti protestantes, Heldus è uestigio respondet, & de præclara Cæsaris uoluntate, deque Galliæ rege, qui cum Turcis in reipublicæ perniciem conspirarit, multa denuò locutus, ad illud de Cameræ iudicio uenit, & religionis quidem causis pacem esse datam, nec id quenquam negare, sed in eo uersari litem dicebat, quæ debeant hoc nomine censeri, quæ minus: & cùm ipsi pro religiosis habeant causis, quas alij ciuiles atque prophanas dicant, periniquum esse, nolle rem disceptari, nec alterius partis rationes & argumenta cognosci: Noribergæ quidem

ipſos interceſſoribus fortè nominaſſe cauſas aliquot, quas in eum ordinem referrent, Cæſarem uerò non ità recepiſſe, quòd non plenè ſciret earum conditionem: & poſſe fieri, ut ne ipſi quidem principes tunc exactè ſciuerint, aut nunc etiam ſciant, cuiuſmodi ſint cauſæ, niſi quantum ij commemorant, ad quos ea res pertinet, qui ſuum haud dubiè ſequantur in eo compendium: Atqui legibus & æquitati & ſacris literis eſſe congruum, ut in omni controuerſia, litigatores ambo, quantum ſatis eſt, audiantur, neque ſecundum alterutrius narrationem, etiamſi uera ſit, quicquam pronuncietur: Cæſarem ergò, qui litem hanc ad tribunal atque iudices reiecerit, omninò, quod ſui ſit officij, facere, & ſic exiſtimare, quò grauiores ipſi propoſiti ſui rationes habeant, eò magis in lucem illas proferre debere: ſic enim liquidò poſſe conſtare, quæ ſint præiudiciales, & ad concilium referendæ cauſæ, quæ minus: item, an illi, quibus ademptæ ſunt facultates atque bona, ſint reſtituendi, nec ne: putare quoq; Cęſarem, iudices in eo nihil eſſe facturos præter officium & datam fidem: illos etiam ità confirmare Cæſari per literas, quaſi nullam religionis cauſam attigerint: idem ad ſe quoq; perſcribere, & nominatim de Hamburgenſibus hoc dicere, inde ab initio litis, quam cum eccleſiaſticis habent, ad exitum uſq;, ne uerbulo quidem illos meminiſſe religionis, lata uerò ſententia, cùm iam ad executionem res tenderet, tunc primùm eius intuliſſe mentionem: iudices præterea ſui facti paratos eſſe rationem reddere, quod quidem ſatis eſſe debeat ipſis, præſertim, cùm ex ſe nuper etiam audierint, quomodo ſatisfacere Cæſar ipſis cogitet, ſi quid illos deliquiſſe conſtabit: Etenim, non diſpendium modò ſarcire, ſed cauſas illas omneis, de quibus illegitimè pronunciatum eſſe parebit, in priſtinum ſtatum reſtituere, & actionem omnem pręteritam uelle reſcindere irritámque facere: ſibi profectò, quid Cæſar amplius præſtare poſsit aut debeat, non apparére: Quòd autem dicãt, eos qui religionem ipſorũ proijciunt, non oportere reſtitui bonis, id minus ęquum ſibi uideri: nam abſque legitima cognitione, & niſi litigatoribus auditis, nihil eſſe pronunciandum: ſcire enim ipſos, nullo iure licere, quenquam religionis, uel alia quauis de cauſa ſpoliare: itáque non ſe poſſe rationem hanc atq; modũ agendi, in ullo, quicunq; ſit, probare: nam, ut ne quid eiuſmodi fieret, idcircò Noribergę tranſactum fuiſſe certis conditionibus, & edicto deinde Cęſaris denunciatam atq; ſanctam eſse publicam per Imperium pacem: ac ſanè, de religione multò poſſe facilius conuenire, ſua quidem opinione, ſi non occupandis bonis ad

nis ad eum modum incumberetur: quæ quidem bona non tanti esse debeant in hoc toto negocio, præsertim, cùm euangelij doctrina longè diuersam uiam nobis commonstret, & ut cogitationes nostras atque studium aliò referamus, hortetur: Quòd autem Hamburgēsem illam causam ad religionem pertinere dicant, aut nullam aliam, mirari se plurimùm: nam esse multas alias, de quibus ex præscripto legum & eius edicti, quod Cæsar Vuormaciæ fecit, Camera iure possit cognoscere, uerùm eas omneis, quadam singulari Cæsaris benignitate suspensas manere: cùm ergò Cęsar aduersus pacta nihil sit facturus, et idem ab ipsis expectet, petere sibi claris uerbis de eo renunciari: personas autem Cameræ, quod nuper etiam dixerit, ex medijs Imperij prouincijs esse desumptas: & quanquam ipsorum societatis pauci admodum fortè sint in eo consessu, tamen non esse probabile, rem idcircò minus æquè administrari, quandó quidem illi non suo quodam arbitratu, uerùm ex legitimis rationibus, iuxtáq; leges & secundum Imperij consuetudinem pronunciare, fide data teneantur: hanc sanè rationem, quo tempore iudicum ipse fuit in numero, diligenter obseruatam fuisse: uerùm, utcunque se res habeat, si quod illorum sit delictum, non futurum impunè, neq; se defendendam illorum suscipere causam uel excusandam: illos etiam hoc ab se non requirere, & quò minus de re tota cognoscatur, non recusare: Nunc autē ad illos quod attinet, qui pòst, ad doctrinę fœderisq; societatem accesserunt: nuper se commemorasse, quemadmodum ad Cæsarem eius rei nihil exactè delatum sit hucusq;, & Cæsarem sic arbitrari, qui pace Noribergica non sunt comprehensi nominatim, eos omneis teneri publicis Imperij decretis, & authoritatem debere concilij expectare: Quòd uerò dicant, quosdam nihil promisisse, quosdam priuatis transactionibus hanc sibi facultatem integram seruasse, quosdam promisisse quidem, sed fiducia futuri breui tempore concilij: quicquid eius rei sit, in medio sese relinquere: sed tamen, quantùm ad eos pertinet, qui priuatas obijciunt transactiones, non se detrectare, si quod eius rei documentum proferatur, Cæsaris nomine respondere: nam quòd Cæsaris interuenerit ulla priuata cum aliquo super ea re transactio, præter illam Noribergicam, non se posse credere: sibi etiam utile uideri, qui sui facti causam hanc adducunt, ut exhibeant documenta, quæ sit ilicò missurus ad Cæsarem, aut ipse forsan delaturus: Et quia Cæsaris animus ad quietem atque concordiam omninò tendat, petere rursus, ut in bellum Turcicum, & ad Cameræ necessitates, opem

atque pecuniam conferant: quorum utrunque pertineat inprimis ad reipublicæ Germaniæ ſalutem: &, ſi fortè Turca non ſe commoueat, ut tum in menſes aliquot idem ſubſidium dent Cæſari contra Galliæ regem: id ſi faciant, fore, ut huius officij minimè ipſos pœniteat: cupere autem, quid ipſorum ſit in eo uoluntatis, cognoſcere, quò mox ad Cæſarem perſcribat: De concilio ſcire ipſos, quantus labor atq; ſolicitudo Cæſaris interuenerit, ut id aliquando cogeretur: hoc autem eius eſſe mentis, ut in eo diſſidium religionis placidè componatur, & reipublicæ ſtatus, ad gloriam Dei, hominúmque ſalutem emendetur: cúncq; nunc eò ſit deducta res tandem, ut ad concilij diem non ita longum ſit interuallum, minimè omnium putaſſe Cæſarem, fore, ut ipſi contrà exciperent: & ſi quidem in eo propoſito maneant, longè futurum hoc ei grauiſſimum: & cùm ſit maximi res momenti, habere ſe in mandatis, ut hoc apud ipſos planè cõficiat: itaq; uehementer obſecrare, ut Cęſari gratificentur, neq; ſeceſſionem ab alijs faciant: nec enim unquam fuiſſe propoſiti Cæſaris, ut ullam rem impiam, & uerbo Dei contrariam, & turpem, quæq; mali ſit exempli, uel contra bonos mores, in concilio defendat uel excuſet, ſed curaturum inprimis, ne quid ulli tribuatur affectui: cúncq; ſit æquitati conſentaneum, ut ſacræ literæ & receptæ ſcripturarum explanationes primum obtineant locum, non uidere Cæſarem, quid obſtet, quò minus ad concilium aut ipſi ueniant, aut ſuos mittant legatos: nam excluſis malis artibus atq; dolo, quod quidem Cæſar in ſe recipiat, cõcilium ſanè pro ſuſpecto haberi non poſſe: quas igitur adduxerint cauſas, non ſatis eſſe graues, & poſſe non apud Cęſarem modò, ſed apud reliquas etiam gentes in ſuſpitionem uenire: Quæ uerò de pontificis animo dixerint, acrioribus paulò uerbis, ea profectò, ſi quidem uera ſint, à nemine poſſe laudari: Cæſarem planè de eo nihil quicquam ſcire, ſed ne ſuſpicari quidem, imò non dubitare, quin pontifex, ut præcipuum ordinis eccleſiaſtici caput, pro ſui muneris ratione, chriſtianè ſeſe gerat: ueruntamen, ſi quas habeant aduerſus illum & reliquos eius ordinis querimonias, licere proferant eas in concilio, & ſine odio atque inuidia modeſtè tractent: De forma etiam & modo concilij, & quicquid eſt cæterarum rerum quod deſiderent, licere ut ibi proponant: nam ut cæteris ipſi populis, modum, quo res quæque tractanda ſit & expedienda, præſcribant, id ſanè minus æquum eſſe, nec etiam laudari poſſe: nam ne Cæſari quidem ipſi & reliquis ordinibus hoc licere, neque paucorum eſſe, de rebus illis decernere,

ſed

sed uniuersi cœtus: uenturos enim eò plurimos erùditione & uirtute præstantes uiros: neque sic putandum esse, tanquam ipsorum modò theologi sint afflati numine diuino & rerum sacrarum periti: nam & aliubi reperiri, in quibus nec doctrina nec uitæ sanctimonia desiderari possit: Iam ad concilij sedem Mantuam quod attinet, Imperij quidem principes, & ipsos inprimis, flagitasse locum in Germania constitui, neque Cæsarem id impediuisse, quò minus fieret: sed cogitandum esse tamen interim, quid reliquis etiam nationibus commodum sit & opportunum, & cur eam urbem pontifex præ cæteris delegerit, nempe, suo quidem iudicio, propterea, quòd sit Germaniæ uicina, & copiosa, & eo loco posita, quò commeatus facilè supportari possit, deinde, salubritate cœli commendata, & ditionis Imperij, sic, ut nullum ibi pontifex compendium habere possit: nam eius urbis principem esse beneficiarium atque clientem Imperij: sed tamen, si fortasse minus fidant & discrimen ullum subesse putent, Cæsarem, qui maximè sit cupidus concilij, curaturum, ut ipsis idoneè caueatur: itaque, si opus esse putent, licere ut ea de re ipsum interpellent: non se dubitare, quin æquissimum ferant responsum: petere autem, ut amplius super eo deliberent, & clarè de sua uoluntate respondeant, ac Cæsari morem gerant, quod ipsis & utile cumprimis & honestum sit futurum, & Deo quoque gratissimum. Cùm sic orasset, petebat eorum nomina sibi dari, qui post pacificationem Noribergicam accesserant. in eo perscriptum erat, Georgium Brandeburgicum, Noribergam, Vueissenburgum, Hailbrunum, Vuinsemium, Halam, esse quidem eiusdem religionis, non autem fœderis. rogabat igitur sibi nomine Cæsaris explicari, cuiusmodi esset ipsorum fœdus, & quibus initum conditionibus. Eodem, quo sunt hæc acta, die, uenit eò legatus pontificius, episcopus Aquensis, cum literis ad electorem Saxoniæ, quibus eum pontifex ad concilium hortabatur. Cùm enim anno superiori Vergerius legationem Germanicam renunciasset, ut libro præcedenti diximus: pontifex, cui minimè illa placerent, Aquensem in Germaniam emittit, ut nouus uidelicet legatus aliquid impetraret. Sed & iste lusit operam, neque magna fuit eius habita ratio: & certo die, cùm Lantgrauij colloquium expetiuisset, ille, non sibi uacare dixit, & eodem ferè momẽto Lutherum inuisit, grauiter ex calculo tunc ibi decumbentem. quod quidem è suo diuersorio legatus uidere poterat. Aquensem, Vergerius, abiturum, Germaniæ statum, & quomodo

quiſque prenſandus eſſet & appellandus, mandatu pontificis docue-
rat. Quarto pòſt die, qui fuit ultimus Februarij dies, reſpondent
Heldo proteſtantes. De Cæſare nunquam ſe dubitaſſe, quin pacem ſa-
ctam ſeruaret, quod quidem literis tàm publicis quàm priuatis non
ſemel promiſerit: ſed & Cameram, & ipſum iam oratione ſua talem
affingere interpretationem, ut non in dubium modò uocetur ea pax,
uerumetiam planè uideatur tolli, nec ullius eſſe uſus: nam ipſius ſer-
monem eò ſpectare, quaſi pro cauſis religionis habeat illas modò,
quæ profluunt ex edicto Vuormacienſi & alijs quibuſdam Imperij
decretis, non etiam illas, quæ poſtea natæ ſunt, & quæ priuatas ad per
ſonas pertinent, de quibus nominatim ſit actum Noribergæ cum in
terceſſoribus: lōgè uerò aliam huius tractationis cauſam fuiſſe: Nam
etſi Leonis decimi pontificis impulſu, Cęſar edictum illud Vuorma-
cienſe fortè promulgauit, tunc, cùm ueram doctrinam perpauci ad-
huc intelligerent, poſtea tamen illud alijs Imperij decretis, quantum
ad ſe quidem attinet, ſuſpenſum fuiſſe, præſertim in comitio Spirenſi,
ante annum undecimum, ubi controuerſiam omnem placuit ad con-
cilium referri, & hoc inſuper additum fuit, ut interea magiſtratus o-
mnes, in ſua quiſq; ditione, rem ità gerant, quò factum ſuum & Deo
poſſint & Cæſari quoq; probare: nimirum ex eo ſatis intelligi, ſuſpen
ſum illud edictum, neq; ſibi Noribergæ opus fuiſſe, de noua ſolici-
tare ſuſpenſione: Cur enim ad legitimum concilium delata ſit omnis
actio, ſi Vuormacienſe ualere ſemper opportuit edictum, aut ſi ipſo-
rum habita ſemper eſt religio pro condemnata? multum uidelicet in-
ter ſe differre illud edictū & pacem Noribergicam: illud enim ad ex-
ecutionem ſpectaſſe tantùm, & hoc ſolùm in quæſtionem ueniſſe tūc
temporis, an quis edictum uiolaſſet? eo cognito, licuiſſe tum fortè Ca
meræ, niſi comitij Spirēſis decretum interueniſſet, iuriſdictionem ex-
ercere, tanquam in re ciuili: Verùm eas cauſas, propter quas Noriber
gæ conuentum & tranſactum fuit, ad fidem atq; religionem pertine-
re, quod claris etiam uerbis in ſuo diplomate Cæſar teſtificetur: nam
etſi Camerę non licebat alioqui de hiſce rebus cognoſcere, tamen mo
tus uitandi cauſa, Noribergæ fuiſſe cautum amplius, ut ab ijs abſtine
retur: ex diplomatis quoq; Cæſarei uerbis liquidò conſtare, cautum
ibi fuiſſe non de ijs modò controuerſijs, quæ tota ſui natura ſunt reli
gionis, uerùm de illis etiam, quæ propter mutationem rituum atq; ce
remoniarum & id genus alia naſcuntur: deinde, pactiones omneis in-
telligendas eſſe pro qualitate rei ſiue cauſę, propter quam nata lis fuit

atq;

atq; controuersia: iàm uerò, inde post illud Spirense decretum ad pacem usq; Noribergicam, è suis nemini, quod quidem ipsi sciant, ullam fuisse litem motam à fisco uel factam molestiam: Cameram quidem usurpasse sibi cognoscendi potestatem, & in iudicium uocasse nonnullos, propter mutatam religionem, ceremonias, ritus, & propter facultates atque bona: cunq; de his rebus esset dissidium, se nominatim illas intercessoribus detulisse: Transactionem igitur illam non de ijs tantùm rebus, quæ descendunt ab edicto Vuormaciensi, uerùm de illis etiam intelligi debere, quæ tunc temporis, quandò conuentum fuit, erant controuersæ: nam cur alioqui tantum laboris & molestiæ sumpsissent, cur sumptus fecissent in re, quæ iamdudum esset Imperij sublata decreto, et unde nihil erat metuendum incommodi? cùm autem metus esset, ne Camera suis actionibus turbam excitaret, de inducijs fuisse pactum, quæ sanè non aliò referri possint, quàm ad eas causas, de quibus tunc potissimùm lis erat, & quæ tunc intercessoribus explicatæ fuerunt: Quòd autem ignorasse Cæsarem ait, quò propriè pertinerent illæ causæ, non uideri probabile, cùm propter eas & indictus esset ille conuentus, &, nisi componerentur, motus impenderet: neque uerò credibile esse, uel intercessores ad Cæsarem hæc non scripsisse, uel Cæsarem, si quid improbasset, dissimulare uoluisse: Quin autem ista Cæsari pro sua potestate liceant, pacis retinendæ causa, nullum esse dubium: quàm etiam pax consistere non posset, nisi hę causę comprehenderentur, nuper se docuisse: cúnque lege sit cautum Imperij, ne quis alteri suum eripiat, se tum intercessoribus explicasse Noribergæ suam sententiam, &, si quidem Camera sibi litem moueret, propter adempta suis monachis atque sacrificulis bona, qui ueram religionem atque cultum reijcerẽt, habituros illud se pro ui & iniuria, declarasse: Quòd autem iniquum esse putet, nolle pati, ut Camera cognoscat quæ sint causæ religionis, quæ minus, quòd etiam dicat, quò plures habeant sui propositi rationes, eò magis in publicum illas esse proferendas: ad ea satis iam esse responsum, neque putasse futurum, ut hoc obijceretur: nam, etsi minimè lucem defugiant, imò uehementer cupiant coram æquo iudicio causam omnem disceptari, tamen, ut ab ea formula, quam Cæsar interposuit, discedant, non sibi esse integrũ: nec enim ad Cameram sese reiectos, uerùm actionem omnem interdicto sublatam, & illud insuper additum esse, si quid contrà fiat, ut ad Cæsarem hoc ipsiúsue legatum renuncietur: Nam de Camera

facile ſibi fuiſſe reſpondere, cur eam non admitterent, ideò nimirum, quòd in eo conſeſſu plærique ſint omnes religionis pontificiæ, & iureiurando teneantur, non minus ex præſcipto iuris pontificij, quàm ex legibus Imperatorum iudicare, quódq; non ſibi tantùm, ſed multis alijs per Germaniam notæ ſint ipſorum rationes & modus agendi: quòd autem iureiurando ſint aſtricti, non illos idcircò ſuſpitione liberari: nihilominus enim recuſari poſſe, quod ſibi quoq; neceſſariò faciundum fuerit: quid enim ab ijs expectent, qui contrariam profitentur religionem, quicq; ſuam doctrinam ut impiam condemnant? nihil etiam ad rem facere, quòd nomine Cęſaris perpauci, complures autẽ ex Imperij prouincijs in eo ſint conſeſſu: uim enim totam in hoc eſſe poſitam, cui ſint addicti religioni: quales autem eos eſſe oporteat, ex decreto comitij Ratisbonenſis apparére: plærósque etiam omneis ab epiſcopis & id genus alijs eò deſtinari: cúncq; ſuas ipſi cauſas eccleſiaſtici, quæ ad ceremonias atq; ritus, ad docendi munus atque bona pertinent, religioſas nominent, cur non ad hunc numerum eas omneis Camera reſcribat, quæ ſunt eiuſdem generis? uerum igitur eſſe quod prius quoque dixerint, ſi quidem Camerę ſe iudicio ſubmittãt, nihil opus fore cõcilio, cuius ad cognitionem illa propriè pertineant: nam illos indifferenter, quæcunque ſint adhuc ad ipſos delatæ cauſę, iudicare, & non bona tantùm, ſed impias quoque ceremonias uoluiſſe reſtitui: quod ipſum ſi ualere debeat, omnem ſuam doctrinam iri condemnatum: procuratores quoq; ſuos non audere metu periculi cauſas defendere, multò minus recuſare iudices: illos enim, etiamſi recuſentur, pergere nihilóminus, & remiſiſſe nuper Hamburgenſibus literas recuſationis: De monachis & id genus alijs ideò ſe illud exemplum poſuiſſe, ut oſtenderent, non ad eos, uerùm ad eccleſiæ miniſtros & alios pios uſus ea pertinere bona: quod igitur de bonis occupatis, decq; ſpoliatione dixerit, ad iniuriam ſuam pertinere, neq; ſibi tale quid, non ſolũ ab ullo ſuæ conditionis, uerùm ne à Cæſare quidem obiectum adhuc eſſe: Mirari autem, cur uim eſſe dicat in eo, quòd monachis atq; ſacrificis, qui ueram religionem aſpernantur, & manifeſtos errores obſtinatè defendũt, eccleſię facultates adimant: illos enim in his ipſis bonis, quæ ſui maiores magna ex parte cõtulerint, aliud nihil habere iuris, quàm quòd eccleſiæ fuerunt aliquandò ſuis in ditionibus miniſtri: poſtea uerò, quàm illuxit ueræ doctrinę cognitio, deprehenſos errores non ſe potuiſſe bona conſcientia tolerare diutius, uerùm neceſſariò ſuſtuliſſe, & illis, qui religionis emendationem pręfracte

fractè recusarent, bonorũ usumfructum minimè permisisse: Quòd si qui fortè putent, illos nihilominus in sua religione tolerandos fuisse, non rectè sentire: nam id sibi non licere, ne culpæ fiant affines: non uerbis enim tantùm, sed ipso quoque facto Christum atque ueritatem abnegari: criminationem igitur hanc sibi præter meritum offerri: cuius enim hoc esset imprudentiæ, propter tantula bona, tàm inuidiosa, in discrimen uocare fortunas omneis, existimationem, uitam ipsam, coniuges, liberos, & quicquid omninò charum esse potest? Aliena bona, quæq; suæ non sint ditionis, non affectare sese: iure quoque pontificio demonstrari posse, non illis ea bona competere, quia falsam doctrinam proponunt atque defendunt: nec enim emolumentum hic spectari, sed hoc solùm & inprimis agi, ne qua fiat per ipsorum ditionem nomini diuino contumelia: nam illis, qui sanam doctrinam amplectuntur, nihil auferri quicquàm: neque dubitare, quin de hisce bonis multò sint ipsi meliorem Deo reddituri rationem, quàm illi, qui titulũ ecclesię sibi sumunt, eáque bona nullo iure possident atq; profundunt: Et si fortè ius possessionis in medium adducant, nihil ad rem facere: cùm enim ueritas illucescit, omnem & possessionẽ & præscriptionem & consuetudinẽ euanescere, uelut umbram, etiam iuris pontificij testimonio: non ergò pugnare cum legibus aut æquitate suum hoc institutum, sed esse tùm honestũ tùm pium & sacris literis consentaneum: Illud etiam, quod ait non se probare, quandò per uim aliquis à bonis deijcitur, in aduersarios rectè quadrare, quorum ex grege si quis ad ueram doctrinam sese conuertit, huic non facultates eripi tantùm, sed uitam quoq;: scire enim ipsum, quanta sęuitia quantum sanguinis profusum sit, hanc unã ob causam: exilium quidem & totius familiæ calamitatẽ illis esse mitissimam pœnã: Quòd pręterea dicat, facilem fore concordię uiam, nisi de bonis ageretur: uerum esse quidem, ad aduersarios quantùm attinet: nisi enim hi suas opes, honores, delitias, mollem illam & uoluptariam & turpem uitam longè præferrent studio ueritatis, nulla difficultate posse rem omnẽ transigi: licet enim sciant iniquam hanc esse profusionem, tamen emendationẽ eos ferre non posse, quę cumprimis necessaria sit: Iam quòd Camerales dicãt, nihil se præter officium feciisse: quàm id sibi cõstet, è superioribus intelligi posse: nam & cognitionem legitimam exoptare se uehementer, & iam olim petijsse, quò de causis recusationis arbitri decernerent: Vt autẽ in integrum restituantur à Cęsare causę, de quibus Camera non rectè pro-

nunciarit, admodum fore difficile, nec actores etiam, secundū quos latæ fuerunt sententiæ, permissuros: Quòd igitur scire cupiat, quid ipsorū sit in eo uoluntatis: & pace nihil sibi antiquius esse, & contra pacis rationes nihil fecisse, & causas, cur illos recusent iudices, explanasse: iam uerò, si quidē illi præter hæc omnia suo more pergant, nō se parére decretis, & si qua uis fiat, iure naturæ, quod defensionē omnibus permittat, socios periclitantes deserere non posse, cùm sciant, illis oppressis, eundem casum sibi quoque breui subeundū esse: Quantum ad reliquos attinet, qui póst ad fœdus atque doctrinam accesserunt, dolere sibi, Cæsarem de eo nihil habere comperti: se quidem suis in Italiam legatis eorum nomina dedisse perscripta, ut, si rogarentur, exhiberent: quòd autem pacto licere quibusdam dixerint, liberam habere religionem, id de transactione Cadanica intelligendum esse, déque principe Vuirtembergico, cui sit hoc permissum: & quoniā id Cæsari constare possit, non opus esse documento: reliquos autem, agnita ueritate, dùm longius extraheretur concilium, iudicasse conscientiam obligationi ciuili longè præferendam esse: Quod de Cęsaris animo dixerit, non dubitare se, quin ità res habeat: uerúntamen, audire se, longè aliud aduersarios moliri, & Cæsarem in se concitare: cuius quidem rei fidem inter alia faciant Camerales: itáque rogare, ut & sui ratio habeatur, et ea pax detur, in qua possint acquiescere: quòd si fiat, non se defuturos eius postulatis de Turca déque Camera: postremum illud de fœdere, mirari se cur petat: nam Cæsarem id non ignorare, & per intercessores ab se contendisse Noribergæ, ut ab eo discederent: se uerò tùm ità respondisse, ut nihil amplius urgeret: ab aduersaríjs autem huius rei causam sibi datam esse: cuiusmodi enim hi consilia multis nunc annis tractent atque cudant, esse non ignotum: hoc uerò suum fœdus, non ad uim, sed ad defensionem esse comparatum, & ijs conditionibus initum, ut si sit opus, non Cæsari tantùm, sed omnibus etiam indifferenter exhiberi possit absque pudore: De concilio, déque Cæsaris erga rempublicam animo quæ dixerit, periucunda sibi fuisse: credere etiam, incognitum esse Cæsari pontificis animum, & hac de causa concilium tantopere solicitare: qualem uerò de pontifice habeat opinionem Cæsar, in medio sese relinquere: sed cùm eius diploma sit planè diuersum à uoluntate Cæsaris, & omninò captiosum, non se posse, quid de eo sentiant, dissimulare: nam antequam concilij fiat initium, doctrinam suam ab illo iam esse,

non

non uerbo tantùm, sed ipsa re quoque condemnatam: notum etiam esse, quemadmodum in omnibus conuentibus, ubi de religione tractatur, etiámsi scripturam illi sacram uideant contra se facere, ius definiendi sibi sumant & arrogent ipsi: Et quanquàm sui sit propositi, pontificem atque socios, in legitimo conuentu, falsæ doctrinæ & hæreseos & impietatis accusare, non dubium esse tamen, quin ille suo more cognitor esse uelit simul & iudex: quòd enim eò spectet, ipsum testificari diploma, quod si semel approbent, nequicquam postea de actionis modo uerba se facturos esse: An autem hoc sit eiusmodi concilium, quale Cæsar & ordines Imperij non unis comitijs decreuerunt, cuiusuis non iniqui iudicis arbitrio sese relinquere: nam illa uerba, liberum & Christianum concilium, prudenter & consultò semper addita fuisse, & illud quidem non sic accipiendum esse, ut suam cuique sententiam ibi proferre tantùm liceat, sed, ne pontifex etiam atque socij, qui fide sunt inuicem & uinculis astricti, de suis ipsi causis pronuncient: alterum uerò non ità interpretari oportere, quasi Turcis & id genus alijs in concilio non sit locus, uerùm, ut iuxta sacras literas, doctrinæ partes omnes explorentur & definiantur: Scire etiam se, non una solùm regione, sed passim per orbem terrarum esse dispersos homines pios atque doctos: & hanc ipsam cogitationem sibi perquàm esse iucundam, quòd sperent, si pontificis hæc immoderata potestas refringeretur, nec ab unius imperio simul omnia penderent, futurum, ut non sui tantùm theologi, uerùm alij complures è diuersis nationibus, uiri boni, qui nunc illius oppressi tyrannide mussant atque latent, ad ecclesiarum emendationem omne studium & operam conferrent: iam, ad concilij sedem quod attinet, nõ uidere se, quis potior locus, quàm Germania, sit deligendus: nam licet ad alias quoque gentes concilium pertineat, tamen ad Germanos & ad se cumprimis illud spectare, quibus eò sit ipsis ueniendum unà cum ecclesię ministris, cùm interim alij reges atque principes externi per legatos rem obire possint atque conficere, pro uetusto & iam olim recepto more: cuiusmodi sit etiam urbis Mantuæ situs & opportunitas, nolle se disputare: sed esse iam in Italia bellum, & ut nullum sit, tamen, cur sibi locus ille suspectus esse debeat, nuper explicasse: Mantuæ dux quomodo sit affectus, non se disputare, sed ipsius fratrem germanum esse primi nominis cardinalẽ, quod ipsum ad augendam quoque suspitionem faciat: Itáque, si reliquæ gentes de suis rationibus audiant, quamobrem & locum recusent & agen-

di modum, non dubitare se, quin & probent, & si secus fieret, tunc demùm siniſtram de se concepturi sint opinionem: Cæsarē quoque scire, per Germaniā esse multas ciuitates, non minus, quàm est Mantua, commodas, &, quod præcipuum haberi debet, æquitatis & iustitiæ nomine commendatas: nam illa clandestina & occulta consilia tollendi homines è medio, non sic esse nota nec usitata Germaniæ, sicut alijs quibusdam locis: Quòd autem Imperij decretis ad hunc modum insistant, nec ab illis diuelli sese patiantur, non debere Cæsari uideri mirum neque nouum: nam olim etiam Liberium episcopū Romanum, Athanasij fautorem & amicum, à Constantino Cæsare petijsse, ut concilium indiceret Alexandriæ, ubi reus & actores habitarent: & licet illis, qui sunt ad solem occidentem, locus ille minus erat commodus, etsi totius orbis iudicio condemnatum Athanasiū, eiusque socijs igni & aqua interdictū esse Cæsar diceret, quanquàm Liberium esse unum ex omnibus contenderet, qui publicam pacem perturbaret, nihil tamen hunc de suo studio remisisse, cúmque deinde Cæsar id pernegaret, longo pòst tempore, errorem illum Arrij regnasse, tandem uerò uictricem Athanasij fuisse doctrinā, & in sempiternum ualere, quis autem enumerare possit, quàm multum, eius dogmatis causa, sit profusum sanguinis? eandem quoque suæ religionis futuram esse conditionem, siue locus detur idoneus, siue non: consimili de causa, qui concilio interfuerunt Basilienſi, recusasse Ferrariam, quo pontifex Eugenius aliud indixerat concilium: Henrico septimo Cæsari grauem fuisse cum Roberto Siciliæ rege controuersiam, & citasse illum Pisas: id autem iniquum fuisse uisum Clementi v. pontifici, qui & regem tuebatur, &, quamobrem eò uenire non teneretur, causas explicabat, multò sanè leuiores, quàm sint hæ suæ: quòd igitur eiusmodi concilium recusent, non sibi sed pontifici culpam eius rei tribui debere: quoties enim ad cōcilium ipsi causam suā reiecerunt, de tali sensisse cōcilio, quale Cæsar & ordines Imperij decreuerant: nec enim ignorasse, quod si pontificibus permitteretur summa rei, futurum, ut ad suū illi referrent omnia compendiū, et oppressa uera doctrina suam impietatē confirmarent: Atq; interim tamen Paulū III ità rem ornare uerbis ad Cæsarē, quasi candidè prorsus agat & syncerè, cùm longè diuersum cogitet: adhæc, cuiusmodi concilium ipsi requirant, non Clementis modò, sed ipsius etiā Pauli tertij legato Petro Paulo Vergerio sese declarasse scripto: cúmque Cæsaris hanc esse mentē ipse dicat, ut emendentur errores atq; uitia,

ne mi-

nẽ minimam quidẽ eius rei significationem in pontificis apparere diplomate: nam si ueram & necessariã cogitaret emendationẽ, non fuisse cõdemnaturum ipsorũ doctrinam, indicta causa: Et quanq; de Cæsaris æquitate nihil dubitent, eóq; magis doleant, quòd ei gratificari nõ possint, tamẽ hac illius beneuolentia et sedulitate minimè sibi consultum iri: nã etiámsi cõcilio Cęsar interfit ipse, notũ esse tamen, quantulum facultatis uel ei uel cęteris etiã regibus, in eiusmodi causis pontifices cõcedant: etenim, ut multum largiantur, adhibere quidẽ illos fortè deliberationibus, decernendi uerò potestatẽ nullam facere, sed eã sibi seruare solis, ut, si fortè Cęsar & ciuilis magistratus aliquanto longius prograediantur, eo tanq; retinaculo atq; freno ipsos cohibeant, & pro suo demum statuant arbitratu: quòd igitur has pontificis insidias declinẽt, orare, ne Cęsar molestè ferat: brutis enim animantibus hoc insitũ esse natura, ut quo loco positũ sibi sciunt esse laqueũ, eũ locum uti fugiant: Quid etiã in cõcilio Cõstantiensi cũ Sigismundo Cæsare sit actũ, esse peruulgatũ: nam licet is Ioanni Husso fide publica rectè cauerat, patres tamen eius imminuisse potestatẽ, cùm dicerent nec ipsi nec alij cuiq; licere in eo sibi præscribere: uictũ ità q; Cęsarem, illorũ authoritati, quam sibi uendicabant, cessisse, nõ absq; gemitu, sua quidẽ opinione, sed tamẽ miserabili cum interitu illius, qui fidem publicã secutus, in eam deuenerat calamitatem: Qua quidẽ ex re liquidò uideri, quãtùm Cęsar, etiámsi maximè cupiat & uelit, subuenire possit ijs, quos illi semel induerint laqueis, & uelut in caueam incluserint: prouidè ergò sibi agendũ, atq; interim tamen, ne quid sibi tribuatur, non paratos esse modò iustam subire cognitionem, sed orare quoque Cæsarem uehementer, ut has tàm graues causas diligenter expendat, & legitimum in Germania concilium indicat, in quo iudicandi partes ad pontificẽ atque socios minimè pertineant, Quòd si autem pontifex in ea re Cæsarem impediat, & syncerum in Germania concilium cogi nolit, testificari se palàm, per se non stetisse, quò minus initæ sint concordiæ rationes: quicquid etiam ex eo natum fuerit incommodi, totum hoc esse tribuendũ pontifici: quod reliquum est, orare, ut hæc ad Cæsarem ità referat, suumque studium ei commendet. Quum ad hunc modum esset inter ipsos actũ, & Heldus omnia se renunciaturũ Cæsari dixisset, protestantes de cęteris etiã rebus decernũt, de alendis ecclesię ministris, de ludis literarum aperiendis, ut ecclesiæ simul & reipublicæ semper suppetãt homines idonei, postea de ijs quæ ad fœdus atq; defensionẽ pertinent:

De Turca responsum Heldo fuit, ut suprà diximus, & alioqui rumor increbuit, Ferdinandum regem parare bellum aduersus Ioannem Vayuodam, ideóque solicitare de auxilijs. In hac autem dubitatione, ne fortè reipublicę deessent, decretum fuit absente iam Heldo, ut dimissis nuncijs communi sumptu, Saxo et Lantgrauius, quid rerum agatur, cognoscant, &, si Germaniam fortè Turca petat, ut tum rursus conueniant deliberaturi, quid ex officio quémque facere oporteat. Adhæc, ut omnibus facti sui ratio, causáq; recusati cõcilij constaret, placuit scripto rem omnem esse complectendam. Id pòst euulgant, typis excusum, & exteros reges atque populos in hanc sententiam affati, Paulus tertius, inquiunt, diploma nuper edidit, quo concilium indicit Mantuæ, iam ad Maij diem XXIII inchoandum, additis aliquot eius rei causis: legatos præterea dimisit ad reges atq; principes tùm Germanos tùm alios, qui concilio denuncient, & hortentur, ut eò uel ipsi ueniant, uel suos mittant: cúmq; nos etiam hac de re per legatum interpellauerit, & Cæsar idem fecerit, res ipsa postulat, ut demonstremus, ad quantum periculum atque detrimentũ pertineat non modò nostrum, sed etiam totius reipublicæ Christianæ, si quidem illi mos in eo geratur. Et quanquàm iusta sit causa nostri propositi, non dubium est tamen, quin aduersarij, quo sunt ingenio, criminentur factum, & in pessimam partẽ interpretentur. nam ut nos totámque causam in odium adducant, affirmabunt haudubiè, nullam pati nos posse cognitionem, nullúmque iudicem, & reliquas contemnere nationes, è quibus multi sæpe uiri præstantes eruditione prodierint: hoc etiam dicent, impium esse, concilij recusare decreta, quod sit ecclesiæ supremum tribunal, cui iure teneantur omnes parére. fingent præterea, quasi nos iam huius doctrinæ pudeat, quasi lucem defugiamus, aut alioqui dissidia captemus, non necessaria, neque publicum ocium ferre possimus. Iam sanè, si quidem uerè de nobis hoc diceretur, esset non impium modò, sed auditu etiã horrendum: itáque necessariò nobis est explicanda facti nostri ratio, & speramus futurum, ut quicunque sunt uiri boni per Germaniam, & alijs in locis, non modò nihil tale de nobis credant, uerumetiã in hoc incumbant, ut hæc omnium grauissima causa rectè tractetur, neque pontifici liceat sub ficto & adumbrato nomine concilij, manifestam ueritatem tyrannide quadam opprimere. Docebimus enim, nõ modò puram nos profiteri doctrinam, sed etiam aliud spectare nihil quàm gloriam Dei & reipublicæ salutem, nec ullam nobis aut pertinaciam

tinaciam aut morositatem obiici posse. Et primò quidē, quàm aliarum nationum & ecclesiæ iudicium non aspernemur, ex eo satis apparet, quòd hoc agimus, ne pontifex atque socij iudicandi prouinciam sibi sumant, uerùm ut per homines idoneos miniméque suspectos omnia tractentur. quod ipsum à pijs omnibus desiderari nihil dubitamus: Cùm enim nonnullis in prouincijs extent uetusta quædam scripta & querimoniæ de falsa doctrina, de uitijs & impio cultu, quæ tùm in ecclesiam obrepserant, non dubitamus, quin ijs ipsis in locis, hodierno quoque die sint aliqui uiri pij & eruditi, qui sanam doctrinam intelligunt, etiámsi tyrannide pontificis oppressi tacere coguntur. hi sanè meritò debent adhiberi concilijs, ut liberè dicant. nec enim pro legitimo debet haberi concilio, quod pontifex atque socij regunt, qui falsa dogmata per uim atque potentiam defendunt, et pro ueteri consuetudine decreta faciunt uerbo Dei contraria. Christus enim, quandò summum tribunal constituit, iussit ad ecclesiam referri quicquid emendationē requireret. quibus ipsis uerbis tyrannidem omnem atque dominatum excludit & infringit. Calumniosum etiam est, quod fortè dicunt, nos defugere publicum aspectum, neque posse ferre lucem. nam in Augustæ comitijs, doctrinam nostram sumus professi palàm, in Cæsaris & omnium ordinum Imperij conspectu: deinde, celebratur hæc ipsa doctrina publicè, nostris in ditionibus, & extant ea de re nostrorum hominum libri, qui testificantur eam, & ex aduersarijs multi fatentur, plæraque dogmata nostrorum scriptis in lucem esse reuocata, quæ densissimis antea tenebris oppressa iacebant. nunc enim uera doctrina denuò lucet, de pœnitentia, de fide in Christum, de remissione peccatorum, de bonis operibus, de uero cultu, de sacramentorum usu, de potestate clauium, de magistratu, de traditionibus hominum, & id genus alijs rebus. Neque uerò nos euangelij pudet, ut ait Paulus, sed inprimis optamus, ut in omnium aspectu liceat de ijs rebus explicare sententiam. Quod etiam nostris obiicitur, quasi damnatas iam olim hæreses rursus excitarint, neque sit opus idcircò disputatione uel ampliori cognitione, falsum est, & ad eos, qui nostræ doctrinæ confessionem eique coniunctam legerunt defensionem, facilè potest excusari. quam enim profitemur, non est noua doctrina, sed planè ueteris ecclesiæ consensus, ut liquidò demonstrari potest. nec ullam hæresim admisimus aut impium dogma, sed ueterum doctrinam multis locis

noſtri homines reuocarunt, oppreſſam à pontificibus atque mona-
chis. Falſum eſt etiã, quod de nobis dicitur, quaſi diſſidijs lætemur:
nam ex animo nobis dolet, ità diuidi rempublicam Chriſtianam, &
concordiæ cauſa iuſtum flagitamus concilium. Quia uerò pontifex
atque ſocij ueram et neceſſariam doctrinã condemnant, eiúſque pro-
feſſores affligunt & perſequuntur, & alios, ut idem faciant, hortan-
tur, non poſſumus non hanc illorum reprehendere crudelitatem &
audaciam. confeſſione enim uult celebrari Deus, & impium eſt, aſ-
ſociare ſe tyrannidi pontificis ità ſæuientis. Deinde, conſtat nos om-
nia reipublicæ munera ſubire, & onera ſuſtinere, ſicut reliqui faciunt
ordines. ex quo uideri poteſt, in religione quoque nos libenter eſſe
cõſenſuros alijs, modò liceret. Intelligimus præterea, quantum ex eo
nobis immineat periculi. pontifices enim multis nunc amis nõ ob-
ſcurè præ ſe ferunt, quid moliantur, & quomodò regum animos in
nos incendant. hæc tanta diſcrimina ſubire ſine cauſa, & tantos in eã
rem ſumptus facere, an non extremæ eſſet dementiæ? ſed ſcimus of-
ficium hoc debere nos Deo, nec quicquam eſſe, quod non eius man-
dato poſtponi debeat, & teſtamur Deum, nihil à nobis aliud capta-
ri. Confutatis iam illorum criminationibus, ad alterum ueniemus.
Apud exteros plærique fortè putant, nos aliqua curioſitate leuio-
ra quædam impugnaſſe uitia, quæ pacis retinendæ cauſa diſſimulari
poterant. præſertim, cùm ea ſit humanarum rerum conditio, ut in
republica ſemper aliqua ſint atq; remaneant, ad quę conniuere opor
teat. Sed longè res aliter habet. nam primò quidem, errores atq; fal
ſa dogmata non ſunt diſſimulanda. iubet enim Chriſtus à falſis do-
ctoribus cauere: deinde, certamen eſt non de leuibus erratis, uerùm
de doctrina fidei, déque uera Dei cognitione, quod eſt uitæ Chriſtia
nę & ſynceri cultus præcipuum caput, quod ſilentio præteriri non
debet, ſed purè conſeruandum eſt, & diligenter in eccleſia docendũ.
Negari autem non poteſt, extinctum hoc omninò dogma fuiſſe, no-
uámque doctrinam inuectam, magna certè cum Chriſti cõtumelia.
Multos præterea reprehendimus errores, impióſque cultus, quos
etiam alij quidam multò ante hanc ætatem uiderunt, eóque conciliũ
deſiderarunt, ut emendatis uitijs, concordia retineretur: hac autem
ætate multò magis eſt opus concilio, quandóquidem & plurimis in
locis eadem uitia manent, & nata ſunt diſſidia, & in uitæ diſcrimen
idcircò multi uocantur, homines innocentes. his ergò de cauſis tàm
arduis, non modò nos, uerumetiam Cæſar & cæteri ordines & epi-

ſcopi

scopi decreuerunt ecclesiæ cumprimis esse necessarium concilium, in quo pura doctrina conseruetur. nisi enim tale fieret, maiorem dissipationem excitatum iri uidebant: sed ecce, dùm eiusmodi concilium expectamus, prodit diploma pontificis, Imperij decretis planè contrarium. Et quia non nostra solùm refert, sed totius etiam interest reipublicæ christianæ, necesse putauimus hoc publico scripto testificari, & demonstrare, quamobrem concilium istud improbemus. Nam iudicandi potestas non ad solum pontificem & episcopos, uerùm ad ecclesiam pertinet, quo quidem in numero sunt etiam reges ac cæteri ordines. Quapropter, etiamsi pontifex in hac causa non sustineret alteram partem litis, tamen non sit ei concedendum, ut solus ipse cum suis iudicaret, exclusis alijs ecclesiæ ministris: cùm autem manifestè sit ex litigatoribus alter, multò minus id ei concedi oportet, quia cum iure diuino & naturali pugnat. Accusamus uerò pontificem non leuibus de causis, nec de illius dominatione tantùm disputamus atque luxu, sed ipsius & doctrinam & leges & impium cultum reprehendimus, hoc est, reum agimus illum de idolatria & hæresi. quæ quidem crimina cùm obijciuntur, non pontificem, sed ecclesiam oportet iudicium interponere, sicut ueteres pontificum leges ipsæ testantur. Adhæc, pontifex non solùm est alter litigatorũ, sed quia doctrinam nostram multò antè cõdemnauit, hoc ipso maiorem in se cumulauit suspitionem: quod cùm ità sit, quis dubitet, cuiusmodi sit in ipsius concilio futurũ de nostra doctrina iudicium? Nec enim putandum est, fore, ut defiiendi potestatem ulli permittat contra uetus institutum: & cùm de modo tractationis nihil in eo diplomate dicat, meritò suspecta sunt nobis omnia. Nam eos tantum euocat & conscribit, qui sunt ipsi multis modis obligati, & de quorum uoluntate compertum habet: indicti quoque concilij causam hanc esse profitetur, ut nuper natæ hæreses extirpentur. Et quanquam id latè patet, tamen dubium nullum est, quin de nostra sentiat doctrina. nec enim de suis ipsum erroribus loqui, credibile est. imò pòst aliud emisit diploma de Romanæ curiæ reformatione, in quo claris uerbis profitetur, eò conuocari cõcilium, ut hæresis pestifera Lutherana tollatur. itáque principiò quidem animum suum callidè texit, ut aliquam haberet speciem diploma, sed pòst aperuit. Dubium ergò non est, eòsolum spectare illum, ut doctrinam nostram excindat. cuius autem esset insaniæ, institutum hoc illius approbare? Hoc enim agit, ut qui diploma recipiũt, doctrinam nostram fateantur impiam & hæreticam esse, deinde, ut reges atque

principes, eo recepto, teneantur ſtudium & opem conferre. Cùm igi-
tur interſit reipublicæ, rogamus, ut hunc illius aſtum & inſidias dili-
genter omnes conſiderent. nam licet mirari, cur his uerbis diploma
conceperit: & dubium eſt, utrum eò fecerit, ut nos à concilio deter-
reat, an ut approbatione diplomatis irretitos habeat. Apud nos pro-
fectò dubium nullum eſt, Cęſaris hanc eſſe mentem, ut reipublicę con
ſulatur, neq; formam hanc diplomatis ei probari putamus: pontifex
autem non tàm conciliũ indixit, quàm ſententiam aduerſum nos pro
mulgauit. Neque uerò permittet, ut ſcripturis res agatur, ſed uolet è
ſuis legibus & cõſuetudine & recentioribus aliquot concilijs pronun
ciari. Verùm hoc inprimis nos contendimus et affirmamus, hominũ
traditiones uerbo Dei cõtrarias, eſſe repudiandas. nam eccleſię doctri
nam recipimus, pontificis autem errores atq; tyrãnidem non oportet
eccleſię titulo exornare. Vetus eccleſia neq; recepit ullam legẽ aduer
ſariam ſcripturę, nec immenſam illam poteſtatem attribuit pontifici,
quam nunc ſibi ſumit ipſe. deinde, cœtus ille hominum, qui doctri-
nam euangelij damnant & affligunt, non ſunt eccleſia, ſed parricidæ,
Caini progenies atque poſteritas. Et priſcis quidem temporibus, pij
epiſcopi ſæpe recuſarunt concilia, quum non ueritatis propugnan-
dæ, ſed uel impiæ doctrinæ uel aliquorum potentiæ conſtituendæ
cauſa uiderent illa conuocari. Cæſar Conſtantinus indixerat conci-
lium Antiochiæ: Maximus autem epiſcopus Hieroſolymitanus, ta-
metſi non longum eſſet interuallum, eò non uenit, propterea quòd et
Cæſaris animum, & quid Arriani molirentur epiſcopi, ſciret. Atha-
naſius, etſi Tyrum uenit in concilium, tamen non diu ſubſtitit, quòd
primores concilij uideret accuſandi ſimul & iudicandi partes uſurpa-
re, & quòd ſummiſſos contra ſe quoſdam intelligeret eſſe accuſato-
res. Sirmij, oppido Pannoniæ, magnum fuit olim concilium aduer-
ſus Photinum, res enim erat ardua: & quanquam Cæſar epiſcopis, ut
eò uenirent, mandabat, occidentales tamen non obtemperarunt, cùm
Arrianorum turbam ibi creuiſſe animaduerterent, & fore ſuſpicaren
tur, ut falſum ibi dogma decerneretur. Erat tunc magni nominis, O-
ſius, epiſcopus Cordubenſis: hunc Cęſar, Arrianorum hortatu, iuſſit
ex Hiſpanijs eò quoq; uenire: cùm ueniſſet, ratum habuit captioſum
illud ſymbolum Sirmienſe, quod ingentem pòſt eccleſiæ diſſipatio-
nem excitauit, & reprehẽditur Oſius hanc ob cauſam, ab Hilario, qui
non interfuit. Cyrillus epiſcopus Hieroſolymitanus, ad eorũ conuen
tus, qui Chriſtum eiuſdem eſſe cum patre ſubſtantię negabant, nunc-
q;

uenit,

uenit,& fertur omnium primus à concilijs appellasse scripto. Mediolani fuit inchoatum concilium,eóque conuocati per Cæsarem episcopi:cùm uerò Paulinus episcopus Treuirensis & alij quidam pauci uiderent Auxentium episcopum Mediolanensem atque socios moliri quædam siniſtra,discessione facta concilium illud dissiparunt. Hunc igitur ad modum magni illi uiri cõuentus omneis defugerunt suspectos,ne culpæ fierent affines. Cùm uerò pontifex non obscurè significet, concilium hoc confirmandæ potentiæ suæ causa institutum esse,rogamus omneis,ne crimini nobis dent hanc nostram recusationẽ.

Sed & concilij locus grauibus de causis non probatur nobis: est enim opportunus ad iniuriam,et omninò talis,qui dicendi libertatem impediat: deinde, magna sunt excitata contra nos odia plurimorum apud exteros,calumnijs aduersariorum,quasi profligata sit apud nos religio & uitæ honestas omnis:hæc autem persuasio, cùm sic præoccupati sunt hominum animi, magnum in se periculum habet. Esset igitur uel eò solùm inprimis utile, concilium in Germania peragi, quò uidelicet exteri,nostrarum ecclesiarum atque ciuitatum uiderent instituta morémque, nec impediti calumnijs ueram doctrinam odissent. Causæ quoque magnitudo poscit,ut ex nobis plærique ueniant ad concilium ipsi,uerùm, ut nostros fines deseramus, planè nobis est incommodum: & quia grauissimis de causis in Imperij comitijs decretum est,in Germania cogendum esse conciliũ,non uidemus,quamobrem ab eo sit discedendum. Cùm igitur ad totius orbis christiani salutem hæc causa pertineat, obsecramus omneis reges atque principes,ne nostris aduersarijs fidem habeant,sed in hoc potius incumbãt, ut uera Dei cognitio recuperetur: hoc enim glorioſius nihil facere possunt. Pontifex quidem eò tendit, ut ad iniustam crudelitatem ipsos impellat: sed ab ea debent inprimis abhorrere. nam ideò sunt in isto constituti gradu dignitatis,ut nomen Dei celebrent, & exemplo suo reliquis præluceant,& homines innocentes ab iniuria defendant.

Quòd si ullo unquam tempore legitimum erit concilium, tunc ità causam nostram ibi tuebimur,ut omnes intelligãt,studia nostra cum salute reipublicæ semper fuisse coniuncta. Fuerunt hoc in conuentu Saxo,Ernestus & Franciscus Luneburgici, fratres, Vlrichus Vuirtembergicus, Lantgrauius, Philippus Pomeraniæ princeps, Anhaldij tres,& Albertus Mansfeldicus: deinde, ciuitatum nomine legati quàmplurimi cum ampliſſimis mandatis. nam erant præmoniti,quibus de rebus agendum esset. Prius quàm discederent,quod

fuit Martij die sexto, literas dant ad Galliæ regem. ijs primùm excùsant, quòd ipsius legato, superiori conuentu non satisfecerint: causam etiam addunt, cur ne nunc quidem legationem ei mittant: deinde rogant, ut in amicitia permaneat, & cùm ad concordiam religionis omneis ipsi patefaciant aditus, nec tamen quicquam proficiant, ut hoc suum studium fauore ac beneuolentia prosequatur: postremò, quæ sit ipsorum de concilio uoluntas, exponunt, & quid ipse constituerit in eo, scire cupiunt. Rex deinde decimo calendas Iunij respondet, & satisfactionem accipit, & de sua erga ipsos perpetua amicitia prolixè pollicetur, & suorum aduersariorum calumnias, edito scripto, quod unà mittebat, refellit, & de concilio suam esse, quæ fuit antea semper, hanc dicit sententiam, ut, nisi legitimum sit, & in loco tuto, nunquam sit illud approbaturus: neque dubium esse, quin Scotiæ rex, gener, in ipsius quoque sit futurus potestate.

Is paucis antè diebus, ad initium Maij, cum uxore domum reuerterat, quæ deinde circa solstitium æstiuum uitam ibi finijt. Pontifex interea concilium ad Calendas usque Nouembreis producit, eiusque rei causam esse dicit, quòd Mantuę princeps Fridericus militum præsidio muniri urbem, & sumptus in eam rem fieri uelit: quod sibi præter expectationem euenerit, & uereri plurimùm, ne iam plærique suum edictum secuti, Mantuam uenerint, & excluſi fortè domum redire sint coacti: dolere sibi quidem istud magnopere, sed tamen eò moderatius ferre, quòd nulla sua, sed aliena culpa interueniat. Non multò pòst, Angliæ rex, & suo & regni procerum nomine scriptum euulgat. Concilium à pontifice conuocatum esse, cuius ille rei potestatem non habeat, & conuocatum esse, quo tempore bellum ardeat Cæsaris cum rege Galliæ, & Mantuæ designatum esse locum, quò non omnibus uenire tutum sit neque commodum: se quidem ex animo cupere concilium Christianum, sed ad pontificium minimè uenturum esse, neque legatos etiam missurum: nam hoc illis esse proprium, ut sui emolumenti causa, Christum & ueritatem in eiusmodi conuentibus opprimant: nihil uerò sibi cum episcopo Romano esse commune, nec illius edicta magis ad se pertinere, quàm cuiusuis alterius episcopi: de Cæsaris atq; regum authoritate conuocari solita esse concilia: hunc sanè morem esse recuperandum, hoc præsertim tempore, quandò tam graues habeat accusatores pontifex, neque tamen absq; uitæ periculo reprehendi possit & accusari coràm, nisi legitimum habeatur concilium: non etiam sibi suisq; cautum esse

fide

fide publica, & ut cautum sit, tamen obstare manifesta pericula, cur non ueniat: etenim ut fidem fallant, & innocentum cruore sese respergant atque polluant, non esse pontificibus inusitatum: & ut alijs eò uenire sit integrum, sibi tamen grauissimis de causis non esse, cui pontifex tendat insidias, quem oderit acerbissimè, & in summum odium apud alios reges adducere conetur, non alia profectò de causa, quàm quòd ipsius profligata sit è suo regno tyrannis, & annui census ablati: quam sanè rem indignissimè ferat, eóque magis, quòd metuat, ne cæteri reges exemplo suo moniti, idem aliquandò faciant: Nunc etiam ad calendas usque Nouembreis prorogatum scilicet esse concilium, neque tamen asscribi, quo loco sit habendum, & in Mantuę principem conferri culpam: an non hoc sit orbem terrarum ludificare? Mantuanum certè nihil peccare, qui suam urbem tantæ hominum multitudini nolit absque præsidio committere, sed in ipsum unum esse reijciendam omnem culpam, qui nihil agat syncerè, sed omnia fraudulenter & captiosè: quòd si iam aliam fortè concilij sedem constituet, futurum, ut aut alicuius principis, qui sit ipsi deuinctus, aut suæ ditionis urbem aliquam designet: peramplam enim habere ditionem, & tenere pulcherrimas urbes, quas & ipsius maiores per uim atque dolum occuparint, & ipse mala fide possideat: cùm autem de uero concilio plærique omnes iudicio præditi desperent, optimum sibi uideri, si quidem in suo quisque populo magistratus religionem emendet: quòd si consuetudinem fortè pontifex obijciat, id nullum habere locum: nam & Cypriani testimonio, consuetudinem, quæ ueritate nulla nititur, aliud nihil esse quàm errorem inueteratum: suum igitur hoc esse consilium, ut antea dixerit, eámque sibi uideri commodissimam rationem, qua si quis aliam habeat meliorem, non se recusaturum. Cæsar totum hunc annum in Hispania permansit: exercitus autem eius Belgicus, Floro Burensi ductore, Sanpaulum oppidum & arcem in Atrebatibus, Iunio mense ui capit, præsidiarijs omnibus necatis: inde profectus in Morinos, Terouennam oppidum obsidet, frustrà tamen. Ibi demum inducię factæ sunt decem mensium, in ea solùm regione. Nam in Gallia subalpina seu Pedemontio uigebat bellum nihilo secius, & Cherium oppidum ui receptum fuit à Cæsarianis, & ingens edita strages militum atq; ciuium. Et cùm deinde Taurini premerentur inopia milites, obsessis omnibus uijs & interclusо commeatu, Galliæ rex, autumni tempore conscriptis copijs, filium natu maiorem Hen-

ricum & Annam Momorancium eò mittit, qui ferro patefacta uia prẽsentem inediam subleuarunt. Octobri mense, Ferdinandi regis exercitus, in quo & Saxones erant equites, & Misnij, & Francones & Austriaci & Carinthij & Bohemi & Pannonij, quos Germani uocant Hussaros, Exechium oppidum ad Drauum flumen obsidebat, quod ualido tenebatur à Turcis prẽsidio: cúnque tempus tererent, et inedia coacti discederent, intercepti fuerunt ab hoste circumfuso, qui syluas & aditus omneis præoccuparant. In his angustijs, aliquot, primùm centuriones militúmque præfecti & Pannonij, pòst etiam regis ipse legatus Cacianerus profugit: reliqui uerò, qui fugæ turpitudinem hanc detestabãtur, ad uirtutem sese cohortati, prẽsertim equites Germani, impetum hostilem sustinuerunt, sed multitudine superati, magna ex parte concisi fuerunt omnes, & è ducibus multi in hostium potestatem uenerũt, abducti Byzantium in miserã seruitutem. Quarto idus Octobris Angliæ regi natus est filius Eduardus, ex Ioanna Semera, quam ab Anna Bolenia duxerat in matrimonium. Interea pontifex, quia per Belgium erant inducíæ, totus in hoc erat, ut per Italiam & reliquis etiam in locis belli conquiesceret administratio, quò per hanc occasionem de summa rei transigi posset. Itáq; primùm in aliquod tempus: id cùm exisset, in aliud deinde producta res fuit, donec componeretur, ut postea sum dicturus. Pontificis consilium fuisse dicitur, ut illos iam pacatos, aduersus Britanniæ regem, cui erat infestissimus, atq; Lutheranos excitaret. Ad hoc etiam tempus Christina Danica, Cæsaris è sorore neptis, uidua Mediolanẽsis, Italia relicta, per Germaniam reuertit in Belgium, & agebatur de ipsius atq; Gulielmi principis Cliuensis matrimonio, sed frustrà. Per Geldriam quoque populus tunc cœpit rebellare suo principi Carolo Egmõdano, qui per omnem uitam fuerat partium Gallicarum, Burgundionibus admodũ infestus, & tunc eò spectare dicebatur, ut Gallorum ditionis, prouinciam suam faceret. Excluſus autem à populo passim tumultuante, uix unum aut alterum retinuit oppidum, quò perfugeret. Doctrinam pontificiam magno semper studio defendit, nec à supplicijs abstinuit etiam. Paulus tertius, initio sui pontificatus, in cardinalium numerum allegerat suos nepotes, uti suprà diximus: cùm autem hoc nomine minus bene audiret, alios quosdam nobilitate ac doctrina præstantes uiros hoc etiam est honore dignatus, partim, ut inuidiam & offensionem leniret, partim, ut idoneos haberet propugnatores, qui scriptis & eloquentia ualerent. In

his

his erat Caſpar Contarenus, Reginaldus Polus, Ioannes Bellaius, Fridericus Fregoſus, quibus deinde per interualla temporis adiunxit Sadoletum, Aleandrum, Bembum. Sed & de Eraſmo cogitauit, ut quidem in epiſtola quadam ad amicum Eraſmus ipſe refert. Extant etiam Sadoleti quædam ad Eraſmum literæ, ubi de pontificis egregia uoluntate multa locutus, fore dicit, & breui quidem, ut ipſum ad ſummam dignitatem perducat. Contarenus erat patricius et ſenator Venetus, magni nominis, propter doctrinam, & præter omnem expectationem dicitur, cùm nihil ambiuiſſet, ad hunc fuiſſe gradū euectus.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæſare,*

Liber XII.

DE CONCILIO, IN CALENDAS VSQVE NOuembreis prorogato, ſuprà diximus, uerùm id fruſtrà fuit: pontifex tamen, ut hominum ſpem aleret, ac aliquid facere uideretur, ex omni ſuorum numero iam ante quoſdam delegerat, iſque grauiter mandarat, ut eccleſiæ morbos & accuratè circumſpicerent, & adulatione omni remota ſibi demonſtrarent: ſimul iuſiurandum ipſis remiſerat, ut liberè pronunciarent, & ut magno ſilentio rem omnem agerent, iuſſerat. Delecti fuerunt, Caſpar Contarenus, Petrus Theatinus, Iacobus Sadoletus, Reginaldus Polus, cardinales: Fridericus archiepiſcopus Salernitanus, Hieronymus Aleander archiepiſcopus Brunduſinus, Ioannes Mathæus epiſcopus Veronenſis, Gregorius Venetus abbas, & Thomas Palatij ſacri magiſter. Hi demùm, habita deliberatione, ſcripto rem omnem complectuntur, & ad ipſum oratione conuerſa, magnis eum laudibus extollunt ob ſtudium ueritatis, cui clauſæ fuerint antehac quorundam pontificum aures, adulatorum maximè culpa, qui nimiam illis poteſtatem attribuerint, quandò ipſos & omnium planè rerum eſſe dominos, & quiduis agendi poteſtatem habere confirmarunt: ex hoc enim fonte, tanquam ex equo Troiano, tàm multa in eccleſiam inundaſſe mala, quibus nunc illa grauiſſimè ſit adflicta: magnā igitur

ipſius eſſe prudentiam atq; uirtutem, qui remedium illinc petendum eſſe uideat, unde morbi ſit profectum initiũ atq; cauſa, qui diui Pauli doctrinam ſecutus, miniſter eſſe uelit et œconomus, non dominus: & quia munus hoc ipſis demãdarit, uoluiſſe morem gerere, & pro ingenij ſui mediocritate collegiſſe certa quędam capita rerum, quę prię ad ipſum & ad epiſcopos & eccleſiã pertineant: Cùm enim duplicem ipſe perſonam ſuſtineat, & ſit non modò totius eccleſię chriſtianę epiſcopus, uerumetiam multarum regionum atq; ciuitatũ princeps, ea ſolùm attingere ſe, quæ ſunt adminiſtrationis eccleſiaſticę: ciuilem enim rempublicam ab eo ſumma cum laude & ſapientia gubernari. Et primò quidem, inquiunt, ſanctiſſime pater, ſicut Ariſtoteles præcipit, non temere leges oportere mutari, ſic nobis quoque uidetur, leges eccleſiaſticas diligenter omninò ſeruandas neq; remittendas eſſe, niſi grauiſſima de cauſa: nec enim ulla maior peſtis in rempublicam inuadere poteſt, quàm cùm legũ ſoluitur et eneruatur poteſtas, quam propè diuinam & ſacroſanctam eſſe maiores noſtri uoluerunt. Huic proximum eſt, ne pontifex Romanus, Chriſti uicarius, quum pro ſua poteſtate quam habet à Chriſto, largitur aliquid & indulget, pecuniam aut precium ullum accipiat: quum enim gratis hæc omnia ſint collata, Chriſtus quoq; gratis ea uult alijs communicari. Hoc ueluti fundamento poſito, prouidẽdum eſt, ut quàmplurimos habeas eccleſiæ miniſtros idoneos, qui pręſint hominum ſaluti. quo quidem in numero primũ obtinent locum epiſcopi: ſed hic ualde peccatur, quòd promiſcuè & nullo ferè diſcrimine recipiuntur in hũc ordinem quilibet, nulla nec eruditione nec honeſtate uitæ commendati, plærique etiam multùm adoleſcentes. Hinc multæ naſcuntur offenſiones, hinc ille ſacrorum cõtemptus & irreuerentia. Conſultum ergò nobis uidetur, ut primùm in urbe Roma quoſdam conſtituas, habendi cauſa delectus eorum, qui ſacris inaugurari petunt, deinde, ut epiſcopis, per ſuam cuiq; ditionem idem præcipias, neq; ſinas ullum recipi, niſi de conſenſu delectorum aut epiſcopi: præficiatur etiam iuuentuti iam deſtinatæ ſacris, magiſter aliquis, & literarum atque morum formator. In conferendis autem ſacerdotijs & præfecturis eccleſiaſticis multùm peccatur, in ijs præſertim, quæ ad ſalutis hominum procurationem ſpectant. nam hoc propè ſolum agitur, ut ſoli beneficiario bene ſit, gregis omni poſtpoſita cura. Cùm ergò tale munus confertur, inprimis autem epiſcopale, danda eſt opera, ut ſint uiri boni & eruditi, qui poſſint atq; uelint eccleſijs ipſi præeſſe, ut iure tenentur. non eſt

ergò

ergò dandum Italo sacerdotium in Hispania uel Britannia, nec Hispanis aut Britannis in Italia. Multum est etiam in eo fraudis, quum à sacerdotio quis decedit alijq; tradit, & annuam pensionem, nonnunquam etiam totum usumfructum ex eo sibi reseruat. nec enim ulla pensio retineri potest, nisi ad pauperum & id genus alios usus uerè pios. quia sacerdotio sunt annexi fructus, neque separari debent ab eo, non magis, quàm corpus ab anima, quique illud tenet, debet ijs facultatibus uti frui honestè, & quantùm satis est, reliquum uerò totum est in eos, ut dictum est, usus erogandum. pontifici tamen interim licebit, si fortè res ità poscat, imponere beneficiario seruitutem hanc, ut certum quid annuum dependat alicui egeno, maximè autem ecclesiastico, ut uitam eò possit honestius atque commodius tolerare. Vitiosum igitur est, cùm quis integrum usum fructum sibi seruat, aut quum annua pensio datur illis, qui non opus habent. In permutationibus quoque ualde peccatur: nam ad quæstum referuntur omnia: & quanquàm testamento beneficia dare non licet, inuenta est tamen ab hominibus ingeniosis ratio quędam subtilis, qua legi fraudem faciunt, & beneficia cedunt alteri, sic tamen, ut ad illa regressum habeant cum pleno usufructu & omni administratione. Itáque fit, ut episcopi nomen gerat ille qui nihil habet iuris aut potestatis, ille autem, qui reuera & ipsa ditione est episcopus, nomen ipsum non habeat: hoc uerò quid aliud est, quàm hæredem sibi facere? Eiusdem generis est, quòd episcopi sibi coadiutores flagitant atque sumunt, & persæpe quidem, multò minus, quàm ipsi sunt, idoneos. Clemens pontifex legem illam antiquam renouauit, qua cauetur, ne sacerdotum filij, parentum obtinerant beneficia: sed tamen hic etiam indulgetur, malo certè exemplo: negari enim non potest, magnam offensionum partem ex eo manasse, quòd ecclesiæ facultates ad hunc modum in priuatos usus auertuntur. adhuc quidem eius rei emendationē plærique expectarunt, nunc autē planè desperant, & pessimè de nobis loquuntur atq; sentiunt. Huc accedit & illa ratio, cùm in spem & futurum euentum beneficia conferuntur: qua quidem in re certè uotum est & expectatio mortis alienæ: deinde alijs, qui fortè magis id merentur, uia præcluditur & aditus, & multarum litium præbetur ueluti materia. Quid uerò dicemus de ijs beneficijs, quæ, quoniam in una persona consistere non possunt, incompatibilia uulgò dicuntur? qua quidem uoce nos admonuerunt maiores, non esse uni alicui simul cōferenda: sed

& hic uetus disciplina iacet,& plures etiam episcopatus uni permittuntur. quod omninò corrigendum nobis esse uidetur. Huc pertinent illæ quæ dicuntur uniones, quum plura simul beneficia, tanquam partes atque membra,coagmentãtur, ut unum modò corpus repræsentent. quid? an non hoc est ludificare leges? Iam & ille morbus inualuit,quòd cardinalibus dantur etiam episcopatus,& plures quidem uni. quod sanè magni momenti nobis esse uidetur, & inprimis emendandum. Nam distincta sunt & diuersa cardinalium & episcoporum officia, nec in unam personam cadunt: etenim cardinales eò sunt instituti, ut tecum sint sanctissime pater, nec à latere tuo discedant,& uniuersam ecclesiam unà tecum gubernent: ad episcopos autem pertinet,ut gregem sibi commissum à Deo pascãt. quod quidem fieri non potest, nisi coràm illis adsint, ut pastores adesse uidemus ouibus. Deinde nocet hęc ipsa res exemplo suo. nam qua frõte, quo tandẽ ore sanabimus aliorum uitia,quę nostro in cœtu maximè omnium apparent & conspiciuntur? Neque uerò, quia dignitatis hunc gradum obtinent, ideò sibi plus licere putent, imò sciant moderationem ab ipsis maximè requiri, quoniam uita moribúsque debent alijs prælucere: nec enim sunt imitandi Pharisæi,qui leges ferebant, quarum ipsi nullam seruabant, uerum Christus,qui sermone simul & opere pollebat. hæc etiam indulgentia magnum adfert impedimentum rectis consilijs, quandò cupiditate & auaritia præoccupatus est animus. Ad hæc,cardinales plærique sectantur curias regum,ut episcopatus consequantur,eiúsq; rei gratia sic illis addicti sunt,ut liberè pronunciare nihil ausint. Atq; utinam inhiberetur ista ratio, & cardinalibus aliunde prospiceretur, ut honestè se suámque familiã alerent,& æqualitas in eo seruaretur, ut pares omnium essent prouentus annui. quod quidem factu nobis uidetur nõ difficile, si quidẽ omni abdicata cupiditate, Christi uestigia sequeremur. His emendatis uitijs,& constitutis ecclesiæ ministris idoneis,uidendũ est inprimis,ut episcopi & id genus alij suis ipsi populis cohabitẽt: sunt enim ecclesiæ spõsi. Quod uerò spectaculũ tristius exhiberi possit, cq; uidere passim ecclesias derelictas, et greges à pastoribus desertos in manibus esse mercede conductorũ? Grauiter itáque mulctãdi sunt, qui suos ità destituunt, neq; cẽsuris tantùm et proscriptionibus agendũ est, uerùm annui quoq; fructus et pẽsiones adimendę sunt illis, nisi fortè ueniã abs te, modicũ ad tẽpus, impetrarint. Cautũ est enim legibus antiquis, ne supra treis hebdomadas episcopo liceat

ab

ab ecclesia suóque abesse populo. Videmus etiam cardinales plurimos abesse Roma, nec earum rerum quicquam facere, quæ propriè sunt ipsorum officij. fatemur quidem, esse non inconsultum, ut ex ipsis nonnulli suis in prouincijs habitent: per ipsos enim, ueluti per arborū radices atque ramos, longè latéque diffusos in orbem Christianum, retinentur homines in officio & huius nostræ reipublicæ obseruantia: sed tamen præstaret maiorem partē huius ordinis abs te reuocari Romam: sic enim & illi suum facerent munus, & esset eorum præsentia curiæ Romanæ tùm honorifica tùm utilis. In irrogandis etiam pœnis atque mulctis magna desideratur disciplinæ seueritas. nam qui deliquerunt & pœnam meriti sunt, rationem inueniunt, qua se iurisdictioni sui uel episcopi uel præsidis ordinarij subducunt: aut si hoc non licet, ad pœnitentiæ præfectum confugiunt, ab eóque nummis impunitatem redimunt. Id autem inprimis faciunt inaugurati sacris. quæ sanè res ad multorum pertinet offensionem. Itáque per sanguinem Christi, quo suam ecclesiam redemit, lauit & sanctificauit, obsecramur, ut hæc tanta licentia prorsus abrogetur. Cùm enim respublica nulla diu consistere possit, nisi coherceantur maleficia, quantò magis id nobis in ecclesia cauendum erit? Vitæ quoque monasticę plurima sunt & illaudata exempla. quamobrem abolenda nobis uidentur eorum, qui conuentuales appellantur, collegia, non subitò quidem neque ui, sed ità, ne quis in eum ordinem posthac recipiatur: sic enim paulatim interibūt, & alios deinde licebit honestiores illis summittere. sed in præsentia quidem putamus adolescētes omneis, qui facto uoto nondum religionem sunt professi, statim illinc submouendos esse. Curandum est etiam, ut sint idonei, qui confessionibus audiendis præficiuntur, in eóque debet episcoporum interuenire uigilantia, cumprimis uerò, ne quid pecuniæ causa fiat. Quod enim suprà diximus de gratuita communicatione, non ad te modò pertinet, sed ad omneis alios tuæ ditionis beneficiarios. In uirginum quoque sacrarum & mulierum collegijs, quæ reguntur à monachis, multa committuntur & manifesta quidem flagitia, turpissimo sanè cum exemplo: uidendum est igitur, ut à monachis ablata procuratio transferatur ad alios, unde periculi uel suspitionis nihil esse possit. Iam, quòd multis in locis, & per Italiam inprimis, impia quædam dogmata disputantur, non in academijs tantùm, sed in templis etiam, magnam meretur uituperationē. Episcopis ergò mandandū esse uidetur, ut quibus in locis gymnasia

sunt & ludi literarij, doctores moneant, ne quid earum rerũ amplius proponant, sed iuuentutem ad pietatem atque metum diuini numinis instituant & assuefaciant, neque de rebus theologicis palàm, sed intra parietes priuatim inter se conferant. Eadem est adhibenda cura, quantùm ad typographos atq; librarios attinet, & monendi principes atq; magistratus, ne cuiusque modi libros exire patiantur. Vulgò receptus est in scholas, & iuuentuti prælegitur colloquiorum Erasmi Roterodami liber, in quo sanè permulta sunt, quę teneris & imperitis animis impietatem inculcare, quæq; lubricam ætatem & incertam deprauare possint. hic igitur & id genus alij libri longè sunt à scholis arcendi. Quod etiam monachis indulgetur, uoto religionem professis, ut uestitum ipsis peculiarem exuant aliúmque sumant, non rectè nobis fieri uidetur. uestis enim est ueluti symbolum uoti monastici: quod si deserant, à beneficijs & administratione submoueantur ecclesiastica. Sed & illi, qui diui Antonij circumferunt idque genus alias reliquias, abrogandi nobis esse uidentur. Innumeris enim superstitionibus imperitum uulgus in errorem abducunt & planè circumueniunt. Permittitur quoque sæpe matrimonium ijs, qui iam sunt inaugurati sacris: hoc autem nemini prorsus concedi debet, nisi grauibus de causis, quũ uidelicet in uno aliquo stirps tota & regionis tutela recumbit: & quia Lutherani permitti coniugium sine discrimine omnibus uolunt, eò fortius hic nobis est reluctandum. Inter eos autem, qui sanguinis propinquitate uel affinitate sunt in altero gradu coniuncti, nõ est indulgendum connubium, nisi grauissimæ subsint causæ: qui uerò sunt paulò remotiores, laxius haberi debent, & hæc quidem omnia sine precio, nisi fortè iam in complexum uenerint coniuges. tunc enim illos mulctare licebit, imperata pecunia, quæ statim in bonos usus conuerti debet. Iam, illud uitium, quod à Simone mago nomen habet, sic obtinuit, & in ecclesia planè dominatur, ut plærósque nihil pudeat: nam & audacissimè peccant, & data pecunia quærunt expiationem, & quę per scelus acquisiuerunt beneficia, retinent nihilóminus. Non negamus equidẽ, quin tibi liceat pœnam illis condonare, quam sunt meriti, sed, ut peccandi tollatur occasio, seuerè putamus agendum, neq; remittendam esse pœnam: quid enim turpius, quid pernicioſius hac ipsa nundinatione? Cauendum est, ne quid ecclesiastici bonorũ ecclesiæ cuiquàm dent testamẽto, nisi magnis de causis, ne cum dispendio pauperũ alijs fortè suppetat, unde ad uoluptatẽ atq; luxum ædificent. Datur etiã

facultas

facultas deligendi, quem quisque uelit sacrificum, et peragendi sacri in ædibus priuatis: hoc autem non temere concedi debet, ne in contemptum sacra ueniant, maximè uerò, præcipuum omniũ sacramentum. Illæ, quæ dicuntur indulgentiæ, seu delictorum condonationes, non frequenter, sed semel tantùm, anni tẽpore, magnis in ciuitatibus cõmunicandæ sunt. Vota nõ sunt leuiter mutanda, nec in aliud opus uertenda, nisi quod uoto respondeat. Mutari solet aliquandò suprema testatorum uoluntas, qui fortè pijs usibus aliquam pecuniæ summã legarunt, idq; fieri solet ob inopiam hęredũ uel legatariorũ: sed adhibenda erit cautio, neq; permittendũ, nisi paupertas inciderit morte testatoris, ità quidẽ, ut uerisimile sit, ipsum, si uita superesset, uoluntatẽ esse mutaturum. nam alioquin impiũ est, illud, quod quis omniũ postremò uoluit, immutare. Explicatis iam illis, quę ad uniuersam ecclesiã pertinent, quantum quidẽ in mentẽ nobis uenire potuit, adijciemus nonnulla, quæ ad pontificẽ & episcopum Romanũ propriè spectant. Quum hæc urbs & ecclesia Romana sit omnium ecclesiarum parens atque magistra, decet inprimis, ut religione cęteris antecellat & honestate uitę: sed uersantur in æde diui Petri complures indocti & sordidi sacerdotes, adeò uilibus induti uestimentis, tàm suis quàm sacris, ut etiam in obsoletis & priuatis domibus ità conspici, ualde esset indecorum: atque ità uestiti sacra peragunt, magna certè cum offensione spectatorum. Archipresbytero mandandum est igitur uel pœnitentiario, ut in hac urbe primùm, pòst alijs etiam in locis, eiusmodi sordes ab hominum oculis amoueant. Quid autem dicemus de mulieribus impudicis atque scortis, quæ uestitu & omni apparatu nihil in hac urbe differunt à reliquis matronis, & uectæ mulis per mediam urbem, sectatores habent, etiam media luce, primi nominis cardinalium familiares & id genus alios? Eiusmodi certè luxum & intemperantiam nulla uidimus alia in urbe, quàm in ea, quæ totius orbis terrarum ueluti speculum & exemplar esse debebat. Magnificas etiam illæ domus inhabitant, maximo sanè cum probro. Sunt in hac urbe quoque passim magnæ simultates atque factiones: tuum est autem hæc omnia sanare, & rectè erit, si cardinalibus aliquot idoneis negocium des, ut compositis offensionibus animi ciuium reconcilientur. Pauperum etiam & uiduarum procuratio peculiariter ad te pertinet. Et hæc quidem sunt, sanctissime pater, quæ putauimus emendanda: & licet huic prouinciæ simus impares, tamen quod in nobis fuit, præstitimus,

& recti conscientia nitimur, & in maximam spem ingredimur, fore, ut sub te principe puram & elegantem & tranquillam cõspiciamus ecclesiam, cum perpetua tui nominis & immortali gloria. Sumpsisti tibi nomen Pauli: speramus itáque futurum, ut illius exemplo, uehementi quodam ardore cõplectaris ecclesiam. Paulum Deus ad hoc elegit, uelut singulare quoddam instrumentum, ut regnum cœleste gentibus annunciaret: sic etiam te speramus esse delectum, ut Christi nomen, à gentibus obscuratum, in lucẽ reuoces, & publicis morbis medicinam facias, & Christi gregem in unum ouile reducas, & iram Dei, quæ nostris flagitijs debita, iam nobis incumbit, auertas.

Emendatio hæc, uerbis quidem concepta, sed repræsentata minimè fuit, nec in publicum educta. Pontifex demùm à calendis Nouembris, ad calendas usque Maias anni sequentis concilium extrahit, & Vicentiæ locum designat, quæ Venetorum ditionis est urbs ampla & copiosa, eóque treis mittit cardinales, Campegium, Simonetam, Brunduſinum, qui & initium facerent actionis, & aduenientes exciperent. Volebat pontifex negocium reformationis esse arcanum, sicut antè dictum est, uerùm non diu latuit: & cùm in Germaniam emanasset ex urbe Roma, Lutherus, lingua populari, Ioannes Sturmius autem latinè respondet, ad emendatores ipsos oratione conuersa. Lutheri libello præfixa pictura statim denotat argumentum. nam pontificem in sublimi solio sedentem circumsistunt aliquot cardinales, qui caudis uulpinis, ad longurios alligatis, uelut scopis, omnia sursum deorsum repurgant. Erat in cardinalium cœtu, Nicolaus archiepiscopus Capuanus, omnis emendationis impatiens. hic à Paulo summissus, ut certò creditur, magna contentione reclamabat, ne quid omninò reformaretur, ac inter alia dicebat, fore alioquin, ut Lutherani iactent, quasi ab ipsis propemodũ adacti illud fecerint. Itáq; sibi sunt passi persuaderi patres atq; pontifex, ne quid mutaretur. Et tamen hic ipse, qui impediuit, clanculum in Germaniam ad amicum quendam emisisse libellum dicitur, quod plærique sic accipiunt, quasi pontificem uoluerit atque reformatores illos præbere deridendos. Alij putant, nõ nescio pontifice exijsse libellum, ut sic ipsius aliquod studium appareret emendationis, & id homines intelligerent aliunde, tanquam ipse fuerit daturus grauiora, si quidem aliquid eiusmodi putasset euulgandum. Porrò, de colloquijs Erasmi, quod dicunt, sic habet. Inter alias complures lucubrationes, quibus literarũ studia mirificè promouit Erasmus,

M. D. XXXVIII

libellum

libellum quoque iuuentuti confecit ex dialogis, eúmque subinde locupletauit, cùm auidissimè legeretur. Et ut erat ingenij præstantissimi, summæq; uir eloquentiæ, uarijs in eo lusit argumentis, ex media rerum natura desumptis, hominúmque uita, & mirabili quadam dexteritate, suauissimóque dicendi genere, morum ac pietatis præcepta tradit, & simul errores inueteratos atque uitia per occasionem demonstrat. Hinc illa de ipso querimonia. Februario mense, Galliæ rex, Annam Momorancium, curiæ præfectum, creat magistrum equitũ, ipsi Connestabliũ uocant, qui summus est ibi gradus honoris. Vacauerat autem hoc munus inde à Carolo Borboniorũ duce, per annos ferè quindecim. nam huius defectione rex uehementer offensus, nemini illud ad hoc usq; tempus cõmunicauerat. & non uni magistratus hic infœliciter alioqui cessit, quãdò summa potestate abusi, uel reges ipsos uel optimates in se cõcitarunt. Interea protestantes ad exitũ ferè Martij conueniunt Brunsuici, & de rebus ad fœdus pertinentibus agunt, & Danię regem Christianum in fœdus accipiunt. Is erat Friderici filius, & euangelij doctrinam receperat, et instituendis ecclesijs Ioannem Pomeranum, Vuittemberga uocatum, præfecerat, ab eóque fuit inauguratus regno. Ioannes etiã Marchio Brandeburgicus, electoris Ioachimi frater, ut in fœdus admitteretur, per Saxoniæ principẽ petebat: huic itáq; fuit iiunctũ, ut certis cum eo conditionibus ageret, domum reuersus, & communi nomine reciperet. Petebat idem Prussiæ princeps Albertus. hunc ante sextum annum Camera proscripserat: eaque causa fuit potissima, cur in hanc societatem non reciperetur: fauorem tamen atq; beneuolentiam ei promittebant omnes. Huncad conuentum proficiscenti Saxoni, Lantgrauio, socijsq;, Brunsuicensis Henricus cauere fide publica recusabat, cum per ipsius fines eundum esset. Iam enim agitabat belli consilia, sicut postea dicemus. In comitatu Saxonis erat Mauricius, Georgij Saxoniæ principis, ex Henrico fratre, nepos, septemdecim annorum adolescens. Henricus erat religionis protestantium, ideóque Saxo filium eius Mauricium, propinquum suum ad se receperat. Daniæ quoque rex Brunsuicum ipse uenit. Libro nono diximus de persecutionibus Lutheranismi per Galliam: longum esset autem omnia referre, sed hoc anno, sub idus Aprileis, qui tùm nonus erat dies ante pascha, Tolosanus quidã adolescens nobilis, et literarũ studiosus, uiginti circiter annorũ, Lutecię fuit exustus propter esum carnis, nõ uiuus quidẽ, sed ità tamen, ut laqueo fracta

gula, pendulus ignem ſuccenſum perſentiſceret. quod pro loci cõſuetudine, magni beneficij loco datum ei fuit, eò quòd in carcere, priusquàm educeretur, aſſidentis atque minitantis iudicis Morini uoce perterritus, impiè ſe feciſſe teſtificatus erat & irreligioſè. Nam pœnitentiæ quidem hactenus tantùm eſt ibi locus, ut minori cum cruciatu tollantur: in eos uerò, qui conſtantes permanent, ſeueriſſimè uindicatur, ut ſuprà demonſtrauimus. Conſimili erant in periculo tres quidam Germani Belgæ, propter eandem cauſam, ſed admoniti per ſenatorem quendam, uirum inprimis doctum & acri iudicio prædituм, fuga ſibi ſalutẽ quærebant. / Maio menſe pontifex Niceam proficiſcitur, oppidum Liguriæ maritimum: eò Cæſar & Galliæ rex etiam uenerunt, ipſius rogatu potiſſimum, ille quidem claſſe profectus ab Hiſpanijs, hic autem per loca mediterranea, comitatus inter alios, Germanorum copijs, quibus præerat Gulielmus Furſtembergius. Poſt multam actionem, etſi de ſumma rei non conueniret, inducíæ tamen factæ fuerũt Iunio menſe, in annos decem. pontificis autem è filio nepoti, Octauio, pacta fuit hic in matrimonium Cæſaris filia notha, Margaritha, quam Florentiæ princeps Coſmus ambiuerat poſt necem Alexandri Medicei. Reges hoc in loco non fuerunt ipſi congreſſi, quantúmuis id pontifex optaret: ſed aliquot pòſt diebus, quàm ille diſceſſerat, ad Aquas mortuas conuenerunt, quod eſt Galliæ Narbonenſis oppidum, ad oſtium Rhodani: foſſam Marianam ueteres appellant. eò Cæſar, in Hiſpaniam rediturus, ad idus Iulij cum claſſe deſcendit. Rex obuiam ei miſerat Veliũ legatum, & triremes quæ deducerent: cùm autem Aquis appropinquaret Cæſar, aderat Galliæ Conneſtablius, orans, ut claſſem in portum ſubduceret: fore, ut rex intra ſecundam horã adſit, & ad ipſum in triremem ueniat. Cæſar, ubi reliquæ naues, quę per ſuperioris diei nebulam aberrauerant, cõueniſſent, in portũ inuehitur: nec̃ multò pòſt uenit etiam rex, & comitatus inter alios Antonio Lotharingiæ duce, eiúſque fratre cardinali, contendit ad claſſem. Cæſar ad ſcalam uſque triremis obuiam progreſſus, eum excipit. Dici uerò non poteſt, qui fuerint ibi complexus, quæ gratulationes: ubi conſediſſent in puppi, qui cum Cæſare tum erant proceres, demiſſè regem & officioſè admodum ſalutant. Ibi Cæſar, Andream Auriam, claſſis præfectum, principem Melphitanum, qui ante annum decimum à rege defecerat, uti libro ſexto dictum eſt, per Granuellanum accerſit, ſalutandi cauſa regis: ubi uenit, rex, quia Cæſaris, inquit, es familiaris & adminiſter,

adminiſter, Andrea princeps, eiq; uiſum eſt, ut te cõueniam, gratificari ſanè ipſi uolui, quem loco fratris habeo. Collocuti deinde familiariter & amicè per horam circiter, rex diſcedit. Poſtridie, prima luce Cęſar per omneis triremes uoce pręconis denunciat, ne quis in continentem exeat: ipſe uerò ſtipatus aliquot optimatibus enauigat, cum rege pranſurus. Vbi terram tetigit, rex atq; regina cum duobus filijs illum humaniſſimè complectuntur, & in palatium abducunt. Sub uesperum, Andreæ Auriæ, qui ad claſſem remanſerat, Cæſar nunciat, rogatu regis atq; reginæ ſororis in oppido ſeſe pernoctaturũ, & altera luce poſt prandium eſſe rediturum ad triremem. hoc autem eò faciebat, ne quid illi ſiniſtræ ſuſpitionis in mentem ueniret. Itáque poſtridie Cęſar à rege, totaq; procerum turba deductus redit ad mare: cunque rurſus in ipſa puppi compotatum eſſet, amiciſſimè diſceditur. Ea re cognita Luteciæ ac reliquis in locis, factę ſunt ad templa diuorum, uti fieri conſueuit, ſupplicationes, & publicè excitati ignes. Pontifex ab ijs Niceæ contenderat, ut facta iam pace, Vicentiam ipſi uenirent ad concilium, & quos haberent in ſuo comitatu proceres eccleſiaſticos, eò mitterent, abſentes etiam euocarent: cùm autem illi de utroque ſeſe excuſaſſent, & qui Vicentiam erant ab eo miſſi cardinales legati, nunciarent magnam eſſe ibi ſolitudinem, concilij diem rurſus ad paſcha producit anni ſequentis, diuulgatis ea de re literis, quarto calendas Iulij, quum eſſet Genuę, domum rediturus. In primo congreſſu rex ei dextrum pedem oſculatus fuit, in cathedra ſedenti, pòſt etiam reliqui proceres: ueruntamen erant in comitatu regis, qui, licet admoneret Conneſtablius, id facere recuſabant, Chriſtophorus dux Vuirtẽbergicus, Gulielmus Comes Furſtembergius, Germani, Mareſcallus Marchianus, Gallus, & Danię regis legatus, Georgius Gluchius. In hoc ipſo tempore deceſſit è uita Carolus Ecmondanus, Geldriæ princeps: quemadmodũ finibus propè totis eiectus fuerit, libro ſuperiori diximus: in his autẽ anguſtijs poſitus, cùm iam ægrotus decũberet, egit cum Gulielmo principe Cliuenſi, propinquo ſuo, qui de ipſius et nobilitatis atq; populi uolũtate, rei ſummam totam ad ſe deinde trãſtulit, maxima cum Cęſaris offenſione, ſicut ſuo loco dicetur. Mortuus etiam fuit paulò antè Erardus Marchianus, cardinalis, epiſcopus Leodinus, quo uix alius doctrinæ cauſa plures afflixit. Sepulchrum iſte ſibi multis annis antè fieri curauerat, in æde primaria Leodina, ſumptuoſiſſimum, & exequias anniuerſarias, non ſecus atque mortuis pontificij ſolent. etenim uiuo magis profutura ſibi iudi-

cabat hæc ſacrificorum opera, quibus ipſi meritum attribuunt, & æternæ uitæ præmium deberi putant. Qui propius hominē nouerant, oſtentatione quadam hoc eum facere dicebant, quòd eſſet gloriæ cupidiſſimus, & uoluptatem ex ea pompa quæreret. Excudebantur hoc tempore Lutecię biblia, ſermone Anglico, ut per Britanniam diſtribuerentur in templa, iuſſu regis: ſed ubi reſcitum eſt, interdictum fuit, nec erat in nullo diſcrimine typographus. In Gallĳs uulgò non extat lingua populari ſcriptura ſacra: neque ſuſpitione caret, ſi quis fortè nouum teſtamentum aut ſimile quid Gallicè legat: ſed neque ſacras literas tractare licet, niſi profeſſione theologis ac id genus alĳs: promiſcua uerò multitudo nihil prorſus nouit, & mulieres urbanæ, Miſſam auditurę, libellos in templa deferunt, qui latinas habent precationes: eas utcunque demurmurant, cùm planè nihil intelligant, & perſuaſum eſt eis, multò gratius hoc eſſe Deo, quàm ſi patrio utantur ſermone. hoc nimirū agunt ſacrifici, quibus eſt hominum ignorantia quęſtuoſa. Domum reuertentē pontificem, quod fuit Auguſti menſis initiò, Romani maximo triumpho et honore ſuſcipiunt, tēſis et adornatis ubiq; uĳs, & paſsim deſcriptis elogĳs, quibus eum, ob reſtitutam orbi pacem, & conciliatos monarchas, mirificè celebrabant. Hoc anno collegiū eſt inſtitutū Argentorati, ſeu ſchola iuuentutis, authore potiſſimùm Iacobo Sturmio, ſenatore primario: & breui tēpore ſic efloruit diligentia doctorū, ut non ſolùm extremi Germani, ſed exteræ quoq; nationes eò confluerent. Inſtituendæ uero iuuentutis, & tanq; in claſſes diſtribuendę rationem, ac uniuerſam docendi uiam, Ioannes Sturmius & ſenatui primus oſtendit, & pòſt, edito libro copioſius explicauit. Et quū religionis atq; doctrinę cauſa multis eſſet emigrandum è Gallĳs atq; Belgio, ſenatus Argentinenſis tēplum illis aperuit, ut eccleſiam conſtituerent. huic primis aliquot annis præfuit Ioannes Caluinus, Nouiodunenſis, deinde Petrus Brulius, de cuius exitu ſum infrà dicturus. Cęterùm, fuit apud Britānos aliquot ſęculis in ſumma ueneratione, Thomas Cantuarienſis, eiuſq; corpus incluſum erat thecæ, gemmis & auro ſupra modum exornatæ: rex autem Henricus illum exemit hoc anno, reliquiaſq; corporis incēdit. Thomas hic, cognomento Bequetus, fuit olim archiepiſcopus Cantuarienſis: & cùm ordinis eccleſiaſtici immunitatem acrius defenderet, Henricum Angliæ regem, eius nominis ſecundum, grauiter offendit, & exulare iuſſus confugit ad Alexandrum III pontificem, qui tunc, ob inimicitiam Friderici Barbaroſſæ, Cæſaris, in Gallĳs erat. Huius demum atque

etiam

etiam Ludouici VII Gallię regis interceſſione, reconciliatus, domum redijt, exilij anno ſeptimo. Quum autem epiſcopis nonnullis, qui regis erant ſecuti partes, moleſtiam deinde faceret, ac ſacris interdiceret, rex iterum offenſus, miſerum ſeſe clamabat, cui per unicum ſacerdotem non liceret uiuere pacato: deplorabat etiam è ſuis eſſe neminem, qui ſe liberaret ab ea moleſtia. Qua quidem uoce nonnulli concitati, &, cùm putarent non ingratũ regi fore, Cantuariam profecti, Thomam interficiunt, direptis illius fortunis. Rex autem magnum prę ſe tulit dolorẽ, & miſſis Romam legatis, purgandi ſui cauſa, tandem exorauit pontificem, ut cognitores, qui de facta cæde quęſtionem haberent, in Angliam mitteret. Cunctp tandem duo eſſent à pontifice miſſi cardinales, nectp de cauſa cædis liquidò conſtaret, rex iureiurando ſeſe purgat: & quia propter anteactum odium ac emiſſas uoces nonnihil in eo ſuſpitionis atcp culpę reſidebat, hac tãdem lege reconciliatus eſt, ut & eccleſiaſticis omnem deinceps beneuolentiam præſtaret, & intra tertium annum cõtra Saracenos ipſe militaret, incp Syriam proficiſceretur. Fuit hæc facta cædes anno ſalutis humanæ, M. C. LXXI. neque multò pòſt inclaruit memoria Thomæ, per miracula, quæ dicebatur edere. qua de re cùm audiſſet pontifex, renunciantibus legatis, retulit eum in numerum diuorum. Quo tempore Niceæ conuentum eſt, Ioachimus Brandeburgicus princeps elector, Ioachimi filius, Iunij menſis initio legatum mittit Euſtachium Schlebium, ad Saxonem electorem, cum his mandatis. Poloniæ regem Sigiſmundum, & Ioannem Vayuodam Vngariæ regem ſibi nunciaſſe: quemadmodũ Turca maximos faciat apparatus, ut occupata Buda, præſidiócp & opere munita, Germaniam rurſus inuadat: & ipſum adeò Turcarum Cęſarem hoc ſignificaſſe Vayuodæ: cùm autem ſuo parenti publicè mandatum aliquando ſit in Imperij comitijs, ut quicquid de rebus Turcicis cognouiſſet, reliquos ordines de eo commonefaceret, ideò ſe quoque non poſſe non munus hoc reipublicæ præſtare, & uehementer quidem eo nuncio commoueri, propter communis patriæ ſortem & calamitatem: itácp tùm hac tùm alijs de cauſis nuper ad Ferdinãdum regem in Luſatiam fuiſſe profectum: hunc uerò de ijſdem rebus, & ante ſuum aduentum, & tunc, cum ibi eſſet, accepiſſe literas atcp nuncios: Quòd ſi iam illius impetus non tardetur, dubium non eſſe, quin ipſi, qui ſint planè finitimi, ſuos intra limites breui ſint conſpecturi crudeliſſimum hoſtem: nam inde à Buda, per omnem illum tractum, ad ſuos uſque terminos, nullam arcem, nullum eſſe oppidum muni-

tum, quod quidem uim tantam ſuſtinere poſſit, nullum flumen, nullum iter montuoſum, anguſtias nullas aut uiarum clauſtra, quæ curſum illius impediant, unà tantùm excepta urbe Vratislauia & oppido Lignicio: cuiuſmodi enim ſit Morauiæ ſitus atq; Sileſię, & quàm ſit patens atq; fructuoſa regio, ſcire ipſum, nec opus eſſe commemorare: Et quanquam petenti regi Ferdinando promiſerit auxilia, propter commune periculum, tamen uidere ſe, quàm id genus auxilijs nihil effici poſſit: nam rei magnitudinem poſtulare totius Imperij coniunctas uires & opem: ſed quoniam id obtineri fortè non poſſit, niſi publicis in comitijs, & niſi tota pacata Germania, & uerò periculi præſentia longiorem moram non ferat, ideò ſe per colloquium ſolicitaſſe regem, eò totus incumbat, ut de firma pace rectè caueatur: Ad ea Ferdinandum regem, qui ſanè & rempublicam amet, & ab ipſo non ſit alienus, reſpondiſſe liberaliter, & operam ſuam promiſiſſe, & cauſam uelle commendare Cęſari, modò ſciat, quid amplius ipſe atq; ſocij deſiderent: Quod cum ità ſit, orare, ut huc animum adijciat, & rationes pacis, de quibus agēdum eſſe putet, bona fide ſibi patefaciat: ſe curaturum, & ſuo quidem nomine, ut Ferdinandus ad Cęſarem intercedat, & omninò ſperare, futurũ, ut hæc actio ſit reipublicæ ſalutaris: hoc etiam tempore multò eſſe facilius quàm antea, reprimere Turcarum impetus, quandò quidem Ferdinando ſit reconciliatus Vayuoda, quod ipſe rex arcanè ſibi dixerit: nolle enim hāc diſſipari famam, ne Turca reſciſcat: anteactis annis, & hucuſq; magnam Vngarię partem ab orbe Chriſtiano fuiſſe diuulſam bello ciuili, placatis autem animis & offenſione iam ſublata, pulcherrimam rei gerendę datam occaſionem eſſe: maiorem igitur in modum rurſus obſecrare, ut communem reipublicæ cauſam adiuuet. Habebat Ioachimus in matrimonio Sigiſmundi Poloniæ regis filiam, & Vayuodæ Ioannis è ſorore neptem. hinc illa neceſſitudo inter ipſos & familiaritas. Religionem quoque Saxonicam ille iam ſuſceperat, eiuſque rei librum emiſit, à fœdere autem abſtinuit, & Cæſari atque Ferdinando regi totus erat alioquin addictus, & pluſculum retinuit ceremoniarum, & offenſionibus mederi ſtudebat. Saxo, datis ad Lantgrauium literis, rem omnem exponit, & XII deinde Iunij die ſimul ad Brandeburgicum ſcribunt. Etſi magni ſit res momēti, & omninò talis, quam ſocijs oporteat communicari, tamen uidere ſe dicunt, quid incommodi ſecum trahat mora, præſertim, cùm & Turca de ſuo ardore nihil remittat, &, quemadmodum Germania pacata, totis illi uiribus obuiam

uiam eatur, nimis iam diu deliberetur: Etenim, quod sibi per legatum nunciarit de suscipienda in crudelissimum hostem defensione, uerum esse, & fateri, rempublicam id flagitare, uerùm suas inuicem rationes esse tales, ut inprimis opus habeant pace, quæ sit honesta, uera, firma, & minimè ambigua: nam ut facultates suas in bellum Turcicum impendant, atque interim uicinos habeant implacatos, uidere ipsum, quàm id sibi non sit integrum neque consultum: se quidem pacis esse percupidos, eam uerò si impetrare non possint, ideóque suspectis rebus, de suis ipsi copijs nihil detrahant, atque interim detrimenti quid accipiat respublica, nullam sanè culpam eius rei sibi posse tribui, sed illis omninò, qui pacis consilia repudiarint: Adhæc, sibi uideri, Ferdinandi regis & aliorum, qui sunt finitimi Turcis, rationes postulare, ut hæc ad omneis referantur ordines: Quòd etiam hucusq; nulla sint Imperij comitia, non esse ex usu reipublicæ: nam ut fortè tempus non patiatur subitarium aliquod auxilium publicè decerni, & sit necesse priuatim aliquos de subsidijs implorare, Turcæ tamen eam esse potentiam, ut in multos etiam annos continuare bellum possit, neque finem prius faciat, quàm aut uoti sit factus compos, aut accepta clade, belli cogatur administrationem intermittere: conuentum igitur Imperij planè sibi uideri necessarium, ut in eo & pax Germaniæ constituatur, & de bello Turcico deliberetur: Et hoc quidem posterius tanti esse momenti, ut, etiamsi pacata essent omnia per Germaniam, nihilo tamen secius publico sit opus conuentu: Neque uerò referre, si fortè regi Ferdinando non liceat adesse nomine Cæsaris, modò legati mittantur idonei cum plenis mandatis: quod quidem si perficere ipse possit, futurum id & Cęsari & uniuersæ Germaniæ perquam salutare: uerúntamen, ne qua parte, reipublicæ desint, aut illius ipsi commoda retardent, uelle se, quantùm pro sua uiríli parte contribuere solent atq; debent in hunc usum, habere in promptu, cum opus erit: neque dubitare, quin socij sint idem facturi, sed ea lege, ut rex Ferdinandus è uestigio pacem ipsis apud Cæsarem impetret, firmam & indubitatam, & quam reliqui principes Imperij, religionis pontificię, ratã habeant: eo facto, & sublatis actionibus Cameræ, sua mox parata fore subsidia: Quòd si uerò Cęsar excluſus tẽpore non possit huc omneis principes permouere, saltẽ hos in suam sententiam adducat, Gulielmum & Ludouicum Bauaros, Georgium Saxonem, Moguntinũ, Colonienſem, Treuirẽſem, Salisburgenſem, Magdeburgicũ, Bremenſem, Bambergicum, Vuirciburgẽſem, Monaſte-

rienſem, Auguſtanum & Aiſtetenſem epiſcopos: Quòd ſi ne his quidem perſuaderi poſſit, ut tum Cæſar & Ferdinandus, pro ſe ſuæq; ditionis uniuerſæ populo eam pacem confirment, & operam ſe daturos promittant, ut etiam reliqui principes aſſentiantur: & ſi fortè recuſent, ipſi tamen à pacto nunquam diſcedant, & primo quoque tempore, tum hac tum alijs de cauſis, Imperij conuentum habeant: quod ſi fiat, ſperare ſe, ſocios quoque collaturos eſſe auxilia, ſicut ipſi quidem facere conſtituerint, ſi modò ſocijs idem uideatur, &, ſi pacis beneficio frui liceat tàm illis, qui poſt tranſactionem Norib ergicam acceſſerunt, quàm qui poſthac ſeſe uolent aggregare: deinde, ſi non ad Imperij ſolùm principes, uerùm ad Daniæ quoque regem ea pax pertineat: Et, quò ſuum ſtudium appareat ac deſiderium pacis, quandoquidem Imperij comitia non tàm ſubitò cogi poſſint, conuentum ſe uelle decernere ſociorum, ut ad XXIIII Iulij diem præſto ſint Iſenaci, cum ampliſsimis mandatis: rectè facturum igitur, ſi quidem id operam det, ut Cæſar & rex Ferdinandus, ipſe quoque & Palatinus princeps eò ſuos mittant legatos. Cùm ad hunc modum reſpondiſſent, datis literis ad ſocios, ut ad eum diem, Iſenaci, quod eſt oppidum Turingię, conueniant, hortantur. Brandeburgicus per legatum nunciauerat, quòd ſi placeret ipſis actio, ſe curaturum, ut Palatinus elector, qui rempublicam etiam amet, operam in eo ſuam communicet. Cum literis ad Brandeburgicum unà mittebant omnem, quæ cum Heldo fuit, actionem, ut cauſam liquidò perſpiceret. Eo accepto reſponſo, Brandeburgicus Ferdinandum orat, ut ilicò rem iſtam curet apud Cæſarem, prius quàm ex Italia redeat in Hiſpaniam: deinde Palatinum rogat, ut unà ſecum actionem hanc ſuſcipiat. Is reſpondet. etſi de eo non ſit à proteſtantibus interpellatus, non defugere tamen, ſed abijſſe iam ſuos homines, quorum opera ſit aliàs uſus in eadem cauſa: monet autem, ut ſuos ipſe mittat omninò conſiliarios: quòd ſi deinde ſua ſit opus præſentia, non ſe defuturum. Cùm ergò ueniſſet dies, Brandeburgicus hæc omnia, Saxoni primùm, deinde Lantgrauio per legatos exponit, pòſt etiam reliquis omnibus, Iſenaci. nam principes non eò uenerant ipſi. Petebat autem, ut Palatinum rogarent, quò laborem hunc ſubeat, & ut alius deſignetur dies, quo rurſus conueniant: interea rem apud Cæſarem poſſe confici, ut ipſius etiam interueniat aſſenſus atque mandatum. Adhęc, rogabat, ut ſeſe commodos præbeant, & quantùm omninò ſalua conſcientia fieri poſsit, concedant:

Ferdi-

Ferdinandum enim nihil esse prætermissurum diligentiæ, neque dubitare, quin ad pacem Cæsar etiam uehementer inclinet. Ad ea protestantes Isenaci v. die Augusti respondent. ut de concordiæ rationibus agatur, admodum sese cupere, sic tamen, ut Cæsaris in eo mandatum interueniat: deinde, tametsi nihil opus esse putent ab se rogari Palatinum, qui & eò sua sponte propendeat, &, si Cæsar iubeat, minimè sit recusaturus, literas tamen se daturos ad illum, & quum Cæsaris erit allatum mandatum, diem se dicturos esse de consilio Palatini & Brandeburgici, quem ad diem omnes conueniant, actionis futuræ causa. Hoc in conuentu recepta fuit in fœdus Lantgrauij soror Elisabetha, uidua: petebant etiam admitti Hallenses & Hailbrunenses. eaque res Augustanis & Vlmensibus demandata fuit. Cognitum etiam est ibi de cuiusque querimonijs, maximè uerò de Goslarienſium causa, quos Henricus Brunsuicensis ualde premebat. itáque decretum fuit, Brandeburgicum esse rogandum, ut inter alia, Cæsaris quoque mandatum in eo rex Ferdinandus impetret, quò uidelicet Brunsuicensis actioni sistere sese cogatur: nam alioqui talem esse tánque duram et iniquam Goslarienſium conditionẽ, ut eos in his angustijs deserere non possint. De pacifica tione Cęsaris & Gallię regis huc etiam allatum fuit. finem habuit hic conuentus Augusti mẽsis die nono. Hoc anno secta prodijt eorum, qui dicuntur Antinomi. hi pœnitentiam ex decalogo non esse docendam dicunt, & illos impugnant, qui docent, non esse prædicandum euangelium, nisi primùm quassatis animis atq; fractis per explicationem Legis: ipsi uerò statuunt, quæcunq; tandem sit hominis uita, & quantumuis impura, iustificari tamen eum, si modò promissionibus euangelij credat. In his erat facilè primus, Ioannes Islebius Agricola. Lutherus autem ista copiosè refutat, & docet, legem non eò datam esse, ut iustificet, sed ut peccatum ostendat, & conscientiam territet, ideó que primùm omnium esse docendam, deinde euangelium, quod nobis filium Dei propiciatorem & aduocatum humani generis demonstret. Islebius tandem à Luthero commonefactus priuatim, & facta scripturæ collatione, rectius institutus, in sententiam eius accedit, idque publico deinde scripto testatur, confessus errorem. Superiori libro diximus de Heldo, quem Cæsar miserat legatum in Germaniam. Cùm is non tulisset à protestantibus quale uoluit responsum, adijt plęrósque omneis principes, & obducta criminatione, quasi protestantes nullum ius atque cognitionem ferre possent,

& æquissimas pacis conditiones ab se propositas repudiarent, cœpit eos de fœdere solicitare, cuius & Cæsarem & Ferdinandum regem profitebatur authores, nec prius conquieuit, quàm id apud quosdam perficeret. Hi erant, Moguntinus & Salisburgensis, archiepiscopi, Gulielmus & Ludouicus Bauari, Saxo Georgius, Ericus & Henricus Brunsuicenses. Huius rei causa conuentum est Noribergæ, & hoc titulo fuit initum fœdus, ut si religionis pontificiæ causa, quam ueterem ipsi uocant, ulla fieret alicui molestia, paratum esset auxilium, itáque sanctum uocabant, quasi pro gloria Dei susceptum & ecclesiæ tutela. Decretum uerò fuit in annos XI. Galliæ rex, Nicea domum reuersus, in colloquium uenit cum sorore Cæsaris Maria, Compendij, quod est in Suessionibus oppidum. Hoc ab illa fuisse captatum aliqui putabant, ut per occasionem factæ nuper pacis & amicæ congressionis ad Aquas mortuas, à principe Cliuensi Gulielmo, qui Geldriam tenebat, animum regis auerteret, & amicitiæ regis opinione terrorem illi atque metum adferret. De Cameræ iudicio sæpe diximus: Hi perpetuò sui similes, de consuetis actionibus nihil remittebant, & ciuitatem Mindensem nuper in omnium aspectu, sub aperto cælo, sicut ipsorum habet ceremonia, proscripserant, ob litem, quæ illis erat cum suæ urbis ecclesiasticis. Ea re cognita, Saxo & Lantgrauius, tùm suo tùm sociorum nomine, scriptum euulgant ad idus Nouembreis. In eo rem omnem ordine commemorant, quid cum Camera sit actum aliquot nunc annis, uti locis aliquot suprà demonstrauimus. Et uerò quia sint quietis impatientes, & iustissimis de causis recusati, nihilosecius obstinatè pergant, & confœderatos Mindenses ad hunc modum proscripserint, monent atque rogant omneis principes & ordines, ut sententiam latam habeant pro iniusta, neque se patiantur ad uim ullam excitari: nam si secus fiat, & si qua sententiæ illius futura sit executio, non se posse sociorum iniurias negligere. Cæsar interea per Ferdinandum regem interpellatus, ut suprà dictum est, missis in Germaniam literis, de sua in rempublicam uoluntate, & quomodo religionis hoc dissidium pacare cupiat, exponit: consimile quoq; Galliæ regis dicit esse studium: nam egisse nuper cum eo de tota republica: Et quia paucis antè diebus ad se delatum sit, protestantes etiam à pacis consilijs non abhorrere, & actionem flagitare, modò suum in eo mandatum & consensus interueniat, ideò, se, cui publica tranquillitate nihil sit antiquius, hanc ipsam rationem comprobare, & archiepiscopum

Londen-

Londenſem atque Mathiam Heldum conſtituere ſibi legatos, aut ex iſs alterum, iſſque plenam facere poteſtatem, ut unà cum ſui fratris Ferdinandi regis conſiliariis et aliis principibus interceſſoribus rem iſtam omnem tractent atque decernant: quicquid egerint, ratum habiturum eſſe. Datæ fuerunt hæ literæ Toleti, Nouembris die XXV. & cùm in Germania deinde redditæ eſſent, conſtitutus fuit Februarij dies XII, quem ad diem Francofurti conuenirent omnes. Diximus antea de fœdere facto Noribergæ: huius erant primi duces Ludouicus Bauarus, Henricus Brunſuicenſis, qui totus ad rumpendum ocium publicum ſpectabat, & in hoc incumbebat, ut belli fieret initium aduerſus proteſtantes. Et quum illis ferè diebus literas accepiſſet ab archiepiſcopo Moguntino, poſtridie natalis Chriſti paucis ei reſpondet, cætera ſcribæ committit, Stephano Fabro, quem ad ipſum mittebat cum mandatis. Accidit autem penultima die Decembris, non procul ab oppido Caſſello, cùm ad uenatum fortè Lantgrauius iret, ut in hunc incideret, comitatum adoleſcente Moguntino, qui literas pertulerat. Ibi Lantgrauius, pro more Germaniæ, rogat ab adoleſcente, qui conſultò prior occurrebat, ecquis eſſet? ſum, inquit ille, Brandeburgici electoris famulus: ecquis alter? & ille quoque. Cùm iam Stephanus appropinquaret, ex ipſomet rogat, qui ſit? reſpondet ut ille: quónam tendat? Spiram: ecquid princeps ualeat? rectè: poſtea rogatus, num hæc ità bona fide confirmet? maximè, ait, itáque dimittitur. paululum deinde progreſſo Lantgrauio, quidam ex famulis renunciat, eſſe ſcribam Henrici Brunſuicenſis. quod cùm ab alio deinde qui ſcire potuit, confirmaretur, Lantgrauius mittit, qui retrahant hominem, & Caſſellum abducant, dum à uenatu redeat ipſe. Stephanus interea, dum eſt in hypocauſto, ſacculum coriaceum è ſinu depromit, & quaſdam ex eo literas corripit, & foras ire properat: animaduertit hoc quiſpiam ex famulis domeſticis, & curiæ præfectum, qui fortè tum aderat, & in ſubiectam aream ex hypocauſti feneſtra deſpiciebat, ſubmonet. Rogatus igitur ille de literis, educit eas è ſinu: præfectus ad ſe recipit & reuerſo Lantgrauio tradit. Erant autem binæ literæ, unæ ad Moguntinum, alteræ ad Mathiam Heldum ſcriptæ: iis erant adiunctæ tabulæ ſeu commentarij, in quibus capita rerū perſcripſerat, de quibus habebat in mandatis. Cùm ergò res per ſe uehementer eſſet ſuſpecta, magis etiam hæc augeretur ſuſpitio propter ea, quę in tabulis erant annotata, Lantgrauius utranque reſignat epiſtolam. Eius, quę

fuit ad Moguntinum, hæc erat ſententia. ſibi redditas ipſius eſſe literas: lætari uerò plurimùm, quòd ſui memoriam conſtantem retineat: ſe quidem ipſi totum eſſe deuinctum, & mittere Stephanum ſcribam, hominem fidelem, ut ex eo rem omnem, & quid è Bauaria ſit allatum, cognoſcat: orare ut ei fidem habeat. poſtea ſibi ſocijſque bene precatur, aduerſarios autem ſathanæ commendat. Eodem ferè exemplo ſcripſerat Heldo, mittere ſe denuò Stephanum cum mandatis, & orare ut beneuolè audiat, neque minus ei credat, quàm ſi coràm ipſe loqueretur: quoad uixerit, partium ſe futurum eſſe Cæſaris, quocunque tandem res euadat: neque dubitare, quin rectè Cæſar omnia ſit procuraturus. In tabulis ad Moguntinum hoc erat. Lantgrauium eſſe prorſus irrequietum, neque ſomnũ capere, & ſic addictum eſſe uenationibus, ut ad amentiam propè ſpectet: hoc magis opportunè rem poſſe geri, & iam partem aliquam eius eſſe confectam: quid autem Lantgrauius moliatur, Bauaris eſſe non ignotum, & certò confirmari, uel ipſi uel ſibi facturum eſſe bellum: itáque ſocijs collegij perſuadendum eſſe, ut in fœdus accedant: ipſum quoque rectè facturum, ſi totus huic fœderi ſeſe tradat, nec ad illos reſpiciat, à quibus aliquandò deſertus, magnam acceperit calamitatem: fore, ut Bauarus & ipſe colloquantur, & communicatis conſilijs aliquid ſtatuant: Sueuicos etiam ordines de fœdere ſolicitari, & iam propè rem eſſe perductam ad exitum. In ijs ad Heldum hæc inerant. Sperare ſe, Cæſarem ab Hiſpanijs uenturum eſſe breui, qui ſi conſtans in propoſito maneat, rectè omnia proceſſura: tunc enim alios quoque reges, qui nondum ſeſe declararint, ſpe quidem & opinione ſua, non futuros alienos ab hoc inſtituto: quòd ſi conſœderati omnes ea ſint uoluntate ac ſtudio, quo ipſe, nihil eſſe deſiderandum: ſed utcunque ſeſe gerant illi, ſe quidem & conſtantem eſſe futurum, & Cæſari ſemper obſequentem: uideri autem ſibi conſultum, ut Camera Lantgrauio mandet, quò diſcedat ab armis: interea ſe quoque & Bauarum fore expeditos: & ſi quidem ille non pareat, ut tum Camera ſibi & Bauaro mandet, dent operam, ne quid accipiatur detrimenti, ſimul alijs quoque principibus iniungat, ut ex formula decreti publici conferant auxilia. His rebus ità cognitis, quia maximum ſuberat periculum, & belli quærebatur ab illis occaſio, Lantgrauius è ueſtigio dat literas ad ſocerũ ſuum Georgium Saxonem, & explicata re tota, ſicut acta fuit, iniuriam ſibi fieri, nec ullum parare ſeſe bellum demonſtrat. Ad hoc ipſum tempus

Mathias

Mathias Heldus magna celeritate per Galliam in Hiſpaniam ad Cæſarem contendit. Lantgrauius deinde ad Ferdinandum regem eiúſque ſororem Mariam, Belgij præfectã, ad principes electores atque Bauaros, eodem modo, ſicut ad ſocerum Georgium, ſcribit, ſeſéque purgat. Brunſuicenſis, ubi rem eſſe patefactã, & de Lantgrauij ſcriptis cognouit, reſpondet, & non ab illo tantùm, capto iam ſcriba, ſed à Saxone quoq; ſibi factam eſſe dicit iniuriam, anno ſuperiori, quum iuſſu Ferdinandi regis, nomine uerò Cęſaris, ad Georgium Saxonẽ eſſet profectus, deinde, cùm Noribergæ facto fœdere domum rediret: nam illum ſibi tunc eſſe inſidiatum. Ad ea Saxo reſpondet, quandoquidem ille ſibi ſocijſq;, cùm irent Brunſuicum, fidem publicam denegarit, contra legem atque morem Imperij, non aliter de ipſo, quàm de inimico ſentire potuiſſe: ſæpe quidem illum antea, paucis comitatum, & ueſte famulari, ne agnoſceretur, per ſuos atque ſui fratris fines clàm eſſe profectum, nec à ſe tamen, qui ſciret iſta, fuiſſe interpellatum: poſtea uerò, quàm ſibi ſocijſq; uoluit aditum eſſe præcluſum, cur plus licere ſibi putet in alios, quàm illis ipſe conceſſerit? Per hanc igitur occaſionem cœptum eſt agi ſcriptis aduerſarijs, quæ non multò pòſt in omnium acerbiſſimas inuectiuas deſierunt, cuius quidem rei factum fuit initium à Brunſuicenſi, qui nouo quodam inter uiros principes exemplo, nullum prætermiſit criminationis aut contumeliæ genus, ut libri typis excuſi demonſtrant. M.D.XXXIX

Dùm hæc geruntur, Ioannes princeps Cliuenſis moritur, Guilelmo filio hærede relicto, quem ab ineunte ætate Conradus Heresbachius bonis literis atque moribus informauerat. Quum Februario menſe uentum eſſet Francofurtum, ut erat cõſtitutum, poſt multam uariámque diſceptationem & acrem, Aprilis die XIX demum tranſactum eſt his conditionibus. Cæſar, ut colloquium haberi poſſit doctorum, de religione, largitur ſocijs Auguſtanæ confeſſionis, qui nunc in eo ſunt numero, XV menſium inducias, & ne quid eis interea, religionis cauſa, moleſtiæ fiat, edicet: pacificatio Noribergenſis & Cæſaris edictũ Ratisbonenſe iubentur interim eſſe rata: Quòd ſi per tempus induciarum, de religione non conueniat, pax tamen illa ualebit, aduſque proximum Imperij conuentum: Et ſi fortè ante finem induciarum conuentus fiat, obtinebit nihilominus ea pax uſque ad altera comitia: forenſes omneis actiones, intentatas proteſtantibus, & Mindenſem quoque proſcriptionem, Cæſar, interea, dum erunt inducíæ, ſuſpendit, & ſi quid contrà fiat, irritum eſſe iubet:

Quod ipſis obiici ſolet, quaſi propter hanc religionis profeſſionem in iudicio conſiſtere non poſſint, amplius locum nõ habebit, ſed ius & æquum illis communicabitur ſine exceptione: proteſtantes inuicem nullam interea moleſtiã ulli facient, & dum inducię ſunt, in fœdus neminẽ admittent, ſic tamen, ut ipſorum religionis cauſa nemini uis fiat: ne quis etiam in aduerſariũ fœdus interea recipiatur, Cæſar efficiet: eccleſiaſticis, ubicunque demum habitent, cenſus annuos, quos illi adhuc obtinent, proteſtantes permittent: de uoluntate Cæſaris conſtituetur dies, calendæ Auguſti menſis, quem ad diem Noribergæ conueniant pontificij & proteſtantes, uiri boni cupidíque pacis & minimè contentioſi uel pertinaces. Hi certum numerum deligent theologorum, qui placidè & amicè de religione conferant: ijs etiam alij quidam erunt adiuncti. non quidem profeſſione theologi, ſed tamen homines periti atque ſedati: Cæſar etiam & rex Ferdinandus in hoc colloquio ſuos adhibebunt, ſi uelint, legatos: & quicquid ibi decretũ fuerit utrobique, referetur ad ordines abſentes, quibus approbantibus, orator quoque Cæſaris ratum habebit, aut uerò Cæſar in proximis Imperij comitijs, ubi confirmauerit, fixum & inuiolatum eſſe iubebit: utrinque diſcedetur ab apparatu bellico, & qui uidebitur aliquid moliri, quamobrem id faciat, cauſam dicere cogetur, ſic tamen, ut defenſio neceſſaria nulli denegetur: in cæteris rebus omnibus, Imperij ius utrobique ſeruabitur: In his inducijs non comprehenduntur anabaptiſtæ, nec alij, qui diuerſam ab Auguſtana confeſſione doctrinam profitentur: auxilia in bellũ Turcicum proteſtantes habebunt in promptu, ne qua ſit mora: quúmq; electores & alij quidam præcipui principes atque ordines, mandatu Cęſaris Vuormaciam ſuos mittunt legatos, ad XVIII Maij diem, proteſtantes quoque ſuos mittent, ut de ſubitarijs auxilijs in Turcam deliberetur, & quicquid ibi de maioris partis conſenſu decretum fuerit, huic ipſi quoque ſubſcribent: &, ſi dum inducię durant, bellum fortè Turca faciat, unà cum reliquis eũ oppugnabunt: & hæc quidem omnia ſic erunt rata, ſi Cęſar intra ſextum menſem ea comprobet, à calendis Maijs initio facto, & interea, quod pactum eſt de inducijs, déque non amplificando fœdere, ualebit: ſi uerò Cæſar animum ſuum intra tempus illud non declaret, ualebit tamen pacificatio Noribergica deinceps, ut antea. Cæſaris erat hîc legatus Ioannes archiepiſcopus Londenſis. nam Heldus in Hiſpaniam abierat, ut ſuprà diximus. Ferdinandus quoque rex eò ſuos miſerat: proteſtan-

testantes aderãt frequentes, et Saxo quidem ipse atq; Lantgrauius, adductis aliquot theologis. Palatinus & Brandeburgicus intercedebant. Hoc etiã inter alia Saxo tum testificabatur, non se tribuere Ferdinando titulũ regis Romanorũ, sed stare pactis Cadanicis et Viennensibus. Is, quẽ dixi, Londensis archiepiscopus, erat patria Germanus, & Christierni Danię regis consiliarius, eóq; fugato, factus exul, & amissa ditione, rediit in Germaniã, & ad Cæsarẽ applicuit, postea factus episcopus Cõstantiensis. Interea dum de cõciliatione Francofurti agitur, copiæ aliquot militũ per Saxoniam confluunt, & in agrum reip. Bremensis, Luneburgici principis et aliorũ eius religionis, ire iubẽtur à præfectis, & expectare, dũ castra moueantur. Cuius id fieret auspicio, ualde quidẽ initiò fuit occultũ, sed tandem certò cognitum est, ab Henrico Brunsuicensi et eius fratre Christophoro archiepiscopo Bremensi esse cõscriptos. Camerã quidẽ interpellabãt ij, quibus damnũ illi dabant, sed id frustrà fuit. protestantes autẽ easdẽ deinde copias, ne plus damni darẽt, industria quadam ad se traduxerunt, quibus tamẽ ad nullius iniuriã utebantur. Intercessorũ principũ rogatu, Stephanus Faber, de quo dictũ est, dimissus à Lantgrauio fuit, cùm idoneè cauisset: ultrò dixerat non se rediturũ ad suum principem, quòd ei nõ amplius fideret, sed liberatus, rectà cõtendit ad ipsum. Hoc in conuentu Gulielmus princeps Cliuensis per legatos exhibuit scriptũ protestantibus, in quo explicabat, quo iure Geldriam possideret. simul orabat, ut ad Cæsarẽ intercederent, causam quoq; suam Cęsaris ibi legato cõmendarent. Galliæ rex, Vlricho duci Vuirtembergico, per legatũ nunciauerat, audire se, ipsum, impulsu confœderatorũ decreuisse bellum facere nõnullis per Germaniam episcopis: hoc uerò consiliũ non se probare, próq; sua in ipsum beneuolentia monere, ne faciat: nam alioqui futurum, ut Cęsarem ac Ferdinandũ regem, quibuscũ superioribus annis transegerit, offendat, suásq; fortunas omneis in magnum discrimen adducat. Vlrichus princeps, actis gratijs propter cõmonitionem, iniuriã sibi fieri, séq; putare dicit, profectũ hoc esse à Bauariæ ducibus, qui consimilẽ de se rumorem, per Germaniam falsò disseminarint: orare, ne fidem habeat: nam neq; sui neq; sociorum esse propositi, ullam excitare turbam, aut armis aliquid tentare, nisi cogantur: non dubitare etiam, quin illi, cùm audierint, sese purgent. Cùm ergò Francofurtũ socijs hæc enunciasset, Saxo & Lantgrauius, Aprilis die XIX, cõmuni nomine dant literas ad regẽ, & quid sit delatũ ad ipsum, ex Vlricho

principe se cognouisse dicunt: sed esse calumniam, ab aduersarijs atatque maleuolis excogitatam: nec enim ullum ab se parari bellum, & quantópere pacem expetant, testificari posse principes intercessores: Nam etsi non uno modo sint lacessiti, quanquàm socia ciuitas proscripta sit, & initum fœdus à nonnullis, ut iniusta decreta defendantur, licet conductæ sint ab illis copiæ magno & inusitato stipendio, quæ nunc in sociorum agris hostiliter agant, se tamen interea quiescere, neque mouere quicquàm: amare enim patriam, & iniurias omneis condonare reipublicæ: uerùm aduersarios impotẽti quodam odio ferri, nec ulla sequi moderata consilia, neque legitimã admittere disceptationem, sed eò solùm spectare, ut ciuili sanguine Germania redundet: quòd cùm ità sit, rogare, ne falsis criminationibus fidem habeat, sed operam det, ut pijs rationibus consulatur ecclesiæ: nam hoc propriè regũ esse officium, ut ueritati præsidio sint & innocentiæ: quòd causam religionis tueantur, id nulla fieri praua cupiditate, sed pio quodã officio: nec enim dubitare, quin ea, quam profiteantur, doctrina, cum Dei uerbo consentiat, quod omninò deserere nõ possint. Ad exitum huius conuentus Aprilis die XXIIII, moritur Saxoniæ princeps Georgius, non relictis liberis. nam eius filij duo iam antè decesserant absque sobole, cùm ex ijs unus Lantgrauij sororem Elisabetham, alter Mansfeldicam in matrimonio habuisset. Georgius itáque fratrem Henricum, eiúsque filios Mauricium & Augustum testamento facit hæredes, ea lege, ne formã religionis mutent: nisi pareant, Cæsari & Ferdinando regi ditionẽ omnem attribuit, donec aut ille, uel filij, uel ex ea familia proximus agnatus, conditionem impleant. hoc suum testamentum ità confectum, nobilitati prius & populo communicat, senex iam et ualetudine minus firma, petítque ut ratum habeant, & data fide iurent, ab eo sese non discessuros. Illi uerò, quòd metuerent, ne bellũ ea res inter agnatos excitaret, orant, ut patiatur ad Henricum fratrem mitti legationem: sperare enim, illum assensurum, ut in religione nihil immutetur. Itáque missi legati, quum uarijs uterentur argumentis, persuadendi causa, præcipuè autem hoc dicerent, multum esse paratæ pecuniæ, multum exquisitæ suppellectilis & argenti plurimum, quę sit consecuturus omnia, modò uoluntati fratris morem gerat: ille mox è uestigio, sanè uestra hæc, inquit, legatio planè mihi repræsentat illud, de quo proditũ est in sacris literis, quum sathanas Christo polliceretur totius mundi regna, modò procumbẽs ad pedes, ipsum adoraret.

rāret. An uerò tanti esse apud me putatis ullas opes, ut earum causa uelim ab agnita ueritate puráque religione discedere? multùm certè uos expectatio uestra fallit. Quum igitur hoc accepto responso, nullāque re perfecta illi discederent, antequam domum rediissent, iam è uita decesserat Georgius. Henricus frater ilicò Dresdam & ad reliqua profectus oppida, suam in fidem populum adigit. hoc autem eò procliuius erat, quòd fœdere nitebatur Smalcaldico. Saxoniæ quoque dux elector, cum de testamento Georgij cæterísque consilijs illius non nesciret, ubi de eius morte in itinere cognouit, domum è uestigio properat, ut si opus esset, Henrico subueniret.

Hac tanta spe pontificij principes deiecti, tantáq; iam ad protestantes accessione facta, ualde doluerūt, Moguntinus præsertim, & Henricus Brunsuicensis, ut postea dicemus. Itáque successorem habuit Georgius & hæredem, omninò præter uoluntatē suam. & is, quem omnium hominum acerbissimè per omnem uitam oderat, nimirum Lutherus, Lipsiam accersitus à nouo principe, conciones aliquot habuit, & religionis fecit initium. Apparuit hoc tempore, quod erat Maio mense, cometa, & illis ipsis ferè diebus moritur Caroli Cæsaris uxor, Isabela, cui deinde Galliæ rex, ubi primùm audiuit, Lutetiæ facit exequias atque funus, quæ regum est consuetudo. Superà diximus de concilio Vincentino, quod pontifex adusque paschæ huius anni prorogarat: quum autem ne tunc quidem ulli uenirent, ille, decimo die lunij literis euulgatis, concilium non quidem amplius producit, sed ad suum atque senatus cardinalium arbitrium suspendit. Angliæ rex, aliquot antè mensibus alterum euulgarat scriptum de synodo Vicentina, & quomodò pontifex orbi terrarum illudat, exponit. Quòd enim per Mantuæ principem sese purget, esse ridiculum: etenim cùm tantam sibi potestatem arroget, cur non illum cogat? si non possit, cur ad locum incertum, & quem in sua potestate non habet, homines uenire iubeat? nunc, etsi Vicentiam delegerit ad eam rem, non dubium esse tamen, quin Veneti, tanta prudentia uiri, nō magis, quam Mantuanus, urbem suam tanta hominū multitudine uelint absq; militum præsidio compleri, et futurū, ut eadem sit ibi, quę Mantuę, solitudo: ludibriū igitur esse quicquid agit, neq; tàm effrenem licentiam ei diutius concedendā: legitimis quidē concilijs nihil esse melius, nihil salutare magis: cùm autem ad priuatum emolumentum atq; commodū, ad confirmationē aliquorū potentiæ referuntur, incredibilem illa reipublicę calamitatem adferre.

Cùm tàm frequens esset in omnium ore concilij nomen & ecclesię, Lutherus de utroque librum edit lingua populari, & primò quidē tractat de conuentu apostolorum, Hierosolymæ, cuius mentio fit actorum capite xv: contrarias deinde doctorum sententias, Augustini præsertim & Cypriani, de baptismo, recenset, & per eam occasionem meminit earum legum, quæ uulgò dicuntur apostolorū canones, & indubitatis argumentis demonstrat, adulterinas esse, quicq; talem eis titulū affingunt, rei capitalis esse damnādos. ordine postea recitat quatuor illa concilia, quorum præcipua est authoritas, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, et quibus de causis conuentum ibi sit, quídque decretum, explicat. pòst, ad primariam quæstionem uenit, & quæ sit concilij potestas, ostendit. itáque non licere concilio dicit ullum nouum dogma condere, nec nouum aliquod opus mandare, nec ceremonijs nouis hominum mentes alligare, neque ciuili gubernationi sese immiscere, neque decreta facere, quę paucorum potentiæ conducant: sed illius esse officium, ut noua dogmata scripturæ sacræ dissentanea, nouásque ceremonias uel superstitiosas uel inutiles ecclesiæ tollat & cōdemnet, & quæ ueniunt in controuersiam, ex præscripto uerbi diuini cognoscat & dijudicet. Ecclesiam deinde definit, & quibus ex notis ea debeat cognosci, demonstrat, & collatione facta, quid Christus & apostoli doceant, pontificem, qui longè diuersam doctrinam in ecclesiam inuexerit, & orbem terrarum nefarijs rationibus expilarit, condemnandum, & ad restitutionem esse cogendum dicit. Inter alia multa, quibus ostendit in eo libro, quàm densæ fuerint sub pontificatu Romano tenebræ, quàm impura fœdáq; religio, huc fuisse deuentum ait, ut etiam uestis monachorum ad æternam salutem non parum conferre putaretur, & plærique, non modò mediocres, uerumetiā optimates ità sepeliri uellent. Id quidē posteritas fortè non credet, sed tamen uerum est, & in Italia potissimùm fieri solebat, & nostra memoria, Mantuæ Marchio Franciscus, eius nominis secundus, testamento cauit, ut in ordinis Franciscani, uel ut uocant, seraphici uestę sepeliretur: fecit idem Albertus pius, Carporum princeps, Lutecię, & Christophorus Longolius, Belga, Patauij sepultus, uir cumprimis eruditus, & Ciceronis admirator uehemens, cuius etiam extat in Lutheranos oratio, sicut Alberti quædam, in Erasmum Roterodamum. A' morte Georgij Saxonis, Henricus Brunsuicensis ilicò per Galliam ad Cęsarem in Hispaniam contendit. His ferè diebus

ordinum

ordinum regni conuentus agit Britanniæ rex Henricus, & inter alia, de religione decreta facit. sub forma panis atque uini, uerum esse & naturale corpus atque sanguinem Christi, & à consecratione nõ amplius manere substantiam panis atque uini: perceptionem integræ cœnæ domini nõ esse necessariam ad salutem, & sub utralibet specie contineri totum Christum: sacerdotibus non licere contrahere matrimonium: uota castitatis esse præstanda: Missas priuatas retinendas: auricularem & arcanam confessionem delictorum esse utilem & necessariam. ijs qui contrà docerent atque facerent, pœnam constituit ut hæreticis. Et hoc ipso tempore in matrimonium petebat principis Cliuensis Gulielmi sororem Annam, eleganti forma uirginem, quæ cùm esset ei pacta, mensibus aliquot pòst, in Angliam traiecit. Vt de dogmatis illis ità rex statueret, nonnulli dicebãt ab episcopis impulsum fuisse, quò per eam occasionẽ, Thomæ Cranmero archiepiscopo Cãtuariensi, & Thomæ Cromelio, qui religionis erãt cupidi, detraheretur omnis authoritas. Huius anni mense Augusto, Turcicus legatus Barbarossa, Castelnouũ, Illyrici oppidũ, in sinu Ambracio, capit obsidione, & præsidiarijs omnibus interfectis, in seruitutem nonnullos abducit. Ante annũ, Octobri mense, Cæsar & Veneti confœderati cœperant illud, & Cæsar quidẽ tunc præsidium imposuit, ad quatuor Hispanorũ millia, duce Francisco Sarmiento. Venetis hoc præter opinionem accidit, quòd in illa ora positum oppidum, sibi potius deberi dicerent. Itáque non multò pòst, cùm eam societatem minus probarent, ac sibi cumprimis fore periculosam uiderent, inducias à Turca petunt & impetrant. Orta fuit, hoc ipso ferè tempore, Gandaui seditio. uiribus & authoritate plurimùm ea ciuitas ualet ijs locis, & pro libertate uehementer sæpe dimicauit cum Flandriæ dominis, quorum est in ditione. Cæsar, eo cognito, cùm per Italiam prius cogitasset in Germaniam uenire, mutato consilio, per Galliam iter facere constituit, cùm rex illud ab eo uehementer contenderet, ac liberaliter omnia promitteret. Palatinus interim & Brandeburgensis, intercessores, missis ad Cæsarem literis de pacificatione Francofurtensi, rogauerant, ut colloquium doctorum Noribergæ permitteret: Ille uerò, quò minus ijs rebus uacare posset, morte suę coniugis & alijs quibusdam de causis fieri dicebat. Cùm earum literarum exemplum intercessores ad Saxonem atque Lantgrauium misissent, neque tamen significarent, an illas XV mensium inducias Cęsar approbasset, cõuentus indicitur

ad xix Nouembris diem, Arnſteti, quod eſt oppidum Turingiæ. Hic deliberatum fuit de augendo fœdere, déque defenſione neceſſaria, ſi fortè Cæſar tranſactionem Francofurticam non admittat, de rectè diſpenſandis bonis eccleſiaſticis, de mittenda in Angliam legatione, propter decreta religionis nuper facta, déque mitigando regis animo, de ſolicitando Galliæ rege, ne doctrinæ cauſa homines innocentes affligantur, de mittendis etiam ad Cæſarem legatis, ubi primùm in Belgium aduenisſe conſtiterit. nam eius rei fama tunc increbuit. Et quoniam ex confœderatis quidam aberant, alij uerò quidam de rebus aliquot decernendi mandatum non habebant, alter fuit Smalcaldiæ conſtitutus dies, ad calendas Martias, quò de reliquis etiam decerneretur. In fœdus hic recepti fuerunt Rigenſes, Liuoniæ ciuitas, quibus cum archiepiſcopo ſuo lis erat, ut plærisque alijs per Germaniam. nec alia lege recepti fuerunt, quàm ut per communes procuratores in Camera defenderentur, eóque nomine confœderatis dependebant aureos mille quingentos. Saxoniæ princeps Henricus, Georgij frater, ante biennium fuerat cum filio Mauritio receptus in fœdus, nullo cum onere, quia tenuioris erat fortunæ, ſed ea lege tamen, ſi quandò locupletior fieret, ut eandem cum reliquis conditionem ſubiret: quum igitur hæreditate luculentiſſima iam eſſet auctus, hoc in conuentu ſuper ea re cum ipſo fuit actum, qui quidē conuentus finē habuit ad decimū Decembris diē. Principes non intererant ipſi, uerùm miſerant legatos. & Saxo quidem Ioannē Dulcium, Franciſcū Burcartum procancellariū mittebat in Britanniā, menſe Nouembri, qui ſuo nomine nuptijs adeſſent regis & Annæ Cliuenſis. nam huius ille ſororē Sibillam habebat in matrimonio, ſicut libro ſexto docuimus. Itáq; per hāc ipſam occaſionem iniunctū eis Arnſteti fuit, ut confœderatorū nomine agerent cū rege, ſicut paulò ſuprà diximus. Cęſar, accepta fide publica, paruo cū comitatu ingreſſus iter, menſe Nouēbri, cùm ad Galliæ fines Hiſpaniæ propinquos ueniſſet, regis filios duos Henricū atq; Carolū, qui diſpoſitis equis eò cōtenderāt, & Conneſtablīū, qui multò antè, magna cū nobilitate præceſſerat, offendit: ab ijs receptus, ac deinde per mediā Galliā et ampliſſimas urbes deductus, cùm Lochā, in Biturigibus ueniſſet, obuiū habuit regē ipſum, ex recenti morbo tunc
M. D. XL. uix recreatū. facto deinde per Aurelīā itinere, calendis Ianuarij Lutetiam eſt ingreſſus, medius inter regios liberos, gladiū prægeſtante Conneſtablio. Nec enim ullum aut feſtæ lætitiæ genus aut honoris,

quo

quo mens hominis capi possit, prętermissum fuit. Legatus autem eò uenit à pontifice, Alexander Farnesius cardinalis, & unà cum cardinali Bellaio, ciuitatis episcopo, in æde primaria Luteciæ Cæsarẽ excipit. Commoratus ibi Cæsar in septimum usque diem, discedit, comitante rege in Veromanduos, filijs autem Valencenam usque deducentibus, oppidum Hannoniæ. Rex in magnam ac propè certam spem uenerat, recuperandi Mediolani, sed longè secus accidit, ut infrà dicemus. Quo tempore Cæsar erat cum rege Galliæ, splendidissimam miserunt ambo legationem ad Venetos, Cæsar quidẽ, Alfonsum Daualum, Insubriæ, Gallus uerò, Claudium Hanebaldum, Pedemontij præfectum. Hi multo sermone patres monebant, ut in hac potentissimorum regum amicitia, suum quoq; studiũ adiungerent, & ad Turcarum oppugnationem omnia conferrent. Illi uerò, quum legatos demum honorificè dimisissent, re tota diligentius exquisita, Turcã, quicum inducias habebant, omninò sibi reconciliandum esse iudicabãt. Itáq;, transactione demum facta, cùm Naupliam et Epidaurum ei tradidissent, pacẽ ab eo redimunt. Sunt qui dicant, Gallos, etsi palàm eos hortati fuerant in eam sententiam, uti Cæsaris legatus fecerat, occultè tamen eis insusurrasse, ut suis rebus prospicerent, neque tantum in se periculum, cui essent ipsi cumprimis expositi, reciperent: ipse quidem rex, in quadam deinde contra Cæsarem apologia, rempublicam Venetorũ, ab illo perditam, opera sua subleuatam, & intercessione recuperatã esse dicit. Venetorum legatus, Aloisius Baduarius, de pace missus ad Turcam, omneis alias conditiones deferre prius, & duas illas urbes ad extremam necessitatẽ reseruare iussus erat: sed Turca, qui decretum senatus iam antè per indicium acceperat, expostulans cum eo, quòd mandata sua non satis explicaret, non, nisi traditis illis locis, paciscì uoluit. Obstupefactus ille, cùm arcana reipublicæ prodita esse uideret, illud, quod alioqui tandem facturus erat, quantúmuis inuitus atque dolens permittit. Vbi domum reuersus rem omnem exposuisset, attoniti patres, post diligentissimam perueſtigationem quosdam comprehendunt, & criminis conuictos capite plectunt. Ex ijs quidam in Gallici legati, episcopi Monspessulani diuersorium, uelut in asylum perfugerat: mittuntur ergò satellites, qui totam domum perquirant: sed quum aditu prohiberentur, senatus ex armamẽtario iubet educi machinas ad euertendam domum: itáq; Galli, cùm periculum suũ uiderent, illum exhibent. Senatus deinde, quamobrẽ ità feciſſet, ad regem per-

ſcribit, ne legato factam putaret iniuriam. Aduentante Cæſare in Belgiũ, Ferdinandus rex ab Auſtria profectus, eò quoq; uenit: deinde, proteſtantium legati, ſicut Arnſteti conuenerat: Hi multam initiò precati ſalutem Cæſari, & ob reditum in Germaniam gratulati, de criminationibus aduerſariorũ audire ſeſe dicunt, qui pertinaciã, & ſupremi magiſtratus odium, & inquietudinem animi, ſtudiúmque turbandæ reipublicæ ſibi tribuant: ſæpe quidem optaſſe de his rebus, coràm ſeſe purgare, & nunc propter oblatam occaſionẽ gaudere plurimùm. Ac primò quidem, quum hoc tempore Deus euangelij ſui cognitionem excitarit, non ſe potuiſſe non illam complecti, non quidem uel ipſius uel ullius mortalium offendendi, ſed ſalutis & perpetuæ fœlicitatis conſequendæ cauſa: nam cæteris in rebus omnibus obedientiam ipſi præſtitiſſe, & nunc eiuſdem eſſe uoluntatis, idque Francofordiana poſſe doceri actione poſtrema: Quum autem ante annum et amplius eò, ſcriba Henrici Brunſuicenſis, prope Caſſellum in Lantgrauium incidiſſet, & ob grauem ſuſpitionem eſſet detentus, patefacta fuiſſe quorundam conſilia, qui nimirum eò ſpectabant, ut, quum alijs perſuaſiſſent, à proteſtantibus parari bellum, ad arma quoque illos inflammarent: hęc etiam ad ipſum haud dubiè delata, cauſam dediſſe, cur fœdus aduerſarium fieri permiſerit: poſt initum etiam fœdus, conſcriptum ab illis fuiſſe militem, & ab ſe quoque poſtea, defendendi ſui cauſa, & magni rem periculi fuiſſe, niſi ſcribam intercipi contigiſſet, & niſi Palatini principis atque Brandeburgici ſumma fides atq; ſtudium interueniſſet: Quum autem eius rei crimen & inuidia præter omne meritũ in ſe conferatur, & editis libellis eiuſmodi calumniæ ſint abunde refutatæ, putare ſe, non ipſum in eius fœderis, de quo nunc increbuit, ſocietatem fuiſſe uenturum, ſi quidem de re tota uerè compertum habuiſſet: itáque rogare plurimùm, ne delationibus illis fidem habeat, & ſi quid in poſterum deferetur, ut ſibi renunciet, quo reſpondere poſſint: orare etiam, ut de conſilijs & actionibus Henrici Brunſuicenſis inquirat, operámque det, ne quid eiuſmodi poſthac ſibi ſit metuendum: Quòd etiam ipſis tribuatur, quaſi de religione & recta emendatione minimè ſint ſoliciti, calumniam eſſe: nam & hanc ſuam eſſe præcipuam curam, nec unquam defugiſſe ueram cognitionem: quod quidẽ plurimis documentis, & actione ultima Francofurtenſi, & Lantgrauij literis, ad Ferdinandum regem à conuentu Francofurtico ſcriptis, demonſtrari poſſit: ijs literis eum rogari, ut

doctorum

doctorum hominū curet instituí colloquium: idem nunc etiã orare se plurimùm, & petere, ne secus de se statuat, quàm de ijs, qui & religionis concordiam & reipublicæ salutem uehementer expetant, & ipsius quoque causa, quantum fas & æquum sit, omnia uelint: Ante annum quartum uidelicet, ipsum ab Italia missis literis, ad cõponenda dissidia religionis, nõ uim & arma, sed rationem atque ueritatem adhibiturum se nunciasse: nuper etiam eiusdem sententiæ literas ab Hispanijs ad Palatinũ & Brandeburgicũ dedisse, causis, quamobrẽ negocio religionis uacare tunc non posset, explicatis: quod sibi quidem auditum fuerit pergratũ, et precari Deum, ut hanc ipsi mentem confirmet: Francofurti uerò transactum esse de multis rebus, & pactas inducias, ea lege, si quidem intra sextum mensem eas ipse probaret: Id quidẽ nondum esse factum, & iampridem exisse tempus illud semestre, & Camerę iudices aduersum se pronunciare in causis merè religiosis, et proscriptionem etiã urgere Mindensium, planè contrà ipsius atq; etiam Ferdinandi regis mandatum: quanto autem istud fiat Imperij dispẽdio, ipsum intelligere atq; uidere: quapropter orare, ut authoritatẽ suam interponat: nam alioqui nec deliberationem de bello Turcico, nec illud doctorum hominum toties optatum colloquium instituí posse: nam ut respublica rectè constituatur, inprimis opus esse firma & perpetua pace, quam omnes ordines Imperij probent: hoc & ad ipsius pertinere gloriam, qui iam pacifici Cæsaris nomen sit cõsecutus, & Germaniæ futurum esse perquàm salutare. Cùm ad xxiiii Februarij diẽ Cęsar ipsos audisset Gandauí, præsente Granuellano, re deliberata se responsurum dixit. Eodem ferè tempore, quo legationem ad Cæsarem mittebant, Galliæ quoque regi scripserunt. Annis aliquot proximis, eum & literis & legatis multam ipsis declarasse beneuolentiam, & de concilio quoque rectè sensisse, ueritate nimirum ac ratione potius agendum esse quàm armis atque manu: periucundam certè uoluntatem hanc ipsius atque iudicium sibi fuisse, quòd æquitatis ab eo studium atque tutelam suscipi uiderent: itáque se uicissim, quantum omninò facere licuit, operam dedisse, ne parum esse grati uiderentur atque ciuiles: quamobrem putare, quæ fuit ipsius antehac, eandem nunc etiam esse mentem & affectum. Porrò, quod ipsorum magistratui summo, Cæsari sit amicitia coniunctus, lætari sese plurimùm, & reipublicæ gratulari, cùm alijs de causis, tùm eò maximè, quòd ad pacandam ecclesiam sperent maximi futurum hoc esse momenti:

morte coniugis tardatum adhuc fuisse Cæsarem et impeditum, quo minus, quod anno superiori decretum Francofurti fuit, repræsentaret: in hac autem animorum consensione facilè rem posse, iudicio quidem suo, promoueri, si quidem ipse conatum in eo Cæsaris adiuuet, ac ueluti manum porrigat: quòd inprimis eum facere cupiant, ut uidelicet ea ratione, quę Francofurti fuit inita, consulatur ecclesię. De Cæsaris quidem egregia uoluntate nihil se dubitare, legationem quoque ad illum misisse, de qua bene sperent: sed aduersarios excogitare subinde noua consilia, quibus institutũ hoc impediant & euertant: cùm enim causę diffidant, non eos posse rectam ullam atque ueram discepattionẽ ferre. Quòd autem illam expetant ipsi, nullo certè fieri metu, quasi potentiam illorum extimescant, si quandò fortè coacti uim iniustam ab se iustis armis depellent: sicut enim nemini nocere cogitent, ità etiam, si qua uis intentabitur & iniuria, satis habere se uirium atque neruorum, Dei beneficio, ut se suáque defendant: deinde, præsidium & opem ab eo sese expectare, cuius nomine periclitentur: causam enim hanc tàm esse piam & honestam, ut nullum sit recusandum discrimen: sed moueri se reipublicæ periculo: nam etsi digni sint quos Deus uerberet, tamen, quia sit incredibilis oritura Germaniæ uastitas, bello ciuili, nihil optare se uehementius, quàm ut placidè res tota componatur, útque suæ uoluntatis atque consilij testimonium illustre superstit ad omnem posteritatem: aduersarios autem ingenti quodam odio flagrare, nec ad æquitatẽ adduci posse, nec alium huius conflictationis apparere finem aut exitũ, quàm ut Imperij uires, quibus erat oppugnandus publicus omniũ hostis, Turca, mutuis lanienis atterantur & omninò concidant: Id uerò minimè sibi oportere tribui: & quocunque tandem modò res cadat, fore tamen, ut quæ nunc illi pertinaciter recusant, aliquandò recipere cogantur, Deo nimirum sui nominis gloriam uindicante.

Ad calendas Martias, principum & ciuitatum protestantium legati Smalcaldiam ueniunt, ut erat constitutum: unà quoque uenerunt theologi, Ionas, Pomeranus, Melanchthon, Cruciger, Bucerus, eísque fuit iniunctum, ut formulam conscriberent, qua putarent cum aduersarijs agendum esse de conciliatione doctrinæ. Hoc in conuentu deliberatum fuit de ijs rebus, quæ nuper indefinitæ remanserant Arnsteti, sicut suprà dictum est. Interea Dulcius & Burcartus, quos in Angliam iuisse diximus, redierant, & septimo die Martij, Smalcaldiæ referunt de statu religionis per Angliam. propter

anni

anni superioris decreta, non quidem admodum animaduerti, sed tamen Hugonem Latimerum et Salisberiensem episcopos, religionis causa captiuos, nondum esse dimissos, & Cromeliũ, qui summo sit loco, inflectere regis animum atq; mitigare, sed & regem ipsum in familiari colloquio suam aperuisse mentem, & sic existimare: Protestantium theologos non rectè sentire de coniugio sacerdotum, de cœnæ domini, quam uocant, utraque specie, déque missa priuata, & petere, ut de his alijsque rebus necessarijs ad se copiosè scribant, suæq; sententiæ causas adducant: se curaturum inuicem, ut sui regni uiri docti rescribant, quò sic ad ueri cognitionem aditus fiat: Cromelio etiam & alijs nonnullis uideri consultum, ut splendida mittatur ad regem legatio, & cum his unà Melanchthon: nam si mediocris aliqua fieri posset doctrinæ conciliatio, regem esse magnam uim pecuniæ collaturum in fœdus, quod cum ipsis facere cogitet, non de religione tantùm, sed in uniuersum: ualde enim regem mirari, cur religionis tantùm nomine sint confœderati: futurum enim, ut bellum ipsis inferatur, longè alio titulo. Paucis interiectis diebus, theologi scriptum exhibent, cuius hæc erat summa. non esse discedendum à uestigijs Augustanæ confessionis, & huic adiunctæ pòst apologię. sententiam hanc omnes alij theologi absentes deinde comprobarũt, missis eò literis. Ad hoc tempus Henricus Brunsuicensis Gandauum uenit. Pridie idus Martij, Cęsar protestantiũ legatis per Corneliũ Scepperum respondet, benignè quidẽ sic satis, uerùm ità tamen, ut, an pacem præstare uellet, intelligi non posset. Legati ergò permissu Cæsaris paululũ diuertunt: mox redeunt, & ut actionẽ interdicat Camerę, pacémq; cõcedat, orant. Ad ea Cæsar, quod in hoc tempore respondeat, nihil habere se præterea dicit, deliberaturũ autẽ amplius. hoc responsum Smalcaldiæ recitatũ fuit decimo pòst die. Postridie deinde paschatis, qui tum erat Martij dies xxix, uenerunt eò principes ipsi. Glisebat id temporis inter Granuellanum & Heldum æmulatio quædã atq; simultas, quæ tandẽ hunc exitum habuit, ut Heldus loco summotus curia decederet, ac uitam priuatã ageret. nam ille præstabat auhoritate, & Heldum in crimen odiúmque uocabat, quòd in cõsilijs & actione nimiũ esset uehemens, quòd Cæsarem nihil tale cogitantem & inuitũ propemodum in bellũ pertraxisset. Cúmq; non obscuram suæ uoluntatis daret significationẽ Granuellanus, quasi concordiã & ocium publicum amaret, interpellatus à protestantibus, ad pacis consilia Cæsarem inflexit. Et ipse

quidem initiò, tanquàm suo nomine, Smalcaldiam mittit interceſſores atque legatos, Theodoricum Manderſchittum, Gulielmum Nuenarium, Comites, magni consilij ac dignitatis uiros, quanquàm ille graui ualetudine detentus in uia restitit. Postulata quidē erant satis moderata, sed tamen illud significabant, propè persuasum esse Cęsari, quasi religionem minimè spectent, neque pacem ex animo petant, sed bonis et facultatibus ecclesiarum ad se transferendis tantùm incumbant, & dissidijs lætentur, & auersa sint ab eo uoluntate, magísque propendeant in partes eorum, qui simultates cum ipso manifestas & inimicitias exercerent. Hæc autem ad Cæsarem delata fuerunt, partim ab aduersarijs, partim à Gallis, ut quidem pro certo dicitur. Nam quo tempore per Galliam Cæsar ibat, & ad summam arctiſſimámque necessitudinem omnia spectare uidebantur, patefacta quædam ei fuisse dicuntur, & exhibitæ Smalcaldicorum ad regem literæ. Quidam hoc ipsi regi tribuunt, alij autē Connestablio, cuius erat præcipua tunc authoritas, & summum in pacificandis regibus studium, & non optimus in protestantes, ob religionem, animus.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber XIII.

AD EA PROTESTANTES APRILIS DIE VNDECImo prolixè respondent. Et primò quidem permagnas, inquiunt, gratias agimus Granuellano, qui Cæsari semper author fuit, ut ratione causam hanc explicaret. Quæ sanè uirtus maximam laudem meretur: Deum quoque precamur, ut hanc tàm præstantem uoluntatem in eo confirmet. Quid enim glorioſius, quàm publicas offensiones moderatis consilijs & prudentia componere, sine cæde & sanguine? Rogamus autem in uniuersum, ne quis arbitretur nos delectari simultatibus & dissensionibus ecclesiarum, aut emolumentum aliquod captare priuatum, aut proteruia quadam, à cæteris gentibus, contra multorum sæculorum inueteratam consuetudinem, defeciſse. Tantum enim & tàm acerbum odium aduersariorum,

riorum, tantos labores atq; moleſtias, tantos ſumptus atque diſpendia, tot tantáq; multorum annorum pericula, non imprudenter, nec inconſultò, neque temere ſuſcepimus, uerùm, ubi de doctrina fuit in Eccleſijs nata diſſenſio, quod olim non ſemel accidit, non licuit nobis, hominum gratiæ conſequendæ cauſa, ueritati reſiſtere, multò minus illorum facta probare, qui magna crudelitate graſſantur in homines innocẽtes. His nimirum tantis & tàm grauibus de cauſis, tanq; pijs & ueris, cogimur nos illis opponere, & ſeceſſionem facere: Notum eſt enim atq; manifeſtum, magnos et intolerabiles errores, ab eis non uerbo ſolùm, ſed etiam armata uiolentia propugnari: magiſtratus eſt autem officium, ut ab iniuſta ui ſuos defendat. Et quoniam in crimen atq; ſuſpitionem uocari nos audimus, quaſi non gloriam Dei nec emẽdationem eccleſię, ſed cõmoda ſolùm noſtra ſpectemus, Granuellanum oramus, ut de eo nos ad Cæſarem purget. ſcimus equidẽ id genus calumnias ab aduerſarijs longè lateq; diſſeminari, quò ueram religionem & nos in odium adducant: ſed in ſenatu Cæſaris, quem in hoc tàm ſublimi faſtigio Deus collocauit, indagari ueritas & locũ habere ſola debet, falſis omnibus excluſis delationibus. Nam quia cauſam illi tuentur iniuſtam & infirmam, quia ſuos errores paſſim ab omnibus impugnari uident ac reprehendi, quia doctrinam euãgelij refutare non poſſunt, ideò ſibi aliunde colorem aſciſcunt, & iſta nos crimination premunt ac uulgò traducunt. Sed prẽter officium eſt & uallde indecorum epiſcopis, quòd de bonis ità Cæſarem ſolicitant & urgent, quaſi in eo ſumma ſit poſita reipublicæ Chriſtianæ, nec interim de tollendis tot tantiſque uitijs & erroribus, quos ne ipſi quidem diſſimulare poſſunt, uerbum ullum faciunt. prima ſanè cura debebat illis eſſe de religione déq; pura doctrina conſeruanda in eccleſijs: nunc autem eò tẽdunt ipſorum cogitationes omnes, quomodo ſuas opes, potentiam, luxum atq; ſplendorem defendant. Sciunt ipſi, non de bonis eccleſiarum eſſe litem, ſciunt etiam illa non à nobis expeti, ſed ſuis impijs conſilijs & oppugnationi ueritatis, hoc uelut umbraculum & tegumentum obducunt, ut in huius doctrinæ perniciem animos regum incendant. Noſtri enim ordinis nemo quicquam occupauit bonorum eccleſię, quod ſit alieni iuris atq; ditionis, nemo quicq; ademit ulli epiſcopo: ſed ipſimet epiſcopi iuriſdictionem ſuam proiecerunt, poſtquàm illa cœpit minus eſſe quæſtuoſa. ſed neq; ritè norunt illam adminiſtrare: deinde, quæ dicuntur canonicorum collegia, planè ſuum adhuc obtinẽt: Ipſi uerò contrà, multas eccleſiarum noſtrarum

facultates occuparunt,& ſuis interdicunt,ne cenſus annuos nobis per ſoluant: & quum olim de ſuis facultatibus decidere quid annuum & conferre ſoliti ſint in eccleſiæ miniſtros ac ludimagiſtros, nunc adeò nihil contribuunt,ut ciuitatibus in hunc uſum ſumptus ſit omnis faciendus. Quæ quidem ciuitates,cùm & onera multa ſubeant, & in magnis uerſentur periculis,ueriſimile profectò non eſt,auaritia quadam impulſos cauſam hanc tueri: ſed inimici noſtri, præſertim ij, qui præfecturas uenantur eccleſiarum,odioſè nos apud Cæſarem ità deferunt. Nobis autem eſſet optabile cumprimis, ut de cœnobijs rem omnem Cæſar exactè cognoſceret, & cauſam ſciret mutati ſtatus monaſtici,& quemadmodum ea bona, partim in eccleſiæ miniſtros populiq; doctores, partim alios cõſimiles in uſus pios erogantur. Intelligere quoque Cæſarem uellemus, quomodo aduerſarij rapiunt ad ſe quicquid eſt bonorum,quomodo non cœnobia tantùm, ſed alias etiam eccleſias planè ſpoliant & exuunt,ità quidem, ut intra fines ipſorum,eccleſiæ cõplures & deſertæ iaceant,& in paganiſmum prorſus degenerent. prius uerò, quàm plura de eo dicamus, obteſtamur Granuellanum,ut pro ingenij ſui pręſtantia ſecũ iſta perpendat. Nam etiamſi noſtrum hic eſſet aliquod cõpendium, facilè tamen cogitari poteſt,non hanc,ſed longè aliam et multò grauiorẽ eſſe contro uerſię cauſam,neq; nos propter tàm exigua bona uelle tantam acerbitatem odij,tantũ laborem,curam atq; periculum ſubire:deinde,ſi periculis omnibus omiſſis,conferãtur ſumptus quotidiani,quos in hãc cauſam facimus,cum illis cœnobiorum prouẽtibus, mox apparebit, quantò ſint hi minores illis. & hos quidem ſumptus iam ſupra xv annum ſuſtinemus,& creſcunt indies cum ſumptibus pericula. Cùm etiam ad conatus & indefeſſum odiũ aduerſariorũ reſpicitur, quis eſt omnium principũ tàm imprudens,tàm incogitans,qui ſuas fortunas omneis,in tantũ diſcrimen,ob tantula bona deuocare uelit? itaq; Cęſarem obſecramus,ne quid tale ſuſpicetur: Ipſius enim amicitiam,& officium reip.longè præferimus rebus omnibus humanis. Ex aduerſarijs etiam ij,qui noſtrę ditionis et rerũ ſtatum habent exploratum,hac ſuſpitione dubio procul ipſi nos liberant.nam ex ijs bonis minimũ quid ad nos redire ſciunt. Quòd autẽ tanto cum onere et diſcrimine doctrinam hanc profitemur, una ſolùm eſt & præcipua cauſa, nimirũ,quia Deus hoc à nobis requirit,ut filij ſui nomẽ et euangeliũ profiteamur. Iubet enim,ut falſum & impium cultũ defugiamus,et grauiſſimè uetat,ne ſçuitiam illorũ probemus,qui ueram doctrinam perſequuntur,

Nunc

Nunc de cœnobiorum possessionibus loquemur, & aduersariorum querimonijs respondebimus, & cur mutata sint collegia monachorum, explicabimus. Exorta per Germaniam, euangelij luce, uitijsq; detectis & reprehensis, multi, præsertim doctiores, uitæ genus illud pharisaicum sua sponte deseruerunt, & ex ijs nonnulli, quò literarum studijs operam darent, & aliud uitæ genus non impium sectarentur, pecuniarium aliquod subsidium flagitabant: Cùm igitur non solùm in nostris, uerùm in aduersariorum quoque cœnobijs hæc incidisset mutatio, passim ijs in locis, ubi monachi supererant, uiros bonos constituimus, qui falsam doctrinam atque cultum reprehenderent: ijs etiam, qui mallent ibi manere quàm emigrare, satis de uictu necessario prospeximus, inprimis autem & diligenter cauimus, ne, qui uel ætate uel ualetudine essent affecta, rem ullam desiderarent: & huiusmodi quidem cœnobia sunt etiam hodie nonnulla nostris in finibus. Fuit hoc sanè nostri officij, tanquam magistratus, agnita ueritate falsam religionem abolere, & prouidere, ne dissiparentur ea bona, præsertim cùm & monachi passim dilaberentur, & ex ipsis nonnulli cogitarent ea priuatos in usus auertere: deinde, nulli erant in cœnobijs ad procurandam uel agriculturam uel rem domesticam idonei: sic igitur mutatus est illorum status. Nec enim aliunde uoluimus accersere monachos, & illis summittere, ne ecclesiæ nostræ turbarentur, ideóque bonam prouentuum partem, ad ecclesiæ ministeria conuertimus, & in usus eorum, qui uel egestate uel aduersa ualetudine premuntur, & in ludos quoque literarum. Et his quidem rationibus annui cœnobiorum census nõnihil sunt accisi: quicquid autem ex ijs bonis reliquum est, asseruatur, ut sit quod in tenuiores ecclesias, in sacerdotes egenos, & adolescentes rei literariæ deditos erogari possit. Nam is nunc est temporum status, ut cogitandum sit omninò de rationibus alendæ iuuentutis, quò suppetant ecclesijs olim & reipublicæ homines idonei. Quæ uerò sunt reliqua bona, non recusamus ad pios & salutares usus reipublicæ concedere, pro legitimi concilij, si quod erit, aut Imperij conuentus arbitrio. huc enim propriè pertinent ecclesiæ facultates, ut & sacræ literæ testantur & ueteres leges atq; concilia. Quod cùm ità sit, petimus inuicem, ut aduersarij quoque sinant illa bona consimiles in usus applicari. Iam enim in plærisque ciuitatibus nulli propè sunt aut admodum exigui parœciarum census: atque interim tamen episcopi cæterique proceres, qui possessiones illas tenent, nullum munus aut in templis aut in scholis obeunt, itáque literarum

ludi maximo cum reipublicæ detrimento paulatim intereunt. sunt igitur, ut antè dixímus, inueniendæ rationes uulnus hoc sanandi. Deus enim ideò genus humanum condidit, & magistratum in hoc cõstituit, ut in eiusmodi cœtibus ueram ipsius cognitionem homines addiscerent: Ideóq; regum est atque principum, prouidere, ut hęc officia tam necessaria cum primis administrẽtur. Nos quidem etiam parati sumus, idoneè cauere de legitimo usu possessionum illarũ, nostris in finibus, modò idem faciant aduersarij. uidemus enim palàm homines parum frugi, parumq; tẽperantes, & reipublicæ prorsus inutiles, imò graues, in istis bonis helluari totos. Atq; utinam Cęsar de nostris aduersarijs rem omnem sciat. ijs nimirum locis ipsorum ditionis, ubi census habent annuos ecclesiæ nostræ, illi sibi sumunt eos atque seruant: cúnque nos nostra repetimus, & quos ipsorum ecclesiæ nostris in finibus habent prouẽtus, illis, ut inuicem tollant, permittimus, ecce conditionem repudiant, ad eámque rem Camera facem admouet. Aequalitas, ut prouerbio dicitur, est altrix & nutricia pacis: quòd si iam illis ocium & Germaniæ tranquillitas esset cordi, sanè non ad hunc modum agerent. uerùm ne suis quidem ipsi parcunt ecclesijs, & nouam subinde pecuniam atq; stipendium illis imperãt, & quoniam pios doctores finibus eijciunt, desertæ manent & solitarię complures parœcię, & dissipantur bona, deinde cœnobia sic prorsus exugunt, ut quibusdam in locis monachi prouerbio dicant, præter cãpanarum sonitum & chori cantum nihil ipsis omninò relinqui. hoc ipsum uerò magnam uulgò licẽtiam facit, & periculum est, ne religioni summam adferat aliquandò perniciem. Esset profectò nobis ualde gratũ, si de re tota Cæsar diligenter inuestigaret, & percunctaretur, quibus in locis ecclesiæ ministri benignius & honestius tractentur, ecclesiæ & ludi literarum melius constituantur, ecclesiæ ministeria decentius peraganter, utrum nostris in ditionibus, an apud aduersarios? Hunc laborem si Cęsar & cogitationem susciperet, non foret opus ullo nostro sermone uel defensione facti: nimirũ res ipsa pro nobis uerba faceret, eúmque permoueret ad instituendam ueram emendationem status ecclesiæ. Nunc uerò, quandò crudelitas exercetur, cùm sacerdotes innoxij necantur, cùm sæuitiæ nullus adhibetur modus, futurum est, ut sublatis hominibus idoneis, magna sequatur, & ad posteritatem propagetur barbaries. Clarum est igitur, nullam interuenire nostram cupiditatem, quandò sanè præter molestiam & pericula nihil ad nos redit, cùm interim aduersarij, minimè soliciti de pontifice, quem tantopere

iactare

iactare ſolent, quantam omninò lubet, prædam agant ex eccleſiæ poſ
ſeſſionibus, & præterea magnis remunerẽtur præmijs atq; beneficijs,
ut ueram doctrinã obſtinatè perſequantur. Quòd etiam arbitrio con
cilij reliqua bona ſummittimus, ut antè dictum eſt, id ſperamus bonis
omnibus ad noſtri defenſionem ſatis futurum eſſe. Quòd autem ad
uerſarij nobis attribuunt, quaſi fictum ſit & ſimulatũ, quoties de con
ciliatione uerba facimus, & quaſi eò ſolùm hoc tendat, ut Cæſaris con
ſilia demoremur, cauſamq; trahamus, & legitimam impediamus co
gnitionem: id ſanè perq; nobis eſt auditu graue atq; moleſtum. quid
enim turpius, quid magis impiũ, quàm in re ſacra & religioſa fucum
hũc & ſpeciem ſimulatam obducere? Petimus igitur, quia grauis ad
modum eſt iſta criminatio, ut Cęſar ea, quæ purgandi noſtri cauſa di
cturi ſumus, patienter & attentè cognoſcat. Cùm ante annum deci
mum, in Auguſtanis comitijs, aduerſarij noſtri multam haberent ad
Cęſarem querimoniam de noſtris eccleſijs, & nobis iniũctum eſſet, ut
noſtrę doctrinę, religionis atq; ceremoniarũ rationem explicaremus,
nihil egimus aſtutè, nihil occultè, ſed doctrinam noſtram omnem cla
ris uerbis palàm profeſſi ſumus, ut omnibus cõſtare poſſet, illam eſſe
conſentientem apoſtolorum doctrinę: necq; dubitamus, quin multos
ea res noſtrę religioni conciliarit, quandò uidelicet nihil contra uete
ris eccleſiæ formulam docere, ſed errores, qui ſe in eccleſiam inſinuaſ
ſent, demonſtrare nos atq; patefacere, uiderunt. Negari enim non po
teſt, obrepſiſſe plurimos & grauiſſimos errores: de pœnitentia doce
batur frigidè & perplexè: de gratia per Chriſtum accepta, de cõdona
tione peccatorum, ne uerbum quidem: cœna Domini prorſus erat et
horrendũ in modum per miſſam pontificiam contaminata. Notum
eſt enim, miſſam priuatam eſſe rem nouam, & inuectam partim igno
ratione, partim auaritia: propter ablatum ſacerdotibus coniugium re
dundabant omnia turpiſſimis exemplis: doctrina de clauibus & eccle
ſię poteſtate tota iacebat, eámq; ſibi poteſtatem põtifex ad ſui tantum
dominatus confirmationem uendicabat, & infinitis propè legibus at
que præceptis hominum mentes onerabat, idq; ſubinde uiri docti et
iudicio prędediti deplorabant: ut autem eccleſijs pręficerentur homines
idonei, nulla prorſus erat cura. De his tantis tánq; neceſſarijs rebus,
quæ eſſet noſtra ſententia, coram Cęſare teſtificati ſumus Auguſtę, et
extant in publica luce noſtrorum hominum ea de re libri. complures
etiam aliarum nationũ uiri docti fatentur, ex his ipſis libris purã ſe do
ctrinã hauſiſſe, non ergò defugimus lucẽ. Et cùm Auguſtę tentaretur

conciliatio,nihil egimus insidiosè,nihil callidè,sed concordiæ nos es se cupidos,&,si quidem aduersarij præcipua dogmata reciperent, de rebus medijs non admodum nos fore cõtentiosos,demonstrauimus. Et quanquam moderatæ fuerũt à nobis tunc propositę rationes,minus amicè tamen & æquè nobiscum agebatur. atque utinam Cæsari constet,quomodo tum sese gesserint aduersarij delecti. Nimirum frequenter ad initium actionis hoc dicebant, nolle se uel tãtillum de sua opinione & doctrina decedere, sed quicquid facerent, eò fieri, ut in suam sententiam nos adducerent. Itáq; cœperunt loqui de dogmatis, de diuorum inuocatione,de Missa priuata,de satisfactione,et nihil in his erroris inesse dicebant. Non igitur colloquium istud erat, in quo solidis argumentis & scripturæ testimonijs,quid uerum esset, inuestigaretur,sed erat fastuosa quędam actio,quæ manifestos errores confirmaret. Et quoniam ipsis tunc non fuimus assensi,nũc illud sic interpretantur, quasi tantùm ad speciem sit à nobis actum de cõciliatione, non syncerè neq; reuera,sed distinendi Cæsaris & eludendæ cognitionis causa. nam conciliationis uerbum sic accipiunt, ut deserta ueritate,causam ipsorum approbemus. Ab Augustano autem cõuentu nulla fuit de his rebus instituta disputatio, quod tamen per nos minimè stetit. inprimis enim optamus, ut uiris bonis atq; doctis liceat de his rebus omnibus cõferre & liberè pronunciare. Quapropter oramus, ne quis huic illorum criminationi fidem habeat. nam si defugeremus lucem,uel si nos puderet causę, non esset difficile ab ea discedere, & magnam apud illos inire gratiam; sed cùm certò sciamus,omnium hãc esse maximè piam & inprimis necessariam causam, ideò laborem hunc & dispendia & pericula subimus,& Christi doctrinam profitemur,eamq; cupimus & retinere & propagare, & ecclesię tum emendationem tum pacem atq; cõcordiam optamus,& quod Francofurti fumus ante annum contestati,nunc etiam profitemur, non defuturos esse nos colloquio & actioni conciliationis. Quam quidem uocem, ne quis erret,sic accipimus, ut uidelicet scriptura duce, quid uerũ sit, exquiratur,et errores antiquentur,& uera doctrina locum in ecclesijs obtineat. nam alioqui frustrà sumitur omnis labor. Christus Dei filius, è sinu patris, uoluntatem suam atq; doctrinam nobis patefecit: hic audiendus est,& pro iudice solus agnosci debet. Quòd autem rectè negocium hoc & ordine disceptari debeat, Cæsaris etiam literæ omnes atq; scripta satis ostendunt: & quomodo res acta sit ab aduersarijs,in Augustæ comitijs,non ei patefactum esse putamus. Iam uerò,quid

rò, quid sit nostræ uoluntatis, & quibus insistamus uestigijs, exhibita palàm, & deinde typis excusa, doctrinę nostræ confessio, demonstrat, quam sacris literis consentire certò scimus, ideoq; deserere non possumus. Præter hanc ipsam doctrinam, quæ prima & præcipua est atq; summè necessaria, sunt aliæ res quædam ueluti medię, de ceremonijs, de sacerdotũ ordinatione, de iurisdictione, de uisitatoribus, de bonis ecclesiarum, de causis matrimonij. quicquid in his est controuersum, conciliari, nostra quidem opinione, poterit, si prius de necessarijs illis dogmatis cõueniat. nam quoad prçcipuas res impugnant aduersarij, & crudeliter agunt, dissidiũ tolli non potest. Quòd uerò Cęsari nonnulli persuadere conantur, permixtam esse doctrinæ nostræ multam hæresim & errores, iniuriã nobis faciunt. si quid autẽ est quod nobis opponant, licebit id publicè faciant: ferent à nobis respõsum. in apologia quoq; nostra si quid forte dictũ sit uel breuius uel minus apertè, explicabimus. deinde, si quid editũ sit et typis euulgatũ, quod mutari conueniat, nihil agetur obstinatè, cùm detectũ erit uitiũ. Scimus etiam imperitiores & infirmos offendi, quòd non eædem sint in ecclesijs nostris ubiq; leges. Et quanq; nihil opus est, eandem ubiq; formã retineri, modò de doctrina conueniat, tamen, quò minus hoc etiã in aliquo cõuentu tractetur, non recusamus. Cùm ergò, quid sit consilij nostri, patefecimus, obsecramus Grãuellanum, Cæsari sit author atq; suasor emẽdationis atq; pacis ecclesiæ. Nam etiãsi manifesta uitia & errores ui defendãtur atq; potẽtia, semper tamen excitabit Deus, qui illos impugnẽt ac reprehendant. quàm etiam sit iniquũ, & contra ius naturę, uerã doctrinã uelle ui et armis opprimere, et quàm id politię Christianæ non cõueniat, facilè potest intelligi. Cęsar Constantinus bis uoluit Donatistas audiri palàm, etsi manifestè falsa docerent: tertiæ uerò cognitioni interfuit ipsemet, ne quod in illos decretũ antè fieret, quàm exactè rem omnẽ percepisset. pulcherrimo nimirùm exẽplo, quod nos moderationis et mansuetudinis cõmonefacit. Et quoniam hoc quoq; tẽpore de multis grauissimis rebus est controuersia, Cæsarẽ speramus indicta causa nihil esse tentaturũ armis. ideó q; petimus, ut quod Francofurti nobis per suum legatũ promisit, colloquiũ, instituat. Nam ad ipsius hoc propriè pertinet officiũ, ut hominũ saluti consulat, præsertim cùm pontifices inflãmati sint acerbissimo quodã odio, nec aliò spectent, quàm ut accensis regũ animis, homines innocentes ad lanienam rapiantur. Magnam etiam laudẽ Cæsar meretur, quam posteri quoque celebrabũt, quòd sanguinarijs illis cõsilijs hucusq; non assenserit,

Vult enim Deus, & mandat, ecclesiæ suæ ministris beneuolẽtiam omnem & patrocinium præstari. Iam illud, quod spargitur, inclinare nos ad hostes Cæsaris, eiusdem est generis, quo calumniæ superiores. Nam probari potest, belli tempore, Cæsareis ducibus nos & artifices & puluerem tormentarium subministrasse, & nostros, ut quacunq; ratione possent, illis gratificarentur, monuisse. Conditiones quidem oblatæ nobis fuerunt id temporis, nec mediocres, nec incommodæ: sed eas repudiauimus omneis, nulla certè alia de causa, quàm ut Cæsari fidem atq; studium nostrum approbaremus: quòd si quis etiam nominatim hac de re sit delatus, & id palàm fiat, eius purgatione Cæsarem fore contentum arbitramur. Hæc autem omnia petimus, ut Granuellanus & secum expendat, & Cæsari recitet, nostrúmque studium & operam & publicam ei conciliationem commendet. Nisi enim ab illa cessetur persecutione piorum hominum & immensa crudelitate, sequetur dubio procul horrenda quædam omnium ecclesiarum uastitas. Pontifices enim & episcopi malint omnem religionem aboleri potius, quàm emendationem admittere. Petimus etiam, ut querimoniam nostram de Camera, Cæsari commemoret. nam plerique socij nostri premûntur ab illis iniquissimè, contra leges & Cæsaris edicta, & minimis de causis excitantur ab illis grauissimæ lites, ut ex actione Mindensi liquidò constat. Lis enim est de LX solùm aureis, quos in usus parœcię senatus applicauit, quò reuera pertinent, et antiquitùs conferri solebant: sed aduersarij malunt hos ipsos prouentus ab hominibus ociosissimis turpiter consumi. Et quanquam eius urbis ecclesiastici diuitijs abundant, tamen hoc tantulum pecuniæ sibi auferri, & ad ueræ ecclesiæ ministerium impendi nolunt. Et hac tàm leui de causa Camerales ad extremum persecuti sunt Mindenses, eosque proscripserunt. Hanc uerò tantam illorum insolentiam petimus in uniuersum cohiberi, & lites illas omneis aboleri, sicut Francofurti cum intercessoribus actum est. hoc enim inprimis est necesse ut fiat, si modò Cæsar pacatam uult uidere Germaniam. Nam illorum sententiæ & condemnationes eiusmodi, quid aliud sunt quàm classica, quibus bellum nobis denunciatur? cui quidem ut resistamus, ipsa naturæ lex nobis commonstrat. Etenim, si fortè Cæsar eos non reprimat, & interim alij fortè copias conducant, quid aliud existimemus, quàm eas aduersum nos comparari? qua quidem occasione facilè possit oriri magnum incendium, nobis etiam inuitissimis. Granuellanũ ergò precamur, nostro nomine Cæsarem oret, ut illam toties

à no-

à nobis quæsitam & flagitatam pacem concedat. Cùm ità respon dissent, idibus Aprilis finem actioni faciunt, & theologis iniungunt, ut argumenta regis Angliæ de dogmatis illis quæ diximus, confutent, & is deinde libellus eò mittatur, cui si fortè respondeant Anglicani theologi, & spes aliqua sit futuræ consensionis, placuit nō esse recusandum colloquium: ut autem fœdus cum eo fieret extra causam religionis, nemini uisum fuit. Vt etiam pro ijs ad regem intercedatur, qui doctrinæ causa per Galliam paterentur, decretū fuit: sed ità, ut de statu Galliæ prius cognoscatur, déque uoluntate regis, & an locum habitura putetur intercessio. postea de bonis ecclesiasticis & de singulorum querimonijs decreta fiunt, & Heilbrunensibus consulitur, ut Missam pontificiam è certis templis, quod nondū fecerant, exterminent, promissis auxilijs ad eam rem, si quid fortè periculi contingat. Postremò, quid sit opus facto, constituunt, si fortè Cæsar aut pacem repudiet, aut ambiguè respondeat, aut Camera suo more pergat, aut copiæ cōscribantur occultè. Dum hęc geruntur, Cæsar animaduertit in Gādauenses, & seditionis authores capite plectit, & ablatis armis, quum priuilegia & beneficia omnia ipsis ademisset, arcem ibi construit, & præsidium in capite ac ceruicibus illorum collocat. Frequens autem est ei ciuitati, suis ut principibus resistat, ut suprà quoque diximus. fecit hoc in Carolo Burgundo, Cæsaris proauo, in Philippo abauo, in Ludouico, Flandriæ Comite, Philippi proauo materno. quos omneis hic Cęsar ultus esse uidetur. nec enim unquam ità repressi fuerūt, ut in hoc tempore. Decimo octauo deinde Aprilis die, Cęsar dat literas ad Saxonem atque Lantgrauium. Cum Ferdinando fratre, Romanorum rege, se collocutum esse inter alia de statu Germanię, maximè uerò de dissidio religionis, quod compositum esse cupiat: Etenim, sicut antehac nihil in eo prætermiserit, ità nunc etiam eiusdem esse uoluntatis, modò suum hoc studium ipsi agnoscant, nec eo abutantur, & quod uerbis atque promissis iam olim præ se ferunt, pacis desideriū, re ipsa nunc tandem repræsentent: multas quidē suas interueniſſe plurimis nunc annis & lenes admodum actiones, uerùm ijs nihil adhuc esse profectum, & eò nunc omnia spectare, ut nisi quàm primum succurratur, ingens quædā futura sit reipublicæ dissipatio, maximi q̄ motus omnium ordinū. Ac licet ità sit, tamē pro sua benignitate, se rursum ipsis aliū indicere conuentum, ut ad sextum Iunij diē Spirę sint, aut si fortè lues & morbi contagio nō permittat, eo loco, quem frater Fer-

dinandus constituerit, agendi causa uidelicet de rationibus, quemad modum hoc tantum periculũ, quod Germaniæ prorsus incumbat, auerti possit atq; tolli: sperare autem, hanc suam lenitatẽ ipsis atq; socijs aliquantò plus futurã esse cordi, quàm adhuc quidẽ fuerit, & fore, ut ità se gerant in actione, quò tum ipse tum Ferdinandus frater & reliqui principes obsequentes, apertè uideant, magis ipsos ad pacem & ocium, quàm ad discordiam atque turbam inclinare: ueniant igitur ipsimet ad eum locum, die constituto, nec impediri se patiantur ulla re, nisi ualetudine, suósque tùm mittant intimos consiliarios, qui sint & pacis amantes & ad agendum idonei, & ipsorum uoluntatis planè conscij: denuncient hoc idem socijs, quò & illi ad diem adsint: uenturum autem eò fratrem Ferdinandum, qui de sua mente atque uoluntate, déque ipsorum ad se missa legatione, copiosius exponat: sic igitur se comparent, tum suæ ipsorum, tum patriæ salutis causa, ut dissensionis omni sublata materia, de reliquis Imperij negocijs tantò rectius deliberari possit: non esse autem, quòd ullum uereantur periculum. nam fidem se interponere suam, & pacis Noribergicę beneficium ipsis largiri, neq; passurum, ut contrà quis faciat. sic tamen, ut inuicem ipsi neminem offendant. Ad eas literas illi nona die Maij respondent. quòd pacis cõsilia sequatur, magnam se gratiam habere: quòd autem moneat, ut suum hoc studiũ agnoscant nec abutantur eo, non esse dicunt, quod aliud de se socijsq; cogitet: nihil enim sibi charius esse pace: quò minus autẽ hucusq; res cõciliata sit, nõ sibi, sed causæ magnitudini & aduersarijs oportere tribui, qui dogmatis nullã admiserint explicationẽ: iam uerò, quòd ad cõstitutum diẽ ipsos adesse uelit, libẽter quidẽ obtemperaturos, sed quia regẽ frustrà defatigari nolint, quid suę sit sententię, uelle perscribere. Nempe, scire ipsum, inde ab initio huius dissidij, post multã deliberationẽ, in comitijs Imperij, hanc solã rationem idoneã fuisse uisam omnibus, ut legitimũ haberetur conciliũ, aut prouinciæ Germanię cõuentus: quum autẽ alijs ob tẽporis angustiam ea ratio deinde parum cõmoda uideretur, Francofurti sermonẽ habitũ fuisse de forma futuri colloquij, de eóq; factũ esse decretum. Cùm autẽ arduũ sit negociũ hoc, et in quo salus hominũ consistat, nõ posse breui tempore explicari, si modò cum fructu aliquo sit agendũ, ideóq; tum Ferdinando regi, tũ sibi socijsq; & alijs graue futurũ, nõ habito colloquio, nec aditu prius facto, his rebus ipsos operam dare: quòd igitur Francofurti placuit omnibus, idẽ nunc sibi quoq; uideri cõmodissimum,

ut,

ut,si Germaniæ conuentus haberi non possit,colloquiū instituatur: existimare enim se, nullam inueniri posse uiam ista meliorem: quod ipsum nuper etiam Comiti Nuenario demonstrarint: ut autem ipsi non consultis nec assentientibus socijs eò ueniant,nō sibi licere: deinde,sic esse breue temporis interuallum, ad illum usque diem, ut conuocari socij, déq; responso deliberari uix possit: longinquiores quidem,ut ad diem adsint,uix ægrè posse fieri: hæc eò se nunciare,ut de sua uoluntate cognoscat. Et licet ità sit, tamen quia Ferdinandum regem uenturum esse dicat,missuros eò se legatos,& socijs,ut idem faciant,scripturos,ea lege tamē,si fortè nihil actum fuerit, ut tum aliq, de quibus antè dictum sit,agendi rationes,integræ sibi maneant: nec enim ab illis,nisi de sociorum assensu, posse discedere: daturos etiam suis hoc in mandatis, ut ad conciliationem omnia sua consilia conferant, quantum quidem propitio Deo & salua conscientia possint, & integræ concordiæ uiam aditúmque faciant: sperare autem futurum, ut ipsius mandatu scriptura sacra summum & præcipuum locum in actione obtineat,et quum ab ea discedent aduersarij,reuocentur in uiam: cùm autem ad actionem uentum fuerit, & spes aliqua dabitur ullius fructus, non se defuturos esse conuentui: quam uerò promisit fidem publicam,orare, ut eam non legatis tantùm,sed theologis etiam communicet. quandoquidem illorum primæ sint partes in hac tota causa. quid in eo decreuerit, renunciari sibi petunt.

¶ De cardinali Farnesio suprà diximus. Is Lutecia Parisiorum profectus cum Cęsare fuit in Belgium, adolescentiæ uix egressus annos. & Cæsarem indignè tulisse ferunt,quòd non aliquē ætate consilióq; grauem pontifex misisset. Cùm igitur de religione déque bello Turcico incidisset deliberatio, & Granuellanus uerba fecisset,Farnesius tandem, præsente Cæsare atque Ferdinando rege,sententiam dicit. pontificem ualde cupere pacem & consensionem Germaniæ, sed talem,quæ Deo sit non ingrata: cupere etiam,ut omne robur expediatur in Turcam: sed ad religionem & protestantes quod attinet,non semel cum illis actum esse de concordia, pręsertim in Augustæ comitijs,& exhibitam ab illis tum fuisse doctrinæ suæ cōfessionem: quod sanè scriptum, licet multos habeat errores, ab ipsis tamen interea sit uiolatum: itáque cùm nihil certi sequantur atque statuant,& sint tanquàm anguillæ lubricæ, nihil cum ipsis agendum esse præterea: superiori etiam anno,regem, hortatu Brandeburgici principis, alterā instituisse cum ipsis actionem,sed in ipso limine,quod dici solet,illos

impegisse, nec obscurè demonstrasse, quàm sint animo à concordia prorsus alieno: cum enim ab officio semel & à disciplina recesserint, eò nunc esse progressos, ut pontificem nõ emendatum, sed extinctũ, & uitia non sublata, sed ipsam apostolicam sedem uelint extirpatam, ut omnis deinde iurisdictio corruat ecclesiastica: cúmque id ausi fuerint ante annum proximum, Europę statu paulò tranquilliori, quid nunc credibile sit eos esse facturos, pace nondum cõstituta cum Galliæ rege, & Turca rursum imminente Pannonijs? nimirum, in hac temporũ calamitate multò futuros esse proteruiores: nec esse quòd putentur ab instituto posse dimoueri: nec enim pauca quædam in controuersiam uenire, sed de plurimis dogmatis disceptari: deinde, prope incertum esse, cuiusmodi sit ineunda concordia, cùm inter se dissideant ipsi: nam aliam esse Lutheri, aliam uerò Zuinglij doctrinam, ne quid interim de reliquis dicatur sectis: Et ut concordiæ spes aliqua sit, illos tamen non esse parituros ecclesiæ Romanæ, nisi multa ipsis inuicem permittantur, nimirum, integra cœnæ domini perceptio, coniugium sacerdotum, & id genus alia: quæ quidem sine publico decreto non sint immutanda. Iam, si quis dicat, hæc illis ocij communis & tranquillitatis causa concedi, & consensum pòst impetrari posse uel summi pontificis uel etiam concilij: non malè quidem istud dici, sed fore, ut illi mox eam facultatem arripiant, non expectata confirmatione publica: quod si fiat, omnem eos esse proiecturos concilij curam: qua quidem ex re magna sit oritura diuisio per orbem Christianum, quandò uidelicet à Germaniæ ritibus Gallia & Hispania & Italia & reliquæ prouinciæ planè dissidebunt: Quòd si deinde concilium fortè mutationem factam & ad tempus concessam improbet, & contrarium quoque statuat, nullam fore spem amplius in uiam reuocandæ Germaniæ, suis in opinionibus iam confirmatæ, & periculum esse, ne protestantes, quod unum inprimis moliantur, reliquos etiam ordines ad defectionem impellant: Cæsarem ipsum non ignorare, quemadmodum anteactis annis, illi, de cogendo concilio decretum fecerint in Imperij comitijs, authoritate sua quadam, ipso non consulto: ne quid ergò simile posthac fiat, esse prouidendum: hæc autem ideò sese referre, quò uideant uterque, quid sperandum sit ex priuatis illis actionibus atque colloquijs: De pace cum illis actum esse Schuinfurti, & pòst, Noribergæ fuisse pactas inducias, constituta pœna: sed illos, non habita ratione tanti beneficij, uiolasse

pacta,

pacta, suúmque fœdus auxisse nouis multarum ciuitatum atq; principum accessionibus, inprimis autem Daniæ regis & Vuirtembergici, multísque in locis formam religionis immutasse, præter fidem & iusiurandum: facilè igitur apparere, quæ sit reliqua spes de illis, qui uarijs rationibus, & partim gratia, partim ui sua in castra homines traducant: deferbuisse enim & planè tepefactam esse religionem, & homines alioquin in hoc esse procliues, ut seueriori deserta disciplina, sese tradant molliori magísque liberæ: Sed ne his quidem finibus illos contineri, neque satis illis esse, quòd homines in errorem abducant, nisi etiam sacra diripiant, episcopos eijciant, & religionem omnem prophanent, & impunè quidem: imò nunc eò licentiæ progressos, ut etiam integerrimum Cameræ iudicium subuertant, quò nimirum eo sublato, Cæsaris in Germania ruat authoritas, & ipsi, nullo prohibente, in omnium facultates atque uitam, pro sua libidine grassari possint: ex priuatis igitur illis actionibus nullam esse sperandam aut firmam aut diuturnam pacem: & si qua fortè fiat, non dubium esse, quin ea dignitatem omnem sedis apostolicæ & politiam ecclesiasticam eneruet: posse quidē alia multa referri hoc loco, sed ea se breuitatis causa prætermittere: Nunc autem esse proximum, ut quomodò salua religione sit bello Turcico prouidendum, inuestigetur. Commodissimam quidem esse rationem, si protestantes simul & reliqui ordines auxilia contribuant: sed quoniam id obtineri fortè non possit, nisi pacata religione, & uerò tractatio religionis non ad singulares conuentus, uerùm ad cōcilium publicum pertineat, rectè futurum, si concilium habeatur primo quoque tempore, & ad illud causa tota religionis reijciatur: sic enim fore, ut & reliquis omnibus satisfiat, et protestantibus inferatur metus atque terror: qui cùm seriò rem agi uidebunt, multò futuri sint obsequentiores, magísque tractabiles, quòd ad sanitatem sibi reuertendū esse, & id nunc agi uideant, ne diutius in Germania tolerentur hæreses: Etenim, cùm ad omneis homines in uniuersum religio Christiana pertineat, nihil in ea mutandū aut emendandū esse, nisi de communi omnium consilio: nec ad unam modò Germaniā, sed ad Galliam & Hispaniam & Italiam & reliquos etiam populos respiciendum esse: nam si quid his inconsultis in Germania mutetur, futurum, ut id in plurimorum cadat reprehensionem, & pernicioſum præbeat exemplum: monstri quoque simile futurum, si quidem ecclesiæ membra non omninò respondeant suo corpori: uetustū etiam

esse morem, & inde ab apostolis memoriæ proditum, ut authoritate concilij controuersiæ omnes finiantur: Et quoniam omnes pij continuis precibus atque uotis concilium expetant, nuper etiã Poloniæ rex Sigismundus, ea de re misso legato, pontificem interpellarit, fore non difficile, illud inchoare, præsertim, cùm ipsi quoque nuper inito fœdere per iusiurandum promiserint, operam se daturos omnem, ut cõcilium habeatur: ipsum uidelicet tempus hoc esse cumprimis opportunum, quandò cum Galliæ rege sit actio de pace, & mutuæ beneuolentiæ non unum signum appareat, & ipsorum ditionis episcopis hac ratione tutò liceat eò proficisci: deinde, pertinere hoc etiam ad ipsorum tranquillitatem animi, si cuncta referantur ad cõcilium, neq; priuatis actionibus decreta fiant, quibus offendatur Deus: sic enim nullam ipsis præstandam esse culpam: Adhæc, utile quoque futurum ipsis, quandóquidem in concilium omni reiecta cura, cæteris rebus, quę uidebuntur, liberè uacare poterunt, & fœdus interim amplificare. quod eò conducet, ut protestantes aut decreto concilij se submittant, aut à confœderatis catholicis ad officium adducantur: & hæc quidem hactenus. Iam, ad Turcam quod attinet. hortari se cumprimis & orare, quod antea quoque sæpe fecerit, ut pax fiat cum Galliæ rege: nam eam pacem esse reipublicæ Christianæ salutarem, & nisi coëat, dubium esse, an potentiæ Turcarũ resisti possit: Quanta uerò sint eius pacis commoda, non semel antea se demonstrasse, nec opus esse nunc illa repetere: cæteros etiã ordines Imperij de auxilijs interea posse solicitari: Et si quidem aucto fœdere & inchoato concilio, protestantibus persuaderi posset, idonea præstita cautione, ut ad concilium ueniant, fore non difficile, ab ipsis etiam impetrare contra Turcam auxilia: Quòd si autem non nisi malis & religioni perniciosis conditionibus id obtineri possit, uidendum esse, ex duobus malis utrum sit eligendum, & an præstet, religione prodita, Deũ offendere, an uerò unius prouinciæ carere subsidijs aduersus Turcam. Etenim non facilè posse discerni, utri magis Christum oppugnent, protestantes an Turcæ: nam hos quidem in corpora tantùm sæuire, sed ab illis etiam animas in sempiternum exitium trahi: concilium ergò sibi uideri quamprimùm esse conuocandum, eiúsque faciundum initium hoc anno, nec in Germaniæ conuentibus de religione tractandum aliquid, sed augendum esse fœdus, ut uel hac ratione protestantes ad concordiam magis inuitentur: pacem quoque faciendam cum Galliæ rege, & interim undecunque colligenda

da subsidia contra uim Turcicam, ut anno sequenti totis uiribus in illum fiat impetus. Erat attributus Farnesio Marcellus Ceruinus, episcopus Nicastri, consiliorum ipsius moderator, in hac ipsa legatione factus cardinalis. Hoc Farnesij consilium, ubi mensibus aliquot pòst emanasset, Ioannes Caluinus excusum typis cõmentariolo uestiuit, ne quis illud secus quàm oportet, acciperet. Ad hoc tempus, Cliuiæ princeps, Geldriæ possessor, ad Cæsarẽ uenit, transactionis causa, uerùm id frustrà fuit, & domum reuersus, cum Galliæ rege cœpit cõmunicare consilia. Nam is, quum recuperandi Mediolani spe tota decidisset, oblatis à Cæsare conditionibus, quas minimè putarat, animum ab eius amicitia totum auertit, licet dissimulanter, séque falsum esse querebatur, & à Connestablio, qui transitus Cęsaris author fuisset, & ipsum ingenti spe totum implesset, alienior esse cœpit, cùm antea nihil ei non tribuisset. Cùm igitur & ipse rationes omneis occultè circumspiceret, quomodò Cæsari molestiã exhiberet, & Cliuensis tantam litem ac offensionem sustinere solus non posset, cœptum est cogitari de mutuis amicitiæ uinculis. Erat Galliæ regi, è sorore Margaritha, regina Nauarrę, neptis Ioanna, circiter undecim annorũ puella, longè omniũ totius Gallię ditissima, et forma cumprimis eleganti, & optimis formata moribus: ut autem hæc in matrimonium Cliuensi daretur, ilicò parentes & inprimis reginam sororem rex solicitabat, ac demum perfecit, ut suo loco sum dicturus. Bellum hoc tempore pontifex faciebat Perusinis, cùm illi salis & aliarũ rerum uectigal, auctum ab illo, pendere recusarent. ciuitatem uerò suæ ditionis fecit, & Ascaniũ Columnam, uirũ præpotentem, consimili de causa, finibus omnibus eiecit. Cardinalis Farnesius, expositis mandatis, quum de pace Cæsaris & Galliæ regis nõ succederet: dies etiam esset, clam ipso, constitutus Haganoæ protestantibus ad futuram actionem, discedit, & sub idus Maias Luteciam uenit, & Antonio, cardinali Medonio, Stampianæ dominæ, quam rex in delitijs habebat, auunculo, galerum purpureum, Roma nuper allatum, in urbis æde primaria, die pentecostes, imponit, inaugurationis causa, & in itinere salutato rege, celeriter Romam contendit. Ferdinandus deinde rex, Belgio relicto, in uiam sese dabat, conuentus Haganoici causa. nam propter morbi contagionem Spiræ non licuit. Ad eum conuentum Galliæ quoque rex legatum mittebat, Lazarum Bayfium, monitu Cæsaris. nam offensionem dissimulabant uterque, & blandis adhuc uerbis res agebatur, et

calendis Iunij rex edictum proposuit admodum graue contra disse-
minatores hæresis & falsæ doctrinæ Lutheri atque sociorum. Id Lu
teciæ duodecimo pòst die fuit euulgatum & typis excusum, uti fieri
solet. His ferè diebus, Angliæ rex Thomam Cromelium, quem ex
infimo loco perduxerat ad summã dignitatem, capite plectit, & An-
nam Cliuensem repudiat, & Catarinam Hauardam, Norfolciæ du-
cis è fratre neptem, in matrimonium ducit. Cromelius fuerat suasor
cõnubij Cliuensis: cùm autem rex Hauardam pòst adamaret, impul
sus ab ea fuisse putatur, ut Cromelius, quem suis illa rebus obstare iu
dicabat, è medio tolleretur. nobilitati quoque non multum erat ac-
ceptus, & in suspitionem uenerat, quasi pontificijs moliretur exitiũ.

Henricus Brunsuicensis interea tum reliquos protestantes tum
Henricum Saxoniæ principẽ grauiter ad Cæsarem accusabat, quòd
præter uoluntatẽ Georgij fratris, & cõditionem asscriptam in testa-
mento, religionẽ mutasset, quòd episcopi Merseburgensis atq; Mi-
seni iurisdictionem interpellaret, quòd pecuniam in usum fœderis à
fratre relictam, aureorũ millia L X, sibi seruaret. Monebat itáque Cę
sarem, ut illum ad officium adducat, & recusantem à successione fra-
tris depellat, iuxta formulam testamenti. Non solus autem hoc age-
bat, tametsi præcipuè, sed ex cõfœderatis etiã alij quidam. Nunc
de conuentu Haganoæ dicam. Huius factum est initium XXV die
Iunij, quũ Ferdinandus rex ante mensem eò ueniisset. Protestantes,
aliquot diebus ante actionem, interpellauerant electorem Palatinũ,
Colonienſem, Treuericum, Ericum Brunsuicensem, episcopũ Au-
gustanum & Spirensem, domi suæ quemq; priuatim, ut pacis essent
consiliarij. Ferdinandus igitur, eo quẽ diximus die, protestantibus,
ad se uocatis, causam in dicti conuentus exponit: & quia principes
non uenerint ipsi, quod Cæsar omnino facturos putarit, exhiberi si-
bi petit ab ipsis mandatum & agendi facultatem. Deinde nominat
intercessores, Ludouicum Palatinum, Ioannem archiepiscopũ Tre
uericum, Ludouicum Bauarum, Gulielmum episcopum Argenti-
nensem. Quum hos illi recepissent, cœptum est agi. uenerũt etiam
eò theologi protestantiũ, magno numero, Iustus Menius, Pistorius,
Vrbanus Regius, Bucerus, Brentius, Blaurerus, Osiander, Schne-
pfius, & alij multi. Melanchthon graui ualetudine detentus in itine-
re substitit. Hi, domi quisque suæ, conciones habebant ad suos, uti
fieri consueuit, tunc inprimis, quum deliberandi causa simul omnes
conuenissent legati: Ferdinandus autem ubi resciuit, interdixit: le-

gati

gati contrà, non publicè, sed priuatim doceri tantùm demonstrant, nec esse quod ægrè ferat. Inchoato colloquio, uenturus erat Lantgrauius atque Saxo, iamque suos ad fines expectabant, ut eius rei accepto nuncio, mox essent expediti. Intercessores deinde petunt à protestantibus, ut capita doctrinæ controuersa, paucis comprehensa sibi tradant: Illi, exhibitam esse ante annum decimum, Augustæ, doctrinæ suæ confessionem & apologiam dicunt, in qua prorsus acquiescant, parati rationem reddere, si quis aliquid in ea desideret: & quoniam ignorent, quid in eo libro potissimùm reprehendant aduersarij, non habere se quod exhibeant, sed ab illis hoc potius exquirendum, ut demonstrent, quæ dogmata putent esse uerbo Dei contraria: quod si faciant & ad colloquium res deueniat, ut quidem Francofurti uisum fuit, non se defuturos concordiæ. Referunt hi post aliquot dies, quoniam in confessione exhibita permaneant, interea se libellum illum & actionem omnem Augustanam legisse, & reperire quædam ibi dogmata fuisse conciliata, quædam uerò minus: ut autem hæc etiam concilientur, omnem se daturos operam, & rogare, ut suam in eo mentem aperiant. Ad hæc illi, sermonem quidem fuisse de dogmatis aliquot, Augustæ, sed nihil definitum, nec ullam ibi factam esse conciliationem. Ad hunc modum ultrò citroq; re discepta ta, cùm protestantes colloquium urgerent, illi uerò sibi mãdatum à Cæsare atq; rege dicerent, ut ad modum actionis Augustanę pergerent: Ferdinandus rex Iulij die XVI conuocatis omnibus, quandó quidem ità se res habeat, ut iam definiri nihil possit, inprimis autem propter absentiam Saxonis atque Lantgrauij, constituendum dicit alterum esse diem, quo die utriusque partis legati & uiri docti, pari numero conueniant, & de dogmatis Augustanæ confessionis inter se conferant, sic tamen, ut Augustano Imperij decreto nihil idcircò decedat, & pontifici quoq; sit integrum, si uelit, suos eò mittere legatos: deinde, cum nonnulli querantur, sibi facultates suas à protestantibus eripi, rationi sanè congruum esse, ut interea, dum de religione lis pendet, spoliati uel restituantur bonis ecclesiæ, uel iure suum repetant: Adhæc, uitandi motus causa, paciscendas esse longiores inducias, in quibus hi modò sint comprehensi, qui fuerint Augustanæ confessionis, ante transactionem Noribergicam, ità quidem, ut eos, qui pòst accesserint, nihil ad se pertinere putent protestantes, nec alios quoque deinceps recipiant. Quinto pòst die, protestantes, quid in eo postulato requirant, ostendunt. colloquium sibi ualde probari, &

cupere, ipsum quoq; Cæsarem, non etiam illius tantùm legatos, inter esse: uerùm, ut pontifex quoq; suos mittat, non se quidem in eo posse Cæsari legem ullam præscribere, sed tamen primatũ ei nullum uel au thoritatem hoc ipso tribuere. De restitutione bonorum ecclesiq, deq; iudicio Cameræ prolixè respondent, ut suprà non semel cõmemora uimus, et doctrinq controuersiam inprimis definiendam esse dicũt: ut autem illos excludant, qui post pacem Noribergicam sese ipsis aggre garunt, néue deinceps alios recipiant, non sibi esse integrũ, nec etiam eius rei mandatũ habere. Ferdinandus & intercessores contrà bono rum restitutionem urgent, aut saltem, ut ad definitionem usq; litis ea bona sequestrentur: ut autem plures in suam societatẽ perducant, non se posse concedere Ferdinandus ait, ideóq; monebat, ut ad suas condi tiones accederent: nam etiamsi recusent, se tamen nihilominus manda tu Cęsaris decretũ esse facturum. simul proximo conuentui locum de signat Vuormaciã, ad XXVIII diem Octobris. Illi, collocutionis diem atq; locum sibi placere, sed neminem ab se spoliatũ, et hanc ipsam quę stionem ad colloquium & futurã actionem pertinere, nec sequestra tionẽ fieri posse dicunt, absq; magna suæ ditionis ecclesiasticæ politię dissipatione, scholarũ etiam atq; pauperum incommodo: & quia non longum sit tempus ad colloquij diem, ut eò res omnis differatur, pe tunt: ibi se demonstraturos, quantò plus laborent atq; soliciti sint de gloria Dei, deque ecclesiarum emendatione, quàm de possessionibus atque bonis: Ac licet docere iam possint, quomodo nonnulli diuersæ partis, id genus facultates ad sese rapiant, uelle tamen eoúsque differ re: cúnque tunc eius rei sermo fiet, liquidum esse futurum, utri possef siones illas in suum emolumentum priuatum magis, quàm ad hono rem Dei conuertant, & quid obstet, quò minus in meliores usus ap plicentur. De socijs idem quod antea respondent, & ad futurum e tiam colloquium ista reijci petunt, & ut interea pax seruetur, orant.

Ferdinandus ergo Julij die XXVIII decretũ facit, & actione tota com memorata, Vuormaciæ diem colloquio dicit, ut suprà docuimus, ea lege, si quidem Cæsari placeat. Principes electores, item Magdebur gicus, Salisburgensis & Argentinensis episcopi, Gulielmus & Ludo uicus Bauari, & Cliuensis iubentur eò suos mittere cõsiliarios, & pro testantes quoq;, suos, ità ut utrinq; sint undeni: scribas etiã adesse, pa ri numero, qui singula diligenter excipiant, & de dogmatis Augustæ propositis collocutionẽ fieri, placuit, & rogandum Cęsarem, ut Impe rij cõuentum indicat. Interea uerò pacẽ ab omnibus coli, & à ui iubet

abstij

abſtineri, graui denunciata pœna, mandatu Cæſaris: quòd autem proteſtantes affirment, Cameræ iudicio non licere de pace Noriber-gica pronunciare, hoc ad Cæſaris notionem ſeſe referre dicit. Eo re-citato decreto, proteſtantes exemplum ſibi communicari petunt: & quia Cæſar, datis ad ſe literis Bruxella, Idibus Iunij, quid de Camera ſentiat, ipſum dicat explicaturum, ſcire cupiunt, quid rei ſit: quoniam in decreto nullum ſit factum ea de re uerbum, ità quidem, ut neſciant, an actione ſit Cameralibus interdictū, an minus. Ad ea Ferdinandus, habere ſe quidem à Cæſare in mandatis, ut ſententiam eius ipſis expo nat, ſed ea conditione, ſi quidem bona ſacra reſtituantur aut ſequeſtro permittantur: tunc enim actionem omnem ſublatum iri: cùm autem utrunq; recuſent, non habere ſe quod dicat aliud, & rem omnem Cæ-ſari uelle renunciare. præter eos quos dixi principes, aderat etiam epi-ſcopus Tridentinus, Chriſtophorus Madrucius, & Henricus Brun-ſuicenſis, uerùm is ante finem conuentus abijt, domum profectus. Ad pacem non paruum attulerunt hic momentum Colonienſis & Palati nus, electores, Auguſtanus etiam epiſcopus: reliqui uerò lõgè diuerſa cudebant conſilia, & decretū Auguſtanum urgebant, neq; diſceptan-dum colloquio, ſed quomodo proteſtantium infringi poſſet conatus atq; cohiberi, deliberandū eſſe dicebant. Eo durante cõuentu, mor tuus eſt Ioannes Vayuoda, rex Vngariæ, relicto filiolo Stephano, quem recens ei peperit Iſabela, Sigiſmūdi Polonię regis filia. fuit hæc etiam cauſa, cur Ferdinādus rex, quum id ſuorum literis cognouiſſet, domū properaret. Sub hoc quoq; tēpus orta ſunt uarijs in locis in-cendia per Saxoniam & loca finitima, ditionis ferè proteſtantiū, exu-ſtis aliquot oppidis atq; uicis. Hoc tantū ſcelus, authore Brunſuicenſi factum eſſe ferebatur, ut infrà dicetur. Secūdo Calendas Iulij crema tus eſt Londini Robertus Barnus, doctor theologus. Hic aliquandiu profugus ex Anglia, propter euangelij doctrinā, quum regem Henri cum intelligeret animum adijceread pietatem & ueri cognitionē, do-mum reuertit, ac deinde fuit in ealegatione, quæ Vuittembergę cum theologis egit inter alia de diuortio regis, ut libro decimo docuimus. Cùm autem à propoſito rex diſcederet, & in plęriſq; omnibus doctri nam põtificiam retineret, iſte, qui cõſtantiam pręſtabat, eo quem dixi mus die raptus eſt ad necem, poſtea quàm fidē ſuam eſſet palàm in lo-co ſupplicij profeſſus. fuerūt ſimul exuſti duo quidam alij, eiuſdem re ligionis: deinde crematiſunt eodem die tres, qui & Romani põtificis primatū, & Catarinę Hiſpanæ coniugium approbabant. Auguſtæ

menſe uitam finijt Lutetiæ, Gulielmus Budęus, libellorũ ſupplicum magiſter, ſummæ uir eruditionis, & meritò celebrandus ad omnẽ poſteritatẽ, uel eò ſolùm, quòd unà cum cardinali Bellaio, epiſcopo Pariſino, facti lõgè pulcherrimi Franciſco regi fuit author & cõſiliarius, nimirum, ut Lutecię linguarum profeſſoribus et artium honeſta conſtituerentur præmia. nam ex hoc fonte nemo credat, quàm uberes & copioſi fluuij non ſolùm in Galliã, ſed in alias quoq; prouincias exundarint. Voluit autem abſq; põpa ſepeliri Budæus. Hic annus ob grauiſſimũ ęſtum atq; ſiccitates fuit memorabilis: uinũ quoq; tunc prouenit longè præſtantiſſimũ. Gallię rex interea, ſub autumni tempus dimiſſis huc illuc literis ad epiſcopos, iubet ſupplicationes ad templa deorum fieri: nam etſi pacẽ cum Cæſare colat, neq; temere uelit ab ea diſcedere, uereri tamẽ plurimùm, ne uetus ille generis humani hoſtis, & oſor pacis, materiã belli per homines idoneos paulatim accendat. Cæſar, Ferdinandi fratris & interceſſorum literis edoctus de re tota, confirmat decretum Haganoïcũ, & datis Vtricæ literis, Idibus Auguſti, proteſtantes hortatur, ut ad conſtitutum diem ſuos habeant Vuormaciæ legatos atq; theologos. ijs etiã omnibus publica fide cauet. Et quia per occupationes non ſibi liceat intereſſe, miſſurum eò ſe dicit è ſuis aliquem prȩcipui nominis: non etiam dubitare, quin pontifex eò mittat, cõponendi cauſa diſſidij. Conuentũ quoq; pollicetur Imperij, quò ſit uenturus ipſe, quem ad cõuentum etiam referri debeat huius colloquij ſumma. Sub Idus deinde Octobris, alijs literis Bruxellæ datis, Granuellano poteſtatem facit agendi, ſibiq; legatum inſtituit illum ad futurũ colloquium. Erat id tẽporis Veſontione, Granuellanus, quod eſt in Sequanis oppidũ, unde genus & originem ducebat, quumq; diſtentus occupationibus, ad diem adeſſe non poſſet, ſcriptis literis ad Moguntinũ reliquoſq; principes colloquio deſignatos, altera die Nouembris Ioannem Naüum Lucemburgium prȩmittit, qui moram excuſet, & deſideriũ ipſis leniat. Poſtq; enim nata ſimultate, ſicut antè diximus Mathiam Heldum eliſerat, hunc, uelut magis obſequentem ſuis moribus, aſciuit, in eiuſq; locũ ſubſtituit. Interea Cæſar Imperij conuentũ indicit, ut Ianuario menſe Ratisbonę prȩſto ſint omnes. Cùm deinde Vuormaciam Granuellanus ipſe ueniſſet, Atrebatẽſi epiſcopo, filio comitatus, & theologis Hiſpanis, Muſcoſa, Maluenda, Carobello, exhibitis in conſeſſu mandatis & epiſtola Cæſaris, orationẽ habet xxv die Nouembris, et excuſans, cur neq; Cęſar neq; rex Ferdinandus adeſſent, præclarũ Cæſaris erga rempub. & uerè paternum

ternum animum exponit, qui nihil ardentius optet, quàm ut diutur-
num istud & inueteratũ dissidium tollatur, quo non ecclesia tantùm,
sed et respublica ualde sit adflicta: nec enim dubitare se, quin & præsen
tem calamitatẽ ipsimet uideant, & ecclesiarum emendationẽ esse neces-
sariam iudicent: nihil ergò magis ad ipsorum officiũ pertinere, quàm,
ut pijs cõsilijs occurratur huic malo, ne longius euagetur. Etenim, si-
cut incendio fortè nato, ciuium sit, illud restinguere, sic etiam ipsis om
ninò faciundum hic esse, quò pax & concordia recuperentur: cogitẽt
porrò secum ipsi, & ponant ob oculos, quantũ ex hac dissensione ma-
lorum in Germaniam inundarit: ut cædes atq; funera mittantur, pro
fligatam esse religionem, extinctam in animis hominum charitatẽ, ue
teris atq; catholicæ ecclesiæ decus omne sublatum, deniq;, nullius elo
quentia satis explicari posse calamitatis magnitudinem: floruisse Ger
maniam olim & studiò religionis & omni uirtutum genere, nunc au
tem degenerasse plurimùm, & incommodorum totius reipublicæ ca
put et authorem haberi: nisi autem medicina fiat huic morbo, futurũ,
ut in peius omnia ruant: Et quia Cæsar hoc instituerit colloquium, ut
& ueritas inuestigetur, & gloria Dei celebretur, animum huc adferen
dum esse non ambitiosum, non cupidum, sed pium & moderatũ, inq;
solum Christũ esse respiciendũ, qui nunc diductis brachijs hoc ipsum
ab omnibus petat: hoc etiam summi pontificis & augustissimi Cæsa-
ris et Ferdinandi regis præcipuũ esse uotum: itáq; per mortẽ Christi,
perq; omnia sacra uehementer obtestari, ut tunicã Domini, nulla non
parte laceram atque dissutam resarciant, memores uidelicet nominis
Christiani, quod in sacrosancto baptismo sint consecuti, memores e-
tiam inclytæ prouinciæ Germaniæ, cõmunis omniũ parentis: nisi enim
recõcilientur, ipsis attribuendum esse, quicquid in posterum nascetur
malorum ex ista mentis obstinatione: si uerò modestè atq; sobriè rem
tantam tractabunt, & Deo futurũ hoc longè gratissimũ, & Cæsarem
id etiam uel maximi beneficij loco habiturũ esse: qui daturus deinde
sit operã, ut in proximis Imperij comitijs res tota perficiatur. A mor
te Vayuodæ, tutores reliquiq; proceres, legatione missa, puerũ Turcæ
commẽdabant: ille patrociniũ ei pollicetur, & simul dona mittit. Fer
dinãdus etiam, ubi cognouit, Hieronymum Lascũ, qui superioribus
annis à Vayuoda desciuerat, Haganoa mittit Byzantiũ, ut per homi-
nẽ idoneum sibi Turcã placaret. Domum deinde reuersus, bellũ sibi
gerendũ iudicabat prius, quàm regina uidua et tutores infantis essent
instructi. Quo cognito, Solymannus in uincula conijcit Lascũ, quasi

consiliorum Ferdinandi maximè conscium, simul auxilia mittit, quæ tamen impedita hyeme, paulò serius aduenerunt. Postridie, quàm Granuellanus orasset, cœptũ est agi de notarijs atq; scribis, & utrinq; delecti sunt bini, qui singula diligenter exciperent atque seruarent. à protestantibus designati sunt Casparus Cruciger, Vuolfgangus Musculus, theologi. Octaua deinde Decembris die, Thomas Cãpegius, episcopus Feltrensis, legatus pontificius, orationem habet, ac de pace nonnulla præfatus, quæ tantopere sit nobis à Christo commendata, Germanię quoq; uicem miseratus, põtifices nunc aliquot & Paulum tertium inprimis, nihil non feciſſe dicit, quo calamitatẽ hanc ab ea depelleret, ideóq; nuper cõcilium indixisse Vicentię: quum autẽ exactis aliquot mensibus nemo ueniret, in aliud tempus necessariò reiecisse: Cæsarem uerò, qui sit ecclesiæ Romanæ primogenitus & obsequens filius, protector etiam & aduocatus, hoc instituisse colloquiũ, ut esset ueluti pręludium quoddam actionis futuri conuentus Ratisbonẽsis: de illius autem uoluntate & assensu, décq; pontificis mandatu sese adesse, & rogare uehementer, ut ad concordiam omnia consilia referant: pontificem in eo sanè facturũ esse, quicquid omninò salua pietate possit. Huius conuentus præsides hanc legem initiò ferebant, ne cui, nisi qui sit ad congressum designatus, communicentur acta colloquij, nec euulgẽtur etiam, nisi prius ad Cæsarem sint omnia relata: deinde petebant, ut protestantes ea doctrinæ capita, quibus omninò decreuissent immorari, scripto complecterentur & exhiberent. His de rebus atq; etiam de formula iurisiurãdi, décq; numero collocutorũ, et suffragiorum modo, prolixa fuit inter eos altercatio. Cùm enim pontificij animaduerterent, Palatini & Brandeburgensis electoris atq; etiam ducis Cliuensis consiliarios, in protestantiũ partes inclinare, ueriti, ne suffragijs uincerentur, consultò diem ex die ducunt, donec aliud à Cæsare
M. D. XLI. nunciaretur, ut postea dicemus. Et altera quidẽ Ianuarij die, nouas & alienas cõditiones proponunt, nimirũ, ut ex omni numero deligantur duo theologi, qui de causa differant: ut hæc à scribis excepta deferantur ad præsides: ne minor pars teneatur maioris partis opinionem sequi, nisi ità faciundum esse Cæsar & ordines Imperij decreuerint: ne collocutorum sermones omnes, uerùm nudæ sententiæ, siue cõciliatę siue controuersę, describantur à notarijs: Augustanum & id genus alia decreta nihilominus ualeant. Protestantes uerò cõtrà, cum utrinque sint ad colloquium designati XXII, petunt, ut singulis pronũciare liceat, neq; nudæ solùm sententiæ, uerùm argumẽta etiam & rationes

& ha-

& harum explicationes literis mãdentur: iniquum etiam esse demonstrant, in hac omnium sanctissima causa, partis ullius opinionẽ, et non potius uerbi diuini præscriptum sequi, aut quenq; ꝑ, ut contrà sentiat & profiteatur, uelle cogere. Dum ad hunc modum tempus extrahitur, protestãtes de eo sæpe queruntur, & ut in medium proposita doctrinæ cõfessione, Augustæ exhibita, secundũ Haganoici decreti formulam, actio quàm primum inchoëtur, petunt, præsertim, cùm sit amicum & minimè captiosum futurum colloquium, quo tanq; aditus quidam fiat ad cõcordiam. flagitabant idem etiam theologi, qui frequentes aderant, Melanchthon, Capito, Bucerus, Osiander, Brẽtius, Caluinus, Alesius Scotus, à Brandeburgico missus, et alij cõplures, ac his adiuncti, Symõ Grynæus, Ioannes Sturmius. Sub Idus demũ Ianuarij mensis, põtificij deligunt Ioannẽ Eccium, alteri uerò, Philippũ Melanchthonẽ, qui differant. Et primò quidem, ut ordine fieret progressus, de peccato, quod uocant, originis, uerba faciũt, alternis, in consessu publico: sed ecce post tertiũ colloquij diem, Cæsaris adferuntur ad Granuellanum literæ, cæteróq; legatos, quibus literis & actionem omnem ad Ratisbonæ comitia reijcit, & protestantes inprimis eò uenire iubet, & Granuellanum ad se quàm primùm reuocat. Iis recitatis literis in cõsessu, quod fuit XVIII. Ianuarij die, Granuellanus hortatur, ut Cæsari morẽ gerant, et Ratisbonam ueniant: nam illũ esse percupidum pacis: & si quid ipse per occasionem colloquij durius fortè dixerit, ut ne male accipiant, deprecatur, & studium suum erga rempublicam pollicetur. Ad ea protestantes. dolere sibi plurimùm, quòd non multò antè fuerit inchoatum colloquium, & quòd ne nunc quidem in eo progredi liceat, sed quia Cæsar ità iubeat, parendum esse: nunc itáq; domum sese redituros, ut suis omnia renũcient, neq; dubitare, quin illi sint gratificaturi Cæsari: ueruntamen, si fortè paulò tardius eò ueniant, legató sue mittant, id propter temporis angustiam excusari oportere. Erat etiam hoc in conuentu Petrus Paulus Vergerius, episcopus Iustinopolitanus, uerbo quidẽ, tanquam Galliæ regis causa, sed reuera missus à pontifice, qui suis rebus illum inseruire magis posse putabat, si quidem alieno nomine ibi uersaretur. Orationem hic de unitate & pace ecclesiæ composuit, & typis procusam ibi distribuit, in qua potissimum id agit, ut doceat non esse de nationis concilio cogitandum. etenim conuentus ille speciem aliquam eius rei præ se ferebat, & uiam præmunire uidebatur: pontifex autem nihil minus ferre poterat, eiusque sensum probè callebat Vergerius,

Per hunc igitur & id genus alios illius administros impedita res fuit & dissoluta tandem. ducendo enim tempus, & nectendo moram, diuerticula sibi quęrunt & effugia. Cæsar, initio mensis Ianuarij, profectus è Belgio, Metim uenit, Mediomatricũ urbem primariam, inde per Spiram contendit Ratisbonam, & ex itinere, quas dixi literas, ad Granuellanum mittebat. Noriberga tunc iter fecit, quam urbem antea non uiderat, & magnificẽtissimo fuit exceptus apparatu. Februarij mensis die undecima Philippus Schabotus, Galliæ, quem uocant, Amiralius, uir summæ dignitatis, in suspitionem uocatus apud regẽ, ob non bene administratum bellum Sabaudicum, de quo suprà dixi mus, quum diu multúmq; esset in ipsius uitam inquisitũ, damnatus fuit repetundarum & læsæ maiestatis, & priuatus honoribus, quos habebat amplissimos, ablata quoq; spe restitutionis, in carcerem ductus est Vincennium, non procul à Lutecia. Tulit hanc sententiã, Meloduni, Gulielmus Poietus, Gallię cancellarius, euocatis ad hoc iudicium, totius Galliæ uiris primarijs & senatoribus iureconsultis. Et quanquam firmissimæ solent esse, quæ sic feruntur sententiæ, & prorsus inuiolabiles, tamen authoritate regis non multò pòst fuit absolutus, ut sum infrà dicturus. Ad hoc etiam tempus, Henrici Saxoniq; principis filius Mauricius, in matrimoniũ ducit Agnetem, Lantgrauij filiam. Mense Martio plærique principes ac ordines Ratisbonam ueniunt, cùm aliquándiu Cęsar eos expectasset. uenit etiam Lantgrauius, prope sub exitum Martij, magno cum comitatu, & postridie satellitio stipatus ad Cæsarem iuit, à quo fuit acceptus per humaniter. Saxo legationem eò misit amplissimam, atq; theologos, & in his, Melanchthonem. A pontifice quoq; uenit Caspar Contarenus, magni nominis cardinalis. Aderant autem Brandeburgicus elector, Fridericus & Otto Henricus, Palatini, Guilielmus & Ludouicus Bauari, Henricus Brunsuicensis, Carolus Sabaudiæ princeps, Georgius Brãdeburgicus, Philippus Pomeraniæ dux, item, Moguntinus, Salisburgicus, Bremensis, Bambergicus, Spirẽsis, Augustanus, Eistetensis, Constantiensis, Hildessemius, Brixiensis, Passauiensis, episcopi. Sub hoc tempus exijt & Ratisbonam allatus est Martini Lutheri liber admodum uehemens, lingua populari scriptus in Henricum Brunsuicensem. Libro superiori de scriptis Henrici diximus inuectiuis in Saxonem atq; Lantgrauium: quúmq; nuper emisso libello Saxonem ille nominasset hæreticum, seditiosum, Cainum, monstrum, Aesopum, nulla nec corporis nec animi uirtute prædituin,

quem

quem ipse quoque Lutherus, licet eius idolum ac uelut alter Deus, rideret atque contemneret: Lutherus, qui suam ad existimationem hoc pertinere ducebat, acerrimè respondet, & calumniam esse dicit. Et quoniam ecclesiæ titulum aduersarij sibi uendicent, plurimis adductis argumentis, ab ecclesia uera demonstrat eos defecisse, & facta collatione, pontificatum Romanũ, qui puram de Christo doctrinã omninò defœdarit atque corruperit, antichristum esse docet, quem tot antè sæculis & Daniel & apostoli prænunciarint: quòd cùm ità sit, non ipsorum esse facultates ecclesiæ, & restitutionem ab ipsis improbè postulari confirmat. deinde obijcit, quòd lucem defugiant. Et, cur, inquit, concilium modò flagitatis, modò promittitis, modò suspenditis, modò recusatis? quòd si sancta est ecclesia uestra, quid ità sibi metuit à concilio? quid opus habet emendatione? quòd si opus habet, quomodò sanctam dicitis? num sanctimoniam quoque uestram uultis emendari? Nos quidem, ut ecclesiæ nostræ reformentur, nunquam postulauimus concilium: nam uerbo suo Deus iampridem sanctificauit eas, & sordes omneis pontificias expurgauit, & ueram doctrinam nobis restituit: uita quidem huic professioni nostræ non respondet, neque tantùm re præstamus ipsa, quantum & debemus & optamus: sed & prophetarum & apostolorum hæc etiam fuit, dum uiuerent, querimonia, & ea fœlicitas tunc demum nobis continget, cùm ab hoc uitioso corpore, tanquàm è carcere liberati, parem cum angelis conditionem obtinebimus. Concilium autem eò petimus, ut ecclesiæ nostrę palàm audiantur, & ut doctrina uestra, Christi doctrinæ contraria, damnetur, & ab ea reuocati homines, uerum Dei cultũ cognoscãt atque sequantur. Iam, quòd seditionis & inobedientiæ crimẽ nobis obijcitis, falsum est, uel ipsorum ordinum Imperij testimonio. Principes enim nostri, & obsequentes omninò Cæsari, & ad Imperij conuentus aut ad militiam uocati, præstò semper fuerunt. Si uerò conuicium hoc eò nobis facitis, quòd Cæsaris edictis, quæ doctrinam nostram damnant, nõ obtemperamus: lætamur etiam & Deo gratias agimus, ob non præstitam obedientiam. quod enim soli Deo debetur, non est largiendum Cæsari, qui Dei beneficiarius esse debet. prouincijs quidẽ atque regnis præfecit eum Deus, ecclesiam uerò solus ipse uult regere suo uerbo, nec in istius honoris societatem ullum admittit. Quod agat, satis habet supérq;, Cæsar, administrationẽ uidelicet reipublicæ. nimirum, hoc ei præscripsit officium Deus, & hos ueluti limites posuit. quòd

si autẽ ille tendat ulterius, iam in Dei iurisdictionem inuadit. Seri pserat inter alia Brunsuicensis Henricus in suis inuectiuis, Lutherum excitasse tragœdiam hanc religionis, impulsu Friderici principis, qui Magdeburgensem episcopatũ inuidisset Alberto Moguntino. Lutherus igitur ad hoc respondens, hanc, ait, calumniam Henrico suggessit Moguntinus, et quia scire dissimulat quod optimè nouit, causam & originem huius motus exponam. Anno salutis decimo septimo supra millesimum quingentesimũ, Ioannes Tecelius Dominicanus indulgentias circumferebat uenales per Germaniã. hunc uerò Teceliũ Cæsar Maximilianus aliquandò damnauerat capitis, & Oeniponte iusserat in flumen præcipitari, sed Friderici ducis intercessione, qui tum ijs fortè locis erat, periculum euasit. Is inquam inter alia docebat, se tantam habere potestatem à põtifice, ut etiam si quis uirginem matrem uitiasset ac grauidam fecisset, condonare crimen ipse posset, interuentu pecuniæ: deinde, nõ modò iam cõmissa, uerumetiam futura peccata condonabat, neq; multò pòst, exijt libellus cũ insignibus Alberti episcopi, quo mandabatur quæstoribus, ut uim indulgentiarum populo diligentissimè cõmendarent. itáq; cognitũ fuit, Tecelium esse ad eiusmodi declamationes ab Alberto conductũ. Nam Mogũtiæ creatus nuper erat archiepiscopus, Albertus, ea lege, ut suo sumptu Romę palliũ redimeret. Tres enim eius urbis episcopi, non ità longo decesserant temporis interuallo, Bertoldus, Iacobus, Vrielus, & graue tum erat collegio, tantos facere sumptus, & toties. palliũ enim illud cõstare dicitur triginta ferè millibus aureorum, antequàm domum perfertur. tanti scilicet nouit põtifex uendere suum linũ: pecuniam hanc autẽ mercatores Augustani Fuggeri dependerant: ut igitur solueret eis Albertus, rationẽ hanc quæstus excogitauit, eámq; põtifex ei permisit, sic tamẽ, ut dimidiũ perferretur Romam, ad extructionem basilicæ diui Petri. Sed hæc omnia tunc temporis ignorabam: itáque scripsi Moguntino demissè admodum, hortatus, ut præcones illos cohiberet: ipse uerò nihil quicquam respondit. Brandeburgicus etiã interpellatus episcopus, monebat, ut desisterem, neque periculum mihi crearem ipse. Pòst, emisi themata quædam, Tecelianis contraria, quæ paucos intra dies Germaniam omnem percurrebant, et auidè legebantur à plęrisque: nam communis erat omnium querimonia de indulgentijs, maximè uerò de ijs quę Tecelius docebat. Et quoniã ex episcopis nemo erat, neque ex doctoribus etiam qui resisteret, eò quòd Tecelius metum

atque

atque terrorem pontificij fulminis adferebat, cœptũ est nomen meũ celebrari, tandem uidelicet inuentum esse aliquem in orbe terrarum, qui sese opponeret: sed ea gloriola mihi sanè minus erat grata, nec enim satis tùm intelligebam, quid sibi uellet indulgentiarum nomẽ. Hæc est origo prima causáq; motus, quem nõ Fridericus princeps, uerùm Moguntinus per suum emissarium & peculatorem Teceliũ excitauit: quapropter, si quid est, quod nunc ipsum mordeat, sibi totum hoc asscribat. Alteram turbæ causam dedit sanctissimus pater, Leo decimus, cùm me deuoueret atq; proscriberet, & multi passim de me triumphare uellent, nec esset quisquàm tàm indoctus, qui nõ in meum caput atque famam, stylum acueret. Ego certè principiò fore putabam, ut me pontifex absolueret, Tecelium uerò condemnaret, eò quòd ius pontificium pro me faceret, quod clarè docet, indulgentijs animas è purgatorio non liberari: sed ecce, dum sententiam ex urbe lætam expecto, fulmine percutior, & uelut omnium hominum maximè nefarius, damnor. Ibi tum cœpi mea defendere, multis editis libris, ità quidẽ, ut ad Imperij comitia res deinde fuerit introducta. Sic adeò litis causam præbuit filum lineum, unde pallium constat, & illud quidem ita nunc est condensatum, ac tale robur assumpsit, ut ab eo periculũ sit pontifici, ne stranguletur. Quod cùm ità sit, sibi culpam attribuant ipsi, qui tàm impudenter & immodestè rem egerint: ego quidem in sinum rideo. nam perculit eos qui cœlum inhabitat, neque tantam uoluit grassari diutius impietatem, & populum suum è tenebris illis Ægyptijs in clarissimam lucem ac solis aspectum iucundissimum eduxit. Atqui, pallium istud, de quo semel & iterum est facta mentio, tribuitur tantùm archiepiscopis, & singulari quodam beneficio, paucis aliquot episcopis, ac in his Bambergensi, Germano. Sic autem conficitur, ut ipsorum habet ceremonia. In die Agnetis uirginis, qui est Ianuarij dies XXI, in templo diuę Agnetis, Romę, cùm in missa imploratur agnus Dei, super altare ponuntur agni duò candidi, postea traduntur basilicæ diui Petri subdiaconis: hi mittunt illos in pascua, suóque tempore tondent, ex eáque lana, permixta reliquæ lanæ, cùm in filum diducta fuerit, parantur pallia. latitudine sunt ad treis digitos, ab humeris propendent in pectus atque renes: ad extremum sunt laminæ plumbeæ tenues, eiusdem latitudinis: ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora diui Petri atque Pauli, ac certis ibi precibus expeditis, relinquuntur per noctem unam: altera die subdiaconi recipiunt, & ho-

neſto loco diligenter aſſeruant, donec qui opus habet archiepiſcopus, aut eius procurator, ſibi dari petit. Traditur autem multis cum ceremonijs, & deferentibus mandatur, ne ſupra noctem unam, ſi modò fieri poſſit, in eodem loco ſubſiſtant aut commorentur. Hanc adeò nec operoſam neque ſanè precioſam mercem archiepiſcopi maxima ui pecuniæ redimunt à pontifice. Neque uerò licet anteceſſoris uti pallio, ſed quiſque ſibi tenetur illud Romæ comparare: deinde, qui fortè uel permutatione, uel quauis alia ratione fit alterius eccleſiæ patriarcha ſeu metropolitanus, licet antea ſibi parauit illud, neceſſe tamen habet, ut iterum emat. De hoc genus expilationibus permagnæ ſæpe fuerunt in omnibus populis querimoniæ, ſicut libro quarto dictum eſt, inprimis uerò per Germaniam: & quum anno ſalutis M. D. XVIII Leo põtifex, in comitijs Auguſtę per cardinalem Caietanum hortaretur Maximilianum atq; principes ad bellum Turcicum, & id ageret, ut omnes ordines contribuerent, et eccleſiaſtici quidem decumas: reſponſum ei fuit, ut ab ordine ſacerdotum illud impetretur, uix poſſe ſperari: nam curiæ Romanę uarijs ac ſubinde nouis artificijs, illorum facultates atque iura uehementer impediri: populum uerò, ſi quid imperetur, clamare, toties iam hoc nomine datam eſſe pecuniam, & demirari, quomodò ſit profuſa, quóuè cenſus ille peruenerit, è ſolis annatis per Germaniam collectus. Diximus antea de uarijs incendijs, per Saxoniam excitatis: è maleficis autem deprehenſi complures atque capti, diuerſis locis, habita quæſtione, plærique teſtificabantur ad extremum uſque ſpiritum, à præfectis & familiaribus Henrici Brunſuicenſis, accepta pecunia, ſe fuiſſe conductos atque ſummiſſos, ut id facerent. Hoc igitur nomine, ſed & alijs de rebus, Lantgrauius & legati Saxonici, Ratisbonæ, Brunſuicenſem apud Cæſarem accuſant, & quid incendiarij ſinguli profiterentur, ſcripto comprehenſum exhibent. His coniunxerat ſe Gulielmus Brunſuicenſis, qui & ipſe fratrem germanum Henricum, à quo multis annis fuerat detentus in carcere, grauiter accuſabat. Cùm iam plęrique conueniſſent omnes, inchoatur actio, die quinta menſis Aprilis, & nomine Cæſaris, de more proponitur. Ipſis conſtare, quantùm interuenerit ſemper ſtudium ſuũ atque labor, ut reſpublica bene cõſtitueretur: cum autẽ ex diſſidio religionis, maximã Imperij fieri diuulſionem, & per hanc occaſionem in noſtra prope uiſcera iam penetraſſe Turcam animaduerteret, maximũ animo ſe concepiſſe dolorem, & multis nunc

annis

annis, de ipsorum quidem uoluntate, rationem tentasse pacificationis, & longè commodissimam semper esse uisam omnibus, concilij publici medicinam: hoc etiam in postremis Ratisbonæ comitijs ità placuisse: sed cùm per id ipsum tempus in Vngariam & in Austriã deinde Turca totis uiribus irrueret, Germaniam deinceps adoriturus, exercitum illi sese tum suum tum Ferdinandi fratris & Imperij totius opposuisse: nec id modò, sed & classem non mediocrem in illum tunc emisisse, quæ uersus Constantinopolim prouecta longius, aditus illi quosdam & oppida & arces ademerit, ut sic illius refringeretur impetus: ubi uerò pedem ille retulit, domum reuersus, in Italiam sese profectum egisse magna diligentia cum Clemente pontifice, de concilio, & Italiam pacasse, ne quid esset impedimenti: pòst, in Hispaniam rediisse, quò constitutis etiam ibi rebus necessarijs, interesset ipse concilio: cur autem non successerit de concilio, quod anno pòst inchoandum pontifex promiserat, non ipsos latere, sua quidem opinione: Quia uerò non multò pòst, legatum suum Barbarossam, in Africam Turca misisset, Tunetano rege profligato, se, depellendi publici periculi causa, in Africam traiecisse, Deique beneficio parta uictoria, totis illum finibus expulisse: pòst, in Siciliam, & Neapolim, inde quoque Romam uenisse, et cum Paulo tertio pontifice de cõcilio tractasse. qui quidem totus huc inclinarit: tunc nimirum sui fecisse propositi, propius ad Germaniam accedere, procurandæ reipublicæ causa, uerùm illo ipso tempore, affini suo & Imperij beneficiario Sabaudiæ principi bellum fuisse factum, & magnam ditionis partem armis ablatam: ideoq; se, tanquàm ex officio, defensionem illius tunc suscepisse: cúnque bellum istud ad hyemem usque duceretur, neque concilij spes magna supereset, in Hispaniam sese reuersum, aliquot ad pacem idoneas conditiones proposuisse: pòst in Liguriam reuertisse, quò pontifex etiam atque Galliæ rex accesserit: atque ibi factis inducijs, cum classe profectum ad Aquas Mortuas, collocutum esse cum Galliæ rege, sicut etiam antè cum pontifice, de sananda republica, déque bello Turcico: cùm autem in Hispaniam inde rediisset, diu multúmque de pacanda religione, déque impedimentis concilij cogitasse, ac deinde cùm per Italiam constituisset in Germaniam redire, solicitatum atque rogatum à rege, per Galliã iter fecisse, cõfirmandę prorsus amicitię causa: uenisse pòst in Belgiũ, atq; ibi statũ regionis offendisse turbulentũ, cui tamen incõmodo medicinã ipse adhibuerit. Et quanq; sibi tum

per occupationes non liceret in Germaniam proficiſci, conuentum tamen ad Haganoam indixiſſe, cui Ferdinandus frater interfuerit: quid autem in eo congreſſu, pòſt etiam Vuormaciæ ſit effectum, in recenti omnium eſſe memoria: Et hæc quidem eò ſeſe commemorare, quò ſuum erga rempublicam ſtudium atque uoluntatem perſpiciant, & cauſas etiam, cur citius in Germaniam non uenerit, intelligant: Quanto autem labore & moleſtia, quantíſque ſumptibus, Imperij tutela ſibi conſtet, id ſuo tempore ità ſe demonſtraturum, ut omnes uideant, Germaniæ ſalute nihil ſibi quicquàm eſſe charius: quantas etiam faciat impenſas quotidianas in claſſem, ad reprimendum arma Turcarum, nolle iam ſe commemorare: ueniſſe autẽ, & feſtinanter quidem, adhæc comitia, tametſi ualetudine & nonnullis alijs rebus impediretur: Adhæc, ſolicitaſſe pontificem, ut iuxta decretum Haganoicum, legatum huc mitteret, & ueniſſe quidem ab illo Caſparum Contarenum cardinalem, magnæ uirtutis uirum, & pacis amantem: Cùm ergò religionis conſtituendæ cauſa potiſſimùm ſit hic indictus conuentus, et adhuc quidem indefinita res permanſerit, & magnum ſubſit periculum, niſi pacificetur, ideò cupere ſe maiorẽ in modum, ut conciliatio fiat: quicquid eò poſſit ipſe conferre, libenter eſſe facturum: idem quoque ſtudium ab ipſis expectare: Quamobrem petere atque flagitare, ut de ratione componendæ cõtrouerſiæ, & quomodò ſit agendum, deliberent: Et quò uideant, quantópere concordiam amet, ſui eſſe conſilij, ſi modò nullam ipſi uiam expeditiorem habeant, ut ex omni numero pauci quidam uiri boni & docti pacíſque cupidi, homines Germani, deligantur, qui de rebus controuerſis amicè conferant, & quemadmodum conciliari poſſint, ad ſe ſuóſque ordines referant, ut inter ipſos deinde re deliberata, & cum legato pontificio communicata, decerni poſſit: hanc enim rationem & Auguſtæ quondam, & nuper etiam Vuormaciæ uiſam fuiſſe commodiſſimam, ſic tamen, ne quid Auguſtano decreto decedat. Ad ea proteſtantes Aprilis die nono reſpondent, & ipſius collaudata uirtute, colloquium Vuormacienſe continuari petunt, quod illinc huc translatum ſit: quòd autem nunc deligendos eſſe quoſdam dicat, ad hoc ſe reſponſuros aiunt, ubi de perſonis ex ipſo cognouerint. Cæteri uerò principes ac ordines, dato reſponſo die Aprilis duodecimo, conſilium illius per omnia probant, & inprimis illud cauent, ut integra ſit Auguſtani decreti authoritas. poſthæc Cæſar ab utríſque petit, inprimis autem à proteſtantibus, ut

deli-

deligendi personas facultatem sibi permittant, in eóque sibi confidant, qui nihil sit facturus, quod non ad patriæ salutem pertineat. Id cùm obtinuisset, Aprilis die decimo tertio, per Fridericum Palatinum principem ad colloquiũ designat Iulium Pflugium, Ioannem Eccium, Ioannem Gropperum, Philippum Melanchthonẽ, Martinum Bucerum, Ioannem Pistorium, ut dogmata controuersa tractent, & pòst ad se principésque referant. Vigesimo secundo deinde Aprilis die, uocat eos ad se, multísq; uerbis grauiter monet, ut in huius causæ tractatione nihil tribuant affectibus, uerùm ad gloriam Dei solùm respiciant. Illi uerecundè sese excusant, & ut alij magis idonei constituantur, petunt omnes, præter Eccium: is enim paratum sese dicebat & instructũ: sed cùm Cęsar urgeret, accipiunt illi conditionẽ, & simul orant, ut quosdã adiungat, qui partim actioni præsideant, partim, ut testes & auscultatores, adsint. Itáque Fridericum Palatinum & Granuellanum præsidere iubet: Theodoricum uerò Comitem Manderschittum, Eberhartum Rudenum, Henricum Hasium, Franciscum Burcartum, Ioannem Figium, Iacobum Sturmium, testimonij causa uoluit adesse. Cùm autem Aprilis die XXVII conuenissent omnes, Fridericus Palatinus uerba facit, & colloquutores monet, ut seriò rem aggrediantur & amicè cõferant: Granuellanus deinde librum descriptũ illis exhibet, quem Cæsari dicebat esse traditum à quibusdam uiris bonis atque doctis, uelut idoneum ad futuram conciliationem: uelle itáque Cæsarem, quò uidelicet legitimum argumentum habeant, ac uelut agendi materiã, ut eum librum pariter euoluant & expendant, & quod in eo simul omnibus probabitur, laudent, quod uerò minus, id corrigant. Liber iste doctrinę capita hęc cõtinebat. de creatione hominis, & ante lapsum, naturæ integritate, de libero arbitrio, de causa peccati, de originali peccato, de iustificatione hominis, de ecclesia & illius signis & authorite, de nota uerbi, de pœnitentia post lapsum, de authoritate ecclesiæ in discernenda & interpretanda scriptura, de sacramentis, de ordine, baptismo, confirmatione, cœna domini, pœnitentia & absolutione, matrimonio, unctione. de uinculo charitatis, de ecclesiæ ordine hierarchico, & in constituenda politia, authoritate, de statuis, de missa, de administratione sacramentorũ, de disciplina ecclesiæ, ministrorum, et populi. Maio mense, protestantiũ ordines, ad Franciæ regem missis Ratisbona literis, pro ijs, qui per prouinciã Galliã, ob doctrinę professionẽ partim erãt in uinculis, partim in exilio, partim in

latibulis ærumnosam uitam agebant, intercedunt. Et quia nonnulli recipiebantur in gratiam, si doctrinam abiurarent, hanc eis conditionem remitti petunt, & quàm graue sit, uulnerare conscientiam, ostendunt. Huic persecutioni causam dedit, in Merindolanos, prouinciæ uicum, anno superiori lata sententia, præside Bartholomæo Chassaneo iureconsulto. quæ cùm esset horrenda supra modum & atrox, ingentem terrorẽ attulit miseris hominibus: ueruntamen eius executio plena in aliud tẽpus dilata fuit, & huius anni persecutio, ludus est præ illa, quę quarto pòst anno secuta fuit, ut suo loco dicetur.

Dum hæc Ratisbonæ geruntur, Gulielmus princeps Cliuensis, quum implacatum haberet Cęsarem, ob Geldrię possessionem, sicut diximus, clàm in Galliam proficiscitur, et ijs, quos unà secum esse uoluit, locum atque diem cõstituit, quo, diuersis uijs profecti, ad ipsum tandem uenirent. Quum igitur sub exitum Aprilis Luteciam Parisiorum uenisset, exceptus à regijs ministris, & per Aureliam deductus, Maij die sexta uenit ad regem, qui tum erat Amboſæ, quod est ad Ligerim flumen, in Turonibus oppidũ. Is non secus atq; filiũ parens complexus, ilicò regi Nauarrę & sorori suę nunciat, ut adducta filia quàm primum ad se ueniant. nam erant id temporis in Aquitania. Cùm deinde uenissent, cœptum est agi de coniugio: Et quanquàm parentes tunc non admodum probabant, licet etiam alienior esset puella, non tàm suo quodam iudicio, uel illius cõtemptu, quàm susurrationibus & impulsu quorundam, qui Germaniam, ut agrestem atque duram, præ Galliæ delitijs & amœnitate summa despicie bant, tamen uicti regis authoritate, qui sibi percommodam esse iudicabat hanc affinitatem, cesserunt. Itáq; sub idus Iunij mensis peraguntur nuptiæ, rege sponsam è sorore neptem, in templum deducente, Tornonio autem cardinale, missificante. Rex epulum dabat splendidissimum: aderant pontificius, Anglicus, Lusitanus, Venetus, & Saxonicus legati: nam Cæsareus excusauerat. Aliquot pòst diebus, domum Cliuensis redijt, in Gallijs relicta coniuge sponsa, quam apud se remanere mater uoluit, donec esset tempestiua uiro.

Prius, quàm in Galliam ueniret Cliuensis, Amirallium, de quo suprà diximus, rex liberari, domùmque proficisci, Maio deinde mense iubet ad se uenire, & perhumaniter acceptum pristinæ dignitati restituit, & tanquàm ab inferis in lucem reuocauit, & nouo prorsus ac inaudito propemodum exemplo, sentẽtiam, à lectissimis latam et summis quidem iudicibus, irritam fecit, partim, odio Connestablij,

sicut

sicut creditur, partim intercessione Stampianæ dominæ, quæ recenti fuit Amiralio coniuncta necessitudine per affinitatem. Connestablius ergò Momorancius, qui & Amiralium nõ amabat, æqualem suum, & regem habebat minus propitium, ob transitum Cæsaris, ut antea dictum est, cùm alioqui totus iaceret, & despiceretur, domum sese recepit, & incerta conditione priuatam uitam egit, cùm totum antea regem solus possedisset.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber XIIII.

SVB FINEM APRILIS INCHOATVM FVIT COLloquium, ut suprà demonstrauimus. Eccius autem erat impatiens atque morosus. nam & librum fastidiebat, & socios collegas minimè probabat, & aliquantò pòst in febrim incidit, ità quidem ut interesse non posset: adibant eum tamen socij, déque rebus omnibus conferebant. Exhibiti uerò libri loca quædam, de communi consensu per colloquium fuerunt emendata, de quibusdam conuenire non potuit, de ecclesia eiúsque potestate, de sacramento corporis & sanguinis Christi, de peccatorum enumeratione, de satisfactione, de unitate & ordine ministrorum ecclesię, de sanctis, de missa, de usu integri sacramenti, de cœlibatu. Redditus itáque Cæsari fuit liber, sic, ut erat, emendatus, & simul protestantium theologorum sententia, scripta super ijs, quæ iam enumerata sunt, dogmatis controuersis. fuit hoc ultima die Maij. Cęsar & studium illorum laudat & gratum habet, & si fortè res deinceps ità poscat, ut consimilem diligentiam atque uoluntatem adferant, hortatur. Octaua deinde Junij die, in consessu principum et ordinum refert, quid actum, & quousque facta sit progressio: collocutores egisse rem diligenter, & conciliasse multa, nec illa quidem leuia doctrinæ capita: de cæteris uerò, quæ nondum conciliata sint, protestantium theologos, quid sentiant, aperuisse. Pòst, utrumcp scriptũ illis exhibet, & ut quamprimùm deliberent, mentémcp suam in utrócp demonstrent, adhæc,

ut despiciant, quomodo status reipublicæ tàm ciuilis quàm ecclesiasticus emendari debeat, petit: se quidem nihil in eo præteriturũ, neque dubitare, quin legatus etiã pontificius eò propendeat. Senatus principũ magna sui parte cõstat ex episcopis: itáque uicit eorum numerus, qui & librum à Cæsare propositum, & actionem omnem colloquij reijciebant, eiúsque rei sententia scripto comprehensa fuit, aliquantò durius: cùm autẽ electores et alij nonnulli principes, reipublicę studiosi, non assentirentur, conceptum fuit aliud scriptũ, & altera die Iulij oblatũ Cæsari, quem in eo monent, ut tanquàm aduocatus atque defensor ecclesiæ, rem omnem cum legato pontificio communicet, iuxta decretum Haganoicum, illa præsertim capita, de quibus inter collocutores conuenisset: útq; diligenter expendatur, an in ijs aliquid sit, quod uel sententia uel uerbis pugnet cum doctrina sanctorũ interpretum, aut etiam cum ecclesiæ consuetudine: deinde, si quid obscurius dictum sit, ut explicetur, útque suã postea mentem, & quid consilij sui sit, ad ordines ipse referat, & cum protestantibus agat, ut in reliquis dogmatis controuersis erudiri sese patiantur, uel si hoc impetrari non possit, ut tum uel publici, uel prouinciæ Germaniæ concilij authoritas interueniat. Erant inter ordines, qui religionis emendationem impedirent: & his quidem impulsoribus factum esse putatur, ut ad legatum pontificium referretur omnis actio. Cæsar ad ea Iulij die septima respondet. putasse futurum, ut suam opinionem aliquantò clarius & copiosius explicarent, præsertim, quum per multos dies liber in ipsorum manibus fuerit: sed quoniam in eo persistant, facturum se quod suaserint, & quæ sit legati pontificij mens de re tota, uelle cognoscere, ne quid negligat uidelicet, quod quidẽ sui sit officij. Protestantes etiã, quid ipsi sentiant, exhibito scripto, Cæsari demonstrant, & cõciliata dogmata plenius explicant, & quàm non sit difficile, reliqua etiam cõciliare, docent, et Augustanæ confessioni sese immorari dicunt. deinde, quod est tertium in postulatis Cæsaris, de politico reipublicæ statu emendando, leges illas ante annum undecimum Augustæ latas, in usum aiunt esse reuocandas: ad sacram uerò politiam quod attinet: eam posse restitui docent, si purè doceatur euangelium: si iuxta leges antiquas deligantur ecclesiarum ministri, de consensu populi: si ciuilem administrationem episcopi retineant, &, quoniam ipsi more iam inueterato neq; uolunt neq; possunt, alios cõstituant ad obeundum munus ecclesiasticũ, et è suis facultatibus alant: si ministris ecclesię liberũ

permit-

permittatur coniugium, si turpis illa nundinatio, quæ multiplex est, & à Simone mago nomẽ habet, omninò tollatur: si facultates distribuantur, ità ut leges iam olim proditæ commonstrant: si puerilis ætas ad pietatẽ erudiatur, & primis annis doctrinæ Christianæ fundamenta percipiat: si manifestè facinorosi pellantur ab ecclesiæ communione, donec ad sanitatem redeant, in eóque magistratus officiũ suum faciat, & falsum Dei cultum aboleat, si iudicia fiant ecclesiastica, & ueluti censores constituantur, qui de ministris, de plebe, déque morbis atque uitijs quorúmcp diligenter inquirant. Cæsar, ut suprà diximus, cum legato põtificio rem omnem cõmunicat, & ut reipublicæ status, inprimis autem ecclesiæ, reformetur, instat. Legatus ad ea respondet. quandóquidem protestantes in dogmatis aliquot à communis ecclesiæ consensu discedant, & tamen spes interea sit, futurum, ut in uiam aliquando redeant, sibi post diligentem totius cauſę perueſtigationem uideri consultum, ne de cæteris rebus omnibus quicquàm decernatur amplius, uerùm ut ad pontificem omnis referatur actio, qui sanè per concilium publicum uel quamuis aliam rationem tempori accommodatam, sit facturus in hac controuersia, quod toti reipublicæ, cumprimis autem Germaniæ prosit. Deinde, quò reformationis etiam uideretur cupidus, episcopos omneis ad se domum euocat, & ità se comparent, hortatur, ne uel minimam suspitionem ullius cupiditatis aut ambitionis præbeant, ut omnem luxum & quicquid omninò mali sit exempli, defugiant, ut familiam bene regant, et ad modestiam atque temperantiam assuefaciant, ut populi sibi commissi curam gerant, & habitent locis frequentioribus, & prouideant, ne morbus ille, qui iam per Germaniam grassatur, sensim obrepat, seséque insinuet, útque nascenti fortè malo medicinam faciant: utile quoque fore dicit, si, quibus in locis episcopi non habitant ipsi, fideles habeant ibi ministros & emissarios, è quibus omnia cognoscant, & si fortè sathanas alicubi conetur irrumpere, mox illi resistant & occurrant: monet etiam, ut suam quisque prouinciam, subinde perlustrent atque reuisant, belli duces imitati, cùm locus aliquis ab hoste circumsidetur aut alioqui premitur: Adhæc, ut cultum diuinum rectè peragant, & beneficia conferant uiris idoneis: ecclesiæ quoqꝫ facultates in pauperum usus ait esse distribuendas, non in luxum aliquem atque superfluum & immoderatũ splendorem: item præficiendos esse populo docendo uiros bonos atque doctos, qui & minimè sint contentiosi, & aduersarios ità reprehen-

dant, ut nõ odisse, uerùm salutis ipsorum uideantur esse cupidi: nam illos asperitate nimia criminationum fieri multò pertinaciores: operam etiam esse dandam, ut in linguis & bonis artibus rectè iuuentus erudiatur. qua quidẽ in re protestantes nihil prætermittant diligentiæ, nam in hoc esse totos, ut suis in gymnasijs uiri doceant eruditione præstantes, atq; ità fieri, ut adolescentes plærique omnes ad ipsos concurrant, inprimis autem genere nobiles, qui cum literis unà religionem etiam illorum imbibant, eáque corrupti cęteros deinde contagione sua lædant atque contaminent. Instituendos igitur esse ludos literarum, & honestis præmijs inuitandos doctores bene de religione sentientes: Episcoporum etiam esse, commonefacere parentes, ne suos liberos discendi gratia mittant illuc, ubi periculum sit ab impia doctrina: nimirum hæc esse, quę sibi põtifex dederit in mandatis, ut ipsis explicaret. Hanc orationẽ postea scripto comprehensam petentibus episcopis dedit, atq; etiã Cæsari. qui duodecimo deinde Iulij die refert ad omneis ordines, & quid ille responderit, exponit. Et quia nihil amplius hoc in comitio statui posse de religione uideatur, deinde, quia Turca maximos iam terra marí cq; faciat apparatus, ut rempublicã Christianam inuadat, sibi necesse uideri cumprimis, ut ad exitũ actio ducatur, & de religione déq; pace & subitarijs atq; cõtinuis auxilijs in Turcã decreta fiant: optasse quidẽ, ut de his omnibus consiliũ suũ patefacerent: cùm uerò nihil adhuc responderint, neq; tamen res longiorẽ moram ferat, & defensione sit interim opus aduersus Turcarũ impetus, hanc sibi rationẽ, ut idoneam summę deliberationis, in mentẽ ueniisse, quam ad ipsos referat: itáq; rogare, putent ne esse consultũ, ut ea, de quibus inter collocutores conuenit, recipiantur adusque generale concilium, aut alterum Imperij conuentum, quò uidelicet controuersia religionis, propter quam tot nunc annis tantopere sudatũ est, aliqua sui parte minuatur, et reliqua nondum conciliata, deinceps eò facilius tractentur? nam ad pontificem rectà se profecturum esse, quò certò cognoscat, quid sperandum sit, ac deinde quàmprimum licebit, in Germaniam esse rediturum, ut rempublicam curet: Et hæc quidem omnia sic accipi oportere, ne quid interim decreto decedat Augustano. Theologi protestantes, ubi Contareni scripta duo, quæ suprà recitauimus, legerunt, de communi consilio respondent, & iniuriam sibi fieri docent, & propter eruditionem hominis longè meliora sibi de illo promisisse dicunt: quòd etiam ad animaduersionẽ atque sæuitiam principes hortetur.

tetur, ualde in ipso reprehendunt, nec esse demonstrant, quod putet futurum, ut quos nunc damnant errores, unquam ipsi probent, aut ad ecclesiam illã, quæ tàm manifesta uitia defendit, aliquando reuertantur. Contarenus interea, cùm responsum illud suum, de quo dictum est, audiret accipi non uno modo, suasu quorundam tertiũ scriptum mittit ad ordines, & ut dogmata quædam pro conciliatis recipiantur, & ad concilium usque tolerentur, minimè se assentiri, sed ad summum pontificem omnia promiscuè referre dicit. Postridie idus Iulij, principes electores, ad illud, de quo Cæsar cõsuluit, respondent, & ut quę conciliata sunt, ad concilij tempus usque recipiantur: placere sibi dicunt. nam hoc & ad uitandam deinceps maiorẽ offensionem, & ad ampliorem conciliationem inprimis cõferre: quòd si etiã spes aliqua sit, reliqua posse iam hoc in comitio cõciliari, petunt, ut in eo sese beneuolum exhibeat: si uerò temporis ratio non ferat, ut tum, quod ultrò quidem iam promiserit, agat cum pontifice, cæteríque regibus, ut in Germania, loco idoneo, quàmprimum inchoetur publicũ, aut põtificis permissu cogatur nationis conciliũ, eóque suum ille mittat legatũ: & si ne hoc quidẽ impetrari possit, quod minimè sperent, ut in Germaniã ipse redeat, eámq; fidẽ, quam hucusq; præstitit, in posterum quoque patriæ declaret, & pacem constituat.

Protestantes uerò Cæsarem orant, ut definita iam doctrinæ capita sanciat & doceri iubeat: sic enim magis atque magis patefactum iri ueritatem, & hunc uelut aditum esse futurum ad sanandos ecclesiæ morbos: decretum etiam Augustanum, uelut ad concordiam inutile tollat & aboleat, aut saltẽ in suspenso relinquat: de cõcilio quid sentiant, & cuiusmodi esse debeat, et quomodò iudicandi potestatẽ neq; pontifici nec ipsius clientelæ tribuant, demonstrasse iampridẽ, & in ea sese permanere sententia: quòd si fortè conciliũ eiusmodi nõ possit cogi, & conuentus aliquis ordinũ, ipsius mandatu, per Germaniã fiat, in eo se doctrinã suam explicaturos esse. Cæteri postea principes, in quibus facilè primũ locum obtinebant episcopi, & his adiuncti Bauari fratres, & Henricus Brunsuicensis, quid ipsorum sit consilij, Cęsari separatim ostendunt. nimirum, adeò multa uitia, sectas, hæreses atque dissidia, non modò per Germaniam, sed alijs etiam in locis, et propè per totum orbem Christianum inundasse, ut nisi per conciliũ tolli uel emendari nõ possint: ut autem iam ulla fiat mutatio religionis atq; rituum, qui tot sęculis ualuerunt, aut olim instituti sunt, non sibi licere assentiri, præsertim, cum & per legatum suum

pontifex concilium promittat, & ipse quoq; sit coràm solicitaturus pontificem: orare autem uehementer, ut in eam curam pontifex incumbat, quò tandem extirpatis erroribus, ira Dei mitigetur, & hominum saluti consulatur: quòd si generale non possit obtineri, ad nationis, aut ordinum Imperij conuentum esse confugiendum: se uerò constituisse, insistere ueteri religioni, conciliis, doctrinæ patrum, inde ab apostolis ad hanc ætatem usque deductæ, mandatis etiam atque decretis Imperij, præcipuè autem Augustano: sperare quoque futurum, ut illi, qui decretum Augustæ factum laudarunt, minimè ab illo discedant, præsertim, cùm & nuper Haganoæ conuenerit, deliberandum esse de defensione, si quid contrà fieret, & ipse quoque semper illud ab omnibus actionibus exceperit: ut autem conciliata dogmata recipiantur ad tempus, non sibi probari. nam ex ijs quædam esse superflua, neque controuersa, primum uidelicet, secundum atque tertiũ, & illud, de peccato originis, Vuormaciæ tractatum esse diuerso modo: deinde, rem ipsam postulare, ut nouum instituatur colloquium: nam in scriptis usurpata quædam esse uerba, præter communem usum ecclesiæ atque patrum, sententias etiam esse quasdam admixtas, quæ mitigari debeant atque corrigi: postremò, quæ conciliata sunt, esse non ità magni momenti: Sed quia de præcipuis rebus non conuenerit, de cœna domini, de sacri panis adoratione, de transsubstantiatione, de missa, de coniugio sacerdotum, de utraque sacramenti specie, de confessione, pœnitentia, satisfactione, & id genus alijs, eáque sic protestantes oppugnent, ut concordiæ spes nulla sit: adhæc, quia collocutores catholici paulò sint progressi longius, & ipsorum sententiæ censura quadam opus habeant: deinde, quoniam ad pontificis, ad ipsius & reliquorum ordinum contemptum istud pertineat, his de causis uideri sibi consultissimum, ut actio tota religionis ad concilium differatur, præsertim, cùm legatus pontificius idem sentiat. Reliquæ ciuitates, quæ nõ erant de numero protestantium, Colonia, Metia, Spira, Vuormacia, Tullum, Haganoa, Ratisbona, Schuinfurtum, Colmaria, Gemunda, Roteburgum & aliæ multæ, cùm excluderentur à deliberatione, neque principes illis exemplum responsi communicarent, queruntur ad Cæsarem ea de re, sicut antea non semel, & ne suo in iure impediantur, orant, & quò minus conciliata recipiantur, ex ipsis pleræq; non recusant. Cæsar, auditis omnium sententijs, iterum proponit, & ordine commemoratis omnibus, quia definiri causa tota non possit, & uerò præsens im-

mineat

mineat à Turca periculum non uno loco, multúmque iam tempus elapsum sit, actionem ad concilium uelle se referre dicit. de quo & legatus pontificius indubitatã spem sibi fecerit, & ipse quoque sit pontificem interpellaturus: reditum quoque suum in Germaniam pollicetur, & à protestantibus petit, ut interim nihil tentent præter ea, quæ sint à theologis conciliata. deinde monet episcopos et proceres ecclesiasticos, ut rationes ineant, quibus ecclesiam quisque suam reforment, quò uidelicet aditus fiat ad publicam emendationẽ. Hanc Cæsaris mentem laudant plærique omnes, & ut episcopi suas emendent ecclesias atque repurgent, legatum quoque pontificium ipsis debere grauiter ac seriò mandare, censent. Protestantes autem, ad conciliata & ad reliqua omnia quod attinet, in eo se facturos, quod sui sit officij, dicunt, & ut cæteris principibus liberum sit, conciliata dogmata suis in ecclesijs proponere, petunt. Quemadmodum Eccius & librum exhibitum à Cæsare, & collocutores etiam fastidiret, suprà diximus: cum ergò post colloquium liber esset redditus Cæsari, sicut docuimus, & in concilio principum res disceptaretur, ille, febri detentus, epistolam mittit ad principes, in hanc sententiam. sibi nunquàm placuisse librum illum insulsum, in quo tàm multos deprehendisset errores: itàque non esse recipiendum: nam omissa patrum & ecclesiæ consuetudine, Melanchthonis in eo uestigia modúmque loquendi passim animaduerti: deinde, nõ sibi uisum esse dicit librum, à collegis emendatum, & postea Cæsari redditum, sed dogmata quædam Lutheranorũ sibi decumbenti fuisse tantùm recitata: multò minus approbasse scriptũ illud, quod Cæsari sit oblatum unà cũ libro, nec enim illud unquam uidisse. Eo cognito, Iulius Pflugius & Ioannes Gropperus, qui suam ad existimationẽ hoc pertinere iudicabant, colloquij præsides & auscultatores orant, uelut totius actionis testes, ut honorẽ suum aduersus Eccij calumnias defendant. Hi de re tota Cæsarem docent. qui deinde publico scripto præclarum & honorificum utrique testimonium dat, & quod uiros bonos deceat, fecisse dicit. Antea diximus, religionis causam esse reiectam ad generale uel prouinciæ Germaniæ concilium: Cõtarenus autem ubi cognouit, XXVI Iulij die mittit epistolam ad omneis ordines, & illud posterius induci petit & obliterari: nam religionis controuersiam per eiusmodi cõcilia nõ debere definiri, & ad uniuersam ecclesiam istud pertinere: quicquid etiam ab uno aliquo populo priuatim in eiusmodi rebus decernitur, nullius esse momenti:

rem ergò facturos esse ualde gratam pontifici, qui sit ecclesiæ caput & conciliorum, si quidem illud omittant. permolestum autem ei futurum, atque graue, nisi morem gerant: Etenim multò maiores offensiones ex eo nascituras esse tùm in alijs prouincijs, tum in Germania præsertim: & hoc quidem esse, de quo uelit ipsos admonere & mandatu pontificis, & pro sui quoque muneris ratione. Principes eodem die respondent. ut ne quid offensionis atque turbę nascatur, pontificem posse cauere, si concilium indicat, tot nunc annis promissum: quod si fortè non coëat, & primo quidem tempore, iam eum esse Germaniæ statum, ut omninò sit opus aliam rationem inire sanandæ reipublicæ, quæ sanè in hoc nimiùm inueterato iam dissidio, salua diutius esse non possit: itáque rogare populum, ut remedium pontifex adhibeat, & ipse quoque pro suo candore & prudentia rem adiuuet. Theologi quoque protestantes illas Contareni literas atq; rationes prolixo scripto refutant, & ad singulas prouincias pertinere demonstrant, instituere uerum Dei cultum atque religionem.

His rebus actis, Cęsar decretum facit ac recitari iubet Iulij die uigesimo octauo. Colloquiũ doctorum & actionem omnẽ refert ad concilium, ad conuentũ uel Germaniæ totius, uel ordinum Imperij: sua in profectione per Italiam, de concilio promittit acturum se diligenter cum pontifice: & si neque generale, neq; prouinciale possit obtineri, conuentum Imperij se denunciaturũ ait intra XVIII mensem, religionis componendæ causa, & daturum operam, ut eò quoq; pontifex legatum aliquem mittat: protestantibus mandat, ne quid prętter conciliata dogmata noui suscipiant, episcopis autem, ut suas ecclesias à uitijs repurgent. Erant in decreto, capita quædam alia, de non diruendis monachorum templis, de nõ interuertendis bonis sacris, de non solicitandis alijs ad diuersam religionẽ, de iurisdictione & personis Cameræ: cùm autem protestantes ea minus probarent, Cæsar eis priuato quodam scripto, quid suæ mentis esset in eo, seperatim declarat. in dogmatis nondum cõciliatis nullum se modũ ipsis prescribere: monachorũ collegia nõ diruenda quidẽ, sed tamen illos ad piam emendationẽ esse reuocandos: ecclesiasticis utrobique prouentus cuiq; suos annuos esse permittendos, non habita ratione diuersæ religionis: neminẽ alterius ditionis ad ipsorũ religionẽ oportere pellici, multò minus hoc nomine defendi, sed tamen licere, ut recipiant, si quis ultrò uelit ad ipsos trãsire: prętterea, decretũ Augustanũ, quod ad religionẽ pertinet, et lites omneis, de quibus ambigitur,

an

an sint religionis, nec ne, sed & proscriptiones, nominatim uerò Goslarienſem, publicæ quietis causa, donec aliquo uel concilio uel conuentu res cognoscatur, suspendit, & à Camera neminem repudiari propter diuersam religionem, & æquabile ius omnibus reddi iubet.

Cùm sic ipsis cautum esset literis atque signo Cæsaris, auxilia promittunt aduersus Turcam, de cuius aduentu iam indies magis atque magis percrebuit, & aderant tum Vngari tum Austriaci legati, qui magnis precibus opem implorabant. Itáque subitarium auxilium Germanorum mittitur in Vngariam, ductore Friderico Furstembergio. Hoc in conuentu, Cæsar, in omnium ordinum consessu, tertia Iulij die grauem habet querimoniam de Gulielmo principe Cliuensi, propter occupatam Geldriam. simul librum eis exhibet, quo suum ius in eam prouinciam docet, & illum quidem huc ab se uocatum, sed longè diuersum iter ingressum dicit, tacitè designans Galliam, ut antè diximus. Aderant legati Cliuenses, qui principem excusabant, & cùm in suo iure explicando pergerent, Cæsar consurgit & abit. XXI deinde Iulij die, principes ac ordines omnes ad Cæsarem ueniunt, & pro Cliuensi deprecantur, & ut eum in Imperij tutelam accipiat, & amicæ tractationi litem permittat, petunt, in eóq; suam operam profitentur, & si fortè componi non possit, ut iure suum repetat, obtestantur. Cæsar ad ea per Ioannem Nauium. quum sit hic indictus conuentus reipublicæ causa, quò sublatis nimirum dissidijs, Germaniæ pax restituatur, in eóq; plurimum sit consumptum temporis, neq; statui tamen aliquid possit, ob animorũ dissuulsionem, magna quidem sua cum molestia, neq; sine dispendio rerum suarum: ualde sibi mirũ uideri dicit, quòd in hac una causa, quæ propriè sua sit, ità consentiant. Sic illos dimittit, non sine offensione.

Postridie, Galliæ regis legatus, Raymundus, oratione prolixa, de scripto recitat causam eliminati Sabaudiæ principis, Caroli, qui superioribus aliquot diebus, ad Cæsarem & ordines, regem accusauerat. Galliæ rex, hoc durante conuentu, Cæsarem Fregosum Genuatem, Antonium Rinconem Hispanum, exulem, mittit ad Turcarum Cæsarem. hi cum Padum nauigarent, ituri Venetias, capti sunt & trucidati, sub calendas Iulij mensis. Erat tum in Pedemontio, regis legatus, Gulielmus Bellaius Langæus, qui certior ea de re factus, ut erat miræ sagacitatis & industriæ, continuò regi nunciat, & simul Alfonso Daualo Marchioni, Cæsaris per insubriam præfecto, quinta Iulij die, Taurino scribit, det operam, ut captiui regis legati re-

ſtituantur, quos ab ipſius hominibus interceptos eſſe conſtaret: nam alioqui pactas ante triennium inducias interceſſione pontificis, hoc ipſo uiolatum iri. Petebat autem eos reſtitui, quòd initiò uel neſciret uel ſcire ſe diſſimularet, quid illis accidiſſet. Marchio ſuſpitionem omnem ab ſe longiſſimè remouet, tanquam ignarus omnium rerum, & ad regem mittit legatum Comitem Franciſcum Ladronium, ſui purgandi cauſa. Langæus in epiſtola, quam XI Iulij die dabat ad Alfonſum, equidem in totius orbis concilio non dubitarem, inquit, loqui de rebus diuinis, & hercle non minus aptè, quàm tuus olim propinquus atq; gentilis, Thomas Aquinas, modò rei theologicæ tantum ſcirem, quantum de facta cæde familiares tui quidam ſciunt. Nam Alfonſi paternus auus, Indicus, Rodorico patre natus Hiſpano, prædiuitem quandam ex Aquinatũ familia duxit in matrimonium. Erat autem Alfonſus, Ferdinandi Dauali Piſcarij, præſtantiſsimi ducis, patruelis. Rex, XX Iulij die, Linerij, oppido Biturigum, reſpondet Alfonſo per literas, & ut honoris atque famæ rationem habeat, monet, & iniuriam ſuorum, niſi reſtituantur, non ſe poſſe negligere, demonſtrat. Multis inter Langeum & Marchionem literis Gallicis, magna celeritate tranſmiſſis ultrò citroque, nihil eſt actum præterea, cùm Daualus à diligenti perueſtigatione, nihil ſe potuiſſe reperire diceret, in eóque permaneret. Per legatum quoque ſuum Ratisbonæ rex ad Cæſarem queritur, cunq; non ferret quale uoluit reſponſum, ſatis præ ſe tulit, bellum ex eo naſcitu-rum eſſe. Fortè ueniebat tum ex Hiſpanijs Georgius Auſtriacus, Maximiliani Cæſaris filius nothus, archiepiſcopus Valentinus, in Belgium rediturus: is Lugduni comprehenſus, in carcerem abducitur, uindicandi cauſa Fregoſi & Rinconis. His ferè diebus, Antonij Lotharingiæ principis filius Franciſcus, in matrimonium ducit Danię regis Chriſtierni filiam Chriſtinam, uiduam. Tulit hoc moleſtè Galliæ rex, eóq; magis, quòd anno ſuperiori filia Lotharingi nupſerat Auraicæ principi Renato, qui totus à Cæſare pendebat. Quo tempore Cæſar conuentus agebat Ratisbonæ, Ferdinandus rex Budam obſidet & oppugnat, in qua tum erat Vayuodæ Ioannis uxor uidua cum filiolo Stephano. Tutores autem infantis & regni proceres Turcicum auxilium implorauerant: legatum ergò Turca mittit cum copijs, quæ menſe Iulio Budam uenerunt: ipſe deinde cum reliquo exercitu non multò pòſt eò uenit. Itáque Ferdinandici reiecti, Germani, Bohemi, Moraui, relicta obſidione, & ingenti accepta clade,

clade, Pesto etiam amisso, quod est oppidum contra Budam, reliqui fuga salutem sibi quærunt. Turca sub exitum Augusti munera mittit infanti Stephano, uestes auro textas & equos ualde speciosos, ac matri nunciat cupere se puerum uidere, petit ut in castra sibi mittat. Mulier perterrefacta, cùm aliud non posset, hortatu procerum mittit unà cum nutrice, comitatum turba nobilium. Ille perhumaniter excipit, ac deinde per suos, reginæ consiliarijs rendit, uelle sibi Budam tradi: nam ipsos non illam posse ab hoste defendere, & sibi subinde redeundum huc esse cum exercitu: quod ualde sit & molestũ & sumptuosum: itáq; multò præstare, ut ipse teneat. Hi de suo periculo solliciti, mussant. è uestigio Ianizarorum præfecto negocium datur urbis occupandę, neq; prius ad matrem reginam missus est filius, quàm re perfecta. Cùm iam urbem tenerent & ciues omneis exarmassent, arcem quoque sibi tradi postulant, in qua regina tum erat. eam Turca iubet interim per internuncios animo esse præsenti, & Transsylua niam ei atque filiolo concedit. Quum igitur omni conquisita supellectile, tumultuariè abijsset, à præfectis & à milite barbaro deducta, Budam Turca cum duobus filijs uenit, Septembris die secundo, & templum ingressus expiatum, actísque gratijs deo suo, propter rem bene gestam, in castra reuertit, & relictis Budę Pestíque præsidijs, reliquum exercitum domum reducit, & in itinere Lascum dimittit, quem propter Fregosum & Rinconem interceptos, Belgradi captiuum reliquerat, Budam proficiscens. nam Galliæ rex, uehementer irritatus eo facto, per Polinum, Solymanno rem omnem enuncia uerat. Peractis Ratisbonæ comitijs, Cæsar mox in Italiam contendit, & Lucæ cum pontifice colloquitur interea dum in naues imponi tur exercitus, quem ex Germanis, Italis, Hispanis iam antè collegerat. Quia uerò iam suberat hyems, deterrebat eum pontifex à nauigatione: sed ipse, licet de clade Pannonica iam acceperat, quò Turcas in diuersa parte distineret, omninò sibi proficiscendum esse duxit, & sublatis anchoris solũit è portu Veneris, & per Corsicam atq; Baleares insulas facto itinere, ad XXIII Octobris diem, Argieram appulit, urbem Africæ maritimam. Peditatus erat omnis ad XXII. millia, equites paulò supra mille. primam aciem Hispanorum ducebat Ferrandus Gonzaga, Siciliæ prorex: alteram, Germanorum, Cęsar: tertiam, Italorum & equitum Rhodiorum, Camillus Columna. Quo die classem Cæsar applicuit, & postridie, cœlum erat serenum, & placidum mare: tertio uerò die coorta uehementior tempestas & imbres effusissimi,

cum non remitterent, administrationem belli totam impediuerunt, ità quidem, ut Cęsar amissis, quàmplurimis nauibus & tormentis & reliquo omni apparatu, & millibus aliquot militum desideratis, infecta re discedere cogeretur, in Hispaniam demum reuersus, quod fuit mense Nouembri. Sic adeò res nostræ terra marique, tàm in Aphrica quàm in Europa calamitosum habuerunt exitũ. Hic etiam annus Germaniæ funestus fuit contagione morbi, pręsertim ad Rheni tractum: extincti sunt inter alios, Argentinæ quidem, Capito, Basileæ uerò Simon Gryneus, utercꝫ summæ uir eruditionis, ille, professione theologus, hic uerò, philosophus, & simul rerum sacrarum studiosissimus. Cęsar è Germania discedens, Friderico Palatino negocium dabat, ut per principes electores ageret cum Cliuensi de restituenda Geldria. Mittunt hi legatos, eúmque tum sui priuati periculi, tum publicæ perturbationis admonent: ille, & legitimum hæredem, & absque uitio possessionem esse nactum, & causam totam disceptationi iuris permittere sese dicit, & ne uim sibi fieri patiantur, sed ad æquitatem Cæsaris animum inflectant, obtestatur. Ex Italia Cæsar proficiscens, Granuellanum ibi reliquit, ut & Pontificem de cõcilio solicitaret, & Senensem rempublicam æstuantem seditionibus componeret. Cladis Aphricanæ nuncius in Galliam delatus mense Decembri, non obscuram excitauit lætitiam. fremebant enim plærique propter casum Rinconis atcꝫ Fregosi, iámcꝫ tempus adesse dicebant illos ulciscendi. Rebus male gestis, & amissa Buda, Ferdinandus rex ordinum suorum agit conuentus, Pragę, Bohemorum urbe præcipua. Ibi demum inter alia, proceres Austriaci, Decembris die XIII, supplicem libellum regi tradunt. Initio captant beneuolentiam, suáque omnia pro ipsius & dignitate & salute tuenda deferunt. Pòst, infœlicem reipublicæ statum, & suam propriè conditionem deplorant, qui tàm uicinum habeant crudelissimum hostem Turcam, & eum quidem uictorem: itácꝫ de remedijs cogitandum esse dicũt, inprimis autem, ut ira Dei mitigetur, qui peccatis hominum offensus, hanc tantam calamitatem immittat: nam in toto reipublicæ corpore, nihil esse puri, nihil sani: proiectam esse disciplinam omnem & publicam & priuatam: hunc nimirum esse fontem omnis mali, sed tamen uerbi diuini contemptum, præcipuam esse causam, cur ità nos Deus uerberet & affligat. Etenim, & sacris, inquiunt, & prophanis historijs doceri potest, non propter illa leuiora nobisque congenita uitia, sed propter falsum cultum & contemptum sui uerbi,

Deum

Deum grauiter ſæpenumero mulctaſſe florentiſsima regna: populus Iudaicus in Aſſyriam & Babylonem abductus fuit propter contemptos prophetas, & nouam religionem atq; cultum, quem ſibi finxerant ipſi: tandem ad internecionem fuit deletus, exciſa Hieroſolyma, propter crucifixum Dei filium: illa mundi florentiſſima quondam imperia, Babylonicum, Perſicum, Græcum, à Turcis oppreſſa, religionem, leges, rempublicam & dignitatem omnem ſic amiſerunt eiſdem de cauſis, nullum ut propè ſuperſit hodie ueſtigium: & quum Dei beneficia partim repudiarent, partim faſtidirent, in horribiles inciderunt tenebras & ſeruitutem longè fœdiſsimam: Neque uerò ſubita fuit hæc mutatio: nam ſexcentis annis & amplius eò, bella Turcæ geſſerunt, antè quàm Græciam perdomarent. quod tunc demum accidit, quum illi toties inuitati & admoniti, nihilo fierent meliores, & peccata peccatis accumularent. Iam, ſi quis illa regna, quorum tanta fuit potentia, tantúſque ſplendor, in quibus tam præclara fulſerunt ingenia, conferat cum iſta Turcarum planè barbara & beluina republica, comperiet inde ab orbis diluuio nullam accidiſſe cladem grauiorem: Quòd ſi autem illi tam potentes populi, tàm infirmæ genti, qualis initiò fuit Turcica, reſiſtere non potuerunt, Deo ſic ulciſcente peccata populi, quid nobis expectandum eſt, qui ſumus quidem in eadem culpa, ſed ideò longè deteriori conditione, quia rem habemus cum hoſte ſupra modum potente? Videmus, ut nos Deus affligat, his præſertim locis, bello, inedia, peſtilentia: ſedem regni, Budam urbem, ſæuiſſimus hoſtis nuper occupauit: per Bohemiam graſſata ſunt incendia, & quid non malorum totos iam ſedecim annos patimur? quantum eſt effuſum ſanguinis? quàm multa hominum millia in triſtiſſimam ſeruitutem abducti? Nimirum eò nunc Turcarum potentia creuit, ut ſupra cæteros omneis reges caput exerat. Et quia continentes prope uictorias contra nos obtinet, intelligit ſe flagellum eſſe Dei, nec ultioni ſuæ quenquam eripi poſſe. Cùm ergò grauiſſima ſint delicta noſtra, quid nobis polliceb imur, aut quomodo nos aduerſus eum tuebimur? Vnicum certè remedium eſt. in manu Dei poſita ſunt omnia: Deus eſt qui dat & adimit Imperia, qui uerberat & ſanat, qui nos ad pœnitẽtiam inuitat, oblata ſui uerbi cognitione. quod quidem ſemper facit prius, quàm affligit: Sic Niniuitis antè miſit Ionam prophetam & condonauit ob pœnitentiam: ſic Aſſyriorum regem Nabuchodonoſor benignè reſpexit, obtemperantem Danieli. Sanè rationem aliam aut medi-

cinam nullam nouimus potentissime rex, quàm ut uerbum Dei pu-
rè doceatur, & ad emendationem uitæ, populus incitetur, ut hac fidu
cia pleni uim Turcicam à se depellant. Est enim in eo posita salus, ut
rectè Deum colamus. Complures autem obrepserunt, & negari non
potest, in ecclesiam errores, qui nostro hoc tẽpore patefacti magnum
excitarunt dissidium: Sed nuper in Imperij comitijs plæraq; doctri-
næ capita conciliata sunt, & ad certum usq; tempus pax est data reli-
gioni: deinde, mandatum est episcopis, ut ecclesiarum uitia corrigant:
Quòd si iàm ea conciliatio nobis denegetur, aut si quis ea doctrinæ
capita, de quibus conuénit, sequatur, eóq; periclitetur, quàm id sit fu
turum graue, non est difficile cogitare. Quapropter obsecramus, ut
tuo mandatu doceatur euangelium, inprimis autem illud doctrinę ca
put, quod est de Iustificatione, nempe, quòd peccata nobis condonan
tur propter solum Christum: deinde, ut ad præstandam charitatem
homines excitentur, & ad opera bona, qui sunt tanq; ueri fructus &
indices fidei: deterreantur etiam à peccatis, & Deo gratias agere con-
suescant, quòd ipsius misericordia, per Christum filium liberati su-
mus à peccato, morte, inferno, & facti cohæredes regni cœlestis: item,
ut ijs, qui cupiunt, cœna Domini detur iuxta ueteris ecclesiæ morem:
episcopis etiam mandetur, ut iuxta decretum Imperij nuper factum,
ecclesiæ morbos emendent atque tollant, ut erudiendo populo præ-
ficiant idoneos ministros, neque sanos doctores eijciant, ut antehac
semper. Et quanquam hæc reformatio, propter inueteratum mor-
bum, non ità subitò fieri potest, locum tamen habere debet in eccle-
sijs, doctrina & sacramentorum administratio pura, quoniam in eo sa
lus nostra uertitur, & ità fieri necesse est, ut populus nimirũ, qui nul-
la iam disciplina continetur, & uix tenuem Dei notitiam habet, ad sa
nitatem redeat. Sunt enim ecclesiæ complures omninò desertę: quò
fit, ut uulgus hominum prorsus degeneret in paganismum, ità qui-
dem, ut uix ægrè cohiberi possit. quod sanè maximo cum animi do
lore commemoramus, ideóque precamur, ut in re tàm pia tánque ne
cessaria nobis deesse nolis. Neque uerò putes hoc à nobis ideò soli-
citari, quò maiorem aliquam libertatem nobis captemus, aut res no-
uas moliamur: nam salutem nostram omnem in uno Christo posi-
tam agnoscimus, & euangelij cognitionem ornandam esse pietate ui-
tæ, & tibi fatemur obedientiam omnem esse præstandam, quantum
& facultatibus & ipsa uita possumus. Quod cùm ità sit, obtesta-
mur, ut decreti nuper facti beneficium nobis permittatur, & ut ijs,

qui

qui formam religionis à nobis antè recitatam, ſequentur, nulla fiat moleſtia. Sic enim & eccleſijs inuenientur miniſtri, & maioribus animis in hoſtem atrociſſimum arma ſumentur, cui propter noſtram ingratitudinem & impietatem, tot uictorias Deus atq; triumphos huc uſq; largitur. Qui ad hũc modum ſupplicarunt, Auſtriacæ nobilitatis & ordinum nomine, fuerunt ad XXIIII proceres, ciuitates autem X, & in his, Vienna, deinde finitimi Stirij & Carni. Ferdinandus ad ea reſpondet. dolere ſibi uehementer quas recitauerint calamitates, neque dubitare quin delictorum ac ſcelerum hæ ſint pœnæ, atque ideò miniſtris eccleſiæ non ſemel mandaſſe, ut ad emendationem uitæ populum diligenter incitarent: quòd autem adeò tenui cum fructu factũ ſit iſtud, augere ſibi dolorem: itáq; nuper antè quàm Lincio diſcederet, eadem mandata renouaſſe, quod quidem ipſis conſtet: nunquam etiam ſe repugnaſſe, quò minus uerbũ Dei rectè doceretur iuxta traditionem apoſtolorum & interpretum, quos eccleſia recepit & approbauit: eiuſdem nunc etiam eſſe mentis: nec in ullum uindicaſſe, quod quidem ſibi conſtet, qui formulam hanc ſit ſecutus: nunc etiam eccleſiaſticis uelle ſe mandare, ut iuxta poſtremum Imperij decretum, ſublatis uitijs, eccleſias reforment, & populo præficiant doctores idoneos: uidelicet ſcire ipſos, quantus labor ſuus atque ſtudium interuenerit, ut religionis hoc diſſidium tolleretur: idem nunc etiam optare ſe cum primis, & omninò ſperare futurum, ut uel publico totius orbis, uel nationis Germaniæ concilio, uel Imperij conuentu res tota definiatur: Quamobrem ità ſibi de ipſis inuicem polliceri, fore ut conciliationem iſtam publicam obedienter expectent, nec aliquid mutent aut innouent, ſed in religione colenda cæteriſque præſtandis officijs, patrum ſuorum ſequantur ueſtigia, neque decretum Ratisbonenſe quicquam ad ſe pertinere putent, cuius nimirum ea ſit ſententia tantùm, ut catholici quidem in ueteri, proteſtantes autem in ea religione, quam conciliationis illius tempore ſequebantur, permaneant uſque ad alterutrum concilium, aut Imperij conuentum, intra X VIII menſes indicendum: Quod cùm ità ſit, non ſibi licere, ſuis, ut contrà quid agant, permittere. Illi rurſus in eandem prope ſententiam, paucis tamen ſupplicant, & ut purus Dei cultus inſtituatur, neque ueris eccleſiæ miniſtris periculum creetur, orant: nam alioqui non eſſe, quòd ullam ſibi de Turca uictoriam aut fortunam polliceantur. Paulò ſub hoc tẽpus mortem obijt epiſcopus Numburgicus, in eiuſq; locũ à collegio fuit adopta-

tus Iulius Pflugius, de quo diximus: elector autem Saxoniæ prin-
ceps, non hoc licere collegio, nisi de suo consensu, contendebat, & re-
iecto Pflugio, Nicolaum Amstorffium, ex nobilitate theologum
M. D. XLII. Vuittembergicum instituit, inaugurante Luthero, mense Ianuario,
qui pòst eius rei librum edit lingua populari, & Pflugio, tanquam
hosti puræ doctrinæ, gregem Domini minimè committendum esse
docet. Pflugius ad hunc modum repudiatus, emissis libellis ad or-
dines Imperij, ius suum demonstrat, & de iniuria queritur: princeps
inuicem respondet, & prolixè de suo Saxonicæq; domus iure locu-
tus, & multis ex uetustate repetitis, inter alias causas, cur eum ferre
non possit episcopum, hanc etiam adducit, quòd Augustanæ confes-
sioni palàm aduersetur. Accepta per Vngariam clade, sicut diximus,
conuentum Cæsar indicit ordinum, Spirę, per Ferdinandum regem,
& initium fieri mense Ianuario, & Ferdinādum fratrem suo loco præ-
sidere iubet, eiq; Hugonem Monfortū, Ioannem Nauium attribuit.
Principes aderant, elector Brandeburgicus, Fridericus Palatinus, Al-
bertus Megelburgius, Ernestus Badensis, Moguntinus, Vuormaci-
ensis, Spirensis, Constantiensis, Hildessemensis, episcopi: reliqui mise
rant legatos. Vbi conuentum est, quod fuit die nona mensis Fe-
bruarij, Ferdinandus rex de more proponit. Quanta fuerit hucusque
diligentia Cæsaris, ut & religio componeretur, & reliquæ partes rei-
publicæ constituerentur, omnibus cōstare: cùm uerò dissidium hoc,
superiori conuentu non posset integrè conciliari, grauissimis de cau-
sis è Germania Cæsarem esse profectum in Italiam, & de concilio, dé-
que Turcico bello cum pontifice collocutum, eò rem deduxisse tan-
dem, ut pontifex ad hunc Imperij conuentum legationem se missu-
rum diceret: In Aphricam esse deinde cum classe profectum, ut Ar-
giera urbe capta, quam hostes tenebant, et unde plurimum impende-
bat Hispaniæ cæterisq; prouincijs incommodi, iustum auxilium pos
set à suis, aduersus Turcam, sublato periculo nimirum, & ora mariti
ma pacata, consequi: sed quum tempestate detentus, quod uoluit, per
ficere non posset, in Hispaniam reuertisse, ut ad bellum Turcicum, ter
ra mariq; gerendum, denuò sese compararet: Et quia primariam ur-
bem Pannoniæ, Budam, & huic oppositum oppidum Pestum Tur-
ca nuper occuparit, præsidijsque muniuerit, hunc indixisse conuen-
tum, ut de summa rei deliberetur: Turcam enim ijs locis omnia reli-
quisse tormenta, quæ uel adduxerat ipse, uel nostris ademerat: neque
dubium esse, quin per æstatem sit rediturus, ut non solum quod in

Vnga-

Vngaria reliquum est, capiat, uerumetiam ut Germaniæ finitimas prouincias omneis inuadat: Etenim capta Buda, cæteríſque uiarum clauſtris patefactis, nihil esse iam quod ipsum remoretur aut distineat: his igitur tantis támq; necessarijs de rebus conferenda nunc esse consilia, quibus ipse quidem Cæsar interesse uellet, cùm autem excluſus tempore non possit, munus hoc sibi delegasse: & licet suæ regionis ſtatus præsentiã suam inprimis requirat, noluisse tamen deesse reipublicæ. His ità commemoratis, quid Auſtriaci, quid Vngari, quid Bohemi & ijs adiuncti populi, quid etiam suæ ditionis eccleſiaſtici collaturi sint in hoc bellum, exponit, & ut idem ipsi faciant, hortatur atque petit. nam in omnium oculis uersari periculum, & eam nunc esse rerum conditionẽ, ut aut reijciendus & ex Vngaria sit expellendus hoſtis, aut extrema sit omnibus expectanda, paulóq; pòst subeunda calamitas. A' conuentu Ratisbonenſi, Ioannes Groperus, archiepiſcopi Colonienſis legatus, domum reuerſus, Bucerũ mirificè commendabat, & inter omneis idoneum esse dicebat, cui religionis emendatio rectè committi posset: nam esse cumprimis doctum, & pacis amantẽ, & integræ uitæ. Epiſcopus ergò, qui iam antè nouisset Bucerum, & ipsius opera cogitaret uti, significat cupere se cum ipso loqui. profectus eò Bucerus, huius anni menſe Februario, perhumaniter fuit exceptus, inprimis à Groppero, qui precibus ab eo contenderat, ut Bonna Coloniam ad se ueniret. Itáque, tùm ità dimittitur ab epiſcopo, ut suo tẽpore uocatus, eò rediret, uti pòst dicetur. His etiã diebus, Angliæ rex, uxorem Catharinam Hauardã, capite plectit, quòd cùm eam pro uirgine duxisset, antea fuisse corruptam atque uitiatam comperisset. Qui uitiarat, in Hiberniam concesserat, ubi publici quid muneris habebat: reuocatus autem ab illa, iam regina, & in familiam asſcriptus, capite mulctatus fuit pòst eam, ut alq; quidam, partim ob idem flagitium, partim ob reticentiam. Ea ſublata, ſextam rex ducit, Catharinam Parram. Ad Spiræ conuentum, legationẽ Galliæ rex misit, cuius erat princeps Franciſcus Oliuerius, cancellarius Alenconius. Is in omnium ordinũ conſeſſu, cùm de bello Turcico deliberaretur, Februarij die decimoquarto uerba facit. Beneuolentiam nolle se captare ſolicitè, quòd regis animum in Germaniæ commoda propenſiſſimum satis agnoſcant omnes: eam etiam esse cauſę magnitudinem, ut hauddubiè libenter sint regis consilium & ſententiam audituri: nimirum, quo tempore de religionis componendo diſſidio, Ratisbonæ conuentus agebatur, allatũ fuisse

nuncium in Galliam, maximis copijs Turcam aduentare in Vngariam: regem igitur legatos ad illum è uestigio misisse, quò bellum ab Vngaria, propter uicinam Germaniam, auerteret, si posset: uerùm in Italia legatos fuisse captos à Cæsariano milite, neque satis adhuc esse compertum, necati sint an uerò superstint: qua quidem re uiolatæ sint non inducię modò, sed & ius gentium: quòd autem eam ob causam amandati fuerint, id regem ipsis literis declaraturum atque notulis, quas etiam Cæsariani tum interceperint: falsò deinde iactatũ à maleuolis rumorem, quasi Turcã rex euocarit, cùm tamen publicè constet, eos, qui Budæ premebantur obsidione, Turcicum auxilium imploraſſe: non multò post captos legatos increbuisse famam de clade Vngarica. quo quidem nuncio ualde rex fuerit perturbatus, & cùm accepisset in his comitijs deliberandum esse de subsidijs in Vngariam mittendis, et reprimẽdo furore Turcico, non potuisse non animi sui sensum in hac tanta re declarare: quamobrem, si fortè prolixior sit sermo futurus, orare, patienter audiant: nec enim posse breuius rem omnẽ, quæ uenit in hanc causam, quantúmuis eloquenti & docta oratione, comprehendi: Et primum quidem deliberationis esse caput, an utile sit non Germaniæ tantum, sed etiã reipublicę, ut bello Turcam lacessant: hoc autẽ ut melius intelligi possit, explicaturum se rationes eorũ, qui bellum suadent: illos uidelicet hæc ferè dicere: Germanos & semper fuisse & habitos esse strenuos non suæ tantum, sed & uicinorum suorum libertatis propugnatores: itáque non esse ferendum, ut Turca, crudelis & barbarus & nominis Christiani communis idémque perpetuus hostis, dulci ebrius fortuna, uicinum regnum, & illud quidem florentissimum, Vngariam, Germaniæ propugnaculum, teneat, sed magnis uiribus & animis mouendum ei bellum, neque dubitandum de uictoria, quòd summo scelere & turpitudine, non etiam legitima successione uel iure peruenerit ad hanc tantam Imperij molem: & licet amplissimè regnet, tamen expugnari posse, nec esse tàm inuictum, ut plærique putent: idque satis apparere tum ex ijs, quæ fœliciter in ipsum gesserint, & Ioannes Huniades, & Mathias Vngariæ rex, & Scanderbegus Epeiri dominus, & Tamberlanes Scytharum Imperator, tùm etiam ex ijs, quæ proximis annis ipsimet gesserint, quo tempore Viennam ab eo defenderunt: alias enim esse Turcarũ, alias Germanorũ in bello rationes: nam illos & latrocinari, & fugiendo uastare agros, quacunque uadant, Germanos autem

fortiter

fortiter pręliando uel hostẽ profligare, uel per honesta uulnera mortem oppetere: cùm ergò sit iam hostis in ipso Germanię limine, bellum necessariò suscipiendum, neque diutius differendum esse. Hæc quidem & id genus alia quędam ab ijs adferri, qui bellum suadeant: sed eos non satis expendere, qui sit Germaniæ status, & ità loqui, totáque de re disserere, quasi pacata sit Germania. cùm interim simultatibus & odijs omnia flagrent, quasi nullæ sint principum inimicitiæ, nulla dissidia: Considerandum autem esse Germaniæ, quantum ferre possit, quantum sit hoc futurum bellum, & quàm periculi plenum, aduersus eum hostem, quo non sit alius in orbe terrarum potentior, nec rebus omnibus bellicis instructior: etenim non uno uel altero prælio posse finiri bellum hoc, sed nouo semper & recenti milite opus fore, & perpetuis maximísq; sumptibus: ingentes quidem esse Germaniæ uires & robur quoddam incredibile, sed nõ temere profundendas eiusmodi facultates atque copias, quin potius meliorem expectandam occasionem, & differendum, quoad orbis Christiani potentia, reconciliatis principum animis amplificata sit & maioribus firmata præsidijs: ne quid etiã imprudenter suscipiatur, documento nobis esse debere prælium illud Sigismundi Cæsaris ad Nicopolim, & alias deinde clades, ad hoc usque tempus acceptas: nullum enim bellum, quo quidẽ bello sit ille lacessitus, fœliciter adhuc accidisse: Budam atque Pestam sic esse dubio procul rebus omnibus munitas necessarijs, ut nisi fame deditionem facere cogantur milites præsidiarij, uix ulla sit spes ea recuperandi: hanc ipsam uerò spem esse incertam, deinde, Turcam posse nouum semper exercitum & copias recentes adducere, quibus militem Germanum, longa fessum & debilitatum obsidione, magis fatiget atque frangat, & annonam obsessis inferat: quòd si iam prælio & summis copijs decernatur, & ille superior euadat, maximam fore Germanis difficultatẽ restaurandi exercitus, neque tàm subitò hoc posse fieri, quin iam in interiorem Germaniam ille penetrarit, et omnia pro suo gerat arbitratu: Germaniam quoque crebris bellis exhaustam milite, cumprimis habere opus ocio, sui reficiendi causa: quantùm uerò sit tribuendũ Vngaris, neminem esse qui nesciat: quid enim illis inconstantius atque leuius? qui subinde dominos mutent, & in Germanos adeò sint infestis animis, ut Turcicum imperium longè pręferant: multò igitur præstare, ut quæ sunt inter Vngariam & Austriam arces & oppida, tum opere tum præsidijs continuò muniantur: idem apud

Bohemos & ubicunque sit opus, fieri debere: satius enim hoc esse, quàm nullo satis ualido post tergum relicto præsidio, bellum inferre, & conari quas Turca tenet urbes & arces, illi eripere: qua quidē in re quod minimum possit esse peccatū, maximo sit futurum exitio reipublicæ Christianæ: sin autem ille Germaniæ bellum faciat, iam explicandas esse uires omneis: hanc enim esse ueterem & propriam Germanorum laudem, ut sicut aliena cum iniuria suos fines minimè solent amplificare, sic etiã fortiter depellant periculum, & pro libertate pugnent acerrimè: hanc omninò laudem esse transmittendam ad posteros, & animosè resistendum hosti bellum inferēti, neque temere credendum ei, si fortè, postquàm belli signum dederit, pacis offerat conditiones: hanc enim esse naturam eorum, qui dominatum sibi propositū habent, ut ambitioni modum statuere nesciant: cùm ergò uidebitur ad uim spectare, diligenter esse cõparanda, quæ sunt ad defensionem necessaria: Sic enim futurum, ut aut abstineat, aut si pergat, intelligere possit incommodo suo, quantò sit & honestius & facilius, libertatem suam tueri, quàm alienam ditionem cum iniuria uelle sibi uendicare: quia uerò difficile sit ipsis, tantum sustinere hostem, siue bellum inferant, siue defendant, rem ipsam flagitare, ut ciuiles Germanię simultates atque dissidia componantur: Nuper adeò Ratisbonæ ipsis conuenisse de primis dogmatis, de iustificatione, de fide & operibus: ea nimirum esse præcipua religionis capita: sequendam igitur hanc esse doctrinam, & amicè uiuendum, nec ulla deinceps mouenda iurgia: relictum esse nobis ab apostolis, & pòst à concilio Niceno, fidei symbolum, quod omnes profiteantur: & cùm ità sit, non oportere locum esse dissensionibus, nec alterum ab altero debere uel contemni uel conuicijs affici: nec enim omnibus idem à Deo datum esse donum: Absque concordia certè res Imperij non posse firmas esse uel diuturnas, præsertim imminente Turca: Romanos euasisse dominos rerum, non tàm uiribus & armis, quàm astu quodam & calliditate, quandò id operam dabant, ut quam gentem imperio suo subijcere cogitabant, eam ciuili dissidio & offensione diuiderent, & alterius factionis partes ad tempus defenderent, donec simul utrosque opprimerent: hac ratione circumuentos fuisse Carthaginenses, & Asiaticos, & Gallos, & Græciam natura facilem atque mobilem: sic etiam ludificatos à Tyberio fuisse Germanos, quo tempore bellum in Italia moliebantur: solam Britanniam euitasse iugum hoc, quòd artes illorum intelligerent, & odium

omne

ómne domeſticum, in communi periculo in hoſtem effunderent: hac ipſa ratione concidiſſe tandem Romanos: Philippum quoque Macedonum regem hac arte Græciam expugnaſſe, cõmiſſis Athenienſibus, Corinthijs, Theſſalis: Ottomannum, huius Turcicæ gentis primum Imperatorem, cœpiſſe Bythiniam, diſſidentibus inter ſe Chriſtiani nominis principibus: ea tandem occaſione Turcam penetraſſe in Europam, expugnaſſe Thraciam, Græciam omnẽ & Peloponeſum: imò Turcas trecentis abhinc annis rerum eſſe potitos, noſtra uel diſcordia uel proditione: Quo tempore Byzantium urbs capta fuit, ſeditionibus omnẽ Italiam redundaſſe, dum hi Guelphi, illi uerò Gibellini dicerentur, Cæſareæ & pontificiæ factionis nomina: quid Rhodo nuper acciderit, quid Vngariæ, & per quam occaſionem, non opus eſſe recitare: Sic adeò Turcas, tenuem, obſcuram & barbaram nationem, è Scythiæ latebris prorepentem, noſtris creuiſſe diſſidijs, & hanc imperij molem exædificaſſe, dum uel Græci patefacerent eis portam Europæ, uel Genuates, fide Liguſtica per Helleſpontum eos trajicerent, uel fratres Peloponeſi principes, accenſi mutuis odijs, eos accerſerent, alter in alterius perniciem, uel Epeirotæ ſubſidium eis ferrent, uel Myſij ſua cum ipſis conſilia communicarent, uel Pannonij ſponte ipſos inuitarent: Communis ergò libertatis uindicandæ cauſa, rationes ineundas eſſe concordiæ, neque cogitandum, fore, ut ipſis uel ceſſantibus uel factione diuiſis, exteræ nationes in hanc curam incumbant: hanc regis eſſe mentem atque conſilium, & rogare, ut in optimam partem accipiant, & ab ipſo firmam amicitiam atque coniunctionem expectent. Pontifex legatum eò miſerat Ioannem Moronum, epiſcopum Mutinenſem: is de ſententia pontificis rogatus à Ferdinando rege Cæſariſque legatis, uigeſimo tertio die Martij uerba facit. Cæſarem, anno ſuperiori, cùm in Aphricam iret, facto per Italiam itinere, tractaſſe cum pontifice de bello Turcico, déque concilio: ſed cùm & ardua res eſſet atque grauis, & Cæſar feſtinaret, nihil fuiſſe decretum, & remanſiſſe in Italia Granuellanum, quicum amplius deinde ſit actum negocium: ac pontificem quidem ſemper optaſſe bellum Turcicum, eiuſque rei cauſa dediſſe operam, ut pacem omnes colerent: nunc etiam in hoc eſſe totum, ut quæ ipſius potiſsimùm interceſsione pactæ ſunt inter Cæſarem & Galliæ regem inducíæ, ſeruentur: cùm autem uaria de apparatu Turcico diſſeminentur, neque certò conſtare poſsit, quorſum euadat,

ſuppeditaturum eſſe millia quinque peditum, ſi Cæſar ipſe militiæ præſit, ſin autem, eius ſummæ dimidium, atque ità quidē egiſſe cum Granuellano, niſi fortè rerum priuatarū ſtatus in eas redigatur anguſtias, ut ab ipſis auxilium ei ſit implorandum: nam alioqui facturum eſſe quantùm omninò poſſit: in hūc enim uſum omnia ſua deſtinaſſe: De concilio, quæ ſemper antè fuit, eandem illius eſſe mentem atque ſententiam, ut aliquandò peragatur: adhuc quidem illud ſuſpendiſſe de Cæſaris & Ferdinandi quoque regis aſſenſu, quòd ad concordiam aditus aliquis in Germania patefieri poſſe interea, crederetur: cùm autem id fruſtrà ſuſceptum ſit, ad prius inſtitutum redire: ſed ut in Germania cogatur, nec ipſius ætatem ferre, qui uelit & debeat intereſſe, uiæ quoque longinquitatem obſtare, cœlíq; mutationem: deinde, non omnibus populis Germaniam uideri commodam, & metum eſſe, ne turbulenta ſit actio futura: magis igitur ei probari Mantuam, aut Ferrariam, aut Bononiam, aut Placentiā, quæ ſint omnes amplæ ciuitates ac peropportunæ: uerumtamen, ſi minus hæ placeant, non illum recuſare, quin Tridenti fiat, quod ſit ad Germaniæ fines oppidum: uoluiſſe quidem initium fieri ad pentecoſten, ſed propter anguſtiam temporis, ad idus Auguſti producere, & orare, ut depoſitis offenſionibus in hanc curā omnes incumbant. Ferdinandus & cæteri principes pontificij & legati Cæſaris agunt gratias, et ſi quidem locus in Germania magis idoneus haberi non poſſit, Ratisbona ſcilicet aut Colonia, placere ſibi Tridentum affirmant. Proteſtantes uerò, neque concilium pontificis, neque locum, neq; quòd in decreto ſit eius facta mentio, probant, & palàm contrà ſentiunt. Galliæ regis legati, cùm nihil proficerent, & ordines in bellum Turcicum inclinarent, ſuámque præſentiam & ingratam eſſe uiderent atque ſuſpectam Cæſarianis, ante finem comitiorū abeunt ſubirati. Tridentum eſt in alpibus, ad Atheſim flumen, Ferdinandicæ ditionis oppidum, à Venetijs iter tridui, Verona, non biduí. Vbi domum reuertiſſet Alenconius, rex ilicò belli ſuſcepit conſilium: & quanquàm ipſa re iam antè reſtituerat Amiralium, ſibíq; familiarem habebat, ut ſuprà diximus: tamen, ne quid ei uel ipſius liberis aliquandò fraudi eſſet, ſcripto rem omnē comprehendi iubet, & bonis, honoribus atque famæ ipſum reſtituit, neque uel læſæ maieſtatis uel proditionis crimen ab eo commiſſum eſſe profitetur, eíq; mulctam, aureorum ad ſeptingenta millia, remittit atque largitur, & has literas, tùm Luteciæ, tum alijs in locis, in acta publica referri iubet.

bet, fuit hoc Martij die XII. Quum hoc tempore circa Lutetiam esset Galliæ rex in arce Vincennia, nuncius ei noctu uenit de subito tumultu, quasi Veromanduorũ finibus in Picardia iam immineret hostes, è ditione Cæsaris. itáque subitò, qui tùm aderant fortè principes, eò mittuntur, Vendomius, Guisius, Aumalius, Niuernus & alij complures maxima cum nobilitate. postquàm eò uentum est: mera solitudo, merum silentium. Hunc autem rumorem eò fuisse nonnulli dicebant excitatum, ut populo persuaderetur, à Cęsarianis captari bellum, cuius ipse rex nolebat author uideri, cùm iam prorsus illud decreuisset, ut infrà dicetur. Quoniam is erat Germaniæ status, ut suprà docuimus, auxilia decreta fuerunt, & exercitus comparari iussus, qui Ferdinandicis copijs adiutus et auctus, uim Turcicam sustinere posset ac amissa recuperare. Summæ rerum præficitur de cõmuni consilio, décp; Cæsaris etiam uoluntate, Ioachimus Brandeburgicus, elector, qui Spira statim profectus, ad uiam se parat. Huius autem belli causa, uiritim fuit collecta pecunia per omnẽ Germaniam, et magistratui permissum, ut suis hoc nomine tributum imperarent: solicitandos etiam Heluetios, alióscp; reges, Danum inprimis & Italos, de auxilijs, placuit: adhæc, ut pacem omnes colant, nec ullum intra fines Imperij motũ excitent, decretum fuit. Finem habuit conuentus Aprilis die undecimo. Ad idem ferè tempus, orta fuit magna per Saxoniam simultas, inter electorem principem & Mauriciũ, qui patri nuper mortuo successerat Henrico. Lis erat de finibus & oppido quodã: & Pflugij causam non obscurè probabat etiam Mauricius, commendantibus eũ propinquis. Ad ciuile bellũ res omninò spectabat: nam ad arma cõuocabant utercp; suos: uerùm interuentu Lantgrauij cõposita quieuit. Initium fuit hoc offensionis inter ipsos, quæ pòst aucta tempore, grauissimũ Germaniæ uulnus inflixit, ut suo loco dicetur. Et Mauricium quidẽ multi mirabantur eò uehementię progressum, ut, cui tum ipse tum parens omnẽ prope fortunã deberent, in eũ tam acerba cogitaret. huc autem non parum attulisse momenti putantur ex cõsiliarijs nonnulli, qui quũ Georgio principi fuissent admodum familiares, nec religionem amabant, nec electorem etiã. Decreto iam bello, cùm arma pararent omnes, Lutherus lingua populari libellum emittit, concionem militarem seu castrensem. paulò rem autẽ repetemus altius. Primis annis inter alia scripserat, belligerari cum Turca, nihil aliud esse, quàm repugnare Deo, qui nos eo tanquam flagello uerberet. hoc eius thema, Leo

decimus unà cum reliquis damnabat: aduersarij etiã reliqui clamabant eum dissuadere bellum Turcicum. Itáque postea tum sua sponte, tum aliorum hortatu tractandum hoc suscepit argumentum, & anno salutis M. D. XXVIII, edito libello, quem inscripsit Lantgrauio Philippo, sui thematis rationem, & quamobrem tunc temporis ità scripserit, exponit. Nam tunc, inquit, in illis doctrinæ tenebris, nemo de ciuili magistratu rectè docebat, quam haberet originem, aut quod eius esset officium. Plærique omnes, & docti quidem etiam, habebant functionem illam, uti prophanam, & conscientiæ quoque periculosam: hoc ipsis adeò regibus atque principibus erat persuasum à sacrificis atque monachis, ideóq; salutis noua subsidia sibi comparabant, in quibus facilè primum ac potissimum hoc erat, ut missas non solùm audirent, uerumetiam largitionibus in perpetuum stabilirent. Cùm enim suũ uitæ genus Deo minus gratum esse putarent, ista quærebant adminicula: testificari possunt hoc ipsum, qui tunc uixerunt principes. etenim, ut alios omittã, cum esset editus à me libellus de magistratu, Fridericus princeps ualde fuit exhilaratus, & in delitijs illũ habuit, quòd de suo statu certi aliquid ex eo cognosceret. Solus enim pontifex cum suis regnum ubique tenebat, eratque uelut numen aliquod in terris: magistratus autem iacebat in tenebris neglectus, & quàm haberet illustre testimoniũ atque promissum Dei, prorsus erat ignotum. Volebat haberi pro Christiano pontifex, & interim suadebat bellum Turcicum: ibi tum nata fuit inter nos controuersia. nam ego totus in hoc eram, ut cuiusmodi esset hominis Christiani officium, docerem. Et quia de functione ciuili nihil erat à me tum adhuc proditum literis, adulari me pontificij clamabant magistratui: nunc uerò, postquàm illud etiam argumentum explicaui, seditiosum esse iactant, cùm tamen eam rem, inde ab apostolorum ætate, præter unum Augustinum fortasse, nemo uel perspicuè magis uel copiosè tractarit. Inter alia uerò, quæ tum docebam, illud etiam Christi dictum, quod est de tunica relinquenda cum pallio, déque perferendis iniurijs, explicabam. quem quidem locum pontifex ac ipsius tota schola planè deprauarant, & consilij esse, nõ præcepti, uulgò persuaserant, errore nimirum longè pessimo. Cùm ergò Christianum cognomen sibi sumerent, & quidem inprimis, ac nihilo secius in Turcam præliari uellent, omnis impatientes iniuriæ, ego contrà nitebar, & illud Christi dictum secutus, hominem Christianum non resistere malo, sed omnia pati debere, demonstrabam,

& illud,

& illud, quòd à Leone diximus esse damnatũ, thema, tunc inter alia prodebam, eóque magis id faciebam, ut Romanæ curiæ nequitiam atq; dolos detegerem. Nec enim seriò pontifices agebant de bello, sed hoc utebantur colore, quoties pecunia uellent exhaurire Germaniam. itáq; meum illud thema damnabant, non eò quòd bellum dissuaderet, sed quòd nummis nostris & opibus, ne Romam perferrentur, uiam intercluderet. Deinde, nec illud tunc probabã, quòd nostros illi principes ad bellum semper extimulabant, cùm interim nulla uitæ apud nos appareret emendatio, potissimùm uerò, quòd militiam hanc uocabant Christianã, tanquam in Turcas, ut in Christi aduersarios, nostri pugnarent. quod ipsum tamẽ à Christi tum doctrina tum nomine discrepat. à doctrina quidẽ, eò quòd ille nos resistere malo, uel iniuriã ulcisci uetat: à nomine uerò, quòd in tantis copijs uix quinq; fortasse reperire liceat uerè Christianos, & quòd Turcis plærisq; sint deteriores, cùm tamen interim sibi nomen illud omnes usurpent: quæ sanè res ad iniuriã Christi pertinet, quandò nimirum ipsius nomen ad hunc modum deformatur. quod tunc inprimis fieret, si bello pontifex etiam interesset & episcopi. Cùm enim ipsorum sit peculiare munus, uerbo Dei sathanam & precationibus oppugnare, minimè decet, ut ea neglecta statione, machinis & armis rem gerant. Ad ciuilem uerò magistratum ea cura pertinet, & distincta sunt officia: sed iam olim pontifices illa conturbarunt, tametsi legibus maiorum prohibeantur. Quàm infœliciter autem adhuc sint administrata bella, propter falsò usurpatum nomen Christi, res ipsa docet. amissa Rhodo, & Vngariæ parte potissima, uicinum planè Turcam habemus: quàm sit etiam infausta pontificiorum in bello societas, pugna Varnensis demonstrat, & Ladislai regis calamitas, cui Iulianus cardinalis committendi prælij fuerat author: docet etiã recens, & ante secundum annum accepta clades, quandò Ludouicus rex miserabiliter interijt. Ista præfatus, ad rem ipsam uenit, & Deum inprimis reconciliandum esse dicit, & ecclesiæ ministris, ut ad pœnitentiam homines hortentur, præscribit. postea Turcarũ religionem ac impietatem explicat, & Cæsaris propriè munus esse dicit, in illum belligerari, non quidem uindictæ, uel gloriæ, uel emolumenti causa, uerùm ex officio, nimirum, ut ab iniuria suos defendat. Neque uerò Cæsarem his uerbis ad bellum excitandum esse, tanquàm sit orbis Christiani caput, ecclesiæ protector, fideique defensor: nam eiusmodi titulos esse falsos atque uentosos, & ad iniuriam Christi per-

tinere, qui ſolus eccleſiam ſuam defendat: eóque maiorem hanc eſſe iniuriam, quòd plærique reges ac principes, ueræ doctrinæ ſint hoſtes acerbiſſimi: non ergò propter diuerſam religionem, ſed quia latrocinijs graſſatur, & iniuſtiſſimum bellum gerit, & turpiſſima uitæ ſecum inuehit exempla, Turcam oppugnandum eſſe, uímque propulſandam. Collatione deinde facta, pontificatum Romanum nihilo meliorẽ eſſe Turca, demonſtrat, & ut ille per ſuum Alcoranum, ità pontificem per ſuas decretales, euangelij doctrinam extinxiſſe: quod ille per uim, hoc pontificem agere per ſuam illam excommunicationem: utrúmque uerò cõtumeliam facere matrimonio, & contemptæ legis diuinæ, quæ coniugiũ inſtituit, dare pœnas dicit, quandò prorſus à Deo reiecti, fœdiſſimis amoribus exardeſcunt, & ordinem naturæ ſceleratiſſimè perturbant. poſtremò, de Turcarum potentia locutus, monet, ne ſecurè bellum gerant, ſed cum hoſte ſibi rem eſſe ſciant omnium acerrimo. Hæc inquam & id genus alia tractat in eo, quem diximus, libro: nunc autem, quandò Cæſaris & Ferdinandi regis hortatu, bellum ordines Imperij decreuerunt, alterum ſcriptum edit, militarem, ſicut dixi, concionem, ut, qui caſtra ſequebantur eccleſiæ miniſtri, ſicuti fieri ſolet, formulam aliquam haberent & docendi & exhortandi. Primum eſt igitur, inquit, ut homines intelligant, quid de Turca ſentiendum ſit. nam ſcriptura uaticinatur de duobus immanibus tyrannis, qui Chriſtianum orbem uaſtaturi ſint ante ſupremum iudicij diem, unus quidem falſa doctrina, de quo Daniel, & poſt eum, Paulus: hic nimirum eſt pontificatus Romanus: alter uerò, copijs & armis, Turca uidelicet, de quo Daniel capite ſeptimo. Qui uolent igitur eſſe Chriſtiani, confirment animos, nec ullam pacem aut iucundiorem uitam & ocium in poſterum expectent. nam tempus illud ærumnoſum, quod ille prænunciauit, iam adeſt. Conſolemur autem nos aduentu Chriſti, & futura liberatione, quæ ſtatim poſt adflictiones illas apparebit, & certò ſciamus omnem rabiem ac iracundiam ſathanæ per Turcam in nos effundi totis uiribus: nec enim ullus unquam tyrannus ad hunc modum ſæuijt, ut iſte. Danielis deinde caput ſeptimum, quod eſt de quatuor beſtijs, è mari prodeuntibus, explicat, & Turcicum regnum ibi deſcribi demonſtrat. nam hoc eſſe paruulum illud cornu, quod inter illa decem cornua quartæ beſtiæ natum ſit: ac licet in immenſum creuerit, fieri tamen non poſſe, ut ad Imperij Romani potentiam accedat:

prophe-

prophetam enim designare quatuor solùm imperia, quæ sint ordine successura: postremum ex ijs esse Romanum: itáque nullum esse futurum aliud, quod sua magnitudine Romano comparari possit. Et quoniam tria tantùm cornua Daniel ei tribuat, quæ sit ex illis decem reuulsurus, non esse longius aliquò deinceps progressurum ipsius impetum: hæc enim tria cornua iampridem esse reuulsa, Græciam, Asiam, Ægyptum: quas quidem Imperij prouincias longè maximas Turca possideat: hos intra fines atque cancellos eum includi à propheta: spem igitur esse, futurum, ut Imperij prouinciam nullam deinceps occupet: Quòd uerò per Pannoniam tumultuetur, & Germaniæ nunc etiam immineat, postremum hunc actum fore tragœdiæ: fieri quidem posse, ut in eas regiones impressionem faciat, sed ut pacatas habeat & tranquillè possideat, sicut Asiam, Græciam, Ægyptum, non sese putare: nam uaticinium illud esse clarum ac perspicuum. Posthæc, reliquas partes omneis tractat, & ad pœnitentiam inprimis inuitat, & ut magistratui militiã aduersus Turcam imperanti, præstò sint omnes, ac non modò fortunas, uerùm etiam se ipsos impendant, hortatur: captiuos etiam, qui uel iam sunt in Turcarum potestate, uel in seruitutẽ ab illis rapientur olim, multis argumentis consolatur, & ut à specioſa illa Turcarum atque fucata religione sibi diligenter caueant, commonefacit: nam audire se, multos Christianæ professionis homines ultrò deficere ad ipsorum religionem, eò quòd probitatis atque sanctimoniæ speciem aliquã habeat: patienter autem ferant seruitutem, suísque dominis, licet prophanis & impijs, fideliter inseruiant, nec ab illis profugiant, aut se ipsos interficiant, impatientia tædióque conditionis, uerùm illud, quod Petrus atque Paulus de seruorum officio scribunt, in memoria semper habeant: cùm autem aduersum Christianos bellum moueatur, uitæ periculum potius adeant, quàm illis militent: nam esse latrones, ac bellum facere sanctis, ut Daniel inquit, & sanguinem innoxium profundere: cauendum igitur inprimis à tanti sceleris atque flagitij societate. Huic scripto subiungit rationem precandi contra furorem Turcicum, & sub finem expatiatus in nostri temporis uitia, quæ per omneis ordines regnent, Germaniam, quæ tàm sit corrupta prorsus & impura, non posse diuturnam nec incolumem esse, docet. precationis uerò formulam hanc præscribit. Æterne pater, nos quidem meriti sumus, ut affligamur, sed tu nos ipse plecte, pro tua, non offensione & ira, sed misericordia: multò nobis enim

præstat, in tuas incidere, quàm in hominum hostiúmq; manus: tua enim est immensa & infinita misericordia: tibi certè peccauimus, tuáque sumus transgressi mandata, sed nosti pater cœlestis, diabolum, pontificem atque Turcam, ut nos affligant, nullum habere ius atq; causam: nihil enim in eos commisimus: tu autem illis, ueluti flagello quodam uteris in nos, qui te non uno modo per omnem uitã aduersum nos excitauimus: illi inquam, contra nos causam nullam habẽt, sed uellent potius, ut ipsorum exemplo grauissimè te semper offenderemus, ut impio cultu, falsáque doctrina, mendacijs, impostur is, latrocinijs, furtis, rapinis, adulterijs, fornicatione, ueneficijs, tui nominis maiestatem læderemus: hoc illis esset optatissimum: quòd autem te Deum patrem, tuúmque filium Iesum Christum, dominum nostrum & spiritum sanctum, unicum ac sempiternum Deum profitemur & celebramus, hoc illud est flagitium nostrum atque scelus, propter quod ità nos oderunt et persequuntur. Si fidẽ hanc proijceremus, facta defectione, tum nihil esset ab ijs expectandum incõmodi. Respice nos igitur Deus pater, & remedium adhibe: sunt enim tui magis aduersarij quàm nostri: cùm nos uerberant, te ipsum uerberant: quam enim annunciamus, tua est non nostra doctrina: sathanas autem hanc ferre non potest, & tuo loco uult adorari, tuóque remoto uerbo mendacia nobis conatur obtrudere: sed & in filij tui Iesu Christi locum Turca suum uult collocare Mahometum. Iam, si peccatũ est illud, quòd te patrẽ, tuúmq; filium ac spiritum sanctũ profitemur esse uerum & unicum Deum, certè tu es ipse peccator, qui nos ità doces, & hoc à nobis officium requiris: & illi, quum hac de causa nos persequuntur, te ipsum oderunt & affligunt. Expergiscere ergò mi Deus, & nomen tuum sacrosanctum, quod illi polluunt atque deformant, ipse uindica, nec iniuriam hanc ab illis patere, qui non delicta uitiáque nostra plectunt, sed uerbum tuum in nobis delere conantur, eóque tendunt, ne tu regnes omninò, néue populũ ullum habeas, qui te colat & reuereatur. Porrò, de Turcarum origine & incremento, quia multi scripserunt, nihil attinet hic aliquid annotare: creuerunt à paruis initijs in immensum. primus autem illorum Imperator ponitur Othomannus, ad annum salutis humanæ circiter millesimum trecentesimum: huic deinde succedit Orchanes, Amurathes, qui primus per Hellespontum in Europam copias transmisit, & Thraciã inuasit, Baiazethes, Cyriscelebes, Moses, Mahomethes, Amurathes, Mahomethes, Baiazethes, Selymus, Solymannus,

mannus. Per hos ferè dies, Alfonsus Daualus, de quo dictum est, ad Germaniæ principes emisso libello, Gallię regem incusat, qui reipublicæ tempore tàm afflicto res nouas moliatur, ut Cæsaris & ordinum omnium honestissimos conatus impediat: causam uerò leuem atque futilem obducere, propter Antonium Rinconem & Cęsarem Fregosum scilicet interceptos: quibus sanè quid acciderit, non se potuisse, licet diligentiæ nihil prætermiserit, inuestigare. Galliæ rex, eo cognito, longè maximam sibi factam iniuriã esse demonstrat, uiolatis magna cum atrocitate legatis: ea de re non semel quæstum esse grauiter ad pontificem atque Cæsarem, & ut sibi satisfieret postulasse: uerùm frustrà: cùm autem rei tanta sit indignitas, non se posse illam, nisi maxima cum turpitudine & nominis infamia, negligere.

Maij deinde mensis die secunda, literis datis ad senatum Parisiensem, ut corda nostra, suo numine Deus, inquit, illustret, ac fidei constantiam largiatur, & errantes in uiam salutis reducat, si qui sunt, & pacem nobis tribuat, per satisfactionem iniuriarum, quę mihi propter occupatum ius nostrum et uiolatos nuncios atque legatos factę sunt, aut, si pace desperata mihi sit ad arma uenire necesse, uictoriam concedat: equidem peto, ut ad templa deorum supplicationes fiant, & per concionatorem idoneum huius rei causa populo recitetur: deinde, si quis fortè minus rectè de fide, déque religione nostra sentiat, nec emendationem promittat, ut sui delicti publicè det pœnas, mando. Non multò pòst ad principem Cliuensem mittit Longeuallum, qui sub æstatẽ collectis ibi copijs, ductore Martino Rossemo, rei gerendæ occasionem expectabat. Interea pontifex calendis Iunij concilium indicit, & quemadmodum non semel indictum ab se concilium postremò suspenderit ad idoneum usque tempus, prolixè commemorat. itáque culpam omnem à se remouet: & licet nunc quoque sit anceps reipublicæ status, noluisse tamen ait differre lõgius. Indicit autem illud, Tridenti, ad calendas Nouembris, eóque uenire iubet patriarchas, episcopos, Abbates & id genus alios, quibus iure uel priuilegio concilijs interesse licet, ac sententiam dicere permissum est. Cæsarem etiam & Galliæ regem inprimis hortatur, ut aut ipsi ueniant, aut legatos mittant, & suis episcopis eò proficisci mandent: Germanos autem episcopos ante omneis inuitat, ideò quòd ipsorum causa potissimùm & rogatu labor hic suscipiatur omnis. Iulio mense Galliæ rex atrocissimis uerbis bellum Cæsari denunciat, & edito libello, suis liberum facit,

ut quacunque ratione possint, terra marique prouincias illius de-
uastent. Paulò antè Longeuallus & Rossemus in Brabantiam inua-
serant, magnúmque terrorem inferebant imparatis, & proximum
erat, ut Antuerpiam caperent atque Louanium, sed destituti rebus
ad tormenta necessarijs, non poterant oppugnare, & progressi, qua-
cunque uaderent, omnia populantur, & pecuniam extorquent, &
ui patefactâ uia, filio regis, Aureliano principi, Carolo, qui Lucem-
burgicæ regioni bellum tunc faciebat, mense Augusto sese coniun
gunt. In his copijs erant à Daniæ rege missi equites, ad cccc. præ-
ter Danuillerum, Virtonum, Iucœum, capta fuit etiam urbs pri-
maria, Luceburgum. Rex ipse diuersa parte bellum mouet, & uali-
do cum exercitu profectus, Parpinianū, quod est ad Pyrenęos mon
tes oppidū agri Ruscinonensis, obsidet: sed & per Pedemontium ar
ma iubet expediri, ductore Gulielmo Langæo, & in Atrebates atq;
Morinos impetum facit, Vendomio principe rem administrante.
Sic adeò quinque diuersis locis hostem inuadit, & multorum iudi-
cio præstabat, unam aliquam prouinciam summis copijs oppugna-
re, quod exitus etiã docuit. Nam & Parpinianum frustrà tentauit, et
Aureliano domum reuerso, Cęsariani, præter Iucœum, plæraq; recu-
perant. per hanc occasionem Antuerpia cœpta fuit muniri, quæ pri
us facilẽ habebat aditum. Bellum rex facturus, Polinum remisit ad
Turcam, oratũ, ut in prouinciam Galliã sibi classem mitteret: cùm
autem serius aliquantò Polinus aduenisset, Solymannus rem in an-
num sequentem reijcit. Eo flagrante bello, rex edicta proponit in
Lutheranos: Parisiensis etiam senatus, parlamentum uocant, graui
cõstituta pœna denunciat librarijs, ne quos libros damnatos atq; su
spectos excudant, diuendant, et nominatim Ioannis Caluini librum,
qui est de institutione religionis Christianæ. Deinde, rogatu inquisi
toris fidei, quem uocant, septimo Iulij die decernit, ut pro concione
populus admoneatur, officiũ suum ecclesiæ præstent, & si quem Lu
theranum, aut de religione male sentientẽ norint, deferant: hoc enim
esse Deo gratissimum opus. Ecclesiæ uerò ministris præscripta fuit
formula, quam in explorando sequerentur: iubebantur enim à de-
latoribus percontari, num aliquem nouissent, qui dicat non esse
purgatorium: hominem extinctum, aut saluum esse iam aut damna-
tum: obseruatione mandatorum Dei, hominem non iustificari: so-
lum Deum implorandum esse, non diuos: uenerationem imaginũ
esse idolatricam: sanctos non edere miracula, ceremonias ecclesiæ

nihil

nihil prodesse: leges ecclesiæ non obligare quenquam: omnibus promiscuè necessariam esse cognitionem euangelij: sacram scripturam lingua populari legendam esse omnibus: ineptum esse, uulgus hominum precari Deum sermone latino: sacerdotem non condonare peccata per sacramentum pœnitentiæ, sed esse ministrum, & beneficium Dei condonantis peccata denunciare tantùm: ecclesiæ non licere quenquam astringere peccato mortali: licere quouis tempore uesci carnibus. Hæc formula perquirendi data fuit priuatim atque mandata, sicut diximus, ecclesiæ ministris: publicè uerò propositũ fuit edictum, quo deferri iubentur & accusari, qui ritus atque leges ecclesiæ negligunt, qui libros habẽt alienos à fide Christiana, uel eos alijs dant legendos, aut sponte per uias abijciunt inter eundum, ut spargantur, qui priuatis in ædibus & hortis conueniunt, & consilia cudunt aduersa legibus ecclesiæ, qui suas in domos & hortos id genus homines recipiunt, qui sint harum rerum conscij, iubentur intra sextum diem deferre theologis doctoribus, ab inquisitore delectis, Henrico Geruasio, Nicolao Clerico, Petro Richardo, Roberto Buccino, Ioanni Benoto, Francisco Picardo, Ioanni Morino: nisi faciant, excommunicantur. Librarijs etiam mandatur, si quid habeant excusum aut manu scriptum, quod aliquo modo suspectum sit, aut ab ecclesiæ consuetudine alienum, ut intra sextum diem ad illos deferant: pòst, non fore purgationi locum. Quo die diuulgatum est hoc edictum, supplicatio facta fuit ad templa diuorum, & regni salutis, & conseruandæ causa religionis, & circumgestata fuit Genefeua, tutelaris ipsorum Dea, sicut libro nono diximus, & his ipsis ferè diebus exusti quidam fuerunt, propter dogma.

Docebat per id tempus Luteciæ populum, in æde sanctæ Crucis, Franciscus Landrus, & purè quidem. neque missificabat, quòd uinum non biberet: naturáne uel instituto, me latet. In hunc ordo theologorum ingens odium concepit: cúmque per emissarios quædam illius dicta notassent, hæc demum capita doctrinæ proponunt. sacrificium missæ institutum esse à Christo, & prodesse tum uiuis tum mortuis: orandos esse diuos, ut sint nobis ad Christũ intercessores & aduocati: panis atq; uini substantiam in consecratione mutari: sacerdotibus tantùm licere consecrare panẽ & uinum, & ad eos modò pertinere cœnam domini totã: uota monastica seruanda: confirmatione & unctione, sacramentis, conferri spiritum sanctum: oratione, ieiunio & bonis operibus animas è purgatorio liberari:

leges ecclesiæ de ieiunio & ciborum delectu obligare conscientiam: unum esse summum ecclesiæ præsulem atque pontificem, cui iure diuino teneantur omnes obedire: multa esse credenda & necessariò recipienda, quæ non sunt prodita scripturis: indulgentijs põtificijs condonari pœnam purgatorij: sacerdotes, etiam impuros & uitiosos, consecrare corpus domini: peccata omnia mortalia esse reuelanda sacerdoti, & sacramentalem absolutionem ab eo recipiendam: hominí esse liberum arbitrium, quo possit agere bene uel male, & resurgere à peccato per pœnitentiam: non sola fide, sed per charitatem & ueram pœnitentiam acquiri peccatorum remissionem: ecclesiam & concilia legitimè congregata non posse errare, & eis esse parendum: ad ecclesiam pertinere iudicium & interpretationem scripturæ, si quid sit controuersum. Hæc eum approbare, & sigillo suo confirmare uolebant: ille, diebus aliquot interiectis, generatim respondet. pium & sanctum esse, quicquid de his rebus ecclesia sancta & catholica tradeat: sed eo responso minimè contenti, grauiora in ipsum moliebantur, ut infrà dicemus. In hoc etiam tempore Meti docebant euangelium, unus & alter ordinis Dominicani: cúmque sacerdotum turba non obscurum odium prę se ferret, plærique ciues uehementer orabant senatum, ne docentes impediret, omnem obsequentiam professi. uenit etiam eò Guliel-mus Farellus, qui primo quidem in urbe, priuatim, pòst, in castello quodam, foris, docebat. Cùm autem Cæsaris essent ad senatum allatæ literæ, quibus mandabat, ne quid in religione mutarent, & ut in fontes uindicarent, interdictum ciuibus fuit, ne cuius interessent concioni, qui non episcopi & tredecim uirorum mandatu doceret. Hac æstate, locustarum infinita turba Germaniam & Italiam citeriorem uolando peruasit. erant autem inusitata magnitudine, & ubicunque sese demitterent, agros depascebant. De Henrico Brunsuicensi, de grauissimis illius in Saxonem atque Lantgrauium inuectiuis, déque incendijs excitatis non semel diximus: Cùm autem Imperij ciuitates, Goslariam & Brunsuicum, Smalcaldici fœderis, perpetuis excursionibus atq; rapinis uexaret, neq; Cæsaris & Ferdinandi regis paréret edictis, qui rogatu protestantium, ut ab omni ui temperaret, mandauerant, bellũ ei Saxo faciunt & Lantgrauius, communi sociorum nomine, & breui tempore suam in ditionẽ, ipsius agrum omnẽ perducunt, & arcẽ, non procul ab urbe Brunsuico positam, Vuolfebutelũ, in qua spem omnem collocauerat,

locauerat, deditione capiunt. Ipſe, non diu commoratus, aduentante iam hoſte, fuga ſibi ſalutem petit, & ad Bauaros cum natu maximo filio, Carolo Victore, contendit. In ea quam diximus arce complures repertæ ſunt literæ, quibus liquidò doceri poteſt, quid ipſe, quid Bauari, quid Moguntinus, quid Heldus & alij nonnulli conati ſint. Id autem ſuo loco pòſt referemus. Proteſtantes, edito ſcripto, ſui facti cauſas prolixè commemorant, & non intuliſſe, uerùm neceſſariò defendiſſe bellum ſocijs illatum, demonſtrant. In ſuperiori conuentu Spirenſi, proteſtantes Ferdinandum regem ſolicitauerant, ut & Cęſaris & ſuo nomine iuberet eum à Goslarienſibus abſtinere. Geſſit morem Ferdinandus, qui tum aduerſus Turcam ipſorum haberet opus auxilijs, & miſſis legatis acriter hominem monebat: ſed ille contemptim & faſtuoſè reſpondit, neque deſtitit. eóque ſubſecuta fuit illa, quam dixi, defenſio. nam Spiræ Ferdinando regi demonſtrauerant, niſi ille pareret edictis, non ſe neglecturos ſociorum iniurias. Ad Idus Iulias fuit alter Imperij conuentus, Noribergæ. ſic enim decretum fuerat Spiræ, propter bellum Vngaricum. Aderat rex Ferdinandus, legati uerò Cæſaris erant, Fridericus Palatinus, epiſcopus Auguſtanus, Fridericus Furſtembergius, Hugo Monfortus, Ioannes Nauius. proponit Ferdinandus. Quòd exercitum in Vngariam miſerint, pergratum eſſe Cæſari, qui & ipſe decreuerit adeſſe huic bello cum ſuis copijs, eóque conuentus ordinum indixerit per Hiſpaniam: ſed in ea deliberatione in grauem incidiſſe ualetudinem, & conuentus illos in aliud tempus neceſſariò reieciſſe: cunque iam de ſumma rei, deque præmittendis ab Italia & Burgundia copijs omninò ſtatuiſſet, tunc primùm ipſius hoſtium conatus erupiſſe, ità quidem, ut non in Italia ſolùm, ſed in Belgio quoque periculum ipſi metuendum eſſet: cuius tamen rei cauſam ipſe nullam dederit, qui publicam tranquillitatem inprimis amet: ſcire autem ipſos, quemadmodum hoſtes, inde à conuentu Spirenſi nihil non tentarint, ut Heluetijs & Germanis militibus ad ſe traductis, belli fieret initium: Sic adeò Cæſarem, omninò præter animi ſententiam impeditum & retardatum eſſe, quò minus aut ipſe ueniret, aut etiam auxilia mitteret, quibus ad ſui defenſionem opus habeat: uerúntamen in hoc totum eſſe futurum, ut ante finem anni uertentis in Germaniam redeat, & animo deſtinatum bellum perficiat: claſſem etiam habiturum eſſe mari plenam & inſtructam, ut Turca duplici bello diſtentus, non poſſit uires omneis in Vngariam conuertere: cùm in Germaniam quoq; uenerit,

nihil esse præteriturum, quod ad piam & tolerabilem religionis con ciliationem pertineat: Cæterùm, incommodo reipublicæ maximo fieri, quòd postremi cõuentus decreto non omnes pareant: quosdam enim ordines nullum misisse militem, alios misisse quidem, sed non plenè: rursus esse qui miserint, sed absq; pecunia: machinas etiam desiderari cum instrumento, quas nonnulli dare promiserint: hanc nimirum esse causam, cur belli administratio consistat, & exercitus omnis, non sine summo Imperij detrimento quiescat: belli duces ea de re grauem habere querimoniam, & se ipsum hæc omnia uidisse coràm, & quia res magni sit periculi, uenisse hunc ad cõuentum, non absq; graui suo dispendio: petere igitur maiorem in modum, ne tempore tam necessario, reipublicæ desint. Prius, quàm Vienna discederet Ferdinandus, Noribergam iturus ad cõuentum, de bello Brunsuicensi certior factus, per internuncium fuerat dehortatus illos ab instituto: nũc autem, ubi Noribergam uenisset, de communi consilio missi fuerunt legati, quorum hæc erat orationis summa. ne copijs & armis rem gerant, hoc præsertim tempore: nam alioqui metum esse, ne Turcicum bellum impediatur, & ciuile per Germaniã excitetur. Ad ea Saxo & Lantgrauius, Augusti die undecimo respondent è castris ante Vuolfebutelum arcem, et susceptę defensionis causas prolixè cõmemorant, nec alia uia rem potuisse geri demonstrant: & quanquam necessariò bellum istud gerant, magnosq; sumptus faciant, tamen in Turcicum bellum bona fide se subministrasse nihilominus quæ debebant auxilia, neq; deinceps etiam esse defuturos: quòd si cæteri omnes idem facerent, non esse quòd dissipationẽ exercitus aliquis uereatur: sed quid in plærisq; desideretur, id multorum literis atq; nũcijs perferri: quod cùm ità sit, & quia Brunsuigius alia ratione coherceri non possit, aspernatus uidelicet tum Cæsaris, tum Ferdinandi regis edicta, Imperijque decreta, orare, ne secus hoc suum factum interpretentur: nam illum unum hoc bello peti, neque se recusare, pacatis rebus, omneis copias ad Vngariæ subsidium traducere, quantùm quidem ipsi possint. Exitus comitij fuit ad XXVI Augusti diem. pœna decernitur in eos, qui comitij Spirensis decreto non obtemperant, simul alia quædam gerendo bello necessaria statuuntur. Principes nulli aderant, præterquam Prussiæ magister Vualtherus, Bambergensis, Eistetensis, & Tridentinus, episcopi, tum illi, quos dixi, Cæsaris uicarij.

Dictum est antea de cardinali Contareno: is legatione sua non bonam gratiam inijt apud pontificem atque collegium, quasi non satis

acriter

acriter ſeſe Lutheranis oppoſuiſſet, et quaſi rempublicam Romanam propè in diſcrimen adduxiſſet. Cùm abſentem plærique grauiter incuſarent, ab uno Fregoſo cardinali fuit defenſus. In Italiam reuerſus è Germania, Lucam uenit, ubi tum Cęſarem pontifex Paulus expectabat, iturum in Aphricam. Romam deinde cum Paulo profectus, non multò pòſt creatus eſt legatus Bononiæ, ubi demum hoc anno, ſub exitum Auguſti mortuus eſt, non ſine ueneni ſuſpitione, cùm paulò antè Fregoſus quoque mortem obijſſet. Qui familiariter illum nouerunt, de iuſtificatione hominis rectè ſenſiſſe dicunt. Fuit uir cumprimis doctus, & extat eius, de magiſtratibus atque republica Venetorum, liber. Hoc ipſo menſe, Galliæ cancellarius, Guliel-mus Poietus, mandatu regis, qui tum Parpinianum ibat, captus de nocte, dum cubaret, in carcerem ducitur. Cùm ea fama Luteciam ueniſſet, incredibilis fuit omnium lætitia. nam quatuor illis annis, quibus hoc munus adminiſtrauit, offenderat omneis ordines, & è gynecæo regis hæc illi nata fuit calamitas: inuidiam auxit etiam Amiralij condemnatio, ſicut antè dictum eſt. Magnam uerò ſpem ac propè certam animo conceperat, conſequendi cardinalatus, ideóque menſibus aliquot antè, ſacris inaugurari uoluit. quod tamen plærique factum ab eo dicebant, ut, quoniam in odio plurimorum erat, ſuſtinere ſe poſſet, ac uitæ periculo ſubducere, ſi quandò æſtus ille prorumperet ac efferueſceret. Tertium hoc erat fortunæ ludibrium, in Gallijs, paucos intra menſes exhibitum. cùm enim ſummum dignitatis gradum obtinerent hi, quos diximus, Amiralius, Conneſtablius, Cancellarius, mutuis inuidiæ conflagrarunt incendijs, & quàm ſint fallaces, incertæ, lubricęq; res humanæ, ſuo demonſtrarunt exemplo. Ad hoc tempus Otto Henricus Palatinus euãgelij doctrinam ample ctitur: idem faciunt Hildeſſemenſes. De cõcilio ſuprà diximus. pontifex eius rei literas atque diploma ſtatim ad Cæſarem in Hiſpaniam mittit. Cęſar ad ea XXV die Auguſti reſpondet. Initiò laudat eius conatum atq; ſtudium erga rempublicam, ſed Gallię regem ſibi conferri, dolet: hunc enim prodigum eſſe filium, ſe uerò, qui nunq; ab officio deflexerit, multò arctius complectendum eſſe dicit: nullum enim laborem, nullum ſe recuſaſſe periculum atq; ſumptum, ut aliquando concilium haberetur, ut republica tota pacata, uires omnes in Turcam expedirentur: Illum contrà, longè ſemper alió ſpectaſſe: non ergò nihil eſſe, quod in ipſius literis deſideret: conſueuiſſe illum iactare, quaſi cardinales habeat in ſua manu: quapropter dubitare ſe, num ue-

rum illud sit: Sed utcunq; res habeat, niti sese cõscientia recti, & actiones utriusque notas esse publicè: nimium sanè ipsum esse lenem in illum, nimiúmque indulgere: nam frustrà multis nunc annis omnem suscipi laborem: admonitum esse frequenter officij, remissas illi sæpe grauissimas iniurias, renouata subinde cum eo fœdera, sed his omnibus factum esse deteriorem, & sua lenitate atque patientia prorsus abuti: Quis belli causam dederit, quis pacta uiolarit, explicatum ab se fuisse Romę: quid acciderit interea, nunc etiam dicturum: nempe, quàm fuerit amans ipse cupidúsque pacis, ex eò facilè posse demonstrari, quòd post inducias Nicenas, cum illo uenerit in colloquium ad Aquas mortuas, eicq; sese permiserit, & anno sequenti per Galliam iter fecerit, magna cum hominum admiratione, neq; sine reprehensione multorum: etenim cùm non semel fidem ille uiolarit, & sit in consilijs omnibus ualde mobilis ac inconstans, magni certè rem fuisse periculi, quòd eius fidei sese committeret: compertum etiam habere se, deliberatum fuisse tunc de se retinendo: Quòd autem nonnulli dicant, propter motum Gandauensem necessariò sibi fuisse faciundum illac iter, id nihil esse: nam eum motum à paucis quibusdam, & quidem infimi generis hominibus, excitatum, & prouinciam omnem in fide permansisse, & sororem suam reginam ijs rebus potuisse mederi: consilij uerò sui tunc fuisse, per Italiã reuerti in Germaniam, sed illius precibus adductum mutasse propositum, perq; Galliam iter suscepisse: quod quidem & illius, & liberorum eius, & procerum quoq; literis docere possit: etenim illum hoc ità uehementer ab se flagitasse, ut honorem suum lædi putaret, si quidem aliò, quàm per Galliam, iter fieret: Cúnq; iam esset in Gallijs, illũ non semel affirmasse, pactas inducias uelle seruare: postea uerò cœpisse queri, non sibi reddi Mediolanum ex promisso, cùm tamen ei promisso hæc fuisset adiuncta conditio, si quidem Sabaudię principem auunculum suum restitueret, & alia quędam faceret: Ab eo uidelicet tempore, diuersis locis illum contra se machinatũ esse, per Germaniam, per Italiam, apud Turcam, apud Vayuodam Ioannem, eiusq; coniugẽ uiduam, et quosdam Vngarię proceres, quorum opera Budam Turca sit consecutus: Et tamen interea pulchrè dissimulasse maleuolentiam & multa sibi prolixè de amicitia cõfirmasse, captiosè nimirum, ut tempus duceret, & inopinantem adoriretur: occasionem autem arripuisse tunc primùm, quandò Fregosus atq; Rinconus fuerunt amissi: qua quidem de re quomodo illi satisfacere uoluerit, ipsum esse testem, qui fuerit

arbiter

arbiter delectus atq; disceptator: hanc igitur illum obduxisse causam noui motus & perturbationis reipublicæ, cùm tamen multò antè id facere cogitasset: Quid uerò conati sint Fregosus atque Rinconus, illius mandatu, per Italiam atq; Turciam, & quam operam ei sæpe præstiterint, satis esse notũ: uoluisse enim rempublicam Christianam proditione in summum adducere discrimen: non ergò pacis Nicenæ beneficio potuisse frui, qui pacem publicam ipsi uiolassent: deinde, furtim & occultè transcurrisse per Insubriam, cum exulum comitatu, quod ipsum capitale sit, eius regionis consuetudine: Marchionem Daualum ab eo grauiter insimulari, sed hunc sistere se uoluisse iudicio: cur autem illud recusarit, & alias etiam repudiarit satisfactiones, non esse obscurum: se quidem, cùm illi satisfactum iri crederet, traiecisse in Aphricam, & misso legato publicam ei commendasse pacem: at licet amplè promitteret, uaria tamen aduersum se tentasse per Germaniam & Daniam, alijsq; in locis: cogitasse etiam inuadere Nauarram: in comitijs deinde Spiræ totum in hoc fuisse per legatos, ut dissidium religionis aleret, dum utrisque seperatim amicitiam atque fauorem promitteret: conatum esse Imperij ordines à bello Turcico deterrere, solicitasse Turcam, in Italiam misisse copias, per Martinum Rossemum, in Germania inferiori, per Aurelianum uerò principem, filium, in agro Lucemburgico sibi bellũ intulisse, prius, quàm illud denunciasset: reliquas deinde uires omneis ad Hispaniæ fines conuertisse: hunc scilicet esse fructum ipsius diligentiæ, qui tantum illi sit largitus, & toties ad pacem adhortatus: quòd etiam archiepiscopum Valentinum ab eo detineri captiuum, & Hispanis aliquot nobilibus atrocem iniuriam, à Gallis, Auenione fieri sit passus, nimiam herde tolerantiam esse: Nunc ergò defensionem sibi necessariò subeundam, quo tempore minimum ab illo sibi metuerit, propter amplissima illius promissa, quo tempore etiam in bellũ Turcicum sese compararit, & in Germaniam idcircò redire constituerit: Iniuriam quidem esse magnam, & cladem non mediocrem, quam ille sibi suisq; finibus intulit, sed his omnibus non tàm moueri, quàm reipublicę calamitate: nam ad sua priuata quantum attinet, quoniam ille subinde discedit à pactis, multò sibi præstare, bellum apertum gerere, quàm inducijs aut conditionibus insistere, quas ad primã quanque occasionem ille rescindat: pacem enim insidiosam esse plerúnque: nam illum interea struere noua consilia, perniciosa reipublicæ, alere factiones, & in hoc uersari totum, ut dispendijs atque sumptibus

defatigato sibi difficultatem obijciat resistendi Turcis: Et quum eo sit ingenio præditus, liberos etiam ad eandem disciplinam instituere: Iam autem eius ambitionem & immensam cupiditatem ità creuisse, ut occultari non possit: illius maiores occupasse prouinciã Galliam, quæ sit ditionis Imperij: sic illum tenere nunc Sabaudiam & Pedemontij partem, atq; ità communire, ut facilè appareat, non constituisse reddere: fuisse autem illius propositi, non Insubriam modò, sed Parmam quoq; & Placentiam, ac deinde Lucam atq; Senas, pòst etiam ecclesiæ Romanę ditionem inuolare, quò sic patefactum haberet iter ad Neapolim atq; Siciliam: quin eò tendat, non esse dubium, & ex ijs, quæ per Italiam molitur atq; tentat, facilè posse deprehendi: Breuiter, cupiditatem eius non certis ullis finibus contineri, sed esse uagam & infinitam: Neq; uerò esse, quòd pacta seruaturus unquam putetur, quándiu supererit quod alijs eripiat & ad se trãsferat: hoc enim animi morbo, uitióq; mẽtis, uelut ęstu quodam, ità rapi trãsuersum, ut omnis etiam pietatis atq; religionis oblitus, cum Turca fœdus inierit, & cum hoste reipublicæ non consilia modò, sed fortunas etiam communicet, & nunc quoq; magnificè iactet, fore, ut nostros in fines Barbarossa cum classe ueniat: An hæc ad sanandam rempublicam, ad inchoandum concilium faciant, ipsum debere pro sua prudentia cogitare: Semper illum hoc egisse, ne quandò coïret concilium, quòd ità suis priuatis rebus utile esse arbitretur: ideò se, quum hoc animaduertisset, aliam instituisse rationem conciliandi per Germaniam dissidij religionis, in eóq; solùm spectasse gloriam Dei & ecclesiæ dignitatem: quò minus ergò concilium habeatur, illi tribuendum esse, qui semper impediuit, non sibi, qui tantum eo nomine susceperit laboris atq; molestię: Quòd si igitur afflictam rempublicam iuuare uelit, debere ipsum ex officio se profiteri illius hostem, qui totius perturbationis & calamitatis est author, qui Turcam in rempublicam Christianum inuitat & elicit, qui nihil intentatũ relinquit, ut ambitionem et animum uindictę cupidissimum exatiare possit: cùm enim ad ipsum orbis Christiani præcipua cura pertineat ex officio pastorali, rem ipsam profectò postulare, ne diutius illum ità tumultuari permittat, sed inimicum ei se declaret: Quod si faciat, & bonis omnibus longè gratissimum, & ad cæteros quoque reges in officio continendos, futurum id esse perutile: nam cogendi concilij, & recuperandæ pacis, & reipublicæ constituendæ hanc unam esse uiam: qua quidem in re si suum ipse faciat officium, non etiam se defuturum esse.

Ioannis

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber XV.

CVM IAM VNDIQVE BELLVM FERVERET, PONtifex, Augusti die XXVI, legatos mittit cardinales pacificatores, Mihaëlem Visensem Lusitanum, ad Cæsarem, Iacobum Sadoletum, ad Galliæ regem, orans, ut priuatas iniurias, reipublicę condonent, & ad pacis consilia sese referant. legatos quoque Tridentum mittit in synodum, cardinales, Parisium, Polum, Moronum. Cęsar & legato Visensi respondet, & pontifici scribit in eandem propè sententiam, ut superioribus literis demonstrauimus. frustra pacem fieri cum eo, qui pacta non seruet: itáque rursus monet, ut illius hostem sese profiteatur: nam sæpe confirmasse, grauiter in eum esse uindicaturum, qui uiolasset inducias, aut fœdus cum Turca fecisset: hanc unam modò rationem esse firmã & idoneam ad constituendam rempublicam. Cum his literis legatum dimittit ad XVIII. diem Octobris. Quia Longeuallus & Martinus Rossemus, per ditionem ducis Cliuensis exercitum collegerant, ut suprà dictum est, Cæsariani, ductore principe Auraico, Iuliacensem agrum inuadunt, & incendijs longè latéq; uastant, & Duram, ijs locis præcipuum oppidum, deditione capiunt. nam ad Cliuensem Iuliacus & Montensis etiam principatus à matre peruenerant. Hoc quoq; tempore exercitus Imperij, nulla re per Vngariam perfecta, cùm Pestam oppidũ frustrà tentasset oppugnatione, domum redit, & è contagione multa hominum millia desiderata sunt. Saxonię dux Mauricius hoc in bello uoluntariè militabat, circiter XXI. annorum iuuenis, & è castris quodam die progressus, uno solùm comitante satellite, cùm in Turcas aliquot incidisset, manus conserit, & equo confosso in terram effunditur. Ibi famulus, quem dixi, genere nobilis, corpore toto superincumbens, iacentem protegit, & tantisper illos demoratur atque sustinet, donec equites superueniunt, qui principem eriperent. itáque uitam ei seruauit, ipse uerò, multis acceptis uulneribus, in castra relatus, non multò pòst interijt. Hunc finem habuit bellum Pannonium. pontifex ad tria millia peditum auxilio miserat, Alexan-

dro Vitellio ductore. Exarsit & hoc tempore bellum inter Anglos atque Scotos, cuius hæc fuerat ante annum occasio, quòd Scotus, quum ad auunculũ Angliæ regem, transigendi de finibus causa, uenturum se constituisset Eboracum, dehortante matre & multis ex nobilitate, non uenit. Accidit autem, ut Scoti sub initium Decembris, hoc anno, prælium aduersum facerent. eo in prælio capti fuerunt complures genere nobiles, ac sponte quidem, quòd ducem contemnerent, humili loco natum, & illum sibi prępositũ esse, grauiter molestéque ferrent. Eo facto uehementer indoluit rex, domúmq; reuersus, paulò pòst mortem obijt. fuit hoc pridie Iduum Decẽbris, quum ante diem octauum uxor ei filiam peperisset Mariam: quæ res dolorem etiam auxit, quum hærede masculo careret. nam anno superiori filiolos duos intra XXIIII horas, diuersis locis amiserat. Vxorem autem habebat Mariam, Claudij Guisij principis, è familia Lotharingica, filiam. Laborantibus ad hunc modum Scotis, Galliæ rex auxilio mittit pecuniam & tormenta. Mortuo rege, summa rei permissa fuit Arraniæ Comiti Iacobo Hameltonio, qui regis erat cõsobrinus magnus. proximum ab eo locum tenebat cardinalis Andreanus, Galliæ regi deditissimus. Diximus antea de Saxoniæ principe Henrico, qui pro se filióque Mauricio, fœderi protestantium nomen dederat: ab eius uerò morte solicitatus Mauricius, non se teneri uinculo patris, nec ab illo potuisse obligari, dicebat. Profligatus, ut suprà dictum est, Henricus Brunsuicensis, accusat Saxonem, Lantgrauium atque socios ad Cameram. qui deinde citati, tribunal illud atque iudicium in omnibus planè causis, mense Decembri, recusant, & missis eò legatis, hoc eis denunciant, ac simul testificantur, non se quidem recusare legitimam aut ordinariam iurisdictionem, sed ipsos repudiare iudices, qui sint diuersæ religionis, qui decretum Augustanum, factum ante annum XII, laudent, & data fide comprobent, qui propter hoc ipsum grauiter ab se dissideant, & magnum odium circumferãt, qui se pro hæreticis habeant, neque sibi ius communicandum esse putent, qui multis non obscuris prejudicijs hoc suum odium sæpe prodiderint. In conuentu Ratisbonæ decretum erat, ut huius anni mense Ianuario Camera reformaretur: hoc protestantes ità ratum habebant, si modò suæ quoque religionis homines in eum consessum admitterentur. itáque Cæsar hoc eis tribuit, ut suprà diximus, & Ferdinandus quoq; pòst in comitio Spirensi renouauit, & Iunium mẽsem huic emendationi constituit, & hac ratione subsidium ab illis in bel-

lum

lum Turcicum impetrauit. etenim si secus fieret, palàm tunc illi fuerant professi, non modò sumptum nullum se facturos esse deinceps in Camerã, sed ipsorum etiam edictis nolle obtemperare. Quum igitur hucusque nihil esset præstitum, illi, sicut dictum est, missis legatis, iudicium recusant: Camerales autem edito postea scripto recusationem hanc reijciunt. Nuper in comitio Noribergico placuit, ut belli Turcici causa rursus ibi cõuenirent ordines ad decimum quartum Nouembris diem, sed dilata res fuit: & brumæ tempore asperrimo, dux Cliuensis Duram circumsidet ac recipit. Cùm Parpinianum Galliæ rex obsideret, seditio fuit nata Rupellæ, quod est in Xanthonibus oppidum maritimũ, celebre cumprimis & opportuno loco positũ. Ab Anglis aliquandò possessum fuit, sed ad Galliæ ditionẽ redijt, Carolo quinto, rege, qui patri Ioanni successerat. Causa motus fuit propter impositũ ab rege pręsidium, ductore Iarnaco, Amiralij cognato: uicinis etiã in locis tumultuosè res agebatur, ob salinarũ uectigal, regijs administris & quæstoribus, qui eò uenerãt, repulsis. Vbi primùm rex accepit, nouum eò pręsidiũ mittit equitum atq; peditũ: Iarnacus etiam tormenta illis omnia tollit & arma, & occupatis portis, excubias atq; stationes ibi collocat. Vltima deinde Decembris die rex eò uenit, & postridie, pro tribunali sedens, cùm & oppidani & uicini, supplices, adq; pedes ipsius proiecti, misericordiã implorassent: Etsi, quo tempore grauissimis, inquit, eram distentus & occupatus negocijs unà cum liberis meis, pro regni totius & uestra omnium tutela, immemores officij, quod mihi debetis, rebellionem fecistis, excitata turba, sic quidem, ut optimo iure in uos animaduertere possem, ac pro meæ personæ conditione, próque delicti uestri magnitudine, satisfactionem exigere: tamen, quòd in suum populum uti misericordia, non minus pulchrum & decorum est se putẽ uiro principi, quàm ipsi populo est honestũ, in officio permanere, deinde, quòd præsens hoc uestrum studiũ & animi promptitudinem seueritati iuris anteponam, equidem constitui obliuisci iniuriæ, quam mihi fecistis, & rationem habere non tàm erroris factique uestri, quàm consuetæ meæ facilitatis, ea fiducia nimirum, ne quid eiusmodi designetis in posterum: nam alioqui clementis & benigni principis loco sitis habituri seuerum iusticiæ uindicem, idque moribus ac uestra sanè culpa, quæ profectò nõ debet haberi minor quàm ea, quæ proximis annis grauiter uindicata fuit in Gandauensibus, quandò non supplicijs tantùm affecti fuerunt, sed liberta- M. D. XLIII.

tem etiam in perpetuum amiſerunt. Quod quidem exemplum licet abſque reprehenſione poteram imitari, quia nec minorem iniuriam accepi, nec ulla re ſum inferior illo, qui ſic dolorem ſuum ultus eſt, tamen, quoniam amore, fidelitate, beneuolentiáque meorum creſcere magis cogito, quàm bonis illorum atque facultatibus locupletari, planè uobis condono factum, & priori uos conditioni reſtituo: quę tamen ueſtra ſponte mihi liberaliter donaſtis, ea retineo: quicquid etiam eſt ablatum uobis per hunc tumultum, ut uobis reſtituatur, uolo. Cùm hanc regis orationem ſecutus eſſet auditorum applauſus & admurmuratio, ſtatim audita fuit ſymphonia cantorum ſuauiſſima, qui in turri primarij templi Bartholomeani, lætitiam publicam ſignificabant. Regi deinde cœnam ſplendidiſſimam ſenatus dedit. Altera die, rex, iam abiturus, ad populi delectos, equidem in diuerſam, ait, regni mei partem nunc diſcedo, defenſurus eam ab hoſte: uos hanc defendite, quemadmodum uobis planè confido: ſi quid eſt etiam, quod ad ciuitatis ornamentum ac utilitatem pertineat, non ſum petentibus denegaturus. Ianuarij die decimo ſeptimo, Ferdinandus rex cum duobus filijs Noribergam uenit comitij cauſa: poſt octauum deinde diem uenit etiã eò Granuellanus, ab Hiſpanijs, qui per Tridentum iter faciens cum epiſcopo Atrebatenſi filio, legatos pontificios ad progreſſionẽ fuerat hortatus. Hoc in conuentu Cæſar ſibi legauerat Fridericũ Palatinum, epiſcopum Auguſtanũ, Ioannem Nauium. Secundo calẽdas Februarij rex Ferdinandus proponit, &, quia ſuperioribus aliquot comitijs decreta ſint aduerſus Turcã auxilia continua, monet ac petit, ut in eam cogitationẽ omnes iam incumbant, ne quid rei neceſſariæ deſideretur: nunciari enim ab omnibus, illũ hoc anno maximis uiribus in Vngariam eſſe rediturum, & ut ità faciat, à nonnullis incitari Chriſtiani nominis principibus: ac licet exhauſtæ ſint prouinciæ ſuæ continentibus propè bellis, tamen non etiam ſe defuturum eſſe: quanti uerò ſit momenti, defendere Vngariã & Auſtriam & Morauiam, & finitima loca, neminem eſſe ferè qui neſciat. Perſuadendi cauſa recitatæ fuerunt uariæ literę, diuerſis locis ad Ferdinandum regem alióſqꝫ ſcriptæ, quæ propè omnes hoc nunciabant, Turcam inſtruere nouum exercitum atqꝫ claſſem, ut terra marí que bellum gerat. Aderant etiam reginæ Mariæ, quæ pro Cęſare Belgium gubernabat, legati, Vuirichus Criechingus, Viglius Zuichemus iurecõſultus. hi principẽ Cliuenſem oratione prolixa grauiter accuſabant, quòd ipſius ope cõſilióqꝫ,

rex

rex Galliæ, Martino Rossemo ductore, bellum ijs locis feciſſet. ita-
que petebant, ut illum ad officium adducerent, quò uidelicet à Gel
driæ poſſeſſione decedat, & damnum datum reſarciat. Quinta de-
inde Februarij die, Granuellanus, quid in mandatis haberet, expo-
nit. quæ ſit Cęſaris erga rempublicam uoluntas, non opus eſſe com-
memorare: permagnam autem eius fuiſſe lætitiam, anno ſuperiori,
quum ipſos coniunctis uiribus in Turcam ire nunciaretur: uoluiſſe
quidem & ipſum intereſſe bello, & ad profectionẽ tunc omnia com-
paraſſe, uerùm ex improuiſo bellum ei fuiſſe motum à Gallię rege et
duce Cliuenſi: quæ ſanè res omnem eius cogitationem antè ſuſceptã
euerterit: quas enim uires explicaturus fuerat in Chriſtiani nominis
hoſtem perpetuum, eas tunc fuiſſe coactum ad ſui defenſionem ac-
commodare. pręſertim cùm etiam de Turcica claſſe multa iactarent
hoſtes, in eáque magnum ſibi dicerent eſſe paratum ſubſidium: ſed
tamen illũ in ea, quam ſemper præ ſe tulit & oſtendit, uoluntate per-
manere, & non facultates modò, ſed & uitam ipſam atque ſanguinẽ
in bellum Turcicum impendere decreuiſſe, modò ipſi uiciſſim ei fe-
rant opem in oppugnando Gallię rege ac duce Cliuenſi: quam ſanè
rem & illius in rempublicam propenſa uoluntas, & temporũ quo-
que ſtatus ipſis perſuadere debeat: Quomodò Sabaudiæ ducẽ Gal
liæ rex finibus eiecerit, omnibus eſſe notum: idem de cæteris illum
etiam cogitare, modò tempus & occaſio detur: & quia Cæſar illius
impetum atque conatus refringat, hanc iſtius odij uehementis cau-
ſam eſſe: nuper ipſos audiſſe, recitatis literis, quid ille moliatur apud
Turcam, quid etiam in Germania, & quomodò bellum Turcicum
impedire ſtudeat: quia uerò dux Cliuenſis fœdere ſit illi cõiunctus,
& conatus quoque Cæſaris honeſtiſſimos retardet, & Germaniæ ſa
lutem impediat, decernenda eſſe in utrumq; auxilia, ut eorum inſo-
lentia reprimatur atque temeritas. Proteſtantes interea Ferdinan
do regi Cæſaríſque legatis libellum ſupplicem tradunt. in eo proli-
xè cõmemorant, quid multis nunc annis actum ſit in religione, quo-
modo pax data Noribergæ, quomodò Camerales eam infregerint,
quomodò Cæſar ante biennium ipſis rectè cauerit, ſuámque men-
tem explicarit Ratisbonæ, quomodò ſit ibi factum decretũ de emen
datione Cameræ, & rectè conſtituendo iudicio: quid etiam ipſi tum
ſint conteſtati palàm, niſi decreto ſatisfieret: cùm autem hucuſque
nihil ſit emendatum, & uerò Camerales pergant more ſuo eſſe mo-
leſti, primùm, ob defenſionem in Brunſuicenſem Henricum ſuſce-

ptam, deinde, propter non soluta stipendia Cameræ, recusasse propterea se iurisdictionem illorum omnem: quod quidē se facturos esse iam antè palàm in comitio sint professi: Nunc ergò, si fortè res aliter sit ad ipsos delata, petunt, ne fidem habeant: necessitate enim coactos ità fecisse, & usos remedio legitimo, quod & ius ipsum & æquitas unicuique permittat: nam si pergant ad eum modum, & iudicandi potestatem usurpent, & proscriptiones aliásque pœnas contra se decernant, futurum hoc non sibi tantùm, sed & reipublicę perniciosum: Excitatis enim inter ordines offensionibus, & exacerbatis animis, quum in ciuile bellum erunt facultates omnes profusę, quàm id sit futurum utile Turcis, quàm opportunum, quis omnium dubitet aut ignoret? Quàm enim sit difficile, postquàm exasperata sunt odia, rem componere, multis exemplis posse doceri: sibi quidem nihil esse magis in uotis, quàm ut firma pax, & æquabile ius, & otium in Germania constituantur: Nimirùm, à dissidio religionis omnem hanc simultatem atque diffidentiam oriri: dissidium autem illud ex eo fonte manare, quòd euangelij doctrina & purus Dei cultus impediuntur, quòd errores ac manifesta uitia non modò non tolluntur & emendantur, sed ambitionis & emolumenti causa, defenduntur etiam: hac igitur ingratitudine Deum offensum ac irritatum, affligere nos magnis calamitatibus, neque facturum esse finem, quoad in eo permanebimus: orare igitur, ut huc suas cogitationes referant, & saltem in hoc elaborent, ut religionis causa nihil turbæ moueatur, & ius omnibus ex æquo communicetur: sed quoniam id fieri non possit, ut quidem nunc est Cameræ status, rogare, ut iuxta ueteres Imperij leges, & Cæsaris declarationem, iudicium illud emendetur, & alij constituantur iudices, & lites omnes eo loco sint, quo fuerunt ante recusationem, & iudicibus mandetur, ut emendationis futuræ formulam exactè seruent, & contra superiorum annorum pacificationes nihil moueant: nisi enim ità res instituatur, & idoneè sibi de pace caueatur, non se posse Turcici belli consilium ullum habere, quum alioqui pro republica nihil non facere cupiant. Re diu multúmque disceptata, cùm & Ferdinandus rex, & Cæsaris legati, iam indictum esse Tridenti concilium, & Cęsarem quoque uenturum, et absque causæ cognitione nō posse remoueri Cameræ iudices, & eius emendationem iam esse decretam, & propediem institutum iri, & Henrico Brunsuicensi, qui sit eiectus, repetenti sua, non posse ius denegari, neque sibi licere plura largiri dicerent: protestantes, neque

concilium illud approbare se, neque uenturos eò, neque de cæteris etiam rebus sibi satisfieri, nec idoneè caueri, nec deliberationem ullam aliam habere se posse demonstrant. Ferdinandus autem & reliqui ordines decretum nihilominus faciunt de muniendis locis finitimis Turcarum ditioni, de contribuendis in eam rem sumptibus, & emendationi Cameræ Iulij mensis diem tertium designant, & corrigendam esse statuunt iuxta formulam Ratisbonæ præscriptam ante annum undecimum: eos etiam qui recusarint auxilia conferre, fiscali iurisdictioni subijciunt. Protestantes uerò contrà profitentur, non assentiri se huic decreto, quia factum sit non communicato cum ipsis consilio, quia de pace ac iure nihil certi constitutum sit, & quia contributionis magna sit inæqualitas. Quum propter Cæsaris aduentū, ad multò grauius bellum res tenderet inter ipsum atque Cliuensem: principes electores & alij ordines per legatos intercedunt, & uix demum inducias impetrant à Granuellano, non quidem certas ac definitas, uerùm tales, ut esset in arbitrio Cæsaris, ubi primùm Germaniam tetigisset, illas uel habere ratas, uel repudiare, atque interim oppidum Sittardum, quod est ad fines agri Iuliacensis ualde munitum, in potestate Cæsaris futurum erat, donec ille, quid suæ mentis esset, explicaret. Intercessores hoc etiam promittebant, obuiam se missuros legationem ad Cæsarem, deprecandi causa: & Granuellanus quidem magnam spem faciebat, fore ut benignum ab eo responsum ferrent. Pactionem hanc, legati Cliuenses, quorum erat primus Ioannes Vlattenus, genere nobilis & uir doctus, probabant, & intercessoribus agebant gratias ob nauatam operam: sed interea fuit commissum prælium, ad oppidum Sittardum, Martij die uigesimo quarto: cúmque superior esset in eo Cliuensis, partim ob hanc uictoriam, partim impulsu Galliæ regis pecuniam subministrantis, animum obfirmabat, repudiatis inducijs, quum legati domum redijssent. Prælij secundi nuncius, magna celeritate perlatus in Galliam, excitauit ingentem lætitiam, & iussu regis decreta fuit Lutetiæ supplicatio. Bauari fratres in comitio per legatos intercedunt apud protestantes, & inter alias, hanc etiam proponunt conditionem, ut Henrici Brunsuicensis ager omnis, interea dum causæ fiat cognitio, Cæsaris aut aliquot Germaniæ principum fidei permittatur: sed de eo nihil tum potuit decerni. Hoc in conuentu mortuus est apoplexia Christophorus Augustanus episcopus, cùm in posterum diem instituisset conuiuium.

Erat è familia Stadionum, homo literatus, et à ſtudio pacis non alienus. ei ſucceſſit Otto Truceſius. Decretum hic factum, neque relatum fuit in commentarios, uti fieri conſueuit, nec authoritatem habuit. Galliæ rex aliquantò ſerius accepit literas Cæſaris, ad pontificem datas, de quibus libro ſuperiori diximus, ideóque nunc tandē ſcripto ualde prolixo reſpondet. quòd ſibi præferri Cæſar uelit, quaſi de eccleſia Romana præclarè ſit meritus, eſſe ridiculum atque leue: nam nec illius maiores, cum ſuis, nec ipſum etiã debere ſecum, hac quidem in parte, componi: ſcilicet egregium eſſe filium, & prima laude dignum, cuius exercitus patremfamiliâs Clementem ſeptimum, obſedit, uexauit, cepit, & primam orbis terrarum urbem diripuit, & templa deorum immortalium non uno modo polluit, nec ullum ibi flagitij genus atque libidinis & crudelitatis prætermiſit, qui ludibrium etiã adiunxit ipſe huic tantæ immanitati, quandò uota nuncupauit in Hiſpanijs, & ſupplicationes decreuit pro liberatione parentis, quem ipſe domi captum arctiſſimè detineret: ſuos uerò maiores, Gallię reges, inde à Carolis, Martellis, Pipinis, Ludouicis, omnia ſemper feciſſe, tum amplificandi cauſa tum ornandi põtifices Romanos: Multis uerbis illum prædicare ſuam diligentiam atque ſtudium erga rempublicam, ſed longè rem aliter habere, ſi rectè iudicetur: nam illius auſpicijs atque ductu maximas copias eſſe conciſas à barbaris nõ ità pridem, in Vngaria ſemel et iterum, in ſinu Ambracio ad caſtellumnouum, in Aphrica pòſt, ad Argieram. quò ſibi neceſſariò tum proficiſcendum eſſe dixerit, quum reuera fugeret, ac Germaniam hoſti iam aduentanti relinqueret. Illius culpa, Vayuodæ Ioannis filium infantem, & fratrem ipſum Ferdinandum, & Vngariam in hanc incidiſſe calamitatem: iactare illum, quaſi confirmandæ cauſa pacis, ad Aquas mortuas uenerit: in eo autem ſi quid eſſe poteſt laudis, hoc ſibi potius deberi, qui prior ad ipſum in triremem aſcenderit, ac liberos quoque ſuos eò poſtea miſerit, quum ſanè magnum eſſet periculum, & ab eo, qui nihil cuiquam fidat, et ab Auria, claſſis præfecto, uerſipellis ingenij uiro: pòſt, iter illũ feciſſe per Galliam, rogatu quidem ſuo, ſed, cùm prius ipſe per legatum & literis et internũcijs hoc ab ſe petijſſet, & Mediolanũ offerret: obducere quidem illum nunc alias cauſas, uerùm neceſſitate coactum propter motum Gandauenſem, illac tranſiſſe: quòd deliberatum fuiſſe dicat, ut retineretur, falſum eſſe, nec in mentem ſibi ueniſſe unquam: Sabaudiæ duci nullam ab ſe factam iniuriam, ſed cùm ille & dotem & hæreditatem

reditatem maternam sibi denegaret, & Niceam ab se redimi non pateretur, & legatos militésque suos uiolaret, armis atque ui sese repetiuisse, quæ iure consequi non posset, præsertim, cùm ille plæráque omnia Cæsaris impulsu faceret: cui nimirum hoc sit familiare atque proprium, ut ad defectionem homines alienæ ditionis impellat, & pòst in calamitatem adducat: exemplo esse Borbonium, & Sabaudum, & Salassiorum principem, & Brunsuicensem Henricum: sed & propinquis & agnatis illum esse grauem atque damnosum, Christierno regi Daniæ, & Ferdinando fratri, & sibi cumprimis, qui sororem eius habeat in matrimonio natu maximam: Quòd Vngariã Turca nuper inuaserit, occupata urbe primaria, non sibi sed illi atq; fratri tribuendum esse, qui Vayuodæ filiolo hæredi sint insidiati, bellúmq; fecerint: In comitio Ratisbonæ solicitatos fuisse omnes ordines, ut conferrent auxilia, uerbo quidem, in Turcam, sed reuera in miserum infantem, quem illi fortunis omnibus euertere cogitabant: Quoties in Germaniam legatos misit, nihil se fecisse callidè, nihil insidiosè: falsò etiam sibi tribui, quasi factiones alat, & utrique religioni se fauere simulet: nam Germaniæ salute & concordia suam quoque salutem contineri: quæ sua sit etiam religio, neminem latere: misisse uerò nuper eò legatos, & grauissimis de causis bellum Turcicum dissuasisse: quàm autem salutare suum fuerit consilium, eius belli iam hoc testificari longè calamitosissimum euentum: illius autem eò spectare omnia consilia, ut Germaniam in perpetua dissensione distineat, quò magis opportuna sit & idonea seruituti: Iam uerò, quanta sibi sit ab illo facta iniuria, uiolatis Rincone & Fregoso legatis, notum esse omnibus: & tamen facinus hoc ab illo sic defendi, ut iure quoque cæsos affirmet: Quæ fuerit ipsorum causa legationis, demonstrari posse tabulis interceptis: reipublicæ nimirum, præcipuè uerò Pannoniæ & Germaniæ salutis causa fuisse amandatos ad Turcam: nam illum ab se crebrò solicitari, ut cum Christianis pacem colat: ipsum uerò semper ad ea respondere, non sibi cum gente Christiana, sed cum Carolo & Ferdinando rem esse, à quibus iniuria sit affectus, & quorum infinitam cupiditatem ferre non possit: Cùm ergò proditionem illis intentat Cæsar, iniuriam conduplicari, de qua nunquam sibi satisfacere cogitarit, & per ludibrium ferè semper responderit: itáque se nunquam dissimulasse conceptam offensionem, & satis præ se tulisse, ni sibi satisfieret, non se neglecturum esse contumeliam:

Prius autem omnia se tentasse, quàm ad arma ueniret, et archiepiscopum Valentinum eò retinuisse, ut uel hac ratione suos recuperaret, quos tum adhuc uiuere putasset: frustrà uerò consumptis omnibus consilijs, ad extremum uenisse remedium, & bellum, cuius ille fuisset author, defendisse: Turcarum societatem ab illo sibi dari crimini, quam ipse, cum sæpius ambiret, consequi non potuerit, &, ut consequeretur, annuum illi dare stipendium non recusarit: suam autem istam cum Turcis amicitiam, non ad ullum reipublicæ detrimentū, sed ad utilitatem summam spectare, si modò non obstaret summa illius ambitio: suis nempe maioribus hoc esse tributum cognomen, ut Christianissimi dicantur: in eo quoque uestigio se permansurum esse, Dei beneficio, neque commissurum ullo tempore, quò minus ea dignus appellatione uideatur: atrocem igitur esse iniuriam, dum in omneis populos hanc de se calumniam ille spargit: cuius enim hoc esset, non dementię, sed furoris, adiuuare conatus illius, & augere potentiam, qui paulò pòst tibi sit exitium allaturus ipsi? Tridentinum etiam concilium ab se minimè tardari uel impediri: nullum enim ex eo compendium ad se redire, & à suorum maiorum exemplis atque more hoc esse perquàm alienum, qui concilijs omnem & operam & fidem sæpe præstiterint: illum uerò sic rapi transuersum odio sui, ut nullum non criminationis genus attingat: hoc etiam eius esse ingenium, ut & imperare uelit omnibus & eripere libertatem: atque interim tamen hanc suam cupiditatem sic illum occultare uerbis ad speciem compositis, ut etiam pietatis primam laudem sibi deberi putet: Quæ cùm ità sint, orare, ne calumnijs fidē habeat, & ità de se statuat, nihil esse, quod non & reipublicę, & ipsius, & ecclesiæ Romanæ causa uelit. Paulò ante hoc tempus, mortē obijt Gulielmus Bellaius, Langæus, de quo non semel est facta mentio, summæ uir dignitatis atque uirtutis, & præcipuum Gallicæ nobilitatis ornamentum, ob insignem doctrinam, eloquentiam, usum rerū, & singularem in omni functione dexteritatem: longè nimirum dissimilis à plęrisque regum sectatoribus, qui suas modò facultates amplificare student: ipse autem, ingenio præditus heroico, solùm eò spectabat, ut solida uirtute sibi ueram gloriam compararet, & fidelem operam, suo principi, uel cum rerum suarum dispendio, nauaret. Suprà dictum est de concionatore Parisino, Francisco Landro, cùm is ad doctrinæ capita proposita responderet ambiguè, & docendo pergeret, diebus aliquot ante pascha iussus est in carcerem ire. theologorum hoc fuit

factum

factum impulsu, qui illum ad proprætorem accusarant. Diebus aliquot postea rex uenit Sangermanum, quod est infra Luteciam quinque milliaribus, oppidulum & arx, ad Sequanam, & certior factus de re tota, Landrum euocat. Ille, quum eò uenisset, perterrefactus quorundam uocibus, qui regem uehementer exacerbatum esse dicerent, non præstitit eam constantiam, quam ab eo complures expectabant, & redire iussus Luteciam, Aprilis die uigesimo nono, cogitur ea quæ prius docuisset, detestari sua uoce. nam eo die conuenerunt in æde primaria senatores, qui parlamenti nomine censentur, item magistratus omnis, & prętor urbanus, & theologi, maximo numero: deinde templum fuit occlusum, et septum apparitoribus armatis, qui populum illinc arcerent. Vbi consederunt omnes, recitantur ipsius dogmata, & rogatus de singulis quid sentiat, ex illorum arbitrio respondet, & erratum ab se fuisse pronunciat, & obsequentiam in posterum pollicetur, & ea doctrinæ capita, quæ primùm theologi, pòst etiam consiliarij regis, ipsi proposuerant, pro ueris atque pijs agnoscit. Eodem modo fuit actum paulò pòst, licet non ità solenniter, cum altero quodam populi doctore, Depensio: qui cùm primò non usque adeò clarè sua retractasset, alio quodam die coactus est in concione ad populum explicare singula distinctè et apertè, donec theologis, qui aderant, satisfactum esset. Vixit in Gallijs Clemens Marotus, qui non superioris modò, quæ paulò fuit inculcior, uerùm suæ etiam ętatis poëtas omneis, populari sermone longè superabat. Latinæ quidem linguæ non ità magnū habebat usum, sed doctorum hominum consuetudine multùm profecit: nec erat ferè quicquam in poëtarum libris, quod ipsum fugeret, ità quidem, ut ex illorum scriptis plæraque traduceret ad suum institutum. sic ex Tibullo, Propertio, Nasone quædam transtulit in suas elegias, dissimulanter tamen: ex Catullo autem epithalamium sumpsit Herculis Ferrariæ ducis & Renatæ Armoricæ, Ludouici XII, Galliarum regis filiæ: uertit etiam primum metamorphoseon Ouidij librum elegantissimè. Postremis autem annis hanc scribendi facultatem ad sacras literas contulit, eiúsque consilij fuit, rhythmo Gallico psalterium omne Dauidis exprimere, sed morbo sublatus, ad quinquaginta tantùm psalmos absoluit, qui nunc extant, & non sine summi ingenij admiratione leguntur. nihil enim est illius oratione suauius, nihil purius, nihil illustrius, nihil magis proprium & concinnum. Edidit autem illos hoc anno Geneuæ, quò sese receperat, cùm in Gallijs pro-

pter Lutheranismi suspitionem parum esset tutus. triginta quidem Psalmos ediderat ante biennium, Lutetiæ, sed magna cum molestia: nec enim prius hoc ei licuit, quàm theologi Sorbonistæ pronunciassent, nihil in eo contineri libello, fidei Christianę contrarium. Istud fortasse non uscp adeò nostrum ad institutum pertinet, sed tàm excellentis artificis nomen exteris etiam populis commendandum esse putaui. nam in Gallijs uiuit ad omnem posteritatem, & plærique sic iudicant, non temere futurum, qui uirtutes illius in hoc genere possit adæquare, & quod de C. Cæsare dicit Tullius, à scribendo sanos homines deterret. tractarunt idem argumentum alij, & quidem illo doctiores, uerùm ad eam uenustatem minimè accedũt. Libro decimo dictum est de archiepiscopo Colonienſi, quomodo suam ecclesiam cuperet emendari, necp suæ prouinciæ synodum illam probaret, utcuncp liber ipsius nomine hac de re prodijsset: cùm autem in comitio Ratisbonę decretum esset factum, & iiunctũ episcopis, tum à Cęsare, tum à legato pontificis, ut in suis quiscp finibus piam emendationem instituerent, ille suorum ordinum agit conuentus. hi sunt, clerus primarij templi, Comites, nobilitas, & ciuitatum legati. Re deliberata, placuit omnibus, inchoandum esse tàm pium opus atcp salutare. negocium ergò dat quibusdam, ut rationem aliquam futuræ reformationis scripto concipiant, & de uiris bonis ecclesiæ ministris circumspiciant. Scriptum illud theologis Colonienſibus mittit, & ut è sacris literis iudicium faciant, sententiámque suam ostendant, petit: sed quum eius desiderio non satisfieret, nec essent quos populo rectè præficeret, Martinum Bucerum ad se uocat Argentorato, quem et Ioannes Gropperus magnopere semper ei cõmendauerat, & ipse quocp per colloquia satis exploratum habebat. Is, quum anni superioris mense Decembri uenisset: huius anni principio, mandatu principis, Bonnæ cœpit docere, quod est ad Rhenum, circiter quinque supra Coloniam milliaribus, oppidum. Ad Idus deinde Martij nouos agit cõuentus ordinum episcopus, Bonnæ, & ut de pia reformatione deliberetur, petit: cùm autem clerus neminem ad hoc designaret, reliqui ordines ab archiepiscopo contendunt, ut pro suo iudicio deligat homines ad eam rem idoneos. Bucero munus hoc igitur committit, ut doctrinę Christianæ capita conscribat, & quò rectius omnia fierẽt, Saxonię principem electorem orat, ut Philippum Melanchthonem adiungat. cùm is uenisset, & à Lantgrauio, Ioannes Pistorius, ac perfectum esset opus, archiepiscopus illud primarij tem-

pli

pli Colonienſis eccleſiaſticis mittit, qui ſunt omnes illuſtribus nati familijs, & ut eius libri dogmata diligenter expendant, petit. Deinde ad x xii Iunij diem, alterum indicit conuentum, & reformationis librum illis exhibens, orat, ut ſinguli ordines deligant nonnullos, qui cum ſuis eum librum euoluant, quò tolerabilis aliqua fieri demum poſsit & pia conciliatio: ſed hi, quos diximus, eccleſiaſtici, pertinaciter hoc urgebant, ut Bucerus inprimis & alij quidam nuper inſtituti doctores populi, loco ſubmoueantur: pòſt, amplius deliberandi ſpacium de libro, poſtulant, & cum reliquis conferre conſilia recuſant. Ille, quanquam uidebat, quo conſilio moram interponerent, tamen, ne quid deſiderarent, deliberandi tempus concedit: quod autem de Bucero ſubmouendo dixerant, eiuſque collegis, non recuſabat, ſi uel falſæ doctrinæ, uel impuræ uitæ quiſpiam eos conuinceret: eiuſque rei probandæ facultatem eis non ſemel detulit, paratus illos exhibere legitimæ cognitioni. Cum igitur in eo res permaneret, illi librum aduerſarium parant, & antididagma uocant. in eius libri prefatione, poſt magnam uim conuiciorum in Lutheranos, claris uerbis affirmant, ſub imperio Turcarum malle ſeſe uiuere, quàm ſub magiſtratu, qui reformationem illam ſequatur atque defendat. huius autem libri fuit author, ut aiunt, & architectus, Gropperus. Nam is, etſi Bucero fuerat admodum familiaris ante biennium in comitio Ratisbonæ, quanquam inde domum reuerſus, uehemẽter eum non archiepiſcopo tantùm, ſed paſſim apud omneis prædicauerat, licet crebras ad eum dediſſet & amiciſsimas literas, tamen, cùm res in eum eſſet deducta caſum, ab eius amicitia ſe totum auertit, & principe relicto, cui fortunam omnem debebat, in aduerſariorum caſtra tranſijt: idem fecit Bernardus Hagius, Cancellarius, ambo ſacerdotijs multis opimi. Bucerum uehementer oppugnabant theologi Colonienſes, & grauiſsimis lacerabant conuicijs: ille uerò diſceptationem fieri petebat, & doctrinam hanc uelle ſe contra ipſos tueri profitebatur in omnibus conuentibus. Ad eius quoq; defenſionem Melanchthon libellum tunc emiſit, & ad modeſtiam illos hortatus atque ſtudium ueritatis, quàm tetros defendant errores, oſtendit. Saxoniæ dux Mauricius leges aliquot condit ad hoc tempus, quæ per ipſius ditionem ſeruentur: ac initiò quidem populi doctores & eccleſiæ miniſtros hortatur, ut officium diligenter faciant, purè doceant euangelium, præluceant honeſtis uitæ exemplis, hortentur homines ad precationem ac mutuam charitatem, uitia reprehendant acriter, & præ-

fractos ab ecclesiæ communione separent, assentiente magistratu, donec resipiscant: eos uerò, qui ne sic quidem emendantur, magistratui deferant. Deinde, quoniam iuuentus est ueluti seminarium tàm ecclesiæ, quàm reipublicæ, treis literarum ludos instituit, Misenæ, Merseburgi, Portæ: singulisque locis certum numerum attribuit adolescentum. his omnibus uictum præbet atq; uestitum, magistris etiam annua stipendia soluit, & in hunc usum applicat eorum collegiorum prouentus, in quibus aliquandò monachi uixerant & id genus alij: studiosis concedit sex annos, ut ibi doceantur: Ex ijsdem quoq; bonis Academiam Lipsensem auget & amplificat duobus aureorũ millibus annuis & modijs aliquot frumenti: mendicationem quoq; prohibet, & ut subueniatur familijs egenis, pecuniam annuam certis locis designat. Posthæc, ijs qui puellas deuirginant, nec in matrimonium ducunt, hanc pœnam statuit, ut, etiamsi pòst illas elocent ac nuptui tradant, in carcerem tamen ducãtur: adulteros autem gladio feriri iubet: uiros nobiles, qui ducunt uxores, illas, quibuscum antea consueuerũt, ità mulctat, ut ipsorum liberis, qui nati sunt ante nuptias, bonorum, quæ pendent ab ipsius beneficio, possessionem atque fruitionem adimat. Cæsar interim ab Hispanijs cum classe Genuã appellit, & Maij die xxvi, datis illinc literis ad Saxonem, Lantgrauium atque socios: quoniam ipsis de pace publica sit iam antea satis cautũ suis edictis, deinde, quia breui futura sit etiam emendatio Cameræ, hortatur, ne recusent aduersus Turcam auxilia conferre, de cuius non solùm apparatu longè maximo, sed aduentu quoque, certis literis atque nuncijs cõstet. Ex Nauio, qui profectus ad eum fuit, rem omnem de comitijs acceperat. eodem etiam tempore conuentum indicit Imperij ad ultimum Nouẽbris diem, Spirę. Genua deinde profectus, in colloquium uenit cum pontifice, Bussetì, quod est inter Placentiam atq; Cremonam, ad Tari fluminis ripam, oppidũ. Ibi rursus ab eo petit, sicut antè per literas, ut Galliæ regi se profiteatur inimicum: sed ille non hoc expedire reipublicæ docebat, in eóq; permansit. Filio suo Petro Aloïsio pontifex nuper attribuerat Parmam atque Placentiam, quas à Cardinalium senatu, facta permutatione, consecutus erat: & quia ducum Mediolani fuerunt hæ ciuitates aliquando, petebat, ut Cæsar authoritate sua filio possessionem confirmaret, & insignia principatus more solenni conferret: id uerò Cæsar, qui Mediolanum obtineret, ac sui iuris nihil imminuere uellet, recusabat. Pontificis etiam hoc fuisse consilium aiunt, ut Cæsar, accepta pecunia, nepotem Octauium

crearet Mediolani ducem. Cęsar, abrupto colloquio, ne diutius impediretur, quum Florentiæ duci Cosmo mediceo, Florētinam arcem atq; Liburni, quas ad hoc usque tempus habebat in sua potestate, tradidisset, acceptis ab eo ducentis aureorū millibus, & amplius eò, progreditur. Prius autem, quàm ex Hispanijs decederet, filium Philippum designauit regē, & in matrimonium ei dedit Ioannis Lusitaniæ regis filiam, Mariam. Hoc etiam anno, Sigismundus, Polonię regis Sigismundi filius, in matrimonium ducit Ferdinandi Romanorū regis filiam Elisabetham. Henricus Brunsuicensis, ad Cęsarem in Italiam profectus, Cremonæ grauiter accusat protestantes. Aduentante iam ex Italia Cæsare cum copijs, protestantes, qui literas eius, Genuæ datas, nuper acceperant, ad XXIIII Iunij diem, Smalcaldiæ conueniunt, & de legatione ad illum mittenda, de rebus ad agri Brunsuicensis tutelam atq; fœdus pertinentibus, de Mauricio principe solicitando, de Sueciæ rege, de Ottone Henrico, de Vuolfgango principe Bipontino, de Monasterienſi episcopo, qui quidem omnes cupiebant in fœdus recipi, deliberant. finem habuit hic conuentus XXI die Iulij.

Paulò sub hoc tempus, Cæsar & Angliæ rex fœdus faciunt aduersus Gallię regem, qui Scotis opem ferebat, ut suprà dictum est. hanc uerò societatem grauiter tulit pontifex, ideóq; Gallicam amicitiam sibi ducebat esse necessariam. Cùm sub exitum Iulij, Spiram Cęsar ueniſſet, protestantes eò mittunt legatos, Franciscum Burcartum, Georgium Bemelbergum, Christophorum Veningerum, Iacobum Sturmium. Admissi die secunda mensis Augusti, propè in eandem sententiam uerba faciunt, ut ad Ferdinandum regem suprà feciſſe, demonstrauimus. exitus orationis erat, ut dicerent, si quidē idoneè sibi caueatur de pace, si Cameræ iudiciū emendetur, uti Ratisbonę nuper decretum sit, si contributionum tollatur inæqualitas, non se defuturos esse publicis necessitatibus: quod ad Henricum Brunsuicensem attinet, senatum sibi dari, causamque cognosci petunt, & illum, qui prior uim feciſſet Goslariensibus & Brunsuicis, iure pulsum ac profligatum esse, liquidò se demonstraturos aiunt. Cæsar ad ea, per Nauium, præsente Granuellano, biduo pòst, non esse quòd amplius requirant: satis enim ipsis esse de pace cautum superioribus decretis: Camerę iudices, indicta causa remoueri non posse: iam Octobri mense futurū, ut de ipsis inquiratur, nec impunè fore, si quid in eis culpæ residebit: contributionum moderationem, nisi de communi omnium ordinum uoluntate ac consilio, fieri non posse: respiciant ad præsen-

tem reipublicæ ſtatum,&,quia maximi ſit res periculi, niſi ſubuenia/ tur quamprimùm,auxilia conferant aduerſus Turcam, reliquorum ordinum exemplo: ſibi nunc eſſe totis uiribus eundum in Galliæ re/ gem ac ducem Cliuenſem, quò ſuos ab iniuria defendat: Henricum Brunſuicenſem uehementer urgere reſtitutionem: itá que,quid in eo ſit ipſorum uoluntatis,oſtendant. Illi,reſponſum hoc in literas refer/ ri,ſibique dari petunt,ut diligentius expendant:annuit Cæſar,& po/ ſtridie Spira profectus Moguntiam contendit. Eouſque ſecuti lega/ ti,cum ſcriptum illud accepiſſent, Granuellano ſimul & Nauio refe/ runt,quamobrem ſibi de pace non ſit ſatisfactum, & Cæſaris declara tionem Ratisbonenſem, de qua ſuperiori libro diximus, urgent, & prorſus eadem petunt, &,quia de cauſa Brunſuicenſi cupiant audiri, nullum amplius habere ſe mandatum in eo, demonſtrant. Illi ue/ rò,Cæſarem aliter facere non poſſe dicunt, & ſuperiora repetunt, & Brunſuicenſem,niſi reſtituatur, ipſum hauddubiè rationes initurum eſſe docent, quomodo ſua recuperet: cùm igitur in eo permanere/ tur,legati diſcedunt,ut ſuis renuncient. Spiram uenit ad Cęſarem, archiepiſcopus Colonienſis,& pro Cliuenſi intercedit, ſed id fruſtrà fuit:niſi enim à Geldriæ poſſeſſione prius ille diſcederet, nullam pa/ cis mentionem Cæſar audiebat. Et quum Saxonicus legatus, man/ datu ſui principis,Granuellanum,Moguntiæ, pro Cliuenſi deprecа/ retur,ac perſuadẽdi cauſa, reipublicæ diceret priuatam iniuriam eſſe condonandam, præſertim iam imminente Turca: non eſſe diſceſſu/ rum à propoſito Cæſarem,ille reſpondet,quęcunq; tandem ſit futu/ ra Turcarum impreſsio. Diximus antea,quemadmodum Hildeſ/ ſemenſes,proiecta religione pontificia, uenerint in fœdus proteſtan/ tium: epiſcopus autem eius ciuitatis, Valentinus, grauiter eos & ad Cameram & ad Ferdinandum regem,& nunc etiam ad Cæſarem ac/ cuſabat, quòd ueterem religionẽ & eccleſię ritus mutaſſent,quòd no uos inſtituiſſent populi doctores, quòd Miſſam abrogaſſent, quòd antiquæ religionis ſectatores mulctarent, quòd non aras tantùm & baptiſteria,ſed templa quoque diruerent,quòd eccleſiaſticorum bo/ na mobilia, ſupellectilem omnem & ornamenta partim amouiſſent, partim ad ſe receptis clauibus detinerent,quòd nuper etiam editis lu/ dis,uirginem Mariam reliquoſque diuos, per ludibrium uulgò tra/ duxerint,quòd ipſius iuriſdictioni ſe ſubtrahere cogitarent, quòd in proteſtantium fœdus atq; clientelam ſeſe dediſſent, quòd monachos & id genus alios,ad ſuę religionis obſeruationem,ui cogerent,& eos,

qui

qui non essent obsecuti, palàm afficerent cõtumelijs, & finibus etiam exterminarent. Hac audita criminatione, Cæsar, Augusti die sexto, Vuormacia dat literas ad illos, & grauissimè comminatus mandat, ut & religionem & quęcunq; alia in pristinum statum restituant, donec publicè decretum aliquid fuerit. Triduo pòst, Mogũtia dat literas ad senatum Colonienſem. audire se, concionatores quosdam in hoc esse totos, ut ipsos ab antiqua religione dimoueant, quibus tamen ipsi fortiter adhuc restiterint: id autem permagnæ sibi uoluptati esse, & monere, ut in eo permaneant, & ciues in officio contineant: hoc sibi longè fore gratissimum, et ipsa quoque re, suo tẽpore declaraturum. In eandem propè sententiam pontifex quoque tum senatui scripserat, itáq; conuocato populo senatus mandat, ut his edictis pareant. Calendis Iunij pontifex collegis primarij templi Coloniæ, scribit. in hac animi solicitudine & dolore, quem percipiat ex archiepiscopi uesania, ualde se recreari fortitudine ipsorum atque pietate, quæ non ipsis tantùm, sed et uicinis omnibus perquàm sit salutaris: quòd enim & amplissima ciuitas & prouincia tota sit incolumis, post Deũ immortalem ipsis acceptum esse ferẽdum: itáq; permagnas ipsis agere gratias, ob tam strenuè nauatam operã, eiusq; rei perpetuam apud se futurã esse memoriam: licet enim officium fecerint, tamen propter rem & exemplum, fateri, plurimum se ipsis debere: ueruntamen opus esse constantia, uel eo maximè, ne, si relanguescant, archiepiscopus, cùm fortè superior euadet, grauiter in ipsos uindicet: sint ergò fortes in defensione nominis diuini & catholicæ religionis, & suæ ipsorum libertatis atque salutis, quam impius hæresiarcha studeat euertere totam & labefactare: non quidem ipsis opus esse monitore, sed tamen hoc etiam ueluti calcar addere se uoluisse currẽtibus, et rogare plurimũ, dent operam, ne ille, qui sit indignus nomine archiepiscopi, nobilissimam ciuitatem contagione sua lædat: neq; pro pastore illum habeant sed pro hoste: se quidem neq; consilio nec ipsa re defuturum ipsis. Has literas Ioannes Poggius, pontificis apud Cęsarem legatus, Moguntia mittebat illis Augusti mensis die xxv. Paulò ante hoc tẽpus, Galliæ rex in Veromanduos cum exercitu profectus, oppidulum Landresium Cęsari adimit, & opere pręsidióq; munit. His ipsis quoq; diebus, Barbarossa Turcicus legatus, ductore Polino Gallo, magna cum classe Tollonũ applicuit, quod est prouincię Gallię oppidum atq; portus inter Massiliã atq; Niceam. eius de aduentu rex ubi cognouit, Angianũ Vendomensem cũ copijs & triremibus illi mittit

auxilio. postea simul ambo Niceam uersus contendunt, & cùm oppi-
dum atque portum, Augusti mensis die uigesimo cepissent, arcem ob
sident. Alter Turcarum exercitus in Pannoniam irruit, Quinquec-
clesiam oppidum, & urbem arcémque Strigoniam capit, Albam au-
tem regalem expugnat. Miserat auxilia pontifex, Baptista Sabello,
Iulio Vrsino, ducibus: uerum ij paulò serius aduenerunt. Theologi
Parisienses, ubi de Landro & Depensio triumphassent ad eum mo-
dum, sicut diximus, doctrinæ capita promulgant, illa nimirum, quæ
suprà docuimus concionatori Landro fuisse priuatim ab illis propo
sita. sunt autem numero ad xxv. Res acta fuit Lutecię Calendis Au
gusti, & per præconem tuba conuocato de more populo, recitata fue
runt dogmata, post etiam typis excusa, mandatu regis, qui & illa san-
ciebat, & graui denunciata pœna, ne quis omnium contrà faceret aut
doceret, edixit, addito etiam decreto de perueſtigandis Lutheranis.
Theologi præterea, nouicijs ipsorum professionis, & ijs qui nomen
habent à lauri bacca, cæterisque mandant, ut hanc formulam sequan-
tur. alioqui contubernio iplis interdicunt. His illorum dogmatis
aduersarium deinde scriptum edit Caluinus, & antidotum uocat, eos-
que multo sale perfricat, & eodem ferè tempore libellum emittit, lin-
gua Gallica scriptum, de sanctorum reliquijs, ut & hæc ætas & poste
ritas uideat, quò fuerit delapsa religio: sed ea solùm, quæ sunt ipsi no-
ta, recensет, & optat in alijs quoque prouincijs idem fieri. Sunt autem
in eo numero, præsepe, cunæ, lintea, præputium, sanguis Christi, par
tim purus, partim aqua dilutus, hydriæ nuptiarũ in Cana Galileę, ui-
num, quod tunc ex aqua Christus fecit, suppellex ultimę cœnę, quam
habuit cum apostolis, manna populi Israelitici: crux, calamus, claui,
spongia, lancea, corona spinea, uestis, calcei, sudarium, lachrymę Chri
sti: lac, interula, capilli, cingulum, crepida, pectines, annulus Marię uir
ginis: pugio & clypeus archangeli Mihaëlis: occiput, mandibula, ce-
rebrum, digitus Ioannis Baptistæ: cathedra, pedum, missaria uestis,
cerebellum Petri: deinde, corpora diuorum, & quidem uarijs in lo-
cis eadem. Ostendit autem, quanta ueneratione populus hæc omnia
sit prosecutus, cùm ea sacrifici non sine precio illis exhiberent, & è lon
ginquo spectanda proponerent, rem uidelicet nihili, friuolam, ab ip-
sis propter quæstum excogitatam, & quæ propius inspecta, nihil ha-
beat præter fucum & umbram. Cæterùm, in Belgica duæ sunt ur-
bes potissimùm, hoc nomine celebres, Treuirensis & Aquensis. huc
enim, uisendi causa reliquias, ut aiunt, confluere solebant homines,

etiam

etiam ex Pannonijs & Illyrico, quum septimo quoque anno, ut maior esset authoritas & admiratio, suas merces negociatores illi proferrent. Cęsar Moguntia Bonnam uenit secundo flumine: docebat ibi tum Bucerus, ut antè diximus, & Caspar Hedio quoq;, Argentina nuper accersitus ab archiepiscopo, uir et ingenij ualde sedati, & ad docendum populum inprimis idoneus. Erant utérque non in nullo discrimine, maximè, præsentibus Hispanis: Cæsar etiam, ut eos dimitteret, ab archiepiscopo per legatos contendit: Melanchthon iam antè discesserat: illi etiam non multò pòst, impetrata dimissione, & constitutis ecclesijs atque ministris, domum reuerterũt.

Inde Duram Cæsar petit, & quum ad Augusti diem uigesimum secundum eò uenisset, postridie misso præcone, deditionem sibi fieri postulat: nisi faciant, bellum denunciat. Milites præsidiarij contemptim respondent, neque sibi periculũ esse dicunt ab illo, qui iampridem sit factus esca piscium. nam rumor increbuerat, Cæsarem, quũ post cladem Argieranã, ex Aphrica domũ rediret, facto naufragio, perijsse: & hęc opinio sic insederat animis populi Cliuensis, ut etiam illis, qui se non uidisse modò Cæsarẽ, sed conuenisse quoq; dicebant, uix crederent. principi quoque fuit idem persuasum, fatali quadam credulitate. huius autem figmenti putantur authores fuisse Galli, ne Cliuenses remollescerent, ac Cæsaris potentiam ueriti, paciscerentur. Eo dato responso, Cæsar, communitis castris, & rebus omnibus instructis, Augusti die uigesimo quarto, prima luce, tormẽtis oppidũ oppugnat, postea militẽ immittit, Hispanos maximè, quorũ erat ingens alacritas. ij sæpe repulsi, quum plurimos è suis desiderassent, nõ prius conquieuerunt, quàm ui caperent. oppidanorum ea fortuna fuit, quę solet esse, quũ ferro uia fit et aditus. Porrò, caput hic ostentari solebat Annę, quę mater fuit Marię uirginis, eóq; ueniebat quotannis magna hominũ multitudo, ad uigesimũ sextum Julij diẽ, qui consecratus est illi diuæ: sed Hispani uictores, caput illud, inclusum auro, magna cum pompa religiosè deferebant in ædem Franciscanorum, ne in illa ruina & templi cõflagratione periret. Oppido direpto & incenso, Cæsar progressus, Juliacũ, ac deinde Ruremundã, quod est ad Ruræ fluminis & Mosæ confluentẽ, oppidum Geldrię munitũ, deditione capit. nam Duræ calamitas inopinata, magnam omnibus trepidationẽ atq; terrorẽ attulit. Ruremunda Venlonum petit. eò tandem ad ipsum in castra uenit, dux Cliuensis, comitatus Hẽrico Brunsuicensi, et legatis archiepiscopi Colonienſis Hermãni?

cúmq; ſupplex deprecaretur, Brunſuicenſis etiã & legati uehemẽter intercederent, Cæſar tandem conſurgit, & Auraicæ principi ac Granuellano dat negociũ, ut leges illi preſcribant. His ergò cõditionibus, in gratiam, Septembris die ſeptimo, receptus eſt. ab eccleſiæ catholicæ religione non diſcedat: ſi quid mutauit, reſtituat: fidem & obedientiam Cæſari, Ferdinando regi & Imperio promittat: fœderi Gallico & Danico renunciet: fœdus nullum faciat, in quo non & Cæſar & Ferdinandus & ipſorũ excipiantur hæredes: à totius Geldriæ poſſeſſione decedat, & iuſiurandũ populo remittat: ad recuperandam Geldriam, ſi quæ fortè loca deditionem facere recuſent, auxilia Cęſari ſubminiſtret: Cęſar inuicem illi prouinciã Iuliacenſem, bello nuper acquiſitam reddit, duobus exceptis oppidis, Hensbergo & Sittardo. quæ ſibi retinet ad tempus, donec de ipſius fide compertum habeat & obſeruantia. Dum in Cliuenſem Cæſar uadit, Galliæ rex, per Campaniam petit agrum Luceburgicum, & ſororis filiam Ioannam, Cliuenſi deſponſam et publicè traditã ante bienniũ, uti ſuprà diximus, accerſit, traducturus eam ad maritũ. Ibat illa quidem inuitiſſima, ſicut antè quoque demonſtrauimus, ueruntamen auunculo regi morem gerebat. Additus autẽ ei fuit à rege cardinalis Bellaius, epiſcopus Pariſienſis, tanquàm unus omnium maximè idoneus, qui & animum ipſius flecteret, & totius itineris eſſet comes. Cúmque iam perueniſſet in Sueſſiones, inde petitura regem, ecce nuncius adfertur de ſubiugato Cliuenſi. qua quidem re uehementer exhilarata, non ſibi uerendum amplius, & quorſum ea res pertineret, ſatis uidebat. nec aberrauit: nam eo cognito, rex admodum fuit perturbatus, itáq; domũ illa reuertit. Ipſe uerò progreſſus nihilo ſecius, Luceburgum urbem rurſus occupat ſub finẽ Septembris, & habita deliberatione, munit. Hoc etiã tempore, Britanniæ rex Henricus, fœdere nuper aſſociatus Cæſari, copias aliquot militũ tranſmittit in Belgiũ, qui Cęſarianis coniuncti, Landreſiũ obſident. Interea uenit Metim, initio menſis Octobris, miſſu Cęſaris, Carolus Boſetus iurecõſultus, et primis aliquot diebus, cõmunicato cũ ſenatu, cũ monachis & eccleſiaſticis conſilio, quum ex cõcionatoribus alterũ, ad ſe uocatũ, acriter obiurgaſſet, mandat, ut antè triduũ excedat urbe, neq; ſermonẽ deinceps cum ullo ciue conferat, capitis denũciata pœna, ſi ſecus faciat. pòſt, ad idus Octobris recitatur edictum Cęſaris, quo ſenatui mandat, ne quid noui dogmatis admittãt, & in ſontes animaduertant. itáque ſenatus edicit ciuibus, ut antiquã

religio-

religionem colant, ut suspectos & improbatos libros intra septimum diem proferant in medium, ut ecclesiæ legibus pareant, ut diebus uetitis ab esu carnium abstineant, ut ordinis ecclesiastici uiros reuerenter habeant, ut qui propter diuersam religionem sese dederunt in clientelam atque fidem protestantium, intra certum tempus ei renuncient: qui secus fecerint, ijs & mulctam & exilium & alias pœnas, pro cuiusq; merito, constituit. Barbarossa cùm arcem Nicenam frustrà circumsideret, copiæ etiam Cæsaris ex Insubria superuenirent, Daualo ductore, maturius paulò, quàm tempus anni postulabat, exercitum in hyberna, Tollonum deduxit. hoc enim oppidum ei rex attribuerat, iussis illinc emigrare ciuibus & incolis. Vigebant hoc anno seditiones atque turbę per Scotiam, diuisis procerum animis. nobiles enim illi, quos in Anglia captos fuisse diximus, liberaliter à rege dimissi, rebus eius uehementer studebant: cardinalis autem Scotus, qui magnos haberet in Gallia census annuos è sacerdotijs, & regina Guisij filia, regis Gallię partes tuebantur. A morte Scotiæ regis, Henricus octauus in hoc erat totus, ut Eduardo filio suo reginula Scotiæ nuper nata desponderetur. in ea re bonā operam nobiles illi, quos diximus, ei nauauerant: & quum Iacobo Hameltonio gubernatori persuasissent, cardinalem Andreanum capiunt, & reginam in arce quadam obsident, & confectis literis, matrimonium illud ratum habent. Cùm autem Galliæ rex consilium hoc turbaret, nobilitas etiam reginæ sortem indignè ferret, & Hameltonius in alteram partem transiret, discessum fuit à pactis: itáque bellum rursus incruduit inter ipsos, & Anglos, ut infrà dicetur. Bellum etiã erat Daniæ regi cum Cæsarianis Belgis, propter Christiernum regem captiuum. & ille quidem protestantes de auxilijs interpellabat, sed hi causam hanc ad fœdus nihil pertinere dicunt. nam cautum erat, si religionis nomine bellum ei fieret, ut tunc communibus auxilijs defenderetur. Cliuensis, facta cum Cæsare pace, legatum mittit ad Galliæ regem, eiúsque fœderi renunciat, & uxorem sibi mitti petit, pro cuius transitu fidem publicam Cæsaris impetrasset. Rex legato respondet. quò minus ei sit & uxor tradita, & missus etiam exercitus, per se non stetisse, uerùm ipsius factũ esse culpa, qui nunciarit, neque patére uiam per ea loca, nec alimoniam subministrari posse: quicquid promiserit, liberaliter se præstitisse, et aliquanto plus etiam quàm deberet: ipsum uerò minus rectè feciisse, qui sui generis & conditionis oblitus, in talem seruitutem sese coniecerit: ad

neptem quod attinet, licere ut de parentum atq; etiam illius uoluntate cognoscat: se quidem ipsi nulla re deuinctum amplius esse. Cæsar, compositis rebus per Geldriam, Octobri mense Landresium uenit, ingenti cũ exercitu. uenit etiam eò Galliæ rex, totis uiribus, & omninò res ad prælium spectabat: sed quum annonã intulissent Galli, silentio noctis illinc discedunt, nec deprehensum hoc ab hoste fuit prius, quàm illuxisset. tunc demum insecuti, postremum agmen morantur, & cõplures interficiunt. Et quia iam suberat hyems, Cæsar nihil amplius tentandum existimans, cùm ad obsidionem Luceburgi copias aliquot misisset, reliquum exercitum dimittit. Landresij militabat Cæsari uoluntariè Mauricius. qua quidẽ re magnam sibi beneuolentiam & aditum ad illius amicitiam comparauit. Per hyemem, Lotharingię dux & alij quidã de pace intercedunt, sed id frustra fuit. Cęsar Landresio domum reuersus, Ferrandũ Gonzagam, proregem Siciliæ mittit ad Angliæ regẽ, ut eum aduersus Gallum amplius excitaret. De Gulielmo Furstembergio diximus nõ semel: is factus alienior à rege Galliæ, per Granuellanum sibi uiam facit ad Cęsaris gratiã: útq; fidem suã approbaret, collectis in agro suo copijs aliquot peditũ, media bruma Luceburgum petit, & Cæsaris copijs sese cõiungit: sed cùm Galli, ductore Longeuallo, cõmeatum intulissent, nulla re perfecta discedit, multis ex frigore desideratis & inedia. Suprà dictũ est, Imperij conuentum à Cęsare fuisse indictũ ad ultimum Nouembris diem: protestantes ergò Francofurti prius cõueniunt, & de rebus ab se tractandis in comitio, deliberãt. & cùm propter bellũ Gallicum res extraheretur, Saxo & Lantgrauius, datis ad Cæsarẽ Nouembri mense literis, ad comitia se uenturos dicũt, si quidem ipse ueniat, & sibi sociisq; publica fide caueat. Cæsar ad ea, Bruxellæ, Decembris die decimo, sese uenturum, & Ianuario quidẽ mense, respondet, ac simul cautionis formulam mittit: illos uerò, qui suis hostibus fide uel pactione sint addicti, excludit, Galliæ regis delignãs emissarios occultos. Initio deinde Ianuarij mẽsis è Belgio profectus, Spirã uenit. huius mẽsis die XXIIII fuit magna solis eclipsis, interdiu, sic ut ab omnibus non sine admiratione cõspiceretur: Lunæ quoq; tres hoc anno fuerunt eclipses plenæ. res nimirum prodigiosa, & quam à Caroli magni tempore nõ accidisse physici dicunt. Cardinalis Farnesius Alexander, itinere facto per Galliã, Cæsarem euntem ad comitia conuenit, ab eóq; Vuormaciæ dimittitur. legationis causa fuisse putatur, intercessio de pace. Frequens admodum fuit hic Spirę conuentus, nam & Ferdinandus rex, & electores omnes

M. D. XLIIII.

nes, quod rarò fieri solet, & plærique omnes principes aderant, & in his etiã Cliuensis. Aduenienti Saxoni, quod fuit XVIII die Februarij mensis, obuiã profecti sunt Lantgrauius, archiepiscopus Coloniensis, Fridericus Palatinus, & Siciliæ prorex. biduo pòst fit initiũ, & proponit Cæsar. Quibus de causis, Hispania relicta, rursus in Germaniã iter susceperit, & conuentũ hunc indixerit, literis suis Genuæ datis explicasse: nec opus esse repetere seu cõmemorare, quantópere salutẽ reipublicæ semper amarit, quò uidelicet domi cõpositis rebus omnibus, in Christiani nominis hostẽ arma sumerentur: ideóq; superiori comitio Ratisbonę diligenter egisse de cõparandis copijs & auxilijs: & quum anno sequenti bellũ aduersus illũ susceptum, minus fœlicem haberet exitũ, in postremis deliberationibus placuisse, finitima loca præsidijs tantùm & opere, hoc quidẽ in tempore, esse cõmunienda: iam, licet ipse tum uehementer optarit adesse bello, pro sui muneris ratione, tamen, quibus rebus, et per quem sit impeditus adhuc atq; tardatus, notũ esse publicè: nam impulsu stipendióq; Galliæ regis, anno superiori, Turcicã ueniisse classem in mare Liguscicũ, & in Sabaudię ducis, Imperij principis agrum inuasisse, & capta Nicea cum portu, magnis uiribus arcem ijs locis obsedisse, et tormentis acriter oppugnasse: ac licet suis copijs aduentantibus obsidionẽ soluere coacti sint, tamen in alia tum Imperij, tum Hispanicæ ditionis loca circumtulisse bellum, & in hoc nunc esse totos, ut omnia disperdant: in summum ergò periculum & extremum ferè casum rem esse deductam, ac nisi coniunctis animis & uiribus occurratur, futurum, ut ferò nimis calamitatem suam Germania deploret & agnoscat; se quidem ijs malis optasse non semel mederi, sed inferente sibi bellum Galliæ rege, diuersis locis, nec in Germaniam redire, neq; sua cum ipsis auxilia coniungere potuisse: Cur autem Germaniam Turca tàm confidenter petat atque tentet, cur etiam in illum susceptа bella tàm infœliciter adhuc administrata sint, hãc esse causam, primùm, quòd de dissidio religionis, de publicis & priuatis ordinum offensionibus, de statu rerum & ijs quæ geruntur in Imperio, singulis temporibus, per Galliæ regem ille cognoscat, ad quem ista perferantur: deinde, quòd in Galliæ rege fauorem & auxilia sibi parata esse uideat, ut proximis comitijs explicatum testimonijs atq; literis, nunc etiam ipsa re demonstratum sit: & quanquàm utile reipublicæ fuisset, hos Galliæ regis conatus opprimere statim et resecare, ne longius uagarentur, tamen placere sibi, quod in proximo Noribergæ

conuentu responsum ea de re dederunt: quia uerò ille communem omnium & immanissimum hostem in rempublicam Christianam excitat & armat, existimare se, fore ut hoc bellum, quod ipse iam in illum necessariò suscipit, nõ secus habeant, quàm si in Turcam ipsum suscipiatur: fore etiam, ut non solùm actiones illius atque consilia damnent, sed opem quoque sibi ferant, quò nimirum ab hoste domestico liberatus, uim omnem aduersus Turcam explicare possit; Cæterùm, audire se, non absque molestia, quæ decreta sint auxilia comitijs anteactis, non esse collata sicut oportuit, et serius multò, quàm expediat reipublicæ: cùm enim in ijs Ferdinandus rex frater spem ferè totam collocasset, & superiorũ annorum sumptibus exhaustus non ità multùm ipse præstare posset, Turcam hoc anno proximo rursus alia quædam ademisse nobis oppida & arces, quæ sanè clades potuisset euitari, si quidem auxilia decreta, suo tempore subministrata fuissent: Quum is ergò sit rerum status, cùm in hoc Turca totus elaboret, ut expugnata Vngaria, tanquàm propugnaculo, et multis iam patefactis uijs, Germaniam debellet, quum res ipsa postulet, ut Pannonij liberentur, ne uidelicet destituti Turcicum imperiũ subire cogantur, & ex amicis fiant hostes, petere, ut de re tanta déque perpetuis & continentibus auxilijs deliberent, non defendendi tantùm sed & inferendi belli causa. quò uidelicet ab uxoribus & liberis & à communi patria, pestis hæc omnium nocentissima profligetur: Ad illa uerò quod attinet, quæ magnum hucusque publicis actionibus impedimentum intulerunt, cupere se, quantùm omninò possit, remedium adhibere: & de religione quidem scire ipsos, quantus labor suus interuenerit & solicitudo, multis abhinc annis, ac nuper etiam Ratisbonæ: sed cùm ibi non posset iniri concordia, reiectam fuisse causam ad concilium aliósque cõuentus: ac deinde solicitatum ab se pontificem, concilium indixisse, cui sanè decreuerit ipsemet interesse, nisi Galliæ rex bellum sibi mouisset: Interea quid actum sit, è suis hoc ipsos legatis hauddubiè cognouisse: nunc uerò, cùm idem adhuc maneat dissidium, reipublicæ sanè uehementer incommodũ, petere, dispiciant ac secum ipsi cogitent, qua potissimùm uia tolli possit & emendari, sibíque rationem illam, quæ uidebitur ipsis optima, demonstrent: ut etiam Cameræ iudicium, publicæ pacis uinculum & firmamentum, legitimè constituatur, & iam antea se prouidisse, et deinceps quoque nihil in eo prætermissurum. Eodem die Ferdinandus rex, per legatos, de Turcarũ excursionibus multa locutus,

auxilia

auxilia petit. Statim posthæc, Saxo, Lantgrauius atq; socij, ad Cæsarem oratione conuersa, scis, inquiunt, inuictissime Cęsar, quemadmodum inde ab initio testificati sumus, uelle nos in hoc amplissimo consessu causam explicare susceptæ defensionis aduersus Henricū Brunsuicensem: eiusdē nunc quoque sumus uoluntatis atq; cōsilij: neque dubitamus, quin audita re tota, causæ uobis apparebunt graues atq; iustæ, quamobrem et ea defensio nobis necessario suscipienda fuerit, & illi non liceat interesse concilio principum: sed quia uidemus illum ingerere se ipsum huic consessui, nobis minimè comprobantibus: quod unū possumus atq; licet, ne uidelicet deliberationes publicæ tardentur aut impediantur, profitemur nos illū non habere nec agnoscere pro principe Imperij, nec etiā uelle ius aliquod nostrū, per ipsius præsentiā nobis deminui. Brunsuicensis ad ea, mox è uestigio, per cancellariū, Saxo, inquit, Lantgrauius atq; socij, uiolato iure diuino & humano, perruptis Imperij legibus & fracta fide publica, per uim & summā iniustitiā, prouincia mea me spoliarunt. quo quidem nomine ipsos ad Cameræ tribunal accusaui: quod cùm ità sit, nec locū in Imperij senatu habere possunt, &, si quem habuerūt, eum hoc admisso facinore, iā amiserunt, & digni sunt, quorū consuetudinem omnes defugiant: si uerò res ità ferat, ut in publicis deliberationibus mihi sit ipsis assidendū, profiteor, me nec hunc eis locū tribuere, nec actioni meæ quicq; uelle propterea derogatum esse. Protestantes iam tum cupiebant facti sui rationē, et rem omnē cōmemorare de scripto, ne uidelicet illius criminatio uera putaretur, aut in animis hominum defixa maneret: sed per Fridericum Palatinum atque Nauium Cæsar petebat ab ijs, quia multus iam esset dies, ut differrent, simul affirmabat se uelle diem ipsis designare, quo sua proponant. itáque morem illi gerunt. Et quoniam in consessu principum, Lantgrauius tunc fortè proximum habebat à Brunsuicensi locū, Ioannes Palatinus princeps, Simmerius, uitandæ simultatis causa consurgit, & medius inter utrunq; sedet, professus antea, ne sibi suæq; familiæ fraudi sit istud aut præiudicet. monitu Cæsaris id feciſſe putatur. pridie Saxo & Lantgrauius Fridericum Palatinum atq; Nauium orauerant, efficerent per Cęsarem, ne Brunsuicensis in communem cœtum ueniret: id autē impetrari non potuit, cùm Cæsar illū excludi non posse diceret, nisi causis primùm explicatis. Galliæ rex, qui facilè poterat scire, Cęsarem de se grauem habituram querimoniā ad principes, legationē decernit amplissimam, Ioannē Bellaium cardi-

nalem, Franciſcum Oliuerium Alenconium, Africanũ Malleium, prætorem Diuionenſem. Hi quum Ianuario menſe ueniſſent Nanceium, oppidum Lotharingiæ, ſubſiſtunt, & cautionem Cæſaris expectant. fœcialem enim rex pręmiſerat Spiram, eius rei cauſa, cum literis ad Cæſarem, & priuatim etiam ad principes electores, quibus literis petebat ſuis legatis publica fide caueri. Cùm autem ferè ſub exitum Februarij, fœcialis eò ueniſſet, indutus ueſte ſolenni, ſicut fieri conſueuit, ſiſtitur à Granuellano, cui & literas reddit ſui regis ad Cæſarem ſcriptas, cùm aliter non poſſet, & ſui cauſam aduentus explicat, & legatis, qui non ità procul abſint, iure gentium caueri petit. Iuſſus manere domi, & diligenter obſeruatus, ne quis ad ipſum colloquẽdi cauſa ueniret, quarto pòſt die dimittitur, aſperrimis uerbis. Imprudenter ipſum feciſſe, & magnum adĩſſe capitis periculũ, qui ſit auſus eò uenire: nam regem, qui ſit hoſtis Germaniæ, non habere quod agat intra fines Imperij, neque ius gentium illi communicandum eſſe: redeat ergò domum, & hæc regi ſuo renunciet: non eſſe uerò, quòd poſthac aut ipſe uel quiuis alius accedat: & nunc quidem ipſi condonari factum atque remitti, clementia quadam Cæſaris, magis, quàm pro ipſius merito, ſed caueat in poſterum: alioqui non laturum impunè: nam feciſſe contra leges fœciales, nec in Cæſaris domicilium ei licuiſſe uenire, niſi de illius permiſſu: quòd ad literas attinet, quas habere ſe dicat, ità regem eſſe de republica Chriſtiana & inprimis de Germania meritum, ut in hoc rerum ſtatu Cæſar neque uelit neque debeat eas recipere, ne per illius uſitatum ſcribendi genus atque promiſſa, uel ipſe uel etiam alij decipiantur. Hoc reſponſum gallicè perſcriptum ei datur. Sic ergò remittitur cum literis regis ad Cęſarem ſcriptis atque principes, & additi fuerunt equites nonnulli, qui Nanceium uſque perducerent. huius autem rei nihil fuit communicatum principibus, ac plærìſque uidebatur hoc ab Imperij conſuetudine eſſe alienum. Ea re cognita, legati magnis erãt in anguſtijs, ualde ſoliciti, quomodò ſine periculo domum redirent: collato autem conſilio cum Lotharingiæ principe Antonio, noctu clanculum diſcedunt, incꝫ Galliam propinquã reuertuntur. Dum adhuc Nancei commorantur, uenit Spiram principis Antonij nurus, ut, quod ipſe non potuit, nec alij quidam, hoc iſta, quæ Cæſaris eſſet è ſorore neptis, & precibus & lachrymis & cõmendatione quadam ſexus impetraret. ſed et hoc fruſtrà fuit. Cęſar enim animo prorſus obfirmato bellum cogitabat, & ità faciundũ dicebant conſiliarij,

retinendæ

retinendæ causa dignitatis & existimationis. Lotharingiæ uerò dux, etsi neutri erat addictus, & quanquam iam olim cum utroque pactus erat, ut id sibi liceret, tamen, cùm ad suos fines bellū esse gerendum, nec id sine graui suo dispendio fieri posse uideret, de pace multùm erat solicitus. Februarij die nono, principes quidam, hortatu Cæsaris, Spira dant literas ad pontificem Romanum, quùm anno superiori audissent, Cæsaris copijs & ipsius etiam auxilijs, Turcas atq; socios, ab arcis Nicenæ obsidione depulsos, fuga sibi salutem quęsiuisse, magnam animo se percepisse uoluptatē atq; lætitiam, eóq; magis, quòd intelligerent, illo capto propugnaculo, non ecclesiæ modò Romanæ prouincijs, uerum & Italiæ & uniuersæ reipublicæ magnum imminere discrimen: sed quum in hoc tēpore ex fide dignis audiant, illos restaurare Tolloni classem atque copias, ut arcem illam in suam potestatem redigant, angi non mediocriter, ob commune non periculum modò, sed dedecus etiam: & hanc esse causam, quamobrē pro sua in ipsum obseruantia & amore scribant ad ipsum, qui sit reipublicæ parens. itáq; rogare plurimùm, ut Sabaudiæ principi Carolo suum & consilium & opem communicet, & pro singulari sua prudentia secum ipse cogitet, quantò satius & reipublicæ sit utilius, primo statim uestigio depellere hostem, quàm differre longius, & post amissam arcem omnium opportunissimam, ad arma uelle concurrere: rationem etiam ineat, quomodò tàm barbarus hostis, non ab ea tantū arce, uerùm ab ijs etiam locis, ubi portum atq; receptum habet, profligetur: nam si Turcam atq; socios ducat hostium loco, quod quidē omninò facturum putent, pro ipsius in remp. charitate, & summi quoq; pastoris officio, si uires huc omneis & ecclesiæ facultates impendat, non dubitare se, quin populum suum Deus è manibus inimicorū eripiat: & quum in arce illa magnum salutis momentū esse collocatum uideat, obsecrare iterum, det operam, ne ueniat in alienam ditionem: hoc & Deo longè gratissimum, & toti reipublicæ futurum esse perquàm salutare. Pontifex ad ea XXVI Februarij die respondet, ut arx Nicena consistat, daturum se deinceps operam, sic ut adhuc quidem fecerit: pergratam sibi esse ipsorū erga se beneuolentiam, & sperare, quemadmodum de Nicea soliciti sint, futurū, ut pro republica non minorem quoq; curam suscipiant: hoc enim ipsos inprimis decere: quo semper ipse fuerit animo in commanem hostem, inde à suæ administrationis initio, palàm esse notum: etenim aduersus illum auxilia se perpetuò tulisse, bellíq; subministrasse duces atq; classem, in Pannonijs &

in Aphrica: nihil denicꝫ non feciſſe, quò tàm ſęuum & importunum hoſtem ab orbis Chriſtiani ceruice depelleret: itáque continentibus ac prope quotidianis impenſis exhauſtũ eſſe per hoc decennium, quo reipublicæ præſit: & hos quidẽ ſumptus feciſſe in maximis anguſtĳs ærarĳ, quandò uidelicet defectione multorum ualde ſint illius acciſæ facultates & imminutæ: Quid? an ullum ſuum deſiderari poſsit officium, qui non modò crebras miſerit legationes, uerùm ipſe quoque profectiones multas reipublicæ cauſa ſuſceperit? ante biennium ab ſe fuiſſe indictum concilium, Tridenti, Germanicæ ditionis oppido, nimirum ut pax Germaniæ reſtitueretur, emendarentur uitia, componerentur diſsidia regum, & belli Turcici rationes inirentur: ſed nihil adhuc labore & ſolicitudine ſua profectum eſſe: nam remanere cõmunis morbi cauſam, & rempublicam ueluti tabe quadam indies magis atcꝫ magis interire: Quòd autem arcis Nicenæ tuitionem ſibi tantopere commendent, eſſe pergratum, & omni ratione deinceps curaturum, ut non uni tantùm loco bene ſit, uerùm, ne cæteras quoque prouincias contagio lædat, & ut à Turcis ac id genus impĳs hominibus reſpublica liberetur: ſui enim eſſe muneris, in uniuerſum prouidere membris omnibus, & languenti corpori medicinam facere: ſicut ergò Niceam ſibi cõmendent, ità ſe uiciſsim reipublicæ ſalutem ipſis commendare, quæ ualde ſit afflicta & debilitata: ſanandi uerò rationem eſſe primam & unicam, ut regum animi concilientur: nam abeo fonte manare quicquid ſit incommodi: diſſidĳs autem illis ſublatis, priſtinum nitorem eſſe rediturum: etenim ante ſimultatem hanc & offenſionem, nec hæreſes in Germania, necꝫ per Pannonias aut Italiam extitiſſe Turcas: ubi primùm uerò diſcordiæ ciuili patefactus fuit aditus, è ueſtigio natas eſſe hæreſes & factiones & odia tum publica tum priuata, ſed & concilium, quò minus cogeretur, impeditũ adhuc atcꝫ tardatum eſſe: ſtabiliendam igitur pacem, quæ prius fuit, & medicorum imitatione tollendum eſſe morbi principium: nam pace fugari bellum atque Turcam: concilio autem, quod pace recuperata peragi poſſit, hæreſes omneis, & quicquid eſt uitioſum, profligatum iri: ſi ſecus fiat, non eſſe, quòd uel Niceam ab hoſte defendi, uel ullam orbis Chriſtiani partem à periculo uacuam eſſe poſſe putent, imò futurum, ut omneis eadem inuoluat calamitas atque ruina. Martio menſe deceſsit è uita Ludouicus Palatinus elector, eique ſuccedit Fridericus frater. Electores ac reliqui ordines omnes, monitu Cæſaris, Aprilis die ſecundo dant literas ad Heluetios.

Qua

Qua de causa bellum decreuerint aduersus Turcam ante biennium, id ipsos tunc ex Ferdinandi regis atque etiam è suis accepisse legatis: & dolere sibi, quòd non liberalius tunc ad ea responderint: Cæsarem tunc quidem constituisse huic interesse bello, sed impeditum à Galliæ rege fuisse, qui non modò diuersis locis bellum ei fecerit, sed Turcarum etiam auxilia solicitarit: & anno proximo, Turcicam classem, illius auspicio atque ductu, ingressam in mare Ligusticum, intulisse bellum Sabaudiæ principi, capta Nicea: classem autem istam habere nunc quoq; suam adhuc stationem in Gallijs, & in hoc intentam esse, quomodo rebus Imperij Cæsarisq; quàmplurimum noceant: hoc sanè facinus regis, tam horrendum & inauditũ, eò magis esse detestandum, quòd ad impię gentis amplificationem, ad reipublicæ uerò periculum longè maximum pertineat: Itáq; sibi cumprimis uideri mirum, quòd ipsi, quibus non minus quàm cæteris Germanis, à Turca sit metuendum, Galliæ regi copias in illud bellum auxilio miserint, qui Turcam habeat socium & adiutorem: nam sine ipsorum auxilijs non temere illum fuisse bellum hoc ciuile suscepturũ: nunc etiam ad se deferri, denuò solicitari ipsos de nouis mittendis copijs: cùm autem ad omneis æquè pertineat, non modò Turcicam uim reprimere, sed illorum quoq; socijs auxilia quæcunq; detrahere, seruandę causa reipublicæ, orare se plurimùm, ne Galliæ regi, qui propter impium fœdus haberi debeat pro communi hoste, suos deinceps militare patiantur, & eos qui iam fortè profecti sint, reuocent, & ità se gerant, ut publicam salutem ipsos noluisse negligere, uideri possit. Dum de rebus à Cæsare propositis deliberatur, Saxo, Lantgrauius atque socij, Brunsuicensem Henricum, Aprilis die quinta, coram Cæsare, Ferdinando rege, et totius Imperij consessu, de scripto, grauissimorum criminum accusant, & ordine commemorant etiam, quid damni dederit Brunsuico ciuitati & Goslariæ, socijs & confœderatis, quorum salutis defendendę causa, coacti sint ipsi uim illam iniustam propulsare. Postea recitant, quemadmodum annis nunc aliquot totus in hoc fuerit, ut bellum ipsis per occasionem inferret: idq; literarum testimonijs demonstrant, quas, illo finibus eiecto, & arce primaria capta, repertas fuisse, suprà diximus. ijs in literis, quas propè omneis ad Moguntinum, ad Bauarum & ad Heldum scripserat prius, quàm eijceretur, Cæsaris aduentum ab Hispanijs, frequenter optat, & cùm aliquid esset spei, iactat & minatur: & ubi iam Cæsar uenisset, ac lentius ageret, de illius cunctatione queritur atq; mora, neq; sibi socijsq; satisfieri,

& fœdus Noribergæ factum negligi deplorat, & in Granuellanum, qui sit pecunia corruptus à protestantibus, omnem huius rei culpam confert, eique conuicium facit, & mortem ignominiosam, pro ipsius meritò, precatur, & Cæsarem dormire, nec excitari posse, & illius nomen obducere se frequenter ait, ad speciem solùm atque terrorem, sicut aucupes aliquandò soleant ostẽtare mortuum accipitrem, territandi causa. hæ & id genus aliæ multæ literæ, quibus affectum & uoluntatem suam prodit, recitatæ fuerunt. In eandem ferè sententiam & Bauarus & Heldus ad ipsum inuicem scripserant. Et quia Georgij Saxonis frater Henricus, ad protestantium fœdus accesserat, mutata, sicut diximus, religione, literis & internuncijs Cæsarem, ut illi facultates omneis adimeret, solicitauerat Brunsuicensis, fore sperans, ut in eius regionis possessionem ipse mitteretur. huius quoque rei literæ sunt recitatæ. Posthæc, impium esse, ac pontificiam quoque religionem, cuius defensor uideri uelit, ab eo contemni & ludificari, dicunt, idque testimonio luculentissimo docent. Habebat Brunsuicensis in matrimonio, Vuirtembergici ducis Vlrichi sororem, Mariam. huius erat in gynecęo puella quædam eleganti forma, genere nobilis, Eua Trottina. cœpit hãc ille deperire, & cum persuasisset, proles aliquot ex ea procreauit: deinde, quò minus res deprehenderetur, & ut eius frueretur consuetudine diutius, consilium ei dat, ut domum ad parentes uelle redire simulet. currum, equos, & quicquid esset ad profectionem necessarium, ipse subministrat. Abit illa, cunque domum ire putaretur, in quandam illius arcem abducitur. huius arcis præfectus iam antè doctus erat ab eo, quid fieri oporteret: adhibentur etiam una & altera muliercula, quibus ipse maximè fideret. Eua, paucis pòst diebus, quàm eò uenisset, in lectulum sese componit, & morbum simulat. ille iam antè curauerat fieri simulachrum ligneum, quod hominis mortui caput, ceruicem atque pectus repræsentaret: reliquæ corporis partes erant expressæ linteo quodam, id effarciebant mulierculæ cinere uel terra, sic ut solidum uideretur. pòst, ligneum caput atque pectus ei linteo sic effarcto superimponunt & accommodant: linteum uerò sic erat formatum, ut etiam obduceretur capiti. Compositum ergò corpus ad hũc modum & obuolutum, humi reponitur, ut in mortuis fieri consueuit. statim ex mulierculis altera uenit ante cœnaculum præfecti, nunciat Euam esse mortuam: mox ille iubet parari thecam ad reponendum corpus: deterrendi uerò causa, ne quis propius accederet, fingunt interrijs

terijsse pestilẽtia, & iuniperi granis alijsq; rebus odoratis faciunt suffi tum. postea funus effertur, & cum pompa deducitur ad Franciscanos. ij, quum humo conditum esset honorificè, suis usitatis precibus atque sacrificijs illud prosequuntur & Deo commendant, & totum annum deinceps pro concione populum hortantur, ut pro mortua Deum deprecẽtur. Mandatu quoq; Brunsuicensis funus ei fit in eius arcis, ubi mortua esse ferebatur, sacello, conuocatis illuc ex agro uicino sacrificis: idem fit in arce primaria, Vuolfebutelo, quę nõ procul abest urbe Brunsuico. nam & huc ille mortem eius nunciauerat. his autem exequijs aderat ipsius uxor cum pedisequis et cœtu uirginum, omnes cultu lugubri. Venerant eò uocati multi sacrifici, quibus deinde datum fuit epulum, & singulis aliquid loco mercedis, pro ueteri & inter pontificios usitata consuetudine. Interim Eua, cuius mortem adeò multi deplorauerant, rectè ualet in arce Stauffeburgo, ubi subinde reuisit ipsam Henricus, ab eoque tempore proles ex ea sustulit ad VII. uxori quoque persuadet, ut Euæ parentibus atque propinquis mortem illius nunciet. Cùm autem illam superesse, & Stauffeburgi detineri, fama deinde spargeretur, uxor, ad quam etiam istud emanauit, uehementem suspitionem concipit, & è seruulis, quid esset rei, percũctatur: sed ille, ne quis omnium ad ipsam ueniret, ex quo posset aliquid cognosci, uetabat. hanc uerò suspitionem, illa, quoad uiueret, in animo defixam habuit, & subinde datis ad eum literis, miseriam suam deplorabat. Hoc eius factum inter alia fuit etiam in eo confessu recitatum, ut, quid de sua sentiret ipse religione, notum fieret omnibus. Accusationis hic erat exitus, ut docerent, quàm iustis de causis & necessarijs arma sumpserint in illum, qui contemptis & Cæsaris & Ferdinandi regis edictis, pacem publicam turbasset, ac nihil non iniuriarum sociis feciſſet atque confœderatis. Huic actioni Brunsuicensis non aderat, ità uolente Cæsare: nam protestantes optabant illum adesse coràm, de eóque Cæsarem interpellauerant. Postridie paschæ, qui tum erat Aprilis dies XIIII, Cæsariani milites, Alphonso Daualo ductore, confligunt in Pedemontio cum Gallis, ad Carignanũ oppidum, & superantur, multis millibus desideratis. Gallorũ dux erat Angianus Vendomensis, de quo suprà diximus. ea nunciata clade, Cæsarem multi putabãt non recusaturum actionem pacis, uerùm obfirmatè bellum parabat.

Brunsuicensis, accusationi protestantium, Aprilis die XXIII respondet, & uim magnam conuiciorum passim effundit, & coniura-

tionem,rebellionem,perfidiam,rapinam, Gallicam & Turcicam ſocietatem illis obiȷcit, & de literis in arce repertis,utcunqȝ poteſt,excuſat, &, ſi quidem ipſorum excutiantur arculæ, multò poſſe reperiri deteriora dicit:illud autem,quod de Eua diximus,non attingit.Huic recriminationi proteſtantes iterum reſpondent:& cùm publicè nihil amplius in eo Cæſar fieri uellet,ſcriptum exhibent. idem poſtea facit Brunſuicenſis. Aprilis die XXVII,Sabaudiæ dux,Carolus,Galliæ regem in ſenatu principum,per legatos iterum accuſat,& præter ſuperiorum annorum uim ac iniuriam, excitatū ab eo dicit Turcicum legatum Barbaroſſam,qui Gallorū copiȷs adiutus,Niceam oppidum ſuum deditione ceperit,contráqȝ fidem datam diripuerit,& plurimis in ſeruitutem abductis,incenderit. Petit igitur,ut ſibi uehemēter afflicto ſubueniant,præſertim,cùm ad arcis obſidionē omninò redituri uideantur hoſtes:pontificem ab ſe rogatum de auxiliȷs,illud ſolùm uectigal ſibi largitū eſſe, quod ei quotannis dependere ſoleant eccleſiaſtici:ſed illud eſſe uehemēter exiguum in hac ſua tenuitate,quandò uix decimam ſuæ ditionis partem obtineat: quò minus etiam ad comitium ipſe uenerit,per ætatem,& interuallum itineris,& imminens ab hoſte periculum excuſat. ſed neque ſumptū tolerare ſe poſſe dicit, qui uix habeat,quo ſe,filium atque familiam alat. Sub finem Aprilis,Heluetiȷ,qui tunc Badenæ conuentus agebant, ordinum Imperiȷ literis reſpondent.Suos duces ac militum præfectos ab ſe rogatos,affirmare, nullum ſe uidiſſe Turcicum auxilium in caſtris Gallorum, nec de eo quicquam audiſſe:nam alioqui non fuiſſe militaturos: Galliæ quoque regem ab ipſis interpellatum, queri, quum hyeme ſuperiori legationem miſiſſet, repudiatam eſſe: quæ ſi fuiſſet audita, calumniam illam facilè potuiſſe refutari:quòd ſi pacem Cæſar non abnuat,illū & Bohemis,qui Februario menſe ſcripſerint etiam,& Germanis aduerſus Turcam auxilia ſua polliceri:Iam,ad ipſos quod attinet,quoſdam eſse deuinctos Galliæ regi,& pacto teneri,ut militent: alios uerò quoſdam multis abhinc annis amicitiam cum eo colere, quorum ex ditione ſi qui tranſcurrant in Galliam, ipſis & inuitis & neſcientibus hoc fieri, ſicut etiam aliȷs in locis per Germaniam accidat: ſibi autem uideri conſultum, ut regis audiantur legati, & pax conſtituatur.qua quidem in re ſi quid ipſi poſſint adferre momenti, perlibenter eſſe facturos. Ad hoc tempus, Angliæ rex ingentem claſſem mittit in Scotiam.hi ſecundam nacti tempeſtatem,quum appuliſſent,Letham,nobilem portum,pòſt,Edinburgum, primariam

urbem

urbem Scotię, capiunt, &, quum arx ibi defenderetur, neq; capi posset, incendunt. fuit hoc initio Maij mensis. Hoc in comitio Cæsar, Vuolfgangum, Prussiæ magistrũ, ceremonia solenni, palàm inaugurabat, eiq; Prussiæ magistratus insignia cõferebat, in quo multis iam annis erat Albertus Brãdeburgicus, Casimiri & Georgij frater, & uxore ducta sibi illũ usurpabat, eóq; nomine proscriptus fuit à Camera, ante annum XII, ut supra docuimus: Poloniæ autẽ rex Sigismundus, ueluti beneficiariũ suum atq; clientem defendebat: & iam, quum alter esset inauguratus, uti diximus, regis legatus palàm profitebatur hanc inaugurationem esse uitiosam, neque suo regi, cuius in fide ac tutela contineretur Prussia, derogari quicquam posse. Legati Vngari, quum superioris anni cladem recitassent, opem implorabant Imperij: iam enim ad extremũ casum rem esse deductã, &, si destituantur, facturos omninò se, quod rebus desperatis fieri soleat, & quod à nemine reprehendi possit: subituros esse quantumuis iniquas conditiones & seruitutem ipsam potius, quàm, ut reliquis ociosis & inspectantibus, in exitium uoluntarium ruant. Quemadmodum regis Galliæ fœcialis infecta re dimissus fuerit Spira, diximus antè: cum ergò domum redijssent legati, quam habituri fuerant in confessu omnium ordinum orationem, eam typis excusam emittunt. Initio captant beneuolentiam, & utriusq; gentis eandem originem esse, neque Germaniæ quicquam accidere posse dicunt, quod non ad Galliam quoque pertineat: deinde, criminationes aduersariorum, quasi rex altero iam bello rempublicam perturbet, & fœdus cum Turca fecerit, diluunt, usi præfatione quadam, deliniendi Cæsaris causa. & prius quidem bellum excitatum esse docent, quòd à Sabaudiæ duce rex hę reditatem maternam consequi non posset: hoc uerò posterius, propter trucidatos contra ius gentium, regis legatos: cum Turca nullum esse regi fœdus, nullam societatem, nisi commerciorum, & quietis publicæ causa, cuiusmodi sit Venetis, Polonis, & alijs nonnullis: quanquam, si fœdus ullum esset, non posse in crimen uocari, propterea quòd idem aliquando fecerint & Abrahamus & Dauid, & Salomon, & Phineas, et liberi Tobię, & Machabęi duces, pòst etiã, Honorius, Constantinus, Theodosius iunior, Iustinianus II, Palęologus, Leo, Fridericus primus & secundus, Cæsares, usi diuersæ religionis gentium auxilijs: & Fridericum quidem II, Saracenorum humeris in Italiam, unde pontifices ipsum eiecerant, esse reportatum: scire ipsos, quãtas copias & auxilia non semel in bellũ Turcicum rex promiserit:

eius quoq; rei pontificem esse & senatum cardinalium, testes locuplet tissimos: in Vngariam uerò Turcam irruisse, cum esset ibi natum dis sidium de principatu, magis deinde fuisse lacessitum bello Aphricano, post captam Tunetem: quòd [illegible] mare Ligusticum Turcica classis nuper uenerit, non esse tribuendum regi: nec ad rem facere, quòd in ea classe fuerit regius minister Polinus: etenim Barbarossæ fuisse consilium, ut Andræam Auriam inuestigaret & opprimeret: cùm id non posset, arcem obsedisse Nicenam, idque sua sponte: regem uidelicet inducias habere cum Turca, quod alias etiam ipsis nunciarit, honestas, & nemini pernicioſas: id autem ei non posse dari crimini, quum eas maximi sæpe uiri non adeò nuper expetiuerint etiam: afflictum esse reipublicæ statum, idq; regi uehementer dolere: pacem autem hac una ratione posse recuperari, si quidem ea, quę sunt regis, optimo iure, Cæsar ei restituat: hoc si possint efficere, futurum, ut ad uim omnem externam à Germania depellendam, rex nulli suo uel labori uel sumptui uel periculo parcat. Superioribus libris diximus, quomodo Saxoniæ dux, pro Romanorum rege Ferdinandum non agnosceret: hoc autem in conuentu, Maio mense transacta res fuit, & obseruantiam Saxo promisit. Cæsar inuicem pactionem dotalem Saxonis atque Cliuensis confirmat, quod antehac perpetuò recusaue rat, &, si Cliuensem mori contingat absq; liberis masculis, ut ei Saxo sororius liberiq; mares omninò succedant, permittit, ea tamen conditione, si quidem ante hunc casum de religione conuenerit. Arctioris etiam uinculi causa, Ferdinandus, approbante Cæsare, filiam suam Eleonoram, Saxonis filio natu maximo despondet, si conciliatio fiat religionis, antè, quàm illa sit matura uiro. posterius hoc ualde fuit arcanum, & magno silentio tegebatur utrinq;, sic, ut ne Lantgrauius quidem atq; socij quicquam de eo scirent. nam acta res fuit à paucis consiliarijs, & Cæsar Granuellanum, Ferdinandus Hofmannum, Saxo Pontanum atq; Burcartum adhibuit. Daniæ quoq; rex, missis legatis, omninò transegit cum Cæsare, quum ad illud usque tempus, per totam hyemem, copias militum aluisset in futurum euẽtum. à Galliæ regis amicitia uidebatur discedere, propter societatis Turcicæ famam. nam hoc propè significabant legati, cùm familiarius ad socios loquerentur. Nunc ad postulata Cæsaris atque Ferdinandi reuertemur. diu multúmq; re deliberata, Iunij mensis die decimo finem habuit conuentus. Ordines Imperij, licet ipsis esset graue duplicatum auxilium dare, tamen, quia fœlicius multò bellum Turcicum

geri

geri posse putabant, si domesticus primum hostis ad officium es-
set adductus, pecuniã Cæsari decernunt semestrem, aduersus Galliæ
regem, in equitum millia quatuor, peditum XXIIII: eius uerò pecu-
niæ partem aliquam Cæsar communicat Ferdinando fratri, quò lo-
ca finitima Turcis muniat: in futurum bellum Turcicũ colligi pla-
cet pecuniam, uiritim, per omnem Germaniam, pro cuiusq; facultа-
tibus atque censu, nec immunitas ulli datur: ne quis exteris militet,
Gallię regi prę sertim, grauissimis pœnis edicitur, et magistratui per-
mittitur, ut in eos uindicet, qui deprehensi fuerint: quia dissidiũ re-
ligionis in his bellicis occupationibus tractari non potuit, ad proxi-
mum conuentum, inq; mensem Decembrem reiicitur: interea Cæ-
sar negociũ se daturum ait uiris bonis atq; doctis, qui piam aliquam
emendationis formulam cõscribant: ut idẽ quoq; principes faciant,
hortatur, quò pòst in futuris comitijs, facta collatione, de communi
cõsensu statuatur aliquid, quod ad publicum orbis conciliũ usq; ser
uetur, in Germania peragendum: pacem interim colant omnes, neq;
turbæ quicq; ob diuersam religionẽ excitetur, & ecclesiæ, cuiuscun-
que sint religionis, utrobiq; facultates suas obtineant, ex ijsq; bonis
decidatur ecclesiæ ministris, scholis & egestate pressis: Cameræ iudi
ces locũ suum retineant, usq; ad tempus eis præfixum: cùm id exie-
rit, tunc in eum consessum recipiantur omnes promiscuè, nõ habita
ratione religionis: edictum Augustanum et lites omnes motæ pro-
testantibus, doctrinæ & professionis causa, Goslarienses etiã & Min
denses proscriptio, suspensæ maneat ad proximè futuram usq; transa
ctionem: anabaptistæ pœnã subeant iam olim decretã: magistratus
tamen uiros doctos atq; pios adhibeat, qui cõmonstrato errore ad sa
nitatem ipsos reuocent. Decretum hoc minimè laudabant põtificij,
totisq; uiribus impugnabãt: sed quum Colonienses & Monasterien
ses episcopi starent à protestantibus, Cliuenses etiã & Badenses arbi-
trio Cæsaris omnia permitterent, qui uiam hanc, ueluti mediam &
utrisq; tolerabilẽ, post multam disceptationem, ostenderat: illi, bona
sui parte deminuti, non se quidẽ assentiri, sed neq; Cęsari modũ in eo
præscribere, nec ipsius derogare potestati, sed tolerare uelle dicunt.
Palatinus elector Fridericus & Brandeburgicus intercesserãt, ut ità
decerneretur. Litem quoque Brunsuicensem in eo decreto compre-
hendi petebant Smalcaldici, sed hoc impetrari nõ potuit, & urgebat
Cęsar, ut aut eum restituerent, aut captam prouinciam sibi per seque
strum permitterẽt, donec de causa liqueret. hac de re cũ Lantgrauio

& Saxone, quum adessent, & post eorum discessum, diu multúmq; cum legatis egerat. Auxilia belli Gallici ciuitates initiò recusabãt, propter mercaturam & cõmeatum: sed cùm principes assensissent, et plena esset odij, Galliæ regis causa, subscripserunt & ipsæ, quantúmuis inuitæ, præsertim hæ, quæ sunt Galliæ uiciniores. Luneburgenses & Vuirtembergici legati recusabant etiã, sed admoniti priuatim sunt & uerbis castigati, ne reliquorum uoluntatem soli tardarent.

Quum Lantgrauius domũ rediturus ad Cęsarẽ uenisset, salutandi causa, perbenignè fuit acceptus: & Cæsar, quò minus iam ipsius uteretur opera contra Galliæ regem, consultò fieri dicebat, ne grauaret ipsum odio: sed eo confecto bello, profecturũ se statim in Turcã, & ipsum uelle sibi legare, totíq; administrationi bellicę pręficere: cúmq; ille uerecundè se excusaret atq; demitteret, uelut impar tantę prouinciæ: Cæsar, tibi, inquit, & alijs aliquandò rectè belligeratus es: non dubito, quin & mihi bonã operam præstare possis. atq; his uerbis amicissimè dimittit. Ille, spe bona plenus, & hilaris, qui tàm haberet propitium Cæsarẽ, quum hoc ipsum nõnullis familiariter exposuisset, domum reuertit. De sequestri ratione, post uariam & multam actionẽ, ità demùm placuit, ut Cęsari, tanq; summo magistratui permittatur omnis ager Brunsuicensis, donec uel amicè, uel iure ac legibus disceptata lis fuerit atq; definita: prouinciæ uerò administrationem Cæsar cõmittat, uel Palatino, uel electori Brandeburgico, item Mauricio uel Cliuẽsi principi: pœnã uiolatę pacis publicę luant, qui non parebunt: Henrico Brunsuicensi denunciet Cæsar, ut pareat, sin minus, legibus in ipsum uindicet. has demùm cõditiones Cęsar proposuit, in eóq; permansit: eas deinde ratas habuerũt protestantes, ut infrà dicemus. Finito cõuentu, Cæsar Spira proficiscitur Metim. Iam omnis illius exercitus ad Gallię fines in Lotharingia cõuenerat, & sub finẽ Maij, Luceburgum urbẽ deditione recuperat. Militabãt Cæsari Saxoniæ dux Mauricius, Albertus Brandeburgicus, cum singulis equitũmillibus, itẽ Gulielmus Furstembergius, peditũ pręfectus, & Sebastianus Schertelinus, protestantiũ religionis omnes.

Dum Cęsar est Meti, captus in Lotharingia fuit Hubertus Comes Bichlingus, Germanus, qui Gallię regi merebat. adductus Metim, damnatur capitis. uxor, cùm eò uenisset, ad pedes proiecta Cęsaris, nihil egit, et iã erant ad suppliciũ instructa omnia. tandem summittitur Ferdinandi filius Maximilianus, quẽ Cęsar ad se nuper receperat. is demũ exorat, et uitã ei seruat. Interim Barbarossa, uel quòd res ipsius

ità

ità ferrent, uel persuasus à rege, uel quòd metueret, ne Galliæ rex cum Cæsare pacificaret, domum redit, & quæcunque loca maritima uel Cæsaris essent uel Imperij, uexat incursionibus: à pontificis autē ditione temperat, Galliæ regis, ut est credibile, cōmendatione. Cæsaris exercitus progressus, Linæum oppidū & arcem, tribus à Barra milliaribus, capit: inde Sandesirium petit, quod est Gallicæ ditionis oppidum, ad Matronam flumen. tenebatur autem firmo præsidio militum, quibus præerat Landræus, ille qui Landresiū à Cæsare & ab Anglis ante annū fortiter defenderat. Dum hæc ità geruntur, mortem obit Antonius Lotharingiæ dux, non tàm ætate grauis, quàm solicitudine confectus, ob uicinum ac penè domesticum bellum. ei succedit filius Franciscus, qui Cæsaris è sorore neptem habebat in matrimonio, sicut antè diximus. Ad hoc tempus Angliæ rex ingenti cum exercitu traiecto mari, Caletū uenit: pòst obsidet Monstrelum, eíq; de uoluntate Cæsaris militabat Burensis Comes Maximilianus. illinc Boloniam profectus, oppidum maritimū, obsidet. ei rex præfecerat quendam genere nobilem Veruinum. Sandesirium Cæsar, ubi circumsedit, oppugnat, immisso milite, ad idus Iulij, sed desideratis circiter quingentis, quum oppidani fortissimè sese defenderent, nihil actum est, & secundo demum mense, cùm & Landræus ruina domus oppressus interijsset, & puluis tormentarius deesset, deditione capitur. Ea durante obsidione, Renatus Auraicæ princeps, tormento percussus, altero pòst die, quum Gulielmi Nassouij filium, patruelem suum fecisset hæredem, uitam finit, non sine mœrore Cæsaris. Erant tunc in Lotharingia legati protestantium, ut sequestrationis pacta, nuper à Cæsare proposita confirmarent. Meti primùm, postea Tulli substiterunt, & datis frequenter literis ad Cæsarem atque Granuellanum, quamobrem uenissent, explicabant: Cæsar uerò tandem per occupationes bellicas excusans, domum ipsos redire iubet, & rem omnem ad proximū Imperij conuentum, aut in aliud tempus commodius reijcit. Capto Sandesirio, Cęsar Augusti die uigesimo quinto pergit, et Catalauno relicto, quod est oppidum Campaniæ, castra ponit ad Matronam, cuius ad fluminis alteram ripam excubabant aliquot equitum Gallorum cohortes. Ibi Gulielmus Furstembergius, qui Galliæ situm & aditus omneis nouisset, uno tantùm seruulo comitatus, de nocte procedit è castris, ut quo loco flumen uado transiri posset & exercitus traduci, cognosceret. ubi iam ductore quodam homine rusticano uadum

reperit,& in alteram ripam euasit,interceptus ab equitibus Gallis,et in castra perductus magno cum ludibrio, nec sine conuitijs, quòd ipsorum partes antea secutus, magnam auri uim è Gallijs exportasset,Luteciam pertrahitur. ea res omninò Cæsari præter expectationem accidit,& suspensum aliquandiu tenuit. Galliæ rex, quod Heluetij nondum aduenerant, prælium declinabat: & Cęsar promotis castris,iuxta flumen Matronam progreditur.Est ijs locis oppidum Epernæum: ibi multum erat alimoniæ & supellectilis militaris: ea ne ueniret in hostium manus, flumine secundo tumultuariè deuehitur: quod auferri non potuit, igni corrumpitur,ipsismet oppidum incendentibus Gallis. itáque Cæsar,nemine resistente, Castroteræũ uenit,castellum Theodorici uulgò uocant, ad idem flumen,ab urbe Lutecia,non bidui uia positum oppidum.Et quanquàm erant in castris Cæsaris,legati regis Galliæ,de pace missi,Cæsar tamen progrediebatur nihilominus,& quum iam hucusque peruenisset, incredibilis fuit orta Luteciæ trepidatio. fugiebant omnes,qui paulò essent lautiori fortuna, nec regis edictis fugam prohibentis contineri poterant,& fex modò hominum manebat. itáq; periculum erat,ne ab his ipsis urbs omniũ longè maxima & inprimis opulenta diriperetur. eorum qui dant operam literis, ingens est ibi numerus, ex omni ferè Europa: hi quoque fugiebant,& alioqui rex edixerat,ut omnes externi confestim discederent,capitis denunciata pœna. fuit hoc initio Septembris. Aliquot pòst diebus, Boloniam Angliæ rex, tormentis ualidè concussam, deditione capit. quod nec ipsius parens,nec superioris ætatis reges potuerũt. Vigesima quarta demum Septembris die, Cæsar cum Galliæ rege pacem facit, quum Castroteræo uenisset in Suessiones. pacificatores erant legati, Cæsaris quidem nomine, Gonzaga Siciliæ prorex,& Granuellanus: regis autẽ loco, Claudius Annebaldus Amiralius,Carolus Nullæus,Gilbertus Baiardus. hæ uerò sunt conditiones. Quicquid ab inducijs Nicenis utrinque captum est, redditur: Astenæum oppidum, Galliæ rex, Lotharingiæ duci, quoniam est in clientela Luceburgicæ prouinciæ, restituit: ut uetus religio restituatur & ecclesiæ concordia, mutuam operam & auxilium alter alteri præstabunt,eóque totis uiribus incumbent: Galliæ rex in bellum Turcicum pollicetur equites cataphractos sexcentos & peditum millia decem: renunciat iuri & petitioni Arragonicę,Neapolitanæ,Flandricę,Atrebatensi,Geldricæ: Cæsar inuicem renunciat ditioni Bolonienſi,Peronæ,& alijs

ad

ad Somiam flumen positis oppidis: adhæc, Burgundiæ inferiori & agro Matisconensi: deinde, filio regis Aureliano duci, Carolo, filiã suam natu maiorem, Mariam, aut uerò Ferdinandi fratris filiam, in matrimonium spondet, & utram dare uelit, intra quartum mensem exponet: si filiam dederit, Brabantiam, Geldriam, Luceburgum, Limburgum, Flandriam, Batauiam, Hannoniam, Atrebates, Namurcum, Frisiam, Vtricam & quicquid est ibi regionum, item Burgundiam superiorem in dotem promittit, ut ab ipsius morte utantur fruantur. hoc si fiat, rex iuri Mediolanensi pro se suisque renunciat liberis: quòd si nõ relictis liberis filia Cæsaris decedat è uita, iam Aurelianus ab omni illa possessione discedit, & integrum ei manet ius Mediolanense, Cæsari uerò Burgundicum: si Ferdinandi filiam dederit, principatũ Mediolanensem in dotem largitur. utrumcunque erit matrimonium, intra spacium anni perficietur, & Sabaudiæ ducem rex integrè restituet: Hesdinum regi permittitur: ut inter Galliæ regem & Anglum pax quoque fiat, Cæsar omnem operam pollicetur: ad ducem Cliuensem quod attinet, quia rex atque regina Nauarræ confirmabant, filiam suam ei matrimonio nunquàm assensisse, imò contrà testificatam esse more solenni atque recepto, Galliæ rex eam testificationem intra sextam hebdomadam Cæsari mittet, ut aliquid statui possit. Hac in pace comprehenduntur, pontifex, Ferdinandus rex, Lusitanus, Polonus, Danus, Veneti, Heluetij, Sabaudus, Lotharingus, Genua, Florentia, Ferrarienſis, Mantuanus, Vrbinas, Luca, Senę, principes electores ac ordines omnes Imperij, qui sunt obsequentes Cæsari. Ea facta pace, Cæsar è Suessionibus domum redit, dimissis copijs. Accidit ea pacificatio plærisq; omnibus, prꝛter opinionẽ. nam qui Cęsari familiares erant, certissimam sibi promiserant uictoriam, priusquàm in bellum iretur, & intra menses aliquot, ipsorum ditionis Galliam futuram, aut regem imperata facturũ esse iactabãt, cui potentissimi tres hostes imminerent, Cæsar, Imperium, Britannus.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber XVI.

ARDENTE BELLO, PONTIFEX, OCTAVO CALENdas Septembris dat literas ad Cæsarem. cuiusmodi decreta Spiræ nuper fecerit, ad se relatum esse: quid uerò de illis sentiat, non se posse pro suo munere & charitate in ipsum, dissimulare, & ut ità faciat, exemplo moueri sacerdotis Heli, quem Deus grauissimè mulctarit ob nimiam erga filios indulgentiam: ad eundem planè modum, quandóquidem ea decreta pertineant ad ipsius animæ periculum, & ad maximam ecclesiæ perturbationem, necessariò sibi ipsum esse commonefaciendum: primum igitur hoc esse, ne ab ecclesiæ consensu uel consuetudine maiorum discedat, sed eandem disciplinam, ordinem, instituta sequatur & obseruet: hunc autem ordinem esse talem, ut, quoties de religione disceptatur, iudicium omne referri debeat ad ecclesiam Romanam: ipsum uerò nuper, quandò de generali & nationis concilio & Imperij conuentu statuit, nullam habuisse rationem eius, qui solus iure diuino & humano, cogendi concilia, & decernendi de rebus sacris potestatẽ obtineat: neque uerò hoc solum in reprehensionem uenire, sed illud etiam, quòd non idiotis modò, sed & damnatarum hæresum assertoribus permittat, de religione iudicare, quòd de bonis sacris, eorúmque controuersijs decernat, quòd eos, qui sunt extra communionem ecclesiæ, & ipsius met edictis iam olim damnati, pristinis honoribus atque loco restituat, non assentientibus ijs, qui ueterem & religiosam obedientiam præstant: an hæc cum sacris legibus & institutis conueniant? an nõ omnem disciplinam & ordinem tollant? Existimare uerò se, non ex ipsius hæc esse profecta sinu, sed maleuolorum esse consilio factum, qui pro suo in ecclesiam Romanam odio, solicitauerint ipsum, ut aliquam abalienati animi significationem daret: quòd autem illis acquieuerit & morem gesserit, eò sibi uehementius dolere, quò maiori uideat hoc esse cum ipsius & ecclesiæ detrimẽto coniunctum, nisi resipiscat: hunc etiam metum sibi crescere & augeri consideranti, quibuscum amicitiam inierit: prauis nimirum colloquijs corrumpi bonos

nos mores: sic etiam magnum esse periculũ, quandò cum prauis & uitiosis hominibus fœdera fiunt: non dubitare se, quin honestos illi titulos obducant: nullũ enim esse prope tàm malum consiliũ, quod non aliquo specioso nomine commendetur: sed reuera, perscrutanti scripturam occurrere multa & illustria exempla, quibus ira Dei docetur in eos & uindicta, qui summi sacerdotis munera sibi uendicarunt: ab aduersarijs in odium atque crimen uocari sacerdotum negligentiam, & hoc eos uti, tanquam stimulo, dum ad procurationẽ religionis principes uiros exhortantur: hoc quidem & pulchrum & laude dignum uideri, sed nulla ratione subsistere: priuatis in ædibus patremfamiliâs unicuiq; distribuere quod agat, neque pati, si quis alienum opus faciat, ne conturbetur ordo: sic etiam in ecclesia, quę sit domus Dei, suum cuiq; munus esse distributũ, quod obeat, neque decere, ut superiorum officijs fungantur inferiores, idque tantò magis obseruandum esse, quantò sit ecclesia maior & illustrior quauis alia domo: quum ergò supremum ecclesiæ munus commendatum sit à Deo sacerdotibus, magnam esse iniuriam, quum horum partes & honorem ipse sibi sumit: notum esse quid acciderit Ozæ, sustinenti currum, quo uehebatur arca Dei, iam propensum ad ruinam: neminem quidem esse, cui non rectè fecisse uideatur ille, quòd absentibus Leuitis, cùm ruinæ periculum impenderet, admota manu currum inclinatum subleuarit: sed tamen illum, ulciscente Deo, sublatum è uita, documento nobis esse, quàm non oporteat alienum officium usurpare: caueat igitur, ne persuasus ab illis, qui emendationem ecclesiæ semper habent in ore, temerè manus admoueat ijs rebus, quæ peculiariter ad sacerdotes pertineant: similem etiam & atrociorem exitum fuisse Dathan, Abironis & Core, quum authoritatem uellent Mosi & Aaroni fratribus derogare: præclarum fuisse regem Oziam, & tamen, quòd incensum ad altare uellet adolere, factum esse leprosum, arrogationem alieni muneris ulciscente Deo: procurationem ecclesiarum officium esse quidem Deo gratissimum, sed ad ipsum non pertinere, uerùm ad sacerdotes, & inprimis ad se, cui ligandi potestatem atque soluendi Deus fecerit: neq; uerò ad rem pertinere, quòd dicat has leges nõ esse perpetuas, uerùm temporarias, & ad conciliũ modò duraturas: nam etiamsi pium esset, tamen ratione personæ impium fieri: Deum esse, qui sit rationem postulaturus à malis sacerdotibus: in illo conquiescendum esse, nec aliquid præterea tentandum: etenim eos,

qui principem ecclesiarum, sedem Romanam adiutarunt, qui fidem & amorē ordini sacerdotum præstiterunt, maximis à Deo semper amplificatos esse beneficijs atque donis, ut in Cōstantino magno, in Theodosijs, in Carolo magno uidere liceat: eos uerò, qui contrà fecissent, grauissimis pœnis afflictos: neque iam de Nerone, Domiciano & id genus alijs, qui nascentem ecclesiam conati sint extinguere, sed de ijs uelle se loqui, qui confirmata Petri cathedra, cùm adultior esset facta, restiterunt: in hoc esse numero Anastasium primum, Cæsarem, deinde Mauricium, Constantem secundū, Philippum, Leonem & alios complures, qui rebus atque fortunis omnibus dispoliati, turpiter & ignominiosè uitam finierint: Henricum quartū, quòd indignè tractaret eum, quem loco parentis uereri debebat, à filio suo captum Leodij, dignas luisse pœnas: Fridericum secundum, ecclesiæ Romanæ grauem aduersarium, à filio suo trucidatum occubuisse: neque tamen semper affligi rebelles, & aliquandò in summa rerum copia florere: quod nimirum eò fieri patres dicant, ne, si omnes hic impij plecterentur, nullum aliud supereſſe tribunal Dei putetur: peccatum quidē nullum impunitum dimitti, sed hanc omnium esse grauissimam iram Dei, cùm, qui peccāt, impunè se id facere arbitrantur: hos enim esse deploratos ac uerè miseros, quòd peccata semper accumulent: ad hunc uerò modū, non singulos tantùm homines, uerùm prouincias etiam mulctari, quæ uel Christū ab se repudiant, uel eius parére uicario recusant: duos autem esse populos inprimis, qui sua calamitate nobis id clarè demonstrent, Iudæos atque Græcos, quorum illi, Christum Dei filium occiderint, hi uicarium eius non uno modò sint aspernati: Iam, si Deus iram suam in illos declarauit propter eiusmodi conatus atque scelera, multò sanè plus ipsi esse uerendum, si quid tale designet, cuius origo sit ab ijs Imperatoribus, qui non plus honoris ecclesiæ Romanæ detulerint, quàm ab ea receperint: hæc autem non eò spectare, quòd tale quid ipsum cogitare putet, aut quòd controuersiam non maximè cupiat ipse componi, sed quòd de ipsius periculo sit solicitus: Constantino magno sacerdotes olim detulisse cognitionem suarum litium, sed illum reiecisse, neque de ijs iudicare uoluisse, qui de cunctis iudicandi potestatem haberent: huius nimirum esse uestigia sequenda: quòd res controuersas conciliari, quòd ecclesiæ fieri cupiat emendationem, inprimis esse laudandum: petere etiam, ut in eo suam operam sibi præbeat, cui ministerium hoc atque curam Deus commiserit: adiutorem se quidem

ipsum

ipſum poſſe ferre, ſed rectorem atq; caput, non poſſe: percupidum ſe ſe publicæ reformationis eſſe, quod non ſemel declararit indictis concilijs, quandocunque uel minima ſpes affulſit, ea poſſe coire: ac licet fruſtrà quidem adhuc iſtud egerit, tamen, quod ſuarũ eſſet partium, nihil uoluiſſe præterire: concilium enim optare ſe, tum reipublicæ tum Germaniæ cauſa potiſſimùm, quæ uariè ſit lacerata diſſenſionibus: dolere autem ſibi, quòd eorum utatur conſilijs, qui iam olim damnati ſint, etiam ipſius uoce: nec eò dolere tamen, quòd ab ipſius amicitia ſemper eos uelit eſſe remotos, uerùm, quòd hac ipſius indulgentia fiant inſolentiores & magis temerarij: quum autem unica ſit ratio curandi mali, concilium uidelicet, ideò ad illud eſſe confugiendum: ſternat igitur uiam, ut cogi poſſit, & tantopere deſideratam pacem populo Chriſti reddat, aut ſaltem arma cohibeat interim, dum de republica deliberabitur: nam diſceptatione potius utendum eſſe, quàm ui & armis: ijs depoſitis, omnia rectè caſura: lampridem enim denunciatum eſſe concilium, etſi bellorum cauſa dilatum ſit in commodius tempus: ut idem cæteri quoque principes faciant, daturum ſe operam, inprimis autem apud eum, qui cum ipſe iam bellum gerat: obtemperet ergò ſuis monitis, & quum ſit primogeniti filij loco, parentem ſalutaria cõſulentem amplectatur, & maiorum ſuorum ueſtigijs inſiſtat, nec à uia regia deflectat, nec in ſacris tractandis ullum ius uel authoritatem ſibi uendicet, & diſceptationes omneis religionis, ab Imperij conuentibus excludat, & ad ſuum reijciat tribunal: de bonis etiam eccleſiaſticis nihil ſtatuat, ſed poſitis armis paci ſtudeat, aut, ſi pax aliter coire non poſſit, controuerſiam omnem & belli cauſas concilij diſceptationi ſubmittat: poſtremò, quæ nimia quadam lenitudine, rebellibus illis atque Romanæ ſedis aduerſarijs conceſſit, ea reſcindat & omninò tollat: nam alioqui futurum, ut, niſi muneri ſuo deeſſe uelit, maximo quidem eccleſiæ cum detrimento, ſeuerius agere cum ipſo cogatur, quàm uel conſuetudo ſua, uel natura, uel etiam uoluntas ferat: ut autem officium ſuum neglexiſſe uideri poſſit, non ſe commiſſurum: nam oculis obuerſari ſemper illud diuinæ ſeueritatis in Heli ſacerdotem, exemplum: adhuc quidem ſe clementia patris uſum eſſe, uerùm, ſi nihil iam proficiat, aliam ſibi rationem ineundam: conſideret ergo, quid ipſum deceat, & utrum ipſius tum honori tum rebus magis conducat, an, ut in recuperanda eccleſiæ tranquillitate, ſenectuti ſuæ manum præbeat adiutricem, an, ut illis faueat potius, qui nihil aliud quàm eccleſiæ dila-

ceratione quęrunt. Vt ad hunc modum ei ſcriberet, Gallię quoque regis impulſu fiduciáque factum eſſe putatur. nam is, ut eſt credibile, fœdus Anglicanum odioſè admodum exagitabat, ut pontificem acueret. hinc illud, quod de malorum hominum ſocietate ſcribitur, ut dictum eſt. Amicitiam enim illius utérque ſolicitè per legatos atque literas ambire ſolent, belli præſertim tempore, & pro ſe quiſq; dant operam, ut ei ſint quàm gratiſsimi. Stephanus, Vintonienſis epiſcopus, Britannus, libellum ad hoc tempus emiſit in Bucerum, ualde contumelioſum & acerbum, eóque cœlibatum inter alia defendit. Cardinales hoc anno creauit pontifex, Chriſtophorum Madrucium, Tridentinum, Ottonem Truceſium, epiſcopum Auguſtanum, Germanos: Georgium Arminiacum, Iacobum Annebaldum, Amiralij cognatum, Gallos: Franciſcum Mendozam, Bartholomęum Cueuam, Hiſpanos, nimirum in Cæſaris, Ferdinandi, Galliæq; regis gratiam. Eodem quoq; tempore, cõcilium, quod bellis antehac impeditũ fuit, rurſus denunciat in idus Martias anni ſequentis: et quia pacati iam erant Cęſar Gallięq; rex, magnam præ ſe fert lætitiam, & diplomatis, quo concilium reſtaurat, initium facit ab eo ſcripturæ loco. Lætare Ieruſalem. prodijt etiam hiſce diebus Lutheri libellus dè cœna Domini, quo ueterem controuerſiam renouat, & in Zuinglium eiuſque doctrinæ ſocios multa dicit. ei poſtea reſpõdent Tigurini, & quidem acriter. De Clero & academia Colonienſi ſuprà diximus, quomodo totis uiribus, archiepiſcopo, propter inſtitutam reformationem reſtiterint: cum autem ipſe pergeret, illi, miſſis iterum legatis atque literis, actionem ſuperiorem repetunt, & duo ſe flagitaſſe pridem ab ipſo dicunt. primum, ut ab inſtituto deſiſteret & concilij decretum expectaret, deinde, ut nouos concionatores abrogaret: ipſum uerò progredi, neque ſuis precibus acquieſcere, quod ſanè toti prouinciæ futurum ſit ualde calamitoſum: itáque per omnia ſacra rurſus obſecrare, ut ſui muneris fideiq; memor, qua ſit eccleſiæ Colonienſi, pontifici Romano, Cæſariq; deuinctus, concionatores illos remoueat, & rem omnem ad publicam uſq; notionem differat: niſi enim faciat, implorãdum ſibi eſſe magiſtratum ſuperiorem, & inuenienda remedia, quomodo & conſcientiæ ſuæ conſulant, & iram Dei procul auertãt: inuitos quidem eò deſcendere, ſed tamen, ſi pergat, omninò faciundum eſſe. Cùm ne ſic quidem aliquid efficerent, Octobris die nona conueniunt in ęde primaria Coloniæ, & de ſcripto recitant inter alia, quid ante annũ XXIII ſit actũ Vuormaciæ, quando Lutherus de con-

ſenſu

ſenſu principum omnium damnatus fuit à Cæſare, quid Auguſtæ, quid Ratisbonæ, quid Spiræ nuper decretum: his autem omnibus neglectis, archiepiſcopum Hermannum inijſſe dicunt nouam ratio-nem, & euocaſſe Bucerum, hominem monaſticæ profeſsionis deſerto rem, & bis inceſtis nuptijs pollutum, & doctrinæ ſacramentariæ de-fenſorem, eique munus eccleſiaſticum demandaſſe, & nouos inſtituiſ ſe paſsim populi doctores, homines profligatos atque perditos: illis etiam authoribus conſcriptam eſſe reformationis formulam, & man datu principis editam: ſe reclamaſſe quidem his omnibus uehemẽter, & archiepiſcopum, ut concilij tempus expectaret, aut ſaltem ad Im-perij conuentum uſq; differret, ſæpe quidem, ſed fruſtrà tamen oraſ-ſe: cùm autem ſit lamentabilis prouinciæ ſtatus, & ad ſummam per-turbationem omnia ſpectent, nec ille ſeſe flecti patiatur, neceſſario ſe-ſe confugere ad extremum remedium, & prouocare ad pontificem maximum, & ad Cæſarem, eccleſiæ Dei ſummum aduocatũ & pro-tectorem, eorúmq; tutelæ ſe ſuaque omnia committere. Præſidebat huic cœtui Georgius Brunſuicenſis, Henrici frater, eius collegij præ-poſitus. Ea re cognita, archiepiſcopus, edito ſcripto, nullã eſſe cauſam ait appellationis: nihil enim ab ſe factum eſſe præter officium: itáq; ſe reijcere prouocationem, atq; ſpem habere, futurũ, ut ab incœpto illi deſiſtant: ſin autem, progreſſurũ ſe nihilominus in ijs quę ad gloriam Dei & ad eccleſiarum emendationem pertineant. Alio deinde ſcri-pto criminationes eorum refutat: neq; cum Luthero neq; cum Bu-cero ſibi quicquam eſſe negocij priuati, ſed eorum doctrinam, quæ ſacris literis conſentiat, habere ſe pro uerè apoſtolica, & planè digna doctrina, quam omnes recipiant: damnatum quidem eſſe Lutherum ab eccleſia Romana, ſed indicta cauſa, uiolenter & tyrãnicè: de edicto Vuormacienſi, quo Lutherum fuiſſe condemnatum dicant, nihil un-quam ſibi fuiſſe compertum, prius, quàm in uulgus exijſſet, typis ex-cuſum: quòd ergò de cõſenſu principum eſſe factum affirment, ad ſe minimè pertinere, cui nihil unquam eius rei fuerit communicatum: decretũ Auguſtanum de religione factum, ſibi nunquam placuiſſe: cúnque nonnulli principes multa Cæſari tum pollicerentur, & pro religione pontificia tuenda fortunas omneis deferrent, ſe mandaſſe tum ſuis conſiliarijs, ne quid eiuſmodi promitterent, imò, ut claris uerbis contrà teſtificarentur: illos autem non hoc feciſſe quod habe-bant in mandatis, & reticentię cauſam nonnullis eſſe notam, qui nunc inter aduerſarios primum locum obtineant: quod cùm ita ſit, edicto

illo minimè se obligari, atq; ut deuinctus aliquandò fuerit, tamen agnita ueritate, non amplius teneri: nullum enim pactum aut iusiurandum, quo Dei uioletur honos, uim ullam habere: Ratisbonēsi autem decreto, sibi & quibusuis alijs episcopis non modò permissum, sed iunctum etiam esse munus emēdationis ecclesiasticæ: quòd Bucerum ad hoc opus accersiuerit, factum esse cumprimis impulsu Gropperi, qui sibi uehemēter illum prædicarit & coràm & per literas, ut doceri possit: se quidem in Bucero nihil deprehendisse, quod sit alienum uel indignum uiro bono: permagni etiam esse momenti, quòd Ratisbonensi colloquio Cęsar illum, ut hominem pium, doctū, et pacis amantem adhibuit: idem suum esse iudicium de cęteris etiam ecclesię ministris, ab se constitutis. Ad XVIII deinde Nouēbris diem, clerus Coloniensis reliquos ordines in urbem euocat, & ut appellationi subscribāt, petit: idem etiam à reliquis per totam prouinciam ecclesijs & episcopis & academijs aliquot, etiam externis, contendunt, & è suis, qui recusarent, loco submouent, & archiepiscopum ad Cęsarem atq; pontificem grauiter accusant, ut postea dicemus. A pacificatione Suessionensi, Cæsar Atrebatensem episcopum, Granuellani filium, Gallię rex, cardinalem Bellaium ad Angliæ regem unà mittūt, transactionis causa. uerùm id frustra fuit, Anglo recusante Boloniæ restitutionem. Per hos etiam dies, princeps Aurelianus & cardinalis Tornonius, & gynecæum regis ad Cæsarem in Belgium proficiscuntur, mutuę congratulationis causa. Cæsar Hispanorum copias in Lotharingiam & agrum uicinum mittit in hyberna. Per Cęsaris prouincias & per Belgium multi passim erant ualde cupidi cognitionis euangelij, sed occultè, propter edicta Cæsaris atque supplicia. Est autem ijs locis oppidum Tornacum, facilè primū in Neruijs. eò uocatus fuit ab istis, Argentorato, cōcionator quidam Gallus, Petrus Brulius, de quo diximus libro XII. quum eò uenisset, quod fuit mense Septembri, perhumaniter acceptus ab ijs, qui uocauerant, cœpit eos erudire priuatim: & pòst, Insulas profectus eadem de causa, quod est oppidū Flandrię, sub exitū Octobris redijt Tornacum: sed iam enunciata res fuit, & cœptum est inquiri de illo, per totam urbem, occlusis portis. Cùm ergò præsens ei periculum immineret, nec occultari posset amplius, altera Nouembris die, nocturno tēpore, per urbis mœnia, fune demittitur ab amicis: ubi terram tetigit, & humi consedit, quidam ex ijs qui demiserāt, procumbens ex muro, salutem ei summissa uoce precatur, & dum sic innititur, saxum, quod fortè resoluta calce non bene cohę-

rebat,

rebat, impellit: impulsum illi aduoluitur, & sedenti crus perfringit. itáque partim dolore casus, partim frigore afflictatus, miseriam & infortunium suum querulis uocibus & lamentando deplorat. id exaudiunt uigiles, & suspicati quod erat, accurrunt, & comprehensum in carcerem condunt. Eius rei fama cùm in Germaniam uenisset, senatus Argentinensis missis literis intercedit, pòst etiam legati protestantium, qui tum erant Vuormaciæ, sed id fuit aliquantò serius, & priusquam hæ literæ perferrentur, Saxonis atque Lantgrauij nomine missæ, iam erat sublatus è medio. fuit hoc ad XIX Februarij diem. M. D. XLV. Supplicij genus erat uehemens. nam igni non magno fuit exustus, ut tantò maior esset cruciatus. doctrinam suam cõstanter ad extremum usq; spiritum profitebatur, & discipulos, qui passim erant in catenas coniecti, per literas consolatus è uinculis, ad constantiam hortabatur. Lata sententia fuit, eò sumi de ipso supplicium, quòd in Cæsaris mandata peccasset. nam inde à multis annis, edicta grauissima Cæsar, per inferiorem Germaniam atque Belgium suæ ditionis, proposuerat in Lutheranos, & quotannis ea bis recitantur ijs locis, ut ne quis ignorantiæ causam obducat. Quum ex uinculis causam ille diceret, theologi monachi rogant ex eo, præsente magistratu, quid sentiat de sacramento, quod uocant, altaris, de missa, de consecratione, de adoratione hostiæ, de loco purgatorio, de sanctorum ueneratione, de libero arbitrio, de bonis operibus, de iustificatione, de statuis, de baptismo, de uotis, de peccatorum confessione, de uirginitate Mariæ matris. Ad hęc ille, uerum ibi corpus & sanguinem Christi sumi, non quidem ore, sed spiritu per fidem, necq; panis atq; uini substãtiam mutari: sed cùm ex instituto Christi cœna distribuitur ecclesiæ, sermone populari, sic ut omnes usum atq; fructũ eius intelligant, tunc uerè consecrari illa, nimirũ ex uerbis Christi: nam tacitum illud & summissum murmur, quo sacrifici panem atq; uinũ tractant & affantur, ad sortilegos et ueneficos magis, quàm ad christianos pertinere: missam põtificiam nihil habere cõmune cum cœna Domini, sed esse cultũ ab hominibus inuentũ ad contumeliam & iniuriam Christi: adorationem consecrati panis esse idolatricam: nam creaturã ibi loco creatoris adorari: purgatorium se nullũ aliud scire, nec etiam inuestigare, prẹter sanguinem Christi, qui non culpã modò, sed & pœnam peccatis debitã, nobis cõdonet: itáq; missam & alias precationes, quę mortuis impenduntur, esse non solùm nullius usus, uerumetiam impias, quòd prẹter uerbũ Dei sint institutæ: diuos non posse rectius coli, quàm si fidẽ &

uirtutes ipſorum imitemur: ſi quid accedat præterea, eſſe impium, & ipſos, dum uiuerent, longè ab ſe repudiaſſe cultum omnem: non igitur eſſe implorandos pro interceſſoribus, quòd ad ſolum Chriſtum hæc gloria pertineat: per peccatum Adæ, naturam hominis eſſe prorſus corruptam, & arbitrium impeditum, ſic ut abſq; gratia Dei nihil boni præſtare poſsit: hominem autem regeneratum, impulſore Deo, uelut bonam arborem, bonos proferre fructus: fidem eſſe, quæ ſalutem nobis adferat, nempe, quandò promiſſionibus diuinis confidimus, & propter Chriſtum filium certò ſtatuimus, condonari nobis peccata: traditiones, quibus alligantur mentes, non eſſe recipiendas: ut imagines atq; ſtatuæ ſint in templis, periculi plenum eſſe, propter idolatriam: Baptiſmum eſſe ſignum fœderis, quod nobiſcum fecit Deus, quo teſtatur ſe nobis condonare peccata: eſse quoque ſignum perpetuæ mortificationis & nouæ uitæ, quæ baptiſmum comitari debeat: hoc ſacramentum eſſe omnibus percipiendum, nec arcendos ab eo paruulos, qui ſint & ipſi promiſsionis diuinę participes: uotum nullum eſse faciendum, quod ſit uel extra uerbum Dei, uel ab homine præſtari non poſsit: debere quenq; ſua delicta confiteri Deo quotidie, eiuſque miſericordiam implorare: ſi quis etiam ſcrupulus conſcientiam urgeat, conſulendum eſse miniſtrum eccleſiæ, conſolationis percipiendæ cauſa: uerùm auricularem illam peccatorum enumerationem, neque teſtimonium habere ſcripturæ, neq; poſse præſtari, ſed eſse carnificinam mentis ualde periculoſam: de perpetua Mariæ matris uirginitate nullum ſibi dubium eſse. De his rebus omnibus, aliquot diebus antè, quàm produceretur, ad uxorẽ ſuam & reliquos amicos, qui hoc ab eo flagitarant, ſcripſit, uſus miniſterio ſororis: & damnatus capitis, alteris literis, uxori, quo genere ſupplicij uitam eſſet poſtridie finiturus, exponit, ac ſimul illam conſolatur, demonſtrans, non oportere diſcipuli potiorem eſse, quàm ipſius magiſtri, conditionem. uitæ quoque præcepta quædam ei tradit. Theologi Pariſini decreta religionis fecerant ante biennium, uti diximus: hoc autem tempore, iuſsu regis, Meloduni conueniunt, quod eſt decem ſupra Luteciam milliaribus oppidum, in inſula Sequanæ poſitum. Rex erat in arce uicina Fontemblica, & illos conuenire iuſserat, ut, quia pace iam facta concilium eſset futurum, habita deliberatione ſtatuerent omninò de dogmatis, eccleſiæ neceſsarijs, quæ putarent in concilio, & publico totius orbis Chriſtiani theatro poſse defendi. Huius deliberationis hic fuit exitus, ut, licet multum eſset inter eos

alter-

altercationis, tamen in ijs, quæ iam antè promulgauerant Lutetiæ, sicut dictum est, nihil mutarent. Parisiensium exẽplo theologi quoque Louanienses dogmata conscribunt, & pòst, de uoluntate Cęsaris edunt. sunt autem ad xxxii, prorsus eiusdem generis, ut Lutetiana, quæ suprà recitauimus. ea Cæsar edicto confirmat & sancit, euulgatis literis pridie idus Martias. theologi scribunt, eò se libentius hunc subijsse laborem, quòd id Cæsari pergratum esse certò cognoscerent, qui iam olim aliquid eiusmodi flagitarit. In pacificatione Suessionensi conuénit, ut ueterem, sicut ipsi uocant, religionem, Cæsar atq; rex, pro sua uirili recuperarent, sicut diximus: hęc autem, quę iam cõmemorauimus, eò spectare uidentur, & cardinalis Tornonius, qui cum Aureliano fuerat in Belgio, nõ paruum ad eam rem attulisse momentum putatur. Lutherus autem per contraria themata Louanienſibus respondet, & hæreticos atque sanguinarios appellat, qui cùm impia doceant, & ratione, sua non possint atq; scriptura defendere, uim adhibeant, et igni grassentur atq; ferro. nam illi, sicut etiam Parisienses, nuda solùm axiomata proponunt, & quid sequẽdum sit, præscribunt, locum uerò nullum è sacris literis adducunt, & magistratũ ad animaduersionem inflammant. Erat tum Imperij conuentus Vuormaciæ. Cęsar, quum sæpe constituisset, impeditus articulari morbo, serius eò uenit. legatos habebat ibi cardinalem Augustanum, Fridericum Furstembergium. xxiiii die Martij Ferdinandus rex, per absentiam Cęsaris proponit. Quamobrem hic sit indictus cõuentus, notum ipsis esse, nimirũ constituendæ religionis & iuris et pacis, & Turcici belli causa: Cęsarem optasse quidem his actionibus interesse, ut Spiræ decretum sit, & ad diem constitutũ huc uenire, sed detentum ualetudine non potuisse, ideóq; rem omnem, primũ, ad alteram Ianuarij diem, pòst, ad calendas Februarias reiecisse: cùm autem expectatione diuturnior esset morbus, mutasse consilium, &, ne deliberationes publicas longius impediret, Turcicam inprimis, ab se contendisse, ut prouinciam hanc subiret: quod quidem ipse, in reipublicæ gratiam, non sine magno suo dispendio fecerit: deliberandum igitur esse de rebus cõmunibus, ut, quum Cęsar ipse uenerit, decerni aliquid atq; statui possit: etenim de ipsius ualetudine non mala, quotidianis literis atq; nuncijs iam adferri, neque dubium esse, quin breui sit uenturus, ut reipublicæ consulat: hac etiam de causa pacem cum Galliæ rege feciſse, affini suo, in eoque rempublicam suis priuatis commodis antepositisse, quò uidelicet rebus undique pacatis, religio

componi posſit & emendari, & pòſt, omne robur atque ſtudium in Turcam expediri: huius autem pacis beneficium, ad uniuerſam Germaniam, & inprimis ad ordines Imperij pertinere: Galliæ quoq; regem auxilia in bellum Turcicum promiſiſſe, & per legatos, qui cum plenis mandatis in Belgio fuerint, approbaſſe concilium Tridentinũ, & eò cõſtituiſſe ipſum uenire, uel ampliſsimam mittere legationem: apud pontificem quoq; Cæſarem id effeciſſe, ut, quod antea prorogauerat concilium, rurſus denunciaret: itáq; diem illi deſignatum eſſe ad idus Martias iam præteritas, & miſsos à Cęſare iam eò legatos, & ab ſe quoq; : ſolicitatum etiam à Cæſare pontificem, ut pro ſui loci & ordinis dignitate conferret in Turcam auxilia, reſpondiſſe, quid in eo facere uelit, in his comitijs per legatum eſse declaraturũ: quantus etiam labor Cæſaris interuenerit, ut concilium haberetur, ipſos non ignorare: nam ea de re cum Clemẽte VII, Bononiæ, poſtea cum Paulo III, Romæ, Genuæ, Niceæ, Lucæ, nuper etiam Buſseti diligenter ipſum egiſse: & quanquam à poſtremo conuentu Spirenſi Cęſar maximis rebus fuerit diſtentus, non neglexiſse tamen, quod Spiræ decretum fuit, & uiris aliquot bonis atq; doctis negocium dediſſe conſcribendæ reformationis, quam etiam ab ijs acceperit: cùm autem hæc ipſa cauſa ualde ſit grauis, multámq; deliberationem requirat, & uerò concilium iam proximè ſit inchoandum, & propter irruentem Turcam non ſit huius temporis hæc de reformatione deliberatio, uideri Cæſari conſultum, ut ea nunc omiſsa, qui ſit concilij futurus progreſsus, expectetur: & ſi quidem appareat nullum eſse futurum, ut tum ante finem huius comitij, nouus deſignetur Imperij conuentus hac ipſa de cauſa: quod ad pacem atque ius attinet, exiſtimare Cæſarem, non eſse, quod quiſquam in decretis publicis ea de re factis aliquid deſideret: arbitrari quoq;, ſi cui uis aliqua fiat, à Camera petendum eſse remedium: orare etiam, ut & de contribuendis in Cameram ſtipendijs, & de conſtituendis ibi iudicibus quàm primum aliquid ſtatuant: & ſi fortè de hoc poſteriori non conueniat, ut tum ipſius fidei munus hoc committant, ne, ſi nulla ſit iuriſdictio, reſpublica detrimentum accipiat: de bello Turcico Cæſarem perpetuò cogitare, nec ullum ætate noſtra fuiſse bellum cum ea gente, cui non optarit ipſe intereſse: nimirum in Aphricam ſemel & iterum traieciſse, & Viennam uſq; gerendi belli cauſa, ſuperioribus annis ueniſse: quod etiam Spiræ promiſit in hoc bellum, pro tutela Germaniæ, non recuſare, modò ipſi uiciſsim auxilia decreta conferant: Itáque petere, ut

in

in eam cogitationem prorsus incumbant, & quia non ità multum superſit idonei temporis, decernant: crebris enim literis atque nunciis adferri, Turcã ipſum, maioribus, quàm unquàm antea uiribus, in Vngariam aduentare, quò Germaniam pòst inuadat: deliberent igitur atque ſtatuant, an inferendum ei ſit bellum, an uerò defendendum, & quid ipſorum ſit ſententiæ, Cæſari renuncient, qui pontificem etiam & Galliæ regem, ad huius belli ſocietatem perduxerit, & alios quoq; non defuturos arbitretur: & ſi fortè propter temporis anguſtiam & anni ſterilitatem nõ eſſe inferendum ei bellum hoc anno putabunt, de defenſione ſtatuant, & pecuniam contribuant, ut & illi maturè poſſit occurri, & Cæſar, ipſorum alacritate cõmotus atq; ſtudio, bellum hoc ipſe gerat, quod quidem iam olim ſe facturũ promiſerit: de inferendo autem bello, ut ſcilicet amiſſa recuperentur, déque religione, proximis in comitijs agi oportere: uerùm in præſenti deliberatione opus eſſe celeritate: nam ſi longius differatur, futurum, ut, cùm per Vngariam & alijs in locis, fines & aditus omneis hoſtis occuparit, diſiectis atque diſſipatis equitibus leuis armaturæ, quorũ maxima ſit exercitatio per Vngariam, & intercluſo cõmeatu, populus in extremã deſperationem adductus, à nobis deficiat, inq; ditionẽ illorum perueniat: qua quidẽ in re quantum inſit periculi, quantum diſpendij, quantus etiã faciendus deinde ſumptus, ut ea recuperentur, neminẽ eſſe qui non uideat. Ad ea proteſtantes & his adiuncti Colonienſis archiepiſcopus & Palatinus elector, Aprilis die tertio reſpondent. hunc indictum eſſe conuentũ, religionis cauſa potiſſimùm: ſuperioribus aliquot colloquijs aditũ eſſe factũ ad conciliationem, eóque magis nunc eſſe ſperandum de rei ſumma: pergratum ergò ſibi futurum, ſi quidem hoc omniũ primò tractetur: Germaniæ quidem intereſſe plurimùm, ut ità fiat, &, ſi metus diuini numinis accedat, non ſe dubitare de ſucceſſu: quòd ſi autem uel rei magnitudo, uel breuitas temporis, uel imminens à Turca periculum non ferat, opus eſſe tamen, ut illud decreti caput, quod eſt de pace, declaretur amplius: religioni datam quidem eſſe pacem aduſque concilium, ſe uerò non agnoſcere concilium hoc Tridentinum pro legitimo, quale ſit in Imperij comitijs promiſſum: & cur non agnoſcant, iam antea ſæpe demonſtraſſe: pacem igitur ſibi neceſſariam eſſe, quæ non ſit aſtricta concilio pontificio, ſed quæ locum habeat, donec de re tota piè fuerit & Chriſtianè tranſactũ: & quia pax uel conſtitui uel eſſe firma non poſſit, niſi iuris adminiſtratio ſit æquabilis,

& uerò Spirenſi conuentu proximo decretũ ſit, quid in eo fieri oportet, non ſe defuturos, quò minus ei decreto ſatisfiat: hæc ergò duo capita ſi decidantur, non ſe recuſare belli Turcici deliberationem.

Reliqui principes ac ordines, & in his Moguntinus atque Treuirenſis archiepiſcopi, ſtatuunt, religionis cauſam ad concilium iam indictum referri, & Camerã ex antiquis Imperij legibus conſtitui, & ſecundum ius ſcriptum iudicari, & ex omni numero deligi oportere, qui de bello Turcico conſilia conferant. ſtipendiorũ Cameræ partem dimidiam pollicentur in annum ſextum, & ut reliquum Cæſar perſoluat, petunt. Ad illud proteſtantium, Ferdinandus rex, Cæſariſque legati reſpondent. decretum Spiræ factum de pace, placuiſſe tum ipſis, nec ullam interueniſſe aliam cautionem uel exceptionẽ, cùm & antè fuiſſet indictum concilium, & aliquantò pòſt iterum denunciaretur: in Cameræ quoque conſeſſum fore ut recipiantur homines idonei, iuxta decretum Spiræ factum: quòd cùm ità ſit, æquum eſſe, ne quid amplius in eo requirant, & cum reliquis de bello Turcarum ſtatuant. Ad hæc illi. quoniam ob temporis angustiam & imminentem hoſtem, religionis cauſa minimè tractari iam poſſit, & à concilio pontificio nihil boni ſit expectandum, orare, ut ante finem huius comitij, Cæſar alterum conuentum indicat, ubi conciliationis uiæ perueſtigentur amicè: decretum eſſe Spiræ, primùm, ne quid moueatur turbæ propter religionem, deinde, ut pia & amica diſceptatione, diſſidium hoc omninò concilietur: huic nempe fundamento, Germaniæ pacem inſiſtere, neque ſe fuiſſe quicquàm deſideraturos amplius, modò res in eo permanſiſſet: nunc uerò, quandò pontifex, ut conciliationem hanc diſturbet & impediat, concilium indixit, in quo ſolus ipſe cum ſuis definiendi poteſtatẽ obtineat, cuius etiã decreto pacificationem ſuperiorẽ finiri plericq; omnes dicant, neceſſariam ſibi eſſe cautionem ampliorẽ: necq; uerò nouũ eſſe quod requirant, ſed illud ipſum, quod Spirenſi decreto continetur: cur enim põtificis cognitionẽ atq; concilia recuſent, editis libellis iampridem ſe demonſtraſſe, & ante annum tertiũ, quandò pontifex, miſſo Spirã legato, conciliũ promittebat, contrà teſtificatos eſſe, ut publicis cõmentarijs doceri poſſit: breuiter, quoties cõcilij pontificij facta ſit mentio, ſemper illud repudiaſſe, & ſolenniter quidem, in omniũ ordinum conſeſſu: Iam, etiam ut Spiræ nihil ea de re ſit exceptum, tamen, ſi bellum ſit gerendum in Turcã, opus eſſe, ut prius pacata ſint omnia domi: nam in bellũ iſtud pecuniã imperari populo:

ſed

sed quo iure uel qua fronte pecuniam quis exigat à suis, nisi certam spem illis faciat, fore, ut in sua religione cum liberis & uxoribus tutò permaneant? nimirum eò suscipi bellum in Turcam, ut & cuiusque facultates, & respublica & uera religio conseruentur: belligerari uerò cum Turca, & interim domi expositum esse periculo, quantulùm hæc inter se differant? grauem igitur subesse causam, cur amplius caueri sibi petant: de Camera placere sibi quod dicant, ex prescripto decreti Spirensis constituendam esse: de stipendijs autem eò conferendis, uelle se cum reliquis deliberare. His de rebus, per totũ mensem Aprilem, ad septimum usque diem Maij disceptatum fuit: tunc demum, quandóquidem Cæsar iam erat in uia, Ferdinandus ad illius aduentum ea differri iubet, ac simul ab ijs petit, ut interea cum cæteris Turcicum negocium agant: principes non aderant ipsi, ne pontificij quidẽ, præter unum Augustanũ. Galliæ rex legatũ eò misit Grinianũ, prouinciæ Galliæ præfectum. per huius absentiã orta fuit ijs locis ingens persecutio. Sunt in prouincia Gallia qui dicuntur Valdenses: hi uetusta consuetudine neque pontificem Romanum agnoscunt, et aliquantò puriorem habuere semper doctrinam, & postquam Lutherus innotuit, ampliorem cognitionem auidè sibi compararunt. Ad regem uerò sæpe fuerant hoc nomine delati, quasi magistratum contemnerent ac rebellionem facerent. hac enim criminatione plærique nunc utuntur, inuidiosa magis quàm uera. Continentur autem aliquot oppidis atque uicis, inter quos est Merindolum. in hos ante annum quintum lata sententia fuerat Aquis, quod est prouinciæ summum tribunal, ut opprimerentur omnes promiscuè, ut dirutis ędificijs æquaretur uicus ille solo, resecarentur etiam arbores omnes, & locus redderetur desertus omninò, sicut libro decimo tertio attigimus. Porrò, quanquàm sic erat pronunciatum, nõ tamen ea uis tunc adhibita fuit, regem admonentibus nonnullis, & in his, Gulielmo Bellaio Langæo, qui tum prorex erat in Taurinis, ut de causa tota prius cognosceret: sed hoc demum anno, iudicij atque senatus Aquensis præfectus, Ioannes Minerius, Aprilis die duodecimo, senatu cõuocato, recitat literas regis, quibus executio mandabatur latæ sententiæ. has autem literas, Tornonij cardinalis commendatione dicitur impetrasse Minerius, per idoneum solicitatorem, Philippum Cortinum. Cùm igitur eas mense Ianuario accepisset, non statim protulit, sed in tempus rei gerendæ commodum seruabat. ijs recitatis literis, delecti sunt è senatu, qui rem

exequantur: his adiutorem sese profitebatur Minerius, eò quòd ab sente Griniano prouinciæ præfecto, rempublicam gerebat. Iam antè uerò mandatu regis passim conduxerat copias, Anglici belli causa, uerùm his ad suũ hoc institutum est usus: adhæc, Massiliæ, Aquis, Arelatæ, cæterísque in locis frequentioribus militiam omnibus imperauerat, qui possent arma ferre, graui denunciata pœna: deinde ex Auenionensis agri finibus, ditionis pontificiæ, missa quoque fuerũt auxilia. primus igitur impetus factus est, non in Merindolanos, uerùm in agrum oppido Pertusio uicinum. Idibus autem Aprilis, Minerius, turba procerum atque ducum stipatus, Cadenetum uenit: sed interea centuriones aliquot, in unum & alterum uicum, ad Druentiam flumen, irruunt, & cædibus, direptionibus, incendijs grassati, magnam uim pecoris abigunt: idem fit alijs etiam in locis, eodem tempore. Merindolani, cùm ardere omnia circùm aspicerent, relictis sedibus in syluas confugiunt, & ad uicum Sanfalesum maxima cum formidine pernoctant. huius autem loci incolæ iam & ipsi fugam parabant. Cauallonensis enim episcopus, pontificij legati uicarius, negocium dederat nonnullis ducibus, ipsos contrucidandi. Postridie, paulò progrediuntur longius, tecti syluis. nam undique periculum erat, & Minerius, capite sanxerat, ne quis eos ulla re iuuaret, sed ut promiscuè cæderentur omnes, quocunque loco deprehensi. ualebat idem edictum in locis finitimis pontificiæ ditionis, & episcopi quidam eius regionis ferebantur alere magnam copiarum partem. Ibant ergò difficili & molesto itinere, gestantes pueros in humeris & brachijs, incæ cunis, & quidem mulieres aliquot grauidæ: cúmq; ad constitutũ locum uenirent, iam eò confluxerant multi, qui rebus perditis fuga salutẽ quæsiuerant. Non multò pòst nunciatur, Minerium aggregare simul omneis copias, ut ipsos inuadat. fuit hoc sub uesperũ: itaq; re deliberata, consiliũ ex tempore capiunt: & quoniã iter faciundum erat per loca impedita & aspera, mulieres, puellas & infantes ibi relinquunt, paucis quibusdam adhibitis, & in his, ecclesiæ ministro: cæteri, sicut constitutum erat, Mussium oppidum petunt. hoc autem ea spe faciebant, fore, ut hostis in imbellem turbam & omni præsidio destitutam uteretur misericordia. quis ibi fuerit excitatus gemitus, qui complexus, quæ lamentatio, facilè quiuis intelligit. Vbi totam noctem iuissent, superato monte Leberone, multos ardere uicos atque prædia conspiciunt: Minerius deinde bipartito agmine rem aggreditur: & quia per indicium acceperat, in

quam

quam partem Merindolani sese recepissent, ipse Merindolum petit, reliquas uerò copias ad illos inuestigãdos mittit. Antè quàm hi peruenirent in syluam, ex militibus quidam, impulsus commiseratione, præcurrit, & è summo cacumine rupis, qua parte suspicabatur profugos consedisse, duo saxa deijcit, deinde per interuallum ijs acclamat, licet eos non conspiceret, ut fuga sibi statim consulant. & in hoc ipso temporis puncto, ex ijs, qui Mussium iuerant, duo quidam interueniunt, & hostium aduentu nunciato, ministrum ecclesiæ, cæteróque custodes, qui pauci numero fœminis erant relicti, sicut diximus, abire cogunt, uia quadam ardua commonstrata per syluam, qua fugientes periculũ euaderent. Vix hi discesserant, cùm ecce milites adsunt, pleni furoris, & eductis gladijs ad cædẽ omnia poscunt, magno cum ululatu: uerúntamen à cęde tum sibi temperãt, & cùm insolenter multa fecissent, omni argento & alimonia spoliatas abducunt. erat ipsorum propositi, fœdius illas tractare, sed à centurione quodã equite interpellati, qui fortè superueniens pœnam eis minabatur, & ad Minerium rectà contendere iubebat, ab incœpto desistunt, ijsq; relictis, prædam & pecus abigunt. erant mulieres numero circiter quingentæ. Minerius interim uenit Merindolum, & cùm uacuum habitatoribus reperisset, diripit ac incendit, edito prius exemplo ualde crudeli. nam adolescentem unicum ibi nactus, religari iubet ad oleam, & tormentis occidi: pòst, Cabrieram oppidũ petit, & machinis concutit, & administrante Polino duce, persuadet oppidanis, ut portam patefaciant, pollicitus impunitatem: uerùm intromisso milite post aliquam moram, concisi fuerunt omnes, neque uel ætatis uel sexus ulla fuit habita ratio. Multi ad ædem sacram, alij alió, quidam in cellam uinariam arcis cõfugerant, sed producti foras in pratum, uestibúsque nudati trucidantur ad unum ferè omnes, nõ uiri tantùm sed & mulieres, plæræque grauidæ. Minerius etiã ad quadraginta circiter fœminas in horreũ straminis atque fœni plenũ includit, pòst ignem subijcit & incendit: cúmq; illæ uestibus exutis conarentur flammam nascentem restinguere, neq; possent, ad maiorẽ feneſtram, qua fœnum recondi solet in horreũ, aduolant, ut sese eijciant: sed ibi repulsę telis et hastis, conflagrarũt omnes. fuit hoc Aprilis die x x. Posthæc, Minerius partem copiarũ mittit, qui Costam oppidũ oppugnent: ijs iam ingressis iter, deprehenduntur illi, quos paulò antè in cellam uinariam arcis cõfugisse diximus. excitato igitur clamore, quasi laterent insidię, reuocantur milites, &

ad internecione m illos interficiunt. Cæsorum numerus repertus est tàm in oppido quàm foris, numero ad octingentos. qui superstites erant infantes ab eo furore, plærique rebaptisati fuerunt ab hoste. Rebus ad Cabrieram expeditis, copiæ mittuntur Costam: eius oppidi dominus iam antè cum ciuibus egerat, ut in arcem arma sua conferrent, & quatuor diuersis locis murum dissicerent: id si facerent, se pro sua gratia facilè perfecturum apud Minerium pollicebatur, ut à maleficio temperetur. persuasi morem gerunt, pòst ille discedit, quasi deprecaturus, & non longè progressus obuium habet militẽ: hi quum nihilo secius procederent, et impetu primo nihil efficerent, altera luce uehementius oppugnãt, et incensis circũm ędificijs omnibus suburbanis, facili manu capiunt, eò quòd superiori nocte plærique deserta statione profugerant, delapsi funibus. Post editam ergò cædem & oppidum direptum, decurrunt in hortum castello uicinum, & mulieres atque puellas, quæ trepidantes eò confugerant, promiscuè constuprant, & quum diem unum atque noctem inclusas detinuissent, adeò tractarunt inhumaniter, ut illæ quæ gerebant uterum, et natu minores puellæ, non multò pòst extinguerentur. Interea Merindolani & his adiuncti complures alij, qui per syluas atq; rupes oberrabant, intercepti, uel ad triremes mittebantur, uel confodiebantur, multi etiam inedia perierunt: deinde, non procul ab oppido Mussio, quòd antè diximus, quidam ingressi cauernam sub rupe latitabant, numero ad uiginti quinque, sed proditi, fumo fuerunt omnes & igni enecati. sic adeò nullum sæuitiæ genus fuit prætermissum: nonnulli tamen, qui lanienam hanc effugerant, Geneuam & ad loca uicina peruenerunt. Huius ergò rei fama cùm in Germaniam emanasset, plurimorum animos offendit: & Heluetij quidem, qui non sunt pontificię religionis, intercedebant ad regem, ut in eos, qui profugissent, uteretur misericordia: rex autem, & iustas esse causas, cur ità fecerit, & quid suis in finibus agat, aut quomodò in sontes animaduertat, non magis illos oportere solicitos esse de eo dicit, quàm sit ipse de illorum negocijs. Anno superiori miserant Valdenses regi doctrinæ suæ confessionem, scripto comprehensam, quòd suam docerent innocentiam. eius doctrinæ capita sunt, de Deo patre, creatore omnium rerum, de filio intercessore & aduocato generis humani, de spiritu sancto, consolatore & commonstratore ueritatis, de ecclesia, quam aiunt esse cœtum omnium electorũ, & caput habere Iesum Christũ: de ministris ecclesiæ, quos loco remouendos

esse

esse dicunt, nisi faciant officium: de magistratu, quem institutum à Deo fatentur, ut bonos defendat, sontes uerò puniat: deinde non honorem modò, sed tributum etiam illis & uectigalia deberi, nec ullum ordinem hic excipi oportere, nimirùm exemplo Christi, qui uectigal ipse soluit: de baptismo, quem signum esse uisibile dicunt & externum, quod nobis & renouationem spiritus & mortificationẽ membrorum repræsentet: de cœna domini, quam aiunt esse gratiarum actionem, & beneficij per Christum accepti commemorationem: de matrimonio, quod cùm sanctum sit, & institutũ à Deo, nemini prohibendum esse iudicant: de bonis operibus, quę nobis esse colenda docent & exercenda, sicut sacræ literæ demonstrent: de falsis dogmatis, quæ quoniam à uerò cultu nos abducunt, uitanda esse pronunciant. In summa, fidei suę normam & regulã esse dicũt, uetus & nouum testamentũ, sęcꝫ credere profitentur ijs omnibus, quæ in apostolorum symbolo continentur. postremò, regem orant, ut narrationi fidem habeat: etenim, si quid fortè sit delatũ aliter, id falsum esse, uelle se demonstrare dicunt, si modò audiantur. Bello tum rex erat implicatus, itáꝫ conquieuit actio: sed facta pace recruduit, & instigantibus nonnullis, in hanc tantam exarsit immanitatem. De Hispanis, quos per Lotharingiam Cæsar in hyberna collocauerat, antè dictum est: hi, cùm plurimùm damni dedissent ijs locis, mandatu Cæsaris Aprili mense discedunt, & proximè ad Argentoratũ facto itinere, quum Rhenum ibi transissent, per Sueuiã proficiscuntur in Austriã, ad tria circiter millia peditũ. Ad hoc tẽpus è uita decessit Ludouicus Bauarus, Gulielmi frater, non relictis liberis. nam ità conuenerat, ne duceret uxorẽ, hæreditatis coagmentandæ causa. Magnus ei fuit usus & amicitia cũ Henrico Brunsuicensi: nam & fœderis contra protestantes initi, duces erãt, ut diximus, & Brunsuicensis ditione sua pulsus, ad hunc inprimis cõfugit. Vuormaciã deinde Cæsar uenit Maij die XVI. postidie, cardinalis Farnesius. Huius quæ fuerit aduentus causa, non quidem affirmare possum, sed excitandi belli causa in Lutheranos uenisse, certò putatur: publicè quidẽ nihil egit, neqꝫ per fines Vuirtembergici principis iuit, Roma ueniens, sed Dillingæ, cõmoratus aliquandiu, quod est ad Danubiũ, Augustani cardinalis oppidũ, aliò deflexit. Ferdinandus Vuirtembergico scripserat, ut in sui gratiã ei tutũ iter daret, & beneuolentiã prętaret: ille, quoduis aliud iter susciperet, malle se respondet, uerumtamen, si per suos fines transire uelit, ipsius quidẽ gratia, nõ se recusare.

sed ille, sicut diximus, diuertit, & altero post Cæsarem die Vuormaciam peruenit. Cæsar, facta pace cum Galliæ rege, solicitabat etiam reliquos dynastas, ut concilīū indictum adiuuarent: & per hanc occasionem ad Poloniæ regem missus ab eo legatus, demonstrat, Cęsarem plurimis nunc annis hoc unum agere cum primis, ut totius orbis Christiani commune bellum suscipiatur in Turcam, & omnium propè uoluntates iam huc inclinare, sed solam religionis controuersiam illi esse impedimento: hæc autem ut componatur, & ut protestantium desiderio satisfiat, qui concilium semper postulēt, maximo Cæsaris labore & industria, Tridenti iam indictum esse concilium: itáque rogare, suos ut eò mittat legatos, qui & sua præsentia solennē illam actionem condecorent, & quæ fient ibi de rebus sacris decreta, confirment: quia uerò Cæsar existimet, protestantes, qui semper fuerint contumaces, nec ab Augustana confessione discessuros, nec publicis etiam decretis obtemperaturos esse, rem ipsam postulare, ut reges atque principes interueniant, & in illos, nisi pareant, tanquàm in reip. & sacrorū omnium perturbatores uindicent: cùm autem ipse pij & Christiani regis laudē inter alios obtineat, orare Cęsarem, ut et de Turcico bello cogitet, & concilio Tridentino subscribat, &, si protestantes ad sanitatem non redeant, ope consilióque ipsum adiuuet, quod alij quoque reges promiserint. Polonus ad ea. percupere se diem illum uidere, quo reges ac principes Christiani, positis armis, & sedato bello ciuili, robur omne simul in Turcam conuertant: nec enim se futurum in postremis: ad concilīū & protestantes quod attinet, omnia se facturum, quæcunq; & reipublicæ & ecclesiæ tranquillitati conducent, neque, si sit opus, in summo periculo defuturū esse Cæsari amico & affini. Perscriptum id temporis Roma fuit, pontificem, etsi concilium indixerat, suósque iam Tridentum miserat legatos, adeò tamen belli fuisse Lutherani cupidū, ut auxilia promitteret, peditum millia duodecim, equites quingentos: clàm etiam ab eo fuisse conductos centuriones atque duces: quum autem ei renunciatum esset, non ità multum idonei superesse temporis ad rem gerendam, & aliam expectandam occasionem, continuò ducibus illud communicasse, & anni futuri spem fecisse. Altera post pentecosten die, monachus quidam Franciscanus, Italus, concionem habet ad Cæsarem, Ferdinandum regem, cardinalem Farnesium, episcopū Augustanum, Granuellanum, et sermone digressus ad Lutheranos, cùm atrociter in eos multa dixisset, tempus est, inquit, potentissime

Cæsar

Cęsar, ut tandem officium tuum facias: nimis hercle diu cessatum est: iampridem oportuit rem esse confectam: ornauit te Deus ingentibus beneficijs, téque constituit ecclesiæ defensorem: quapropter exere uires tuas, & pestiferum illud genus hominum tollas è medio: nefas enim est, eos diutius intueri solem, qui sic omnia polluunt atq; confundunt: neque uerò dicas te facturum: iam enim, iam inquam fieri debet, nec interponi moram ullam oportet. Quot autem hominum millia de salute perpetua periclitari quotidie putas, per istorum uesaniam, quos omneis abs te sanè Deus reposcet, nisi remedium adhibeas? Eo classico fertur offensus fuisse Granuellanus, uel quòd ità simularet, uel quòd protestantibus hoc esse uideret cautionis loco. Non multis ab ea concione diebus, Farnesius, de nocte, clanculum discedit, & Romam magna celeritate reuolat. His ferè diebus prodijt Lutheri liber, populari lingua scriptus, cui titulus est, aduersus pontificatum Romanum, à Sathana constitutum. eo libro primùm respondet epistolæ pontificis, qua Cæsarem grauibus uerbis dehortatur à procuranda religione, sicut antè docuimus, pòst, ea scripturæ loca, quæ pontifex usurpat ad sui primatus confirmationem, copiosissimè refutat, & in ipsum retorquet. Libro picturam præfixit, quę statim indicat argumenti summam. sedet in sublimi cathedra pontifex, iunctis & protensis manibus, ornatu solenni, sed aures habet asininas: circà uerò plurimi sunt cacodęmones, uarijs figuris, quorum alij superimponunt eius capiti diadema triplex, oleto fastigiatum: alij funibus eum demittunt in medium infernum, horribili specie subiectum: alij titiones & ligna cõportant: alij, tanquam officiosi, pedes ei subleuant, ut rectà mollitérq; descendat. Non multò pòst, themata quædam eius prodierunt, quæ disputauerat aliquandò, de tribus hierarchijs, ecclesiastica, politica, œconomica. quas Deum ait instituisse contra furorem diaboli: põtificem uerò prorsus ab ijs omnibus excludit, quòd euangelium damnet & opprimat, quòd leges omneis iusq; ciuile sibi subijciat, quòd matrimonium prohibeat quibus ipsi uidetur. itáque beluam illam esse dicit, quę per Germaniam ab urso simul & lupo nomen habet. Ea nihil est, inquit, efferatius, nihil truculentius: quapropter, ubi signum datur, aut rumor increbuit, mox omnes ad arma discurrunt, ut illam conficiant: quòd si forte cauea uel septo teneretur inclusa, loci uerò præfectus aut iudex eam eximeret uel etiam defenderet, esset persequenda nihilòminus, & qui persequentes impedirent, impunè uiolari possent: eodem planè modo, pontifici, si

uim & arma paret, si bellum faciat, resistendum est, tanquam immani rabidęq; belluæ, quibuscunq; sit tandem munitus auxilijs. nam qui latroni militant aut opem ferunt, expectare debent eius rei præmium quod merentur. Alteram quoq; tunc emisit, ridiculam quidem, sed futuri prænunciam picturam. Sui pontifex insidet ornatus, amplæ & mammosæ, quam calcaribus fodit: dextræ digitis duobus, pollici proximis, de more protensis, bene precatur ijs, qui fortè occurrunt: siniſtra tenet oletum recens atque fumans: ad eius nidorem porca suspicit, & rictu naribúsque prædam captat: ille uerò per lubidrium, & acerbè bestiam increpans, ut me sessorem, inquit, habeas, & calcaria mea perferas, oportet, quantumuis id inuita facias: de concilio mihi satis iam diu molestiam exhibes, quò me traducas, & libere criminari possis: en illud, quod tantopere petis, concilium. Per porcam designat Germaniam. hæc illius ludicra plærique taxabant, ut parum ipso digna, neque satis uerecunda: sed suas ipse rationes habebat, quamobrem ità faceret, & longius prospicere credebatur, & extant alioquin in illius libris passim uaticinia multa, de rebus grauissimis, quorum nonnulla iam comprobauit euentus, reliqua sunt adhuc in manu Dei posita. Cæsar interea per Granuellanum & Nauium, de concilio déque Turcarum bello cum protestantibus agit. hi Franciscum Burcartum, Gunterotum cancellarium Hessicum, Christophorum Veningerũ, Iacobum Sturmium ad eam rem deligunt. qui superiorem actionem omnem paucis repetunt, & ità sibi de pace caueri petunt, ne decreto concilij tollatur: adhæc, ut iuxta Spirense decretum Camera constituatur: id si fiat, de republica se cum reliquis deliberaturos. Tum illi, postulata hæc à Cæsare præstari non posse, uidelicet ut ipsos eximat concilij decretis, & eiusmodi pacem tribuat, ne teneantur parére concilio, cuius authoritati subiecti sint omnes: quomodo enim ad cæteros reges atque principes hoc Cæsar excuset? aut quem in usum habeatur concilium, si quidem soli Germaniæ, cuius causa potissimùm sit indictum, liceat illi parere, uel minus? Legati contra, quibus de causis illud non habeant pro legitimo, docent: extare quoque suas ea de re testificationes publicas: quòd si contribuenda sint aduersus Turcam auxilia, opus esse cautione, quò certi esse possint, nullam sibi uim factum iri, quæcunque tandem futura sint concilij decreta. Rursus illi, ueniant in concilium, & causas, cur suspectum habeant, demonstrent: fore ut & audiantur, neque pontifici potestas omnis tribuatur: quòd

si tum

ſi tum iniqua uidebitur actio, poſſe recuſari: ſed nunc ipſos loqui de rebus futuris, & iudicium facere de ijs, quæ nondum apparent: id ſanè præpoperè nimium ab ipſis fieri. Ad ea legati. pontificem ac ipſius clientelam omnem iamolim & damnaſſe religionem hanc, et in eius profeſſores acerbè uindicare: quamobrem nõ eſſe quòd eo ipſi ueniant, aut ibi recuſationis cauſas explicẽt: pacari uerò Germaniam hac ſola poſſe ratione, ſi placidè collatis ſententijs & amicè, ueritas inueſtigetur: nam à concilio, quod pontifex regat, nihil non incommodorum expectandum eſſe. Galliæ regis legatus, Grinianus, quòd latinæ linguæ nullum haberet uſum, mandata ſua ſcripto complexus, per interpretem in medium exponit, Iunij die uigeſimo. redijſſe regem, beneficio Dei, cum Cæſare in gratiam, & factam eſſe pacem, quæ toti reipublicæ futura ſit utilis: regi uerò, pro ſua in Germaniam charitate & antiquo fœdere pergratum fore, ſi quidem ipſis etiam de religione conueniat: nam ex ea diſſenſione multum calamitatis in orbem chriſtianum inundaſſe, & indies magis atq; magis augeſcere: cùm autem hæc omnia ſanandi nulla ſit ratio melior, quàm per concilium, & illud iam ſit indictum ac inchoatum ferè, Tridenti, Cęſarem atq; regem decreuiſſe operam dare, ut legitimè ac ordine peragantur omnia, & ſublatis offenſionibus concordia recuperetur, & optatum ocium Germanię reſtituatur: itáq; regem obſecrare, ut & ipſi concilium approbent, cæterorum regum atq; principũ exemplo: hoc enim ad ipſorum omnium ſalutem pertinere. Grinianus erat neceſſitudine cõiunctus cardinali Tornonio, qui et huius legationis author fuiſſe putatur. nam in Belgio fuerat, ut ſuprà diximus, deque rebus ad concilium pertinentibus egerat: ac tum ita cõuenerat, regem quoque, miſſo legato, debere illos ad concilium hortari, quod Cæſar & ipſe iam approbaſſent: hoc enim ad terrorem proteſtantibus inferendum pertinere putabatur. Ad hoc tempus moritur Lotharingiæ dux Franciſcus, relicto filiolo Carolo, duorum annorum puero. Erat ei frater, Nicolaus, epiſcopus Metenſis. hunc inter & pueri matrem Chriſtinam, Cæſaris neptem, orta fuit contentio de tutela: nobilitas omnis in illum magis inclinabat, imperium muliebre faſtidiens, uerùm interceſsione Cæſaris, adminiſtrationi præfecti ſunt ambo, ſic tamen, ut matris eſſet authoritas præcipua. Moritur etiam per hoſce dies, Ferdinandi regis filia, quam Sigiſmundi Polonię regis filius ante biennium in matrimonium duxerat. Ex Hiſpanijs autem lætus fuit allatus nuncius, de Carolo nepote nato Cæſari, ex fi-

lio Philippo, cuius quidem rei gratia, magna fuit ab Hiſpanis excitata Vuormaciæ lætitia: ſed interiectis aliquot diebus, nunciatum eſt de morte nurus Cæſaris. Vuormaciam uenit ad Cæſarem Alfonſus Daualus, adductis aliquot primi nominis ex urbe Mediolano. putatur conſtituiſſe tum Cæſar in matrimonium dare principi Aureliano, Ferdinãdi regis filiam, & hos ideò uocaſſe, quò de ſtatu rerum per Inſubriam cognoſceret, quam in dotem illi pactus erat, ut ſuprà diximus. Dum Cæſar hos conuentus agit, Brunſuicenſis ad Gallię regem proficiſcitur. Colligebat tum copias peditum, ad Saxoniæ fines, pro rege Britanniæ, Fridericus Rifebergus: eam ſpeculatus occaſionem Brunſuicenſis, regi promittit ac perſuadet, ſi pecunia ſubminiſtretur, facilè ſe diſſipaturum illos. itáque aureorum aliquot millia conſequitur ab eo: ſed neque Rifebergum impediuit, & acceptam pecuniam in bellum aduerſus proteſtantes deinde conuertit, ut infrà dicemus. Ad conuentum iſtum principes nulli uenerunt, ut antè dictum eſt, ne pontificij quidem, pręter Auguſtanũ: ſed cùm Cęſar iam adeſſet, uenit etiam Palatinus elector, & rogatu proteſtantiũ, intercedit. Cùm autem in bellum Turcicum nihil ab eis contribui Cæſar uideret, niſi illud de concilio & Camera impetrarent, legatum mittit ad Turcam, de inducijs, Gerardum Veltuuichum, hominem cumprimis doctum, & linguarum ualde peritum. Hoc durante conuentu, ſenatus Metenſis inquirit in eos, qui pro cõſuetudine pontificiorũ, nuper ad paſcha non percepiſſent cœnam Domini: deprehenſos iubet urbe excedere. Suprà diximus, quomodo clerus & academia Colonienſis ad Cęſarem atq; pontificẽ prouocarint, ut hac ratione conatus archiepiſcopi tardarent: cùm autem ille pergeret, neq; miniſtros eccleſiæ remoueret, quod ipſi cumprimis uolebant, Cæſarem rurſus implorant, graui de ipſo habita querimonia. Sub finem igitur Iunij, diuulgatis Vuormaciæ literis, in patrocinium ſuum Cęſar eos recipit, & proſcriptionis denunciata pœna, mandat, ne quis omnium illos uel in religione ſua, uel in poſſeſſione bonorum & uectigalibus & iure impediat. Alteris deinde literis archiepiſcopum citat, ut intra diem trigeſimum ad ſe ueniat, aut mittat procuratorem, & accuſationibus reſpondeat: interim uerò iubet, ne quid moueat aut innouet, & ſi quid innouatum ſit, priſtino loco reſtituat. Idem etiam mandat oppidanis Andernaci, Bonnę, Lincij, Campenę: nam ijs in locis archiepiſcopus conſtituerat inprimis qui populum docerent. Iulij deinde die XVIII, Paulus III, illum eodem modo citat, ut intra diem

ſex-

ſexageſimum Romę ſibi pręſto ſit: citat etiam Henricũ Stolbergum, primariį templi Colonienſis decanum, eiuſq; collegas, omneis illuſtri genere natos, Iacobum Ringrauium, Fridericum Vuedenſem, Chriſtophorum Oldeburgum, Richardum Bauarũ, Philippum Oberſtenum. hi enim et archiepiſcopum amabant, neq; reliquorum actionem probabant. Erat omninò pontifex ab aliquot annis male in archiepiſcopũ animatus. quam quidem ad rem non paruum attulerat momentum Vergerius epiſcopus Iuſtinopolitanus. qui cùm legationem obiẽs in Germania, ſicut antè non ſemel diximus, Coloniam ueniſſet, ac illũ audiret ad eccleſiæ ſuę reformationem ſpectare: grauiter eum & acerbè, tum literis, tum oratione, domum reuerſus incuſarat.

Quum de cõcilio, de pace, de Camera, deq; bello Turcico diu multumq; diſceptatũ eſſet, uti ſupra docuimus, Cęſar Auguſti die quarto finem actioni facit, & quòd plęraq;, niſi principes adeſſent ipſi, potuiſſe tractari, deinde, quòd legatos aliquot non habuiſſe in omnibus agendi plena mandata diceret, comitium et actionẽ omnem in menſem Ianuarium anni ſequẽtis prorogat, & Ratiſbonam principes omneis uenire iubet, niſi ualetudine detineantur: ſe quoque uenturum eò dicit: religionis pacificationem optare ſe quidem inprimis, uerùm ipſis omnibus ait conſtare, cur hoc in conuentu nihil in eo ſuſcipi potuerit: ut autem aliquando concilietur diſsidium, aliud doctorum hominum colloquium, & utrinque quaternos inſtituit collocutores, & binos auditores, eóſque ſub calendas Decembreis adeſſe Ratiſbonæ, & ante comitia rem inchoare iubet. deinde ſuperiorũ annorum edicta pacis renouat & cõfirmat, & ne quid contrà fiat, edicit. pecuniam in bellum Turcarum, ex anni ſuperioris decreto collectam, aſſeruari, donec de ſuſcipiendo bello deliberatum fuerit, & quibus in locis nondum collecta ſit, conferri ſtatim iubet & aggregari: Cameræ reformationem in proximum conuentum reiįcit. interea iuriſdictionem illis permittit atque prorogat. Huius decreti caput illud, quod eſt de colloquio doctorum, pontificij recuſant, nec in eo Cæſari uoluntati aſſentiri: cætera non impugnant. Proteſtantes uerò ſuperiorem actionem repetunt, & per ſe non ſtetiſſe dicunt, quò minus tractatum de religione ſit, & quod ſuprà de concilij recuſatione dixerunt atq; Cameræ, rurſus adducunt, & Spirenſe decretum anni ſuperioris urgent, neque Cęſaris hoc decretum, quibus locis ab illo diſſidet, admittere ſe profitentur. Quomodo proteſtantium legati, propter ſequeſtrum ſecuti ſint caſtra Cæſaris ante annũ, & quomodo Cæſar

actionem in aliud tempus reiecerit, suprà diximus: hoc igitur in conuentu definita res omninò fuit, & ijs conditionibus, quas antè recitauimus, Brunsuicensis ager omnis Cæsari permittitur, qui confestim Henrico mandat, ut legibus rem agat, & ab armis abstineat. Ille uerò minime assentitur, de eóq; protestatur, & cùm Cęsar ei denuò grauissimis uerbis ac proscriptionis denunciata pœna mandaret, uti paréret, non modò non obtemperat, uerumetiam acerbè rescribit, eiusque consiliarios, Granuellanum inprimis atq; Nauium, odiosè criminatur: nec eo contentus, occultè cœpit cogere manus, ut amissa recuperaret, sicut paulò pòst dicemus. Vuormacia Cęsar secundo flumine Rheno Coloniam uenit, inde domũ redit. Colonienſis episcopus, quia citatus erat, ut ubicunq; Cęsar esset, eò ueniret, aut mitteret intra xxx diem, etsi pro ueteri Germaniæ consuetudine & electorum priuilegio non tenebatur esse præsto Cęsari, extra fines Imperij, tamen procuratorem eò misit qui se defenderet. Ardebat tunc bellũ Galliæ regis cum Anglo, & gerebatur res tàm mari quàm terra, & arcem Galliæ rex in littore maris prope Boloniam nuper amissam ædificabat, ut commeatu illos intercluderet: & ne quod impedimẽtum ei structurę fieret, néue Britanni longius euagarentur, exercitum habebat in propinquo. Dolebat autem protestantibus, hos reges ad eum modum inter se conflictari, qui tot annis pacem coluissent. itáque, cum id utriq; non ingratum fore cognoscerent, legatos de pace mittunt, in Galliam quidem, Christophorum Veningerũ, Ioannem Brunonem Nidepontanũ, Ioannem Sturmium: In Angliam, Ludoui cum Bambachum, Ioannem Sleidanũ. Hi quum Septembris die decimo uenissent Ambianum, de morte ducis Aureliani, qui pridie decesserat, cognoscunt. Is erat Cęsari futurus aut gener aut affinis, ut suprà docuimus, & perpetuæ amicitiæ ueluti firmissimũ quoddam uinculum: sed ecce, quo ferè tempore nuptię erant peragendę, paucorum dierum morbo perit, circiter xxiii annorũ iuuenis. In hoc ipso tempore, Henricus Brunsuicensis, instructus auro Gallico, sicut diximus, militum manus cõducit, quàm potest, occultissimè. quæ cum in agro Verdensi cõuenissent, equites circiter mille quingenti, pedites ad octo millia, Roteburgum, agri Bremensis oppidum petit, ut sui fratris archiepiscopi Bremensis tormẽta bellica suis coniungeret. uerùm id frustrà fuit. Bremensis enim senatus eò præmiserat qui locum defenderent. Itáq; facto itinere per agrũ Luneburgensem, non sine maleficio, suam in prouinciam ingreditur, et Stenbruccum arcem deditione capit,

pit,postea in agris multum damni dat,incensis ædificijs:& uicinis ciuitatibus, Brunsuico, Hanobriæ,Mindæ, Bremæ, Hamburgo denunciat,ut sibi de iniurijs satisfaciant,& à coniuratione Smalcaldica, sic enim uocabat,discedant,sin autem,dira minatur. Aliæ quædam illius copiæ, circiter octingenti equites, & peditum millia tria, quum Deckelburgio Comiti,socio protestantium, incendijs atque rapinis multum damni dedissent, Visurgim flumen transmittunt, & illi sese coniungunt. itáque primariam suæ ditionis arcem, Vuolfebutelum, obsidet,& passim in suam fidem iureiurando populum adigit. Interim Lantgrauius,mandatu sociorum,cogit in suis finibus ad septem hominum millia,& tria signa peditū,& equites circiter mille sexcentos. cum ea manu,& XXIII tormētis Northemum proficiscitur. Eò uenit ad ipsum Ernestus Brunsuicensis,Philippi filius,missus ab electore Saxoniæ cum equitibus mille, tribus millibus peditum, & sex millibus eorū,qui per ipsius fines & agrum erant collecti, cunctis tormentis XII. Venit etiam auxilio, Lantgrauij gener,Mauricius,adductis equitibus ad mille, & circiter quinq; millibus peditū & tormentis aliquot. Ea re cognita, Brunsuicensis, arcis obsidione relicta, quam præsidiarij milites fortiter defendebant, alió deflectit,& collecta,quam potuit, pecunia,militi iam dilabenti soluit, ac deinde progressus,prope Calfeldum castra facit, qui uicus à Lantgrauij castris aberat milliare unum. In hoc rerum statu, Ericus Brunsuicensis,eiusque mater uidua,Ioannes Brandeburgicus,Henrici gener,& alij,quidam intercedunt de pace: Lantgrauius autem atque Saxones nihil in eo sibi licere dicunt,nisi de sociorum uoluntate. Mauricium igitur illi summittunt, & orant,ut Lantgrauio socero persuadeat. gerit ille morem,& cum in castra uenisset,quod fuit Octobris die XVI,rem omnem exponit,& actionē sibi permitti petit. Lantgrauius autem eodem modo,sicut antè diximus,excusat.postridie,Brunsuicensis equitum cohortes aliquot propius ad Northemū accedunt,& cum Lantgrauianis dimicant,sed repulsi tormentis redeunt in castra. Sub uesperum eius diei,Mauricius iterū urget Lantgrauium: & quia suam hanc operam Henrico illiusq; necessarijs promiserit, petit proponi conditiones, ut si recuset Henricus, commodè ipse possit ab actione recedere. fert conditiones Lantgrauius, & eius quidem generis, ut dubium non esset, eas repudiatum iri. Mauricius ad eam rem legat Christophorum Eblebum, Comerstatum iureconsultū, qui ad illum referant. Interea nunciatur aduentare Brunsuicensis cum omnibus

copijs,ut montem Lantgrauij castris uicinum occupet. Lantgrauius autem prior eò peruénit,& tribus equitum turmis ac signis aliquot peditum relictis defensioni castrorum, exercitũ omnem in eum mon tem perducit:non multò pòst cœptum est utrinq; leuibus prælijs de certari. Dum hęc geruntur,redeunt legati Mauriciani,nunciant Hen ricum respondisse liberaliter, seque totum permittere Mauricio,ne que deinceps uelle religionem oppugnare. Commutatis ultrò ci tróq; uerbis,quum Mauritius admodum instaret,Lantgrauius hãc unam esse pacis rationem dicit, ut de religione caueat, in Mauritij po testatem sese dedat,prouinciam suam omnem ipsi tradat, & quod de belli sumptu, de damno dato,déque controuersia Goslarienſi pro nunciatum à Mauricio fuerit,ratum habeat. Has conditiones ut ipse uelut intercessor proponat, Mauricio Lantgrauius permittit, & si quidem eas ille recipiat, cõmunicato prius cum Saxone & uicinis ci uitatibus consilio,statuendum esse dicit. Cum his mandatis Mauri cius iterum legatos mittit.hi quum redijssent,aiunt bonam esse spem, uerùm in hoc strepitu militari,dum utrinque res armis geritur, nihil rectè posse fieri,& opus esse inducijs ad eam actionem. Iam nox sub erat.itáque fiunt induciæ, permittente Lantgrauio, in eum diem & in sequentis diei uesperum. Mauricius interim in colloquium cum Henrico uenit,ut persuadeat: ille uerò propositas conditiones om neis reijcit, & alias adfert longè diuersas ab illis, & per colloquium, ad quosdam Mauricij consiliarios,intra tertiam,inquit, horam appa rebit,utrum Lantgrauius, an ego sim orbis dominus,ut ad Scipio nem Hannibal dicebat: sed & pactas inducias Henricus uiolauit, fa cto impetu in pabulatores Lantgrauicos. Vbi ergo de cõditionibus ab Henrico propositis Lantgrauius cognouit,actionem omnem ab rumpit,& Mauricio de intercessione gratias agit. Octobris die xx, Henricus per suos cõsiliarios rursus tentat Mauricium, & ut idoneo loco inter utraque castra conueniatur,petit: sed Lantgrauius abnuit. itáq; Mauricius quoq; bellum Henrico denunciat, quod facturum se,nisi de pace conueniret,ei prædixerat,Mullusio missis ad eum lite ris. Intempesta deinde nocte, Lantgrauius octo cohortes equitum, & peditum millia circiter xii,cum tormẽtis,ductore Conrado Han steno præmittit: ipse cum reliquis copijs, cum Mauricio & Ernesto subsequitur. Albescente die,primum agmen,ad aditum quendam edi tiori loco positum,non longè ab Henrici castris peruénit,pòst etiam Lantgrauius cũ reliquo exercitu. Hic acriter pugnatũ est,& propter

angu-

anguſtiam loci, quia ſolùm una parte tranſiri poterat, anceps fuit aliquandiu dimicatio: ſed in eo temporis ueſtigio, Lantgrauius emiſſis tormentis hoſtem repellit. pòſt, re deliberata, quum iam alijs in locis per eum ăditum eſſet patefacta uia, Lantgrauius aliquam exercitus partem traducit, & maioribus tormentis in hoſtem eiaculatur. Ibi Brunſuicenſis mittit præconem ad Mauritium & colloquium petit: Lantgrauius autem nihil reſpondens, omnem prius exercitũ traducit, & aciem inſtruit, & tormentis in illos fulminat. Tunc rurſus ab Henrico ueniunt internuncij duo, & idem flagitant: ad eos Lantgrauius, non eſt, inquit, alia pacis conditio, quàm ut Henricus eiuſque natu maximus filius in poteſtatẽ meam ſeſe dedant: hoc ſi faciant, rectè habet, ſin autem, experiar quid poſſim: hoc illi renunciate, & paucis decernite. Hic iterum Mauricius ad ſocerũ, exercitus, ait, eſt traductus omnis: quid autem ſpei de pace? tum ille, uolo, inquit, ut Henricus eiuſque filius meæ poteſtati ſeſe permittant: ſi recuſent, prælio decernam. Eo dato reſponſo, Mauricius Henricum adit & colloquitur. Lantgrauius autem nihilò ſecius bellum adminiſtrat, emiſſis tormentis, & propius ad hoſtem accedit, & circiter quingentos ab eo paſſus conſiſtit, & Mauricio per Conradum Hanſtenum nunciat, non ſe poſſe quieſcere, quòd metuat, ne per occaſionem colloquij, Henricus euadat. Mauricius ait expectandũ eſſe donec cum illo ſit collocutus, & rogat ut tãtiſper abſtineat. paulò pòſt redit, & Henricũ, magna ui lachrymarũ profuſa, miſeriã ſuam deplorare, & uelle ſeſe dedere cum filio, renunciat, &, ne uerbis in eum ſit aſperior, orat. Vbi iam Henricus uenit cũ filio Carolo uictore, Lantgrauius, quòd ſi tuę poteſtatis, inquit, eſſem factus, nõ diu mihi lucis uſuram concederes: egò uerò tecum agam liberaliùs, quàm pro tuo merito: quid autem in mentẽ tibi uenit, quòd Cæſari non obtemperaſti, repudiata ſequeſtratione? nimirum hac uia tibi tuiſq; rectè conſuluiſſes. Ad hunc modum locutus, cuſtodias utricq; ponit. ſed interim exercitus Lantgrauij propè manus cõſerebat cum hoſte, & niſi Lantgrauius atq; Mauricius magna celeritate interueniſſent, ingens fuiſſet edita ſtrages. Henrici copiæ cogitabant uno agmine diſcedere, ſed quia periculum erat, ne rurſus per occaſionem aliquid mouerent, Lantgrauius eos conſequitur, & in planicie quadam deprehenſos cogit, ut ſignis direptis fidem darent, intra ſextum menſem non ſe militaturos in ipſum atq; ſocios. Machinas deinde bellicas omneis ipſis adimit, ad XVIII, cum omni inſtrumento, & progreſſus arcem

Stenbruccum recuperat,& populum in ſuam fidem rurſus adigit,et gratias agere iubet Deo, pro uictoria, & Ioannem Schamburgum, Ottonem Ritbergū, Comites, quòd ei ſubminiſtraſſent auxilia, mul ctat, inde, copijs dimiſſis, domum redit. In hoc tempore moritur Al bertus cardinalis Moguntinus, ei ſuccedit Sebaſtianus Huſeſtenus: Magdeburgenſem autē epiſcopatum adeptus eſt Ioannes Albertus patruelis, qui coadiutor ei fuerat attributus antea. De Mauricio fuit pòſt diſſipata fama, quaſi captioſis et fraudulentis uerbis Henricū in eas anguſtias perduxiſſet. eo cognito, ſcriptū ille diuulgat,& quam obrem à Saxone atq; Lantgrauio rogatus, deeſſe ipſis nō potuerit, oſtendit,& rem omnē ordine cōmemorat,et iniuriā ſibi fieri demon ſtrat,& nihiloſecius, ut ille liberetur, intercedit. Lutherus autem edi to libello principes hortatur, ne captiuū dimittant: uictoriā enim iſtā minimè cruentā, diuinitùs contigiſſe. His ferè diebus, Gulielmus Furſtembergius, quum hucuſq; Luteciæ captiuus fuiſſet, depenſis aureorū millibus triginta, dimittitur,& per Belgium profectus, ubi Cæſari ſuum infortuniū expoſuit, domum redit. Cæſar, ut rationes circumſpiciat, quibus damnum acceptum reſarciri poſſit, hortatur, in eóq; multam ei beneuolentiam promittit. Ad hoc ipſum tempus mortē obijt Alfonſus Daualus, Cęſaris per Inſubriam præfectus, in eiuſq; locū ſucceſſit Ferdinandus Gonzaga Mantuanus, qui Siciliæ prorex antea fuerat. Henrico Brunſuicenſi, filióq; capto, ſtatim Cę ſari rem omnē perſcribunt Saxo atq; Lantgrauius: et quoniā ille, cō temptis omnibus edictis, nouo bello Germaniā turbaſſet, petunt, ut tum ipſe, tum ſocij, propter uiolatā pacem publicā, proſcribantur, iuxta formulā et ſequeſtri cōditiones iam antè pactas. Vltima dein de Octobris die, Cęſari Lantgrauius, Ritbergū oppugnans, denuò ſcribit,& ſuperioris epiſtolę facta mentione, cùm idē petijſſet, profli gato Brunſuicenſi, captóq;, ſeſe uarias literas, et quidē grauiſſimis de rebus atque technis occultis, in caſtris illius reperiſſe dicit, quæ ſa tis oſtendant, eum aliquid magni fuiſſe molitum aduerſus ipſum aut Ferdinandum regem: nam inter alias, epiſtolam unam eſſe, qua princeps quidam elector ei reſcribat, non ſe poſſe ijs conditionibus in eam ſocietatem atque fœdus uenire, ſed ſui magis eſſe officij, ut conſilium eiuſmodi patefaciat: quòd niſi ſilentij fidem ei promiſiſ ſet, omninò ſe facturum illud fuiſſe: non interpellet ergò poſthac, alioqui non fore tacitum: hæc & id genus alia quædam eſſe in mani bus: quòd ſi iā ſua intereſſe aliquid putet, licere, ut è ſuis familiaribus

aliquem

aliquem mittat: ei se literas illas exhibiturum, & ut exemplum etiam ex archetypo describat, permissurum esse. Cæsar, qui tum Brugis erat, urbe Flandriæ, Nouembris die sexta Nicolaum Conricium ad Lantgrauium mittit cum his mandatis. Audire se, quemadmodum Henricus Brunsuigius cum filio in ipsius potestatẽ uenerit: & quanquàm uellet eum sequestri conditionem accepisse, tamen, cùm in eũ statum res deuenerit, existimare, non esse opus, ut illi uiolatæ pacis publicæ pœna iam irrogetur: confidere etiam, ipsum ità moderatè usurum esse hac uictoria, ut nemini sit ab eo uis ulla metuenda: monere autem, ut pro ueteri principum consuetudine, captiuos liberaliter ac honestè tractet, nec ad ullam iniquam aut ipsis indignam conditionem adigat, sed amicæ uel legitimæ disceptationi rem permittat, qua quidem in re nihil sit ipse, pro suo munere atq; loco prætermissurus: & quia nullum sit ei uel socijs metuendum amplius periculum, petere, ut copias dimittat pacémque colat, & si quam habeat de ullo querimoniam ob belli societatem aut subministratum auxilium, legibus experiatur: se quidem in eo facturum quod æquũ fuerit. Cùm ista Nouembris die decimo octauo Conricius exposuisset, Lantgrauius, eodem die, Casselij respondet. quia Cæsaris Imperijq; mandata non uno modo Brunsuicensis uiolarit atque socij, sperare se, futurum, ut Cæsar apertè demonstret, quàm grauiter molestéque factum illud ferat: inter socios illius primo loco esse Othonẽ comitem Ritbergum, clientem ac beneficiarium suum, quem hoc nomine mulctarit: esse quosdam etiam alios, in quos meritò uindicari posset: uerùm, ut Cæsar & omnes planè uideant, quantópere sint à turbis ipse atque socij alieni, non se quicquàm in illos mouisse, ac militem exauthorasse: quod cùm ità sit, & quia necessariam defensionem susceperint, orare plurimùm, ut & Henricum Cæsar & socios proscribat: nam etsi captus ille sit, tamen auxiliares nihilo secius esse plectendos, à quibus etiã nihil nisi hostile sit expectandũ: captiuos haberi sic satis liberaliter: de cæteris ad Saxonem sociósque relaturum. Legati, quos suprà diximus in Galliam atque Britanniam esse missos à protestantibus, mandata quidem sua peragunt, sed eodem tempore Cæsar etiam pacificationi studebat, & Brugis, diem constituit utriusque regis legatis. à Gallo missus eò fuit Claudius Annebaldus Amiralius, ab Anglo, Stephanus Vintonienſis episcopus: uerùm infecta re discedit. interim uerò protestantiũ legatorum opera factum fuit, ut ampliorem actionem ambo reges minimè

recusarent. Itáque legatos mittunt, Gallus quidē, Ardeam, Anglus uerò, Caletum & Guinā. hi medijs in campis, æquo ferè spatio, inter utrumq; oppidū, Nouembris die XXVI, sub tabernaculis conueniunt: & quum à legatis protestantium essent pacis propositæ quędam rationes, diu multúmq; rem inter se disceptant. Galli Boloniæ restitutionē, & ut Scoti comprehenderentur, inprimis urgebant: id autem Angli planè recusabant. internuncijs deinde atque literis res agebatur apud utrumq; regem, sed post multam actionem nihil effectum fuit. Itáq; Ianuarij die sexto, regum atq; protestantiū legati discedunt, domúmque reuertuntur. Postridie annonam Galli inferebant in arcem, quam in littore maris rex ędificarat, ut suprà dixímus: id cùm Angli prohibere uellent, dimicatū est, ac multis utrinque desideratis, illata fuit alimonia. Cùm essent in Anglia hi, quos dixi, protestantium legati, rex per occasionem colloquij dicebat, imminere ipsis longè grauissimum bellum: id sibi certò constare: monebat etiam, ut ad suos perscriberent. Ex ipsius autem consiliarijs quidam præcipuæ tunc authoritatis, alteri legato pòst idem explicabat, nominatis aliquot excursoribus & emissarijs, quorum id opera potissimùm fieret. quòd etiam cum Galliæ rege pacem anno superiori Cæsar fecisset, molestè rex ferre uidebatur, eóque magis, quòd illius impulsu bellum se fecisse diceret Galliæ, propter societatem Turcicam. Ianuario mense conuentus erat protestantium Francofurti: deliberatum ibi fuit de concilio Tridentino, de prorogando fœdere, de sumptibus belli Brunsuicensis, de non deserendo Colonienśi, de solicitando Cęsare in comitijs, ut pacem religioni det, & Cameram rectè constituat. Hoc in conuentu archiepiscopi Colonienśis legati queruntur de iniurijs cleri, déque mandatis & citationibus tum Cæsaris tum pontificis. Interea Palatinus elector instituit passim ecclesiæ ministros & euangelij doctores, integram quoque cœnam domini & coniugium sacerdotum permittit, & decimo die Ianuarij, loco missæ pontificiæ, peractū fuit in primario templo Heidelbergę sacrum, lingua populari. Protestantes igitur, missa legatione, gratulantur ei, & gratias agunt, quòd Colonienśis archiepiscopi legatis liberaliter responderit. hortantur etiam ut pergat, & Augustanæ confessionis doctrinam profiteatur, & in proximis Ratisbonæ comitijs operā det, ut pax & ius cōstituantur. Ad hæc ille. pacis perpetuò se fuisse studiosum, & fore etiam, quoad uixerit: de Colonienśibus dolere sibi plurimùm, quòd ad hunc modū exagitetur in

M. D. XLVI.

hac

hãc præsertim ætate: cùm igitur ipsi mittent ad Cæsarem & ad clerũ atq; senatũ Colonienſem, deprecandi causa, se quoq; suos unà missurum: in religione se multis nunc annis cõciliationem aliquã speraſſe: quia uerò differri periculosè rem uideat, neq; spes magna subsit, nõ se potuisse populi sui uotum & expectationẽ remorari diutius: itáq; doctrinę & rituum instituisse emendationem, quam & urgere deinceps cogitet, & profiteri palàm. Ad decimum septimum Ianuarij diem, Vesaliæ conueniebant electorum legati, eorum, qui Rhenani dicuntur, hi sunt Moguntinus, Colonienſis, Treuericus, Palatinus. nàm eorũ ditiones ad Rhenũ pertingunt. Palatinus urgebat hic Moguntinũ & Treuirenſem, ut unà secum & cũ Brandeburgico, missis legatis, intercederent pro Colonienſi: sed illi, quòd offenſionem meruerent, recusabant. Hoc tempore cœpit spargi rumor, Cęsarem occultè moliri bellũ: Lantgrauius igitur datis ad Granuellanũ literis, Ianuarij die XXIIII, non ex Germania tantùm, sed ex Italia quoq; nunciari dicit, alijsq; locis, Cęsarẽ atq; pontificem parare bellũ in Lutheranos, & uelle tueri concilium, & primo uere facturos initium, et fore, ut in Colonienſem archiepiscopũ, ex inferiori Germania, in Saxoniam autẽ, ex Bohemia, & in superiorem Germaniã ab Italia fiat impetus: habiturum quoq; Cęsarẽ ad decem millia peditũ, & equitum cohortes aliquot, custodiæ loco, qui Ratisbonam ipsum deducant: hunc rumorẽ non uulgò tantùm spargi, sed ab ipsis quoq; tribunis & centurionibus ac belli ducibus, quorũ nonnulli iactent, à Cæsare sibi iam esse numeratã pecuniam: quum autẽ Gallię regem Cęsar habeat pacatũ, inducias quoq; sit pactus cum Turca, sicut plęriq; confirment, mirum uideri multis, in quẽ usum copias cõducat: sibi quidem atq; socijs, dum ad pacificationẽ, primùm Noribergæ factam, postea Ratisbonę, Spiræ & alijs in locis confirmatã, respiciunt, nõ facilè posse persuaderi, ut id credant esse uerum, præsertim, quũ et Cęsari et Ferdinando regi contra Turcã & alios etiã hostes bonam operã nauarint: ueruntamen hæc ipsi uoluisse familiariter explicare, quæ crebris literis atq; nuncijs ad se sociósq; perferantur: posse enim fieri, ut ad Cæsarem, de se socijsq; consimilia dicantur à maleuolis, quæ causam diffidentię motúmq; suscitent, & utrisq; sumptum augeant: non dubitare autẽ, quin sibi sit ad ea responsurus: & quia pacis consiliarius adhuc quidem fuit, orare, ut deinceps quoque Cæsarem eò flectat. Granuellanus ad hæc Februarij die septimo rescribit. Cæsarem, neq; pactũ ullam habere cum pontifice, neq; militẽ conscribere,

nec ulli duci pecuniam numeraſſe: quanquàm ſi manum aliquam militum cogeret, non id cuiquam debere uideri mirum in hoc tempore, tánq; dubio rerum ſtatu, quandò uicini circùm reges atque principes copias conſcribunt: quis enim hoc in illo reprehendat, ſi det operam, ne quid prouinciæ ſuæ detrimenti accipiant? mirari uerò ſe, tàm impudentes homines reperiri, qui talia de Cæſare ſpargant, cuius animus quàm ſit pacis & otij cupidus, nemini non perſpectũ eſſe poſſit: ipſum adeò ſcire, quantopere ſemper elaborauerit, ut firma pace frueretur Germania: hoc etiam nunc ipſius eſſe uoluntatis atque propoſiti, eáque de cauſa colloquium eſſe Ratisbonæ inſtitutum: illud de decem millibus peditum, quos Ratisbonam ſit adducturus ad comitia, nimis eſſe uanum: quanquàm, ſi faceret, neq; exemplo carere, quòd Auguſtam Vindelicorum olim ità uenerit, nec etiam ratione, quandoquidem ad ipſum uaria de rebus atque ſtatu Germaniæ nuncientur: ſed eſſe falſum rumorem: iam enim Cæſarem eſſe paratum ad iter in Germaniã, et minimo cum comitatu proficiſci, quòd exiſtimet, animum ſuum eſſe perſpectum omnibus, & fore, ut nemo cauſam ipſi det, cur ſecus faciat: archiepiſcopum Colonienſem ipſum eſſe teſtem, quàm benignè Cęſar & clementer egerit, quàm amanter ipſum in uiã reuocarit: licet enim grauiter ſit accuſatus, nihil tamen Cęſarẽ in ipſum ſtatuiſſe, quantum quidẽ ſalua licuit exiſtimatione: nuper etiam per Nauium admonuiſſe, ut deſiſtat & comitij Ratisbonenſis decretum expectet: nam certè nec æquum eſſe illius inſtitutum, neque Cæſarẽ decere, ut hæc in eo ferat, de quibus ipſum humaniſſimè iam commonefecerit: ſe quidem uniuerſæ reipublicæ, ſed inprimis Germaniæ, ſalua & proſpera omnia precari. Sub exitum Ianuarij menſis Francofurti conueniunt Lantgrauius & Palatinus elector Fridericus. Auguſtani, multis ex locis, de Cæſaris & pontificis apparatu bellico certiores facti, Sebaſtianum Schertelinum, hominem militarem & ipſis addictum, miſerant ad Palatinum atque Lantgrauium, qui de his rebus ipſos arcanè doceret. is igitur, cùm utrunque ſeparatim conueniſſet, effecit, ut deliberandi cauſa huc uenirent ambo, & Palatinus quidem, Ottone Henrico patruele comitatus. Paucis diebus pòſt, ueniunt etiam eò legati proteſtantium ex Gallia & Britannia, & Lantgrauio ſocijſq; legationẽ renunciant. poſtridie, qui fuit quartus Februarij dies, Lantgrauius diſcedit, & ad archiepiſcopum Moguntinum, nuper creatum, qui milliare unum illinc aberat, proficiſcitur, et inter alia rogat,

ut in

ut in comitio Ratisbonensi consilia sua referat ad Germaniæ tranquillitatem. Non multò pòst dimittitur Francofurti cõuentus, & facto decreto, protestantes, missis legatis ad Cæsarem & ad clerum Coloniensem, intercedunt pro archiepiscopo. Saxoniæ dux Mauricius, etsi non erat eius fœderis, legatum habebat Francofurti, Christophorum Carlebiciũ, ex nobilitate uirum egregiè doctũ, qui, dimisso conuentu, statim ad Cæsarem proficiscitur. Erat tum in Geldria Cęsar, ad eúmq; delatũ antea fuerat, quasi Smalcaldici aduersus ipsum Francofurti coniurassent: neq; deerant, qui, sicut dici solet, oleũ adderent camino, & hos ordinũ principúmq; conuentus ad ipsius contemptum pertinere dicerent. Nauius à Cæsare missus fuit ad Coloniensem episcopũ, uti dictum est: inde ad Moguntinũ atq; Palatinum uenit, & in itinere cũ Renardo comite Solmensi, homine militari & industrio, fortè loquitur de præsenti rerũ statu, décq; rebus ad Cæsarẽ delatis. Et cum Solmensis inuicem diceret, cuiusmodi de Cæsare fama per Germaniã spargeretur, ille pernegat, neq; Cæsari unq; in mentem uenisse dicit: sic enim esse pacis amantem, ut etiam suis postpositis rebus, ad Imperij conuentum iam sit iturus: neque se dubitare, quòd si Lantgrauius ad ipsum ueniat, quin amicè tractetur, et omninò sibi uideri consultũ, ut ueniat: sic enim fore, quia fortè Ratisbonam non sit iturus, ut se suósq; purget, & de Cæsaris animo coràm cognoscat, & de republica sermonem conferat: futurum etiam, ut omnis & suspitio tollatur & diffidentia, quæ nata sit ex delationibus utrinque: quòd si colloquium expetat, rectè facturum, si paucis comitatus, bona fide ueniat, & hoc ipso declaret, quantum Cęsari tribuat atque fidat. Vbi Lantgrauius hæc è Solmensi cognouit, uigesimo Februarij die dat literas ad Nauium, & auertendæ suspitionis causa, quid Francofurti sit actum, partim exponit, deinde famã dicit excitatam fuisse de Cæsare, quasi bellum pararet, & inter alios duces Alberto Marchioni Brandeburgico mandarit, ut circiter equites mille conducat: Solmensem autem, ipsius relatu, confirmare, uanum esse rumorẽ hunc: & quia Granuellanus etiã idem scribat, ipsis habiturum se potius fidẽ, quàm ijs, quæ uulgò disseminentur: etenim se sociósque sperare, futurũ, ut à pactis & à decreto Spirensi Cæsar minimè recedat, præsertim, quum causa, quamobrem aliter faciat, nulla subsit: ad colloquium quod attinet, de quo Solmensis etiã ipsius uerbis dixerit, nõ se recusare, sed cũ socijs rẽ esse prius communicandã, è quibus etiam nonnullos adesse uelit, per paucos tamen.

Antè diximus, quomodò Cæsar colloquium doctorum instituerit Ratisbonæ, & sub initium Decembris omneis adesse iusserit: diē autem hunc pòst in idus Decembris prorogauit. à Cæsare missi uenerunt Petrus Maluenda, Hispanus, Eberardus Billicus carmelita, Ioannes Hofmesterus Augustinensis, Ioannes Cochlæus, theologi: Georgius Loxanus, Caspar Caltentalus, Georgius Ilsingerus, Bartholomæus Latomus, auditores. quorum Cæsar auxerat numerū, nam antea bini tantùm erant designati, sicut diximus. A' protestantibus uenerūt, Bucerus, Brentius, Georgius Maior, Erardus Schnepfius, theologi: Volratus comes Vualdeccus, Balthasar Gultlingus, Laurentius Zochus iureconsultus, Georgius Volchæmerus, auditores. Ambrosius Pelargus Dominicanus aderat pontificijs extra ordinem, Ioannes Pistorius autem & Martinus Frechtus & Vitus Theodorus, protestantibus. Ad calendas Ianuarij uenit alter colloquij præses, à Cęsare cōstitutus, Mauricius episcopus Eistetensis, & aliquot pòst diebus, Fridericus comes Furstembergius, collega.

Vigesimo septimo demum Ianuarij die fit initiū, & præsides nonnulla præfati de suis personis, de onere sibi imposito, déque mora, theologos hortantur, ut in re tàm graui, támq; sancta, nihil affectibus tribuant, sed agant syncerè, Deúmq; uereantur & concordiam spectent. suā deinde pollicentur operam, fidem & æquitatē. postea recitant Cæsaris esse mandatum, ut protestantium Augustæ quondam exhibita confessio, tractetur hoc in colloquio, tribus primis omissis dogmatis, de Trinitate, de uerbi incarnatione, de peccato originis: nam illa duo non habere controuersiam, hoc uerò postremùm iam antè satis esse disceptatum: reliqua uerò doctrinæ capita tractentur ordine, de iustificatione, de remissione peccatorum, de legis impletione, de fide, de bonis operibus, de merito, de sacramentis, de purgatorio, de suffragijs mortuorum, de ueneratione & inuocatione diuorum, de reliquijs, de statuis, de uotis monasticis, de cœlibatu sacerdotum, de delectu ciborum, de ferijs, de traditionibus ecclesiasticis, de ecclesia, de potestate clauium, de ordine hierarchico, de Romani pontificis, episcoporum & conciliorum authoritate. His rebus expositis, protestantes, qui uiderent quibuscum aduersarijs essent commissi, collocutionem omnem & acta describi petunt à tabellionibus, ut Cæsar atque principes rem totam, & cuiusque partis argumenta & probationes intelligant. præsides contrà. nimis id fore prolixum, & satis esse, modò capita rerum annotentur præcipua:

deinde,

deinde, nihil eorum quæ agerentur, efferendū esse dicunt, & tempus ante meridianum colloquio designant. A multa disceptatione conuenit, ut utrinque bini sermonem omnem scripto mandent, ut acta reponantur in cistam, nec ulli communicentur, nisi reliquis præsentibus, & silentio tegantur. hæc ità præsides permittunt, modò Cæsari placeat, à quo nullū eius rei mandatū habere se dicebāt. Protestantes etiam eadē conditione recipiunt, sic tamen, ut ad suos principes renunciare sibi liceat, quæ scire, ipsorum interſit, & quæ sibi perscribi illi postularint. Eo constituto, Petrus Maluenda, theologus Parisiensis incipit, & die quinto Februarij mensis multa præfatus in laudem Cæsaris, doctrinæ caput, quod est de iustificatione, prolixè admodum & more scholastico tractat. Bucerus autem interpellans dicebat id esse contra colloquij legem, & Cæsaris præscriptum: in medio positam esse doctrinæ ipsorum confessionem Augustanam: sumat ex eo libro caput de iustificatione, & si quid habeat, ordine refutet aut obijciat. ille nihilo minus pergit, & ità concludit, ut & libero arbitrio plurimùm tribueret, & non fide tantùm, sed & spe & charitate quoque diceret hominem iustificari. Postridie Bucerus, ante annum quintum, in colloquio, Ratisbonæ, dogma de iustificatione conciliatum fuisse demonstrat, & quid Cæsar, quid reliqui principes ac ordines de eo tum statuerint, exponit, & hoc ipsum in acta referri petit. deinde secutus ordinem à Cæsare præscriptum, idem dogma repetit, & in quatuor capita diuidit: hominem non iustificari coram Deo, suis operibus aut meritis, gratis uerò iustificari propter Christum, per fidem, cùm & in gratiam se recipi, & peccata propter Christum sibi remitti credit: Christum sua morte pro peccatis nostris satisfeciſſe: Deum imputare fidem pro iustitia. hęc scripturæ testimonijs confirmat & explicat, et quid sibi cum Maluenda cōueniat, quid minus, ostendit, & illius argumenta refellit. Maluendæ succeſſit Carmelita Billicus, & quum alia quædā à Bucero dicta, tum illud de iustificatione refutat, & conciliatum aliquandò fuisse, negat. Decimo tertio Februarij die, Maluenda Bucero respondet, & hęc tria concludit. opera disponere ac prępparare ad iustificationem: charitatem esse formam iustitiæ: iustificatorum opera consummare iustificationem, & mereri uitam æternam. Cùm de his rebus ageretur, ecce decimoquinto Februarij die Cæsaris adferuntur literæ. ijs mandat, ut inter præsides recipiatur Iulius Pflugius, episcopus Numburgicus, ut ne collocutorum & auditorum nume-

rus augeatur extraordinarijs, ut non alij, quàm quos præsides dele-
gissent, tabelliones, acta describant, ut omnes iureiurando silentium
promittãt, nec ulli mortalium aliquid enuncient de rebus colloquij,
prius, quàm ad Cæsarem & ordines Imperij relatum sit, ut ea, de
quibus conuenit, subscribantur ab utrisque, controuersa uerò, pau-
cissimis uerbis, & summis tantùm sententijs utriusq; partis recitatis,
annotentur, & tabellionibus tradita seruentur. His ità commemora-
tis, protestantes deliberandi spacium postulãt, & altera die Martij,
dato responso, de tertio præside non sibi displicere dicunt, modò sui
principes etiam probent: deinde, sua responsa nondũ absoluta, sibi li
cere prosequi, et illud de cõciliatione Ratisbonensi superiori, in com
mentarios referri, & Ioannem Pistorium pro tabellione manere, &
non multas quęstiones, inter disputandum, uno tempore confundi,
sed aliã post aliã ordine tractari petunt: illud autẽ de silentio tàm ar-
cto non se posse præstare dicunt, quòd in mandatis habeant, ut suos
de statu colloquij, subinde certiores faciant. Hisce de rebus diu mul
túmq; disceptatũ fuit, cùm et Cæsaris mãdata sibi sequenda prę sides,
& à suorum principũ iussis non se posse discedere, protestantes inui-
cem dicerent. Itáq; præsides, quid illi peterent, ad Cæsarem tandem
perscribunt. Interim uerò Saxonię dux, qui cõditiones colloquij nõ
probaret, postquàm de illis accepit, reuocat suos, ut rem omnem co
gnoscat. Illis ergò discedentibus, Bucerus etiam, ut acta Lantgrauio
referret; die uigesimo Martij mensis abit. Tulerunt hoc impatienter
admodũ præsides, & quũ antea prę sentes monuissent, uti manerent,
iam, nonnullis profectis, reliquos, qui superant, per epistolam, ut Cę
saris rescriptũ expectẽt, grauissimis uerbis hortantur: sed hi, quoniã
collegæ præcipui discesserint, nõ esse quòd maneant, &, si continuan
dum sit colloquiũ, non se defuturos in posterum esse docent. Pontifi
cij pòst, editis libellis, acerbè criminantur eos, hãc ob causam, uerùm
ijs copiosè postea Bucerus respondet, & simul, quicquid de iustifica
tione hominis dici potest, amplissimè tractat. Protestantibus, de-
precandi causa pro archiepiscopo Colonienſi missis ad Cę sarẽ, adiun
xerant se Palatini principis & Brandeburgensis electoris legati. pe-
titionis hæc erat summa, ut ad cæteras religionis causas, hanc etiam
Cæsar referat, & institutam à clero actionem rescindat: etenim, si
qua uis ei fiat, nõ se posse illum deserere significabant. Quum XXVI
die Februarij Cæsar eos audisset Traiecti, per Nauium altera die
Martij respondet. omnem se beneuolentiam ad hoc usq; tempus illi

declarasse

declarasse, & coràm, deinde per legatos etiam admonuisse, ut erga clerum & reliquos ordines archiepiscopatus commodè sese gereret ac tolerabiliter, hoc enim alioquin ipsius esse officij: sed illum, etsi spem magnam faceret ac liberaliter promitteret, his omnibus neglectis, ità rem gessisse uiolenter, ut & totius prouinciæ tuendæ, & suæ etiam existimationis retinendæ causa, necessariò sibi fuerit adhibendum remedium, lene quidem illud atque legitimum, quo nõ sit usus etiam, nisi tunc, quum frustrà consumptis omnibus alijs consilijs, ille, ne ad futurum quidem proximè conuentum usque Ratisbonensem differre uellet, sed suis posthabitis mandatis, contemptim pergeret, fretus appellatione quadam friuola, quæ neque sit à quoquàm admissa, necp locum ullum habere possit: etenim si huius adminiculo uelit uti, æquum esse, ut interea quiescat & suam atcp ordinum Imperij cognitionem expectet: cùm autem id facere recusarit, occurrendum fuisse, & cur ità fecerit, causas habere se graues atcp iustas: & si rem omnem sciant, non dubitare, quin idẽ sentiant, præsertim, quum ipsis constet, quàm leniter atque mansuetè semper egerit in cõmunibus Imperij causis, & quanta sua interuenerit pro republica solicitudo: ueruntamen, boni sese consulere legationem hanc, quòd ad pacem atcp conciliationem religionis eam pertinere putet: itácp si desistat archiepiscopus, & suis pareat mandatis, nõ esse quòd in se quisquàm requirat, & proximis comitijs usurum in eo se principum & ordinum consilio: petere autem ut principes eò ueniant, omni remota excusatione: se quoque iam ad iter esse paratũ, & licet impediatur ualetudine, tamẽ, ut finis aliquandò controuersiarũ fiat, nullum recusare laborem atque molestiam. Concilium suprà diximus ad idus Martias anni superioris indictum fuisse, Tridenti. Legatos eò pontifex misit Ioannem Mariam Montanum, Marcellum Ceruinum, Reginaldum Polum Britannum, cardinales. Venit etiã eò, sed non ad constitutũ diem, missus à Cæsare, Iacobus Mendoza, Hispanus, & cum in laudẽ Cæsaris, décp illius erga concilĩũ & ecclesiam Romanã præclara uoluntate multa dixisset, absentiã illius excusat, & operam suam atcp studium ipsius nomine profitetur, & quòd ab Hispanijs nondum uenerint episcopi, quos Cæsar euocarit, itineris tum interuallo tum difficultati tribuendũ esse dicit. fuit hoc durante comitio Vuormacensi, de quo diximus. Legati cardinales ad hæc respondent. etsi de pietate Cęsaris nunquam dubitarint, pergratam sibi fuisse tamen ipsius orationẽ: & quum põtifex, uerus Christi

uicarius,& apoſtolorum principis Petri ſucceſſor,communicata re cum Cæſare,conciliū hoc indixerit, ſanandæ cauſa reipublicæ, Germaniæ præſertim,ſperare ſe,Cæſarē daturum operā,ne quid Vuormaciæ ſtatuatur de religione, ſed ut ad concilium omnia referantur: hoc enim ad ipſius gloriā & conſcientiæ quoq; tranquillitatē inprimis pertinere: ſi uerò ſecus fiat,non eccleſiæ modò conſuetudinē uetuſtam, ſed ius quoq; diuinū & humanum uiolari:peſſimum etiam exemplū introduci,& cōcilij dignitatē conuelli totā: quòd ad ipſum pertineat,gratam eius eſſe præſentiam atq; perſonam. Cùm ergò ſerius plæriq; uenirent,nihil eò fuit actum anno,niſi quòd menſe Decembri,quē uulgò dicunt aduentum,eò quòd Chriſti diem natalem antecedit,monachi quidā orationes habebant ad patres,uti fieri conſueuit: pontifex etiā euulgato diplomate,bullam uocant indulgentiarū,ad idus Decembreis,eam huius eſſe temporis calamitatē dicit, propter inundantes hæreſes,ut quamtúmuis etiā operæ,laboris atq; ſolicitudinis pro republica ſumat,uix tamen ſibi ſatisfaciat ipſe: concilīū ergò ſe denunciaſſe,ut eccleſiæ uulnera ſanentur, ab impijs hæreticis inflicta: quia uero ſalus omnium in eo poſita ſit, deinde,ut concilij patres,aliorū precibus adiuti, Deo ſint commendatiores,hortatur in uniuerſum omneis, ut è ueſtigio ſeſe cōparent ad pœnitentiā, delicta ſua ſacerdoti confiteantur, ternis per hebdomadam diebus, ieiunio corpus macerent, & ijſdem diebus adſint ſacris ſupplicationibus, aut ſi per ualetudinem non poſſint, in pauperes aliquid erogent,tenuiores autē precationē dominicam ſubinde recitent, ac deinde cœnam domini percipiant. obtemperantibus,peccatorū ueniam ac remiſſionē largitur,& epiſcopis omnibus, ut hæc populo denuncient,mādat. Septima deinde Ianuarij die,huius anni,cùm auctior eſſet epiſcoporū numerus, fit initium concilij: cúnq; in primarium templū ueniſſent omnes, peracto ſacro,legati cardinales,quos diximus, orationem habent de ſcripto ad patres,& tribus de cauſis agi conciliū dicunt,ut hæreſes extirpentur,ut eccleſię diſciplina reſtituatur,ut pax recuperetur: præſentis autē calamitatis culpā in ordinem eccleſiaſticū debere transferri dicunt: neminē enim eſſe, qui ſuū faciat officiū,& qui agrum domini colat: itáq; natas eſſe hæreſes,tanquam uepres: ac licet nullam ipſi hæreſim excitarint, tamen, quòd non excoluerint agrum,quòd nō ſemina iecerint, quòd enaſcentem zizaniam nō euulſerint,in eadē eſſe culpa: circumſpiciant ipſi,& ſuā quiſq; conſcientiā conſulat,an munus ſuū fecerit; certè, quòd proiecta

cta sit omnis ecclesiæ disciplina, totũ ipsis tribui oportere: tertiũ malum esse, bellum: hãc uerò plagam à Deo suscitari et immitti propter neglectam religionem & disciplinã: armis autem affligi rempublicã & ecclesiam, non modò Turcicis & externis, uerumetiam ciuilibus atq; domesticis, dum uel ipsi reges belligerantur, uel illi, qui ab obedientia suorũ pastorum defecerunt, ordinem omnem perturbant, & ecclesiæ bona diripiunt: his autẽ malis occasionem sese dedisse, quandò per auaritiam & ambitionẽ, pessima uitæ exempla introduxerũt: iustũ igitur esse Dei iudiciũ, qui nunc ipsos ad hunc modũ uerberet: sed tamen multò mitiorẽ esse pœnam, quàm pro merito suo: beatos quidẽ esse, qui propter iustitiã patiuntur, se uerò nihil eiusmodi posse prædicare, qui multò sint digni grauiori uindicta: suũ ergò quisq; delictum agnoscant, & iram Dei mitigare studeant: nisi enim agnoscant, emendationi nullũ esse locum, & frustrà concilium haberi, frustrà quoq; sancti spiritus gratiam implorari: magnum uidelicet esse Dei beneficiũ, quòd occasionem dedit inchoandi concilij, quo, sicut olim hierosolyma, post diuturnam captiuitatem, sic ecclesia, post longum et uehemens naufragium, in portũ delata, restauretur: Esdram, Nehemiam, cæterósque duces, ubi domum reuertissent, grauiter admonuisse populũ Israëliticum, ut sua suorúmque maiorum peccata professi, misericordiam Dei solicitarent: hoc etiã ipsis imitandum esse exemplum: extitisse tum temporis, qui restaurantes Hierosolymam Iudæos impedirent ac deriderent: hac etiam ætate nõ defuturos, qui conentur idem atq; faciant: sed constanter esse pergendum, fiducia Christi, cuius mandatum & opus hic agant: & quia iudicis personam sustineant, prouidendum esse, ne quid dent affectibus, uerùm, ut ab ira, odio, amicitia uacui sint, nec in ullius hominis gratiam aliquid decernant, nullius etiã auribus atq; cupiditati seruiant, sed soli Deo gloriam omnẽ asscribãt: omneis enim ordines à uia deflexisse, nec esse quenquam ex omnibus, qui rectè faciat: Deũ ipsum & angelos intueri hũc cœtum, nec ullius cogitationẽ occultam esse posse: agãt ergò syncerè, & qui sunt à regibus atq; principibus missi episcopi, mandata quidem illorum procurent, sed tamen Deũ inprimis reuereantur, nec odio uel fauori quicquam tribuant: cùm enim pacis causa conuentũ sit, omnẽ oportere contentionẽ atq; factionẽ abesse procul. Post hanc orationẽ recitatur decretum synodi, per Ioannẽ Fonsecam, episcopũ Castrimarinũ, Hispanum. eò monentur omnes Christiani nominis, ut uitã emendẽt, Deũ metuant, sæpe cõfiteantur

delicta, frequenter adeant templa diuorum, & de pace publica Deũ orent: episcopi autem & reliqui sacerdotes intenti sint precibus, & saltem septimo quoq; die, qui domino sacratus est, missam peragãt, & preces effundant pro pontifice, pro Cæsare, totáq; republica, ieiunent etiam, & egenis benefaciant: in primario templo sacrum fiat singulis hebdomadis, die Iouis, in honorem sancti Spiritus, & sacrificij tempore sint omnes in sacerdotem intenti, & à confabulationibus abstineant: sobriè quoque uiuant episcopi, neq; luxum ullum mensis adhibeant, & sermones omneis ocioſos atque leues defugiant, & ad eandem disciplinam suos assuefaciant, ut & sermone & uestitu & omni actione præ se ferant honestatem: & quia synodus hoc potissimùm spectet, ut depulsis errorũ tenebris & hæresum, quę tot annos iam terris incubuerũt, ueritatis lumen effulgeat, monentur omnes, docti cumprimis, ut diligenter secũ ipsi cõsiderent, qua potissimùm uia possit istud confici: in dicendis autẽ sententijs decretum concilij Toletani sequantur, agant modestè, non clamosè, nõ sint contentiosi nec obstinati, sed suauiter omnia et sedatè pronuncient. Alter consessus fuit die quarto Februarij mensis. nihil hic actũ est, nisi quòd symbolum fidei profitentur, & tertio consessui dies dicitur, ad octauum Aprilis diem. nam plures aduentare, & esse iam in uia dicebantur: eos ergò putabant expectandos, ut tantò maior esset decretorum authoritas. Dum hæc Tridenti geruntur, Lutherus ad Comites Mansfeldios proficiscitur, uocatus ab ijs, componẽdi causa dissidij, quod inter ipsos erat de finibus & hæreditate. non solebat ille quidẽ eiusmodi negocia tractare, & per omnem uitam suis tantùm studijs uacauerat: sed quia natus erat Islebij, quod est Mansfeldiorũ ditionis oppidũ, nõ potuit hunc laborẽ & operã illis atq; patrię non præstare. Prius quàm Islebiũ perueniret, quod erat sub exitũ Ianuarij, ualetudine utebatur tenuiori: sed tamen & causam agebat, propter quam erat uocatus, & aliquoties in tẽplo docebat, percepta quoque cœna domini. Decimo septimo uerò Februarij die cœpit ægrotare grauius ex pectore. erãt cum eo filij tres, Ioannes, Martinus, Paulus, & alij quidã familiares, in his etiã Iustus Ionas, Hallensis ecclesiæ minister: & quanq; erat imbecillior, prandit tamen cũ reliquis atq; cœnauit. inter cœnandũ uarijs de rebus locutus, hoc etiã inter alia rogabat, num in illa sempiterna uita simus alter alterũ recogniturí? cúnq; illi auerent ex ipso scire: quid, inquit, accidit Adamo? nunq; ille uiderat Euam, sed quum eam formaret Deus, altissima quiete sopitus

dormiebat.

dormiebat: expergefactus autem, cum illam uideret, non rogat, quę sit, aut unde ueniat, sed carnem esse de sua carne dicit, & os de suis ossibus. Qui uerò sciebat istud? nimirum spiritu sancto plenus, & uera Dei cognitione præditus, ità pronunciabat: ad eundem modum, nos etiam in altera uita renouabimur per Christū, & parentes, uxores, liberos, & quicquid est, multò perfectius agnoscemus, quàm tunc Euam Adamus cognouit. A' cœna, quum diuertisset precandi causa, sicuti consueuit, cœpit augeri dolor pectoris. ibi monitu quorundam usus est cornu monocerotis, ex uino, pòst, in minori lectulo hypocausti per unam & alterā horam suauiter dormit. cùm euigilasset, in cubiculū ingreditur, & ad quietem iterum sese componit, & salutatis amicis, qui aderant, orate, inquit, Deum, ut euangelij doctrinam nobis conseruet: pontifex enim & conciliū Tridentinum dira moliuntur. Hæc, ubi dixit, facto silentio dormit aliquandiu, sed urgente ui morbi, post mediā noctem excitatus, queritur de pectoris angustia, & prę sentiens iam instare uitę finē, his omninò uerbis Deū implorat. pater mi cœlestis, Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, Deus omnis cōsolationis, ago tibi gratias, quòd filiū tuum Iesum Christum mihi reuelasti, cui credidi, quem sum professus, quē amaui, quem celebraui, quem pontifex Romanus et reliqua impiorū turba persequitur & afficit cōtumelia: rogo te mi domine Iesu Christe, suscipe animulam meam: mi pater cœlestis, etiámsi diuellor ex hac uita, licet corpus hoc mihi sit iam deponendū, certò tamen scio, me tecum esse permansurū in sempiternum, neq; posse me tuis ex manibus à quoquam auelli. Non multò post eam precationem, ubi spiritum suū in manus Dei semel et iterum cōmendasset, tanquàm dormiturus, paulatim è uita decedit, nullo cū corporis, qui quidē animaduerti posset, cruciatu. Sic ergò mortuus est in patria sua, quā à multis annis nō uiderat, Februarij die XVIII, maximo cum gemitu plurimorum. Mansfeldij quidem cupiebāt illum suis in finibus, quod illinc originem haberet, sepeliri, sed iussu principis electoris, Vuittembergam honorificè delatus, quinto pòst die reconditur. erat annorū circiter LXIII. natus enim fuit anno salutis millesimo quadringentesimo, octuagesimo tertio, Nouembris die decimo, parentibus honestis atq; laudatis, Ioanne & Margarita: domi primas literas didicit, inde Magdeburgum missus & Isenacum, æquales omneis facilè superabat. pòst Erfordiā uenit, totúmq; se dialecticæ dabat atq; philosophiæ; & cùm ibi fuisset aliquandiu, nō conscijs parentibus atque

propinquis, in Augustinense collegium sese dedit, & omne studium ad sacras literas applicabat, iuris atque legum relicta tractatione, quam antè susceperat. Porrò, Vuittembergæ recens erat instituta academia: Stupicius igitur, de quo libro primo diximus, cùm eius rei curam haberet, Lutherum eò traducit, ut theologica doceret. Romam deinde missus fuit Lutherus, à sui ordini sodalitio, ut litẽ, quę tum ibi pendebat, procuraret. fuit hoc anno salutis M. D. X. domum reuersus, impulsu amicorum, insignia doctoratus accepit, subministrante sumptum Friderico duce. Quanta fuerit in eo uis & copia dicendi, testantur librorum monumenta. Germanicam certè linguam & exornauit plurimùm, & locupletauit, & primã in ea laudem obtinet, & ea uertit è latino sermone, quæ uerti non posse putabantur, & significantissimis utitur uerbis, maximéque proprijs, & unica uoce rem nonnunquam ob oculos ponit. De pontifice quodã in loco scribit, quemadmodum cœnã domini prophanauerit, & missam applicari iusserit etiã pro mortuis: ait eũ penetrasse cũ sua missa, nõ modò per omneis angulos totius orbis Christiani, uerumetiã in purgatoriũ ipsum: sed utitur uoce Germanica, quæ tibi strepitũ illum repręsentat, qualis excitari posset, si mortuorũ ossa, certis locis et distinctè cõposita, subitò quis & magna ui cõcutiat ac impellat, aut globũ in illa cõtorqueat. Animo fuit prorsus inuicto. quo primùm tẽpore cœpit docere de indulgẽtijs, ignorabat, quò res ea pertineret, ut ipsemet fatetur, et hoc unũ agebat, ideóq; demissè tum admodũ ad põtificem alióscq; scribebat, cùm autẽ in scripturæ cognitione magis in dies magíscq; proficeret, suámq; doctrinã cum uerbo Dei cõgruere iudicaret, omnẽ aduersariorum impetũ & totius orbis odiũ fortissimo pectore sustinuit, & tanq; murus aheneus cõstitit immotus, omni contempto periculo. Cùm à Clemente Cæsar inauguratus, Vindelicorũ Augustæ cõuentus ageret, horrenda quædã uidebatur imminere tẽpestas, ut libro septimo demonstrauimus: ipse autẽ & amicos priuatim & publicè consolabatur omneis, & psalmũ XLVI huc accõmodans, firma nobis est, inquit, arx et propugnaculũ, Deus: ille uetus humani generis hostis, rem totis nunc uiribus agit, & omnis generis machinas adhibet, nostra quidẽ est exigua potentia, neq; tantum impetũ diu sustinere possimus: atqui pro nobis arma sumpsit et pręliatur heros ille, quem sibi Deus ipse delegit: si rogas, quis ille sit: scias esse Christũ Iesum, penes quem ut uictoria sit atque triumphus, oportet: quòd etiamsi Diabolis hæc tota mũdi fabrica redundaret,

tamen

tamen non expauescimus, & certissima fiducia lętum expectamus exitum. Quamlibet enim fremat & grassetur satanas, nihil tamen in nos efficiet: nam iudicatus est, ac solo uerbo concidit omnis illius armatura. Verbum hoc aduersarij nobis non eripient, sed quantumuis inuiti relinquent: uersatur enim in castris aciéque nostra Deus, qui suo spiritu nos atq; donis protegit. Si uitam, si bona, si liberos & uxorem auferant, patienter feras: nam ipsis propterea nihil accedit, nobis autem est regnum paratum immortale. Psalmum hunc, ad tempus illud, mœroris & angustiæ plenum accommodans, ut dixi, quum sermone populari uertisset, inflexa nonnihil sentētia, numeros etiam addidit & modulos, argumento ualde conuenientes, & ad excitandum animum idoneos. Itáq; nunc ab eo tempore frequēs inter alios etiam psalmos ille decātatur. Quòd autem eiusmodi factum sit Augustæ decretū, eius rei culpam omnem, edito postea libro, transfert in Clementem septimum, eiusque legatum Campegium: Cæsaris autem honorificam facit & prædaram mentionem, cuius illi nomen & authoritatem obducant, ac innocentiam ei tribuit.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber XVII.

DE COLLOQVIO RATISBONENSI PAVLÒ SVPRA dictum est. Profectus eò fuit cum Bucero, permissu senatus Argētinensis, Ioannes Diazius, Hispanus. Is multis annis, Lutecię Parisiorum dederat operam literis & theologiæ Sorbonicę: quum autem Lutheri libros & aliorum legisset, & indefesso studio sacram scripturam euolueret, cœpit ei doctrina illa sordere magis atque magis: et tandem, ut maiori cum fructu rem ageret, relicta Lutecia, uenit Geneuam, ubi Caluinus erat ecclesię minister. Ibi cōmoratus aliquandiu, petit Argentinam: & quia magnam in eo doctrinam ac studium indefatigatū Bucerus animaduertit, aliquot pòst mensibus, colloquij causa Ratisbonam iturus, author senatui fuit, ut eum sibi comitem darent sociúmq; laboris. Vbi Ratisbonam ergò mense Decembri uenit, Petrū Maluendam, de quo diximus, quem Lutecie nouerat, adit.

Is, uelut obstupefactus, deplorat & queritur, quòd ijs locis ipsum uideret, & quidem in comitatu protestantium, qui de uno Hispano, in ipsorũ sententiam adducto magis sint triumphaturi, quàm de millibus aliquot Germanorũ. Itáq; cœpit admonere, ut sui nominis rationem habeat, neq; tàm fœdam maculam sibi suæq; genti & familiæ inurat. Diazius ad hæc modestè respondet, cõmendata protestantium doctrina, & tunc quidem ita discedit. cunq; post aliquot dies redijsset, uti conuenerat, Maluenda machinas omneis admouet, ut eum absterreat: déq; põtificis Romani potestate multa locutus, quàm sit res grauis, illius excõmunicatio, prolixè commemorat: deinde, quia Cęsar breui sit uenturus, monet, ne illius expectet aduẽtum, qui fortè sit eí futurus periculosus, uerùm obuiam proficiscatur, & ad sacrifici Cęsarei pedes proiectus, ueniam admissi criminis petat: in eo se fore ipsi adiutorem profitetur. Adhæc Diazius masculè & copiosè respondet, & doctrinam protestantium esse prophetarum ac apostolorum doctrinæ consentaneam dicit, & Hispaniæ patriæ suæ miseriam deplorat, quæ tantis in tenebris uersetur, & ipsum Maluendam atq; socios, qui manifestam ueritatem oppugnent, & Cęsari malorum consiliorum sint authores, reprehendit, grauiterq; monet, ut desistat, & ipsius consilium repudiat, et salutarem hanc doctrinam professurum se, beneficio Dei, neq; capitis ullum recusare periculum, demonstrat. Maluenda, ubi confirmatum uidit, huc, inquit, frustrà uenisti: nihil enim hic statuetur: quòd si publicè prodesse uolebas, ut quidẽ iactas, Tridentum ire oportuit. post hunc cõgressum Diazius in posterum ab illo abstinet. Maluenda interim datis literis ad sacrificum Cæsaris, rem omnem exponit, & grauissimis uerbis monet, ut nascenti malo statim occurrat. cum hæ literæ redderentur, aderat Hispanus quidam, Marquina, qui Roma nuper uenerat. is intellecta criminatione cœpit excusare Diazium, quem familiariter nouisset. paucis deinde pòst diebus domum redit, & Diazij fratri, Alfonso, iureconsulto, Romæ, quid è sacrifico Cęsaris audisset, recitat. Interim Diazius Ratisbona proficiscitur Nuburgum, quod est Ottonis Hẽrici Palatini principis oppidũ, ad Danubium, XII supra Ratisbonam milliaribus. causa profectionis erat, ut cuiusdam libri, quem typographo Nuburgensi miserat excudendũ Bucerus, emendationi præesset. Alfonsus frater, excitatus oratione Marquinæ, fortè etiam literis quorundam, statim accingitur ad iter, & celeri cursu, primùm Augustã, deinde Ratisbonã uenit, &, ubi, quibus locis esset Diazius, cognouit, eò con-

contendit, & admiranti causam aduentus tàm subiti tanq; insperati commemorat. pòst, eisdem propè rationibus & argumentis utitur, quibus antè Maluenda, quem Ratisbonę conuenerat. Cùm id frustrà faceret, pollicetur annuos census è sacerdotijs, modò secum eat Romam. cùm ne id quidem succederet, interpositis aliquot diebus, uiectum se fatetur, & amare doctrinam euangelij simulat, et illum, ut relicta Germania, quæ uiris doctis abundet, & ipsius opera non indigeat, secum in Italiam proficiscatur, ubi multis prodesse queat, hortatur: uenturos primò Tridentũ: ibi multos esse magna eruditione uiros & iudicio præditos, quibus gratissima sit ipsius futura consuetudo: pòst, ituros Romam, Neapolim, atq; ità fore, cùm ab ipso passim per Italiam multi rectius erunt instituti, per eam occasionem hæc doctrina in Hispaniam quoq; propagetur. itáq; rogat & obtestatur, ut in eo sibi morem gerat: sumptum omnem & quicquid sit necessarium, ipse pollicetur. Diazius, magna perfusus lætitia, tum sibi tum illi gratulatur, & missis Ratisbonam literis ad Bucerum & alios, consilium illorum exquirit. ij rescribunt, & ne comitetur eum, monent. Alfonsus ergò deiectus ea spe, rogat, ut saltem Augustam usq; Vindelicorum secum eat. Dum hoc agitur, uenit Nuburgum Bucerus, domum rediturus, ut supra diximus, & ne pedem illinc efferat, hortatur. neq; prius illinc ipse discedit, quàm Alfonsus abijsset, quod fuit Martij die XXV. Sed pridie, quam abiret Alfonsus, fratrem humanissimè compellat, hortatur ad constantiam, & se beatum esse prædicat, qui paucis diebus, ex ipsius colloquio tantum profecerit in uera Dei cognitione: rogat, ut subinde sibi scribat, beneuolentiam omnem promittit, & recusanti, XIIII aureos obtrudit, atq; ità, profusis utrinq; lachrymis, discedit, & curru uectus, Augustam uenit, sex à Nuburgo milliaribus. Postridie, blandis uerbis & largitione remoratus aurigam, ut ipsum anteuerteret, idem iter, unde uenerat, ingreditur, & in itinere comparata securi, quam à fabro lignario fortè emerat, XXVII die Martij, prima luce Nuburgum uenit, & equis ante portam relictis apud nuncium Augustanum, quem secum adduxerat, in oppidum ingreditur, famulo sicario comitatus, & ad diuersorium fratris accedit. Famulus, ne statim agnosceretur, tabellarij uestem pileúmq; sumpserat, & præcedẽs ostium pulsat, deque Diazio rogat, ad quem literas habeat: intromissus, ascendit, Alfonsus autem ad infimos gradus manet, obseruans, ne quis conatum impediret. Diazius expergefactus, quum à fratre nuncius adesse diceretur, prosilit è cubili, & pal-

liò ſolùm tectus atque pileo nocturno, in proximum cœnaculum egreditur. mox adeſt ille cum literis, eaſq; reddit. uix dum illuxerat: literarum hæc erat ſententia. ualde ſe ſolicitum eſſe de ipſius periculo: caueat ſibi diligenter à Maluenda & id genus alijs hoſtibus euangelij. Dum iſta legit Diazius, carnifex à tergo ſtans, occultatam ſub ueſte ſecurim totis uiribus illi in capitis partem dexteram infligit aduſque manubrium, ſic, ut ille, ſubitò perruptis omnibus organis cerebri, nullam ederet uocem. Percuſſor ſecurim in uulnere defixam relinquit, & ilicò deſcendens, cum hero parricida ſtatim ex oppido properat. Ibi conſcenſis equis ante portam, quum incredibili celeritate Bothmæum ueniſſent, quod eſt inter Nuburgum & Auguſtam, medio ferè itinere, oppidulum, acceptis equis recentibus, quos ibi reliquerat, Auguſtam petunt. Cubabat in eodem cubiculo, cum Diazio, Claudius Senarclæus, adoleſcens nobilis, Sabaudus. Cædes autem adeò fuit tacitè facta, ut is nihil ſentiret, niſi tunc primùm, quandò ſicarius per gradus deſcendens edebat ſtrepitum calcaribus. Ibi conſurgens ille, quum in cœnaculum ueniſſet, miſerum & acerbum offendit ſpectaculum. Huius tàm horrendi ſceleris & inauditi fama ſtatim Nuburgi diuulgata fuit, & ex aulicis miniſtris nonnulli, qui Diazium amauerant, arreptis equis, illos inſequuntur: & cùm Auguſtam ueniſſent, neque reperirent, domum redire ſtatuunt, re deſperata: ſed ex ipſis quidam, ætate uiribúſque præſtantior, Mihaël Herfferus, maxima celeritate pergit, & quum illi quodam in uico ſomnum caperent, ex itinere defatigati, prꝫuertit, ac citius quàm ipſi, uenit Oenipontem, & rem omnem magiſtratui recitat: cúnque non multò pòſt etiam illi ueniſſent, comprehenſos cædis atque parricidij accuſat, & ad principem ſuum Ottonem Henricum datis literis, omnia perſcribit. princeps, ea re cognita, binos è ſuis conſiliarios Nuburgo iubet Oenipontem ire, qui cauſam agant. Hi calendis Aprilis eò ueniunt, uſi celeribus equis, & ne quis eſſet dubitationi locus, pileum nocturnum Diazij, ſecurim adhuc cruentam ac ſanguine reſperſam, & literas ad eum fratris adferunt. Sed prius quàm hi ueniſſent, conceſſum Alfonſo fuerat, ut nonnullis de ſuo ſtatu ſcriberet. Aprilis die ſecundo, legati Nuburgici, cùm adijſſent magiſtratum, et rem omnem docuiſſent, ut ſupplicium ſumatur de illis, aut, ſi factum negent, ut ſubijciantur quæſtioni, petunt. Ab his reijciuntur ad alios iudices. quum eò uentum eſt, reis dantur aduocati: per hos de die in diem res ducitur: tãdem actores iubentur accuſationem exhibere la-

tinè

tinè & Hiſpanicè: poſtea Cęſaris dicuntur ſuperueniſſe literæ, Ratiſbonam euntis, quibus mandatum ſit, ut ab actione deſiſtant: nam in comitijs uelle ipſum, quid rei ſit, cum fratre cognoſcere. Cùm aliud impetrari non poſſet, Otto Henricus & Palatinus elector ab ſenatu Oenipontano poſtulant, ut reos Nuburgum certa cautione mittant, ubi ſit admiſſum parricidium: illi uerò per literas Cæſaris excuſant. Quo tempore cædes facta fuit, Cæſar Spiram uenit, Ratisbonam iturus, cùm in itinere Bipontij fuiſſet, quod eſt Vuolfgangi Palatini principis oppidum: eius uxor, Lantgrauij filia, tum erat puerpera: Cæſar autem inuiſit, & benigniſſimè collocutus, in gynecæum illius dona diſtribuit: ipſi uerò dominę, quòd ea dignum munus non haberet ad manum, Spira deinde mittit, quò ſub exitum Martij uenerat.

Lantgrauius erat monitus, uti ſuprà diximus, per Nauiũ, ut in uia, cum Cæſare, Ratisbonam eunte, congrederetur: idem ei Granuellanus, Februario menſe nunciauerat, cùm eſſet Traiecti Cæſar ad Moſam. Acceptis ergò fidei publicæ literis à Cęſare, uenit Spiram: uenit etiam Palatinus elector, et Vuirtembergici principis legatus, Guliel mus Masbachus. fuit hoc Martij die XXVIII. Lantgrauius itáq; Cęſarem adit, & priuatim cum eo per ſuum cancellariũ locutus, ubi ſui cauſam aduentus & occaſionem expoſuit, non ex uno loco, nec è Germania tantùm, ſed ab exteris etiam nunciatur, ait, potentiſſime Cęſar, te, impulſu pontificis, in ſocios Auguſtanæ confeſſionis male animatum eſſe: rumor etiam ſpargitur, quaſi Galliæ regi perſuaſeris in actione pacis, ut in ijs mulctandis opem tibi ferat: adhæc, Turcam abs te ſolicitari de inducijs, ut eò commodius, quod propoſitum habes, perficias, ideóque concilium indictum & inchoatum à pontifice dicunt, ut factis ilico decretis, executioni res mandetur: huic autem famę prope fidem facit, & nos uehemẽter mouet inſtituta lis aduerſus epiſcopum Colonienſem, & mãdatum illud graue, ſolicitantibus aduerſarijs in ipſum editum. Et ſanè, quoniam in Gallię regẽ atq; Turcam auxilia tibi tàm liberaliter dedimus, maiora quoq; facturi, ſicut Spirę demonſtratũ fuit, quia plus etiam contulimus, quàm maiores noſtri facere conſueuerunt, quia de pace, déque iure, tum Ratiſbonę, tum Spirę, prolixè nobis cauiſti, omninò pręter expectationem iſta nobis accidunt. Speramus tamen, fore, priuſquam ex Imperij finibus excedas, ut religionem ex uerbi diuini præſcripto, per nationis Germaniæ concilium definiri facias, & ſi fortè componi diſſidium non poſſit, tamen, quæ Spiræ promiſſa nobis pax fuit, ut eam inte-

grè ſeruari iubeat, ità quidem, ut nullius uel concilij uel Imperij consuentus decreto mutari poſſit aut etiam tolli. Cæſar ad ea, per Nauium. uarios quidem ad ſe rumores allatos de ipſis, quaſi molirētur aliquid, ſed non habuiſſe fidem, præſertim, cùm ipſius ad Nauium literas audiſſet recitari: multò minus nunc etiam illud credere: quod de Galliæ rege dixerit, eius nullum adferri poſſe documentum: pacem intercedere ſibi cum illo tantùm, nec aliud quicquam: eſſe morem illius gentis, ut temere multa ſępe iactent: de inducijs Turcam ab ſe interpellatum, Germaniæ cauſa potiſsimùm: cùm enim in plæriſq; comitijs de ſumptus magnitudine querantur & populi tenuitate, uiam hanc ſibi uiſam eſſe cumprimis idoneam, ut per tempus induciarum, de belli ratione in illum ſuſcipiendi, déque religionis compoſitione tractari poſſit: nihil tamen adhuc eſſe definitum, & fore, ut cum fratre ſermonem de eo conferat: concilium, quod multis nunc annis ab ſe flagitarint, maximo ſuo labore iam eſſe congregatū: quicquid eius rei fecerit, optimo in rempublicam animo feciſſe: quòd autem ſecus nonnulli forſan illud interpretentur, non recte fieri: Colonienſem amanter ab ſe tractatum eſſe, uerùm ne minimam quidem moram actioni ſuæ uoluiſſe interponere: qui ſuus ſit apparatus aut cogitatio belli, coràm ipſum uidere: præter familiares atque domeſticos in ſuo neminem eſſe comitatu, nullas etiam ab ſe cogi manus: cur ipſum autem accerſiuerit, cauſam eſſe, quòd pacis eum eſſe ſtudioſum exiſtimet: ideóque petere, ut quomodo religionem pacari, uel quid à ſocijs obtineri poſſe putet, oſtendat: quòd ſi iam in præſentia nolit, daturum ſe conſiliarios, quibuſcum ea de re colloquatur. Ibi Lantgrauius ipſe uerba faciens, ad Germaniæ ſalutem, inquit, & ad retinendam inter te, Cæſar, ac ordines omneis amicitiam, ſi quid conferre poſſem, nulli certè labori meo ſim parciturus, & hac inprimis de cauſa huc ueni: cuperem ſanè plures adeſſe ſocios, uerùm id propter temporis anguſtiam fieri non potuit: Saxonię quidem elector lōgius ab eſt, & Iacobus Sturmius ualetudine impeditur, credo equidem uaria tibi eſſe delata, ſed profectò ſic res habet, ut ad Nauiū ſcripſi. Nullum enim eſt à nobis Francofurti contra te ſuſceptum conſilium, & id ſolùm egimus, quomodo & in religione noſtra permanere, et uim iniuſtam depellere poſſimus: de Galliæ rege delatū ad nos fuit, quaſi per Aureliani ducis affinitatem auxilia tibi rex aduerſum nos promiſerit: quòd de inducijs Turcam ſolicitares, mirati ſunt homines prudentes, neq; leuem ſubeſſe cauſam putabant, pręſertim, cum Gal-

liæ

liæ regem haberes pacatum: nunc uerò, quia reipublicæ cauſa iſtud fieri dicis, equidem non habeo quod opponã: iam pridem enim opus habet, ut à ſumptibus Germania recreëtur: concilium flagitauimus quidem, ſed liberum, pium, íncp Germania: cur autem Tridentinum iſtud eo loco non habeamus, Vuormaciq tibi demonſtrauimus abunde: nam excluſis idiotis, uti nos omneis uocãt, epiſcopi & alíj, qui ſunt pontifici iureiurando deuincti, decernendi poteſtatem ibi ſoli obtinent: ut religionis componendæ rationem aliquam oſtendam, mihi ſanè non eſt integrum, abſcp ſociorum interuentu, & utrincp malam mihi gratiam eſſe paratam uideo: quò minus autem inter tuos atque me ſermocinatio aliqua fiat, ſine prejudicio tamen, non recuſo. Equidem in concilio non multum habeo poſitum ſpei, ſed prouinciq Germaniæ conuentũ arbitror futurum non inutilem: nam ſententíjs atcp dogmate nimiũ adhuc à nobis reliqui populi diſſident: in Germania uerò ſic eſt comparatum, eócp res deuénit, ut mutari non poſſit: nihil ergo potius eſt aut pręſtabilius, quàm ut liberã permittas in ea religionem, ſic tamen, ut pacem omnes colãt. Colloquium opinor optimo conſilio inſtitutum abs te Ratisbonæ: ſed ab íjs qui interfuerunt, accipio, monachos ibi quoſdam eſſe uirulentos, qui dogmata ſuperioribus annis eodem loco conciliata, rurſus in diſputationem adducant, et uita quocp tàm ſint impuri, prorſus ut nihil ab íjs expectari poſſit. Colonienſis archiepiſcopus hauddubiè uir bonus eſt, & quicquid huius rei facit, ex officio ſeſe facere arbitratur, præſertim, cùm Ratisbonenſis comitíj decretum, eccleſiæ reformationem ei mandet: eam uerò, quàm fieri potuit, moderatiſſimè conſcribi iuſſit, & neceſſaria tantùm ſuſtulit, & in ſacris bonis minimum immutauit. Liber autem ille cum ſacra ſcriptura congruit, & habet ueterum doctorum teſtimonia, Tertulliani, Auguſtini, Ambroſij, & aliorum, qui proximiores ætati fuerunt apoſtolorum: ſi qua uis igitur ei propter hanc cauſam intentetur, id cautionis loco futurum ſit alíjs, qui multò plura mutarunt. Tum Cęſar. actionem Francofurtenſem ſuo ſe loco relinquere: non ſe fidẽ íjs habuiſſe quæ delata ſint, necp ſanè cauſam dediſſe, quamobrem ità fiat: nũc ipſius etiam ſermone ſibi amplius ſatisfieri: cõcilium eò ſe procuraſſe, ut & reipublicæ prodeſſet, & qui ſunt ibi patres, ultrò ſeſe reformarent ipſi: necp ſui eſſe propoſiti, ut ſi quid ibi decretum ſit, confeſsionis Auguſtanæ ſocíjs idcircò uis ulla fiat: hac etiam ipſa de cauſa Ratisbonæ colloquium inſtitutum eſſe, cuius initium quidem fuerit egregium, modò eſſet facta progreſſio:

Colonienſem, etſi promiſerat uelle ſuperſedere atq; differre, progredi nihilominus, & cogere homines ad ſuum inſtitutum: Ratisbonæ factum eſſe decretum, ut ſuas eccleſias epiſcopi reforment, non autem illis permiſſum, ut nouam fidem atq; religionem introducant: deinde & hoc additum, ut emendationis formulam concipiant, & poſt in altero Imperij conuentu cognoſcendam exhibeant: illum etiam eccleſiæ miniſtris atq; paſtoribus ordinarijs remotis, inſtituiſſe nouos: adhęc, impedire Canonicorum facultates atq; uectigalia, ſibiq; partem aliquam ex ijs uelle decidi, & acerbis edictis rem agere, ſic quidem, ut patrociniũ & opem ſuam implorante clero, neceſſe habuerit, pro ſuo munere, quod gerat, contrarijs mandatis illum cohercere: ut autẽ colloquium inter ipſum atq; conſiliarios, minimè ſit captioſum, ſibi placere. Lantgrauius ad ea. quòd ità ſis in Germaniam meoſq; ſocios affectus, periucundum, inquit, eſt mihi, Cæſar ampliſsime, deúmque precor, ut in eo perſeueres. Ac ſanè, ſi, qua uales ingenij præſtãtia, rem omnem bene conſideres, ac tecum perpendas ipſe, quantas tibi tuiſq; regnis atq; prouincijs commoditates adferat Germania, reperies nihil eſſe potius, quàm ut te, ſuo præcipuo magiſtratu lætentur omnes ordines, & tu uiciſsim illis utare beneuolis & officioſis. Nam certè, ſi Germaniam debilitari contingat, tuo ſit hoc inprimis incommodo maximo futurum: quæ tua ſit etiam de concilij decretis mens atq; uoluntas, percupidè audiui: ſed ut illi ſua reforment ipſi, uereor, ut id ſperari poſsit: etenim & pontifici deuincti ſunt, & ſoli decernunt, & quanquam emendatione cumprimis opus habent, tamen illam ſibi minus utilem, & prouentibus annuis detrimentoſam eſſe uident: in colloquio Ratisbonæ uereor ut rectè ac ordine res geratúr: nam & actionis exempla denegantur, & initiò non fuerunt permiſſi noſtris tabelliones atq; ſcribę. De Colonienſi res habet, ut antè dixi: quia paſtor eſt, cupit bonum atque ſalutare pabulum ſuis ouibus proponi: putat hoc ſui eſſe officij: conſcribi iuſſit igitur eius rei formulam: & qui nunc ſunt eius aduerſarij, fuerũt initiò reformationis auidi, Groperus inprimis: nunc, poſtquam eò uentum eſt, recuſant & tergiuerſantur. Hic Cæſar interpellans, ah, quid reformet, inquit, bonus ille uir: latina uix tenuiter attigit: per omnem uitam treis tantùm miſſas peręgit, quarum ipſe duas audiui: non tenet initia. Sed diligenter euoluit libros Germanicos, ait ille, &, quod certò noui, religionem intelligit. Cæſar inuicem: reformare, non eſt aliam inuehere fidem aut religionem. Nec ille fatetur, ait Lantgrauius, nouam ab ſe religionem

eſſe

esse receptam, sed ueterem illã, à Christo nobis relictam et apostolis, redintegrari: quòd nonnullis ecclesiæ pastoribus remotis, præfecit alios, ad ipsius curam istud pertinet. nam si minister sit uel impuræ uitæ uel indoctus, episcopi certè est, illi summittere qui sit idoneus: passim in ditionibus episcoporum multæ uacant ecclesiæ, quod possum affirmare, destitutæ pastoribus, ubi populus nulla neq; doctrina pascitur, neque regitur disciplina, sed pecudum more uitam agit & barbaram & dissolutam. quòd cleri facultates interpellat, hanc rationem habet, quoniam in bellum Turcicum & Gallicũ auri uim maximam impendit. est autem Imperij moris, ut magistratus hoc nomine suis pecuniam imperent: nullam ergò reprehensionẽ istud meretur: quòd autem religionis hoc eum causa facere uulgò fertur, id ad ipsius inuidiam excogitarunt aduersarij. Postridie, apud Palatinum electorem cõueniunt Lantgrauius, Granuellanus, Nauius, Masbachus. ibi Nauius initium sermonis facit, et hesterni colloquij cum Cæsare partem aliquam recitat, & quamobrem iam cõuentum sit, exponit, & quàm sit cõcordiæ Cæsar cupidus, ostendit, & quum eo nomine colloquium esset institutum Ratisbonę, theologos illinc abijsse dicit. Tum Lantgrauius, de illorum abitione sibi nihil adhuc constare: sed ad Saxonem atque se perscriptum esse, quàm incommodæ sint ipsis propositæ conditiones, quando nec initiò scribas adesse, nec actionis exemplum exhiberi, neque domum aliquid enunciari præsides uoluerunt: audire etiam, quàm agant immodestè monachi collocutores, qui & dogmata pridem ibi conciliata rescindant, & concordiæ spem omnem adimant, & illaudatis uitæ exemplis homines offendant: an idcircò sui discesserint, re desperata, nondum sibi esse compertum: se quidẽ illos non reuocasse. Hũc sermonem Granuellanus excipit, & de Cæsaris præclara uoluntate studióque pacis nonnulla præfatus, illud de colloquij cõditionibus partim excusat: quòd autem uetiti sint domum aliquid nunciare, Cæsaris iniussu factum esse dicit. Ibi Lantgrauius, ut ijs omissis ad rem præsentem ueniatur, hortatus, illud, ante annum secundum Spiræ factum de pace, déque iure dicundo decretum, laudat, & pacificandæ religioni, prouinciæ Germaniæ concilium inprimis aptum esse docet, & quoniam Itali, Hispani, Galli, tantópere à Germanorũ dogmate dissideant, generalis, uel, ut uocant, œcumenici concilij nõ magnum usum esse futurum censet: uerùm utcunque res cadat, et ut conciliatio nulla fieri possit, colendam tamen esse pacem, & Spirense

decretum minimè tolli oportere demonstrat: religionis enim eum nunc esse statum per Germaniã, ut si quis eam opprimere conetur, infinita sint hominũ trucidanda millia. quod & maximo cum Cæsaris detrimento, quem Germanię uires auxerint, et aliarum gentium, quæ nobis infestæ sunt, Turcarũ inprimis, lætitia summa futurũ sit atq; compendio. Spirense decretũ, tempori fuit accommodatũ, ait Granuellanus, neq; per Cæsarẽ stetit, quò minus ualeret: quis autẽ contrà fecerit, non est obscurũ: in priuatis nationum concilijs uitiorum est facta semper atq; morum emendatio tantùm, de fide autem atque religione, uerbum nullũ: iam uerò plena sunt omnia dissidijs atq; sectis, quandò de fide non idem sentiunt omnes: ad disceptationem igitur hanc non Germani tantùm, sed reliqui etiam omnes populi Christiani nominis pertinent: theologi plærique sunt homines morosi, difficiles, obstinati, quibuscum expediri causa non possit: adhibendi sunt igitur uiri principes & optimates, & media quędam est dogmatum inuenienda ratio: ne uos quidẽ ipsi liberam permittitis religionem: nam qui diuersum sentiunt à uobis, carcere multantur atque pecunia: cùm uerò concordiam Cæsar inprimis expetat, non ei licet, quod impium sit, largiri: nam si promiscuæ multitudini permittantur omnia, ne magistratus quidem in tuto sit futurus. Imprudenter facio, quòd de tantis rebus, ait Lantgrauius, absentibus socijs uerba facio: uerúntamen, quia res non agitur captioſè, pergam. bono equidem animo Spiræ factum illud à Cæsare decretum arbitror, & cùm aduersarij uelle se tolerare illud tunc promiserint, non est quòd iam reclament: deinde, quia Cæsari firma dedimus in Galliæ regem auxilia, fore speramus, ut quod tunc & comprobatum fuit & sigillis obsignatum, minimè uioletur: porrò, nationis concilium nihil est quod remorari debeat: nam eandẽ, quam apostoli, quam concilium Nicenum, quam Athanasius, fidem profitemur, & de summis atq; præcipuis dogmatis cõuenit nostris theologis: de cœna domini fuit quidẽ inter eos contentio, uerùm ea nunc est cõsopita: nemo enim est, qui nõ fateatur ibi corpus atq; sanguinẽ Christi uerè percipi: sunt anabaptistæ, sunt Dauidici et nescio qui præterea, sed in hos animaduertimus: nõ igitur opus est, ut exteræ gentes etiã adsint, cùm hæc definientur. quanq;, si ueritatis cognitioni sese darẽt, optabile cumprimis esset: ut media quædã dogmata statuantur, et quidẽ à magnatibus, nõ admodũ repugno, sed absque theologis illud uix posse fieri puto: quòd si pura euãgelij prędicatio,

&

& integra cœna domini,& miniſtris eccleſiæ permittatur coniugiũ, ut Paphnutius olim in concilio ſuaſit,ſtabiliri poſſe concordiam arbitror: ad religionem noſtram ubi ui cogantur homines,locum nullum ſcio: diuerſam quidem aut uariam in eodem loco doctrinam nõ patimur,uim autem nemini facimus,nec occidimus quenquam,neq; ſpoliamus bonis: quòd ſi ueſtris in finibus noſtræ religionis homines eſſent inuiolati, ſuáque templa ſeparatim haberent, ego ſanè, ut pro me tantùm loquar,idem ueſtris per meam ditionem atque fines permitterem: ſed quoniam id à uobis minimè conceditur,nos etiam æquabilem & eandem eſſe cupimus ubique doctrinam: quod ergò de Spirenſi decreto, déque Germaniæ concilio dixi prius, idẽ nunc etiam optimum eſſe duco. Si quis omniũ eſt,inquit Granuellanus, qui religionem amet,is profectò Cæſar eſt,inque gratiam pontificis ne tantillum quidem ab æquitate deflectet: Spirenſe quoque decretum, magna cum alterius partis,nec ſine pontificis etiam offenſione ſeruauit: ſed & Nauius & ego nõ mediocrem hoc nomine ſuſtinemus inuidiam: in concilio nationis equidẽ neſcio qui ſit futurus iudex: nec enim eodem modo ſcripturam intelligunt omnes: & quoniã in colloquio parum uidetur eſſe ſpei, rationes aliæ profectò ſunt inueniendæ: conciliata quidem aliqua ſunt dogmata,ſed rurſus multa ſunt adhuc controuerſa: deinde,conciliata plenius & amplius interpretatur Bucerus,quàm res ipſa patitur: quòd ſi iam in eo permaneatur, qui ſit tandem Imperij ſtatus futurus, facilè iudicari poteſt.

Pergratum eſt, ait Lantgrauius, quòd Cæſarẽ à pontifice minimè pendere dicis: atque utinam ille põtificem ad officium adducat: epiſcopi Romani Cęſarem olim pro magiſtratu ſummo colebant,nunc autem illis iureiurando ſunt deuincti Cæſares: in omni diſceptatione, iudicij ſumma meritò defertur uerbo Dei, quod minimè eſt obſcurum, modò ſeſe mens hominum accommodet. nam & peccatum nobis oſtendit, & ad pœnitentiam uitæq; nos emendationem inuitat, & Chriſtũ nobis proponit, qui mundi peccata ſuſtulit, in cuius etiam nomine Deus eſt inuocandus, ut ſpiritum ſuum ſanctum nobis largiatur: hæc nimirùm fides atque doctrina ſemper extitit,& in eccleſia Dei permanſit, uti precatio dominica,& ſymbolum apoſtolorum,& multæ præterea cantiones, in eccleſijs uſitatæ,de beneficio Chriſti, demonſtrant: neque uerò conſiderandum hic eſt, quid maxima pars opinetur, ſed quid uerum ſit. nam & Hieroſolymæ, cùm ex apoſtolis atq; diſcipulis pleríq; uellent gentes prophanas,quibus

erat annunciatum euangeliũ, circumcidi, Petrus tantùm, & Paulus, & Iacobus atque Barnabas, contrà senserunt, & errore commonstrato, iugum illud legis abrogarunt. quo quidẽ tempore, maxima pars eius conuentus, paucorũ iudicio, quod rectum erat, cessit & obtemperauit. Nos quidem alijs populis minimè præscribimus, uerùm id modò cupimus, ut Germanis inter se conueniat. De medijs rationibus ut agatur, ferre quidem possum, sic tamen, ut à Spirensi decreto non recedatur, quantùm ad pacis atque iuris constitutionem pertinet: in cæteris autem uidendum est, quid per uerbum Dei statuere liceat, quid non. sed Palatinum etiam uelim, propinquum & necessarium meum, quoniam is & plurimis interfuit comitijs, & res anteactas nouit, in medium aliquid adferre. Tum ille, de Cæsaris optima uoluntate locutus, Ratisbonæ colloquium rectè fuisse inchoatum, &, si repetatur, quæq; conciliata sunt dogmata, non disputentur amplius, putare se dicit de reliquis posse tolerabiliter conuenire. Concordiam, inquit Granuellanus, ualde Cæsar expetit, ut antea non semel dictum est: ea nisi constituatur, incommodo certè reipublicæ fiet: & quanquam ex Imperio ne tantillum quidem habet emolumenti Cæsar, etsi ualetudine quoque sit minus firma, tamen Germaniæ causa, profectionem hanc suscepit: cum Galliæ rege uel cum alijs nihil habet occulti consilij, neque uenit auxilia petiturus, uerùm ut in commune consulat omnibus. Cogunt manus atque copias tum Gallus tum Britannus, quod ualde suspectum est: deinde, propter mortem nurus habet quod in Hispanijs agat Cæsar: uerùm his omnibus postpositis, ad comitia tendit. quod si nulli ueniant eò principes, quid solus efficiat? clamatur subinde & imploratur eius intercessio, neque tamen ad locum deliberationi constitutum, uenitur: rectè igitur erit, si tu Palatine, túque Lantgrauie, qui facilè estis primi, uos eò conferatis. Etiámsi fortè non ità multum, ait Lantgrauius, ad Cæsarem ex Imperio redit, tamen, quòd & in Turcam & Galliæ regem & in alios ei dantur auxilia, quòd Imperij dignitas hæc authoritatem ei summam ad cæteros reges conciliat, quòd copias perpetuò conscribere, & exercitus maximos in Germania conficere potest, quum id cæteris non liceat, quanti id esse putabitur? Aduersarij multò magis quàm nos, clamant, neque tamen sanis consilijs acquiescunt. nos enim & decretum Spirense probauimus, & ante annum quintum Ratisbonæ conciliata dogmata postulauimus in acta referri, colloquij etiam postremi ra-

tiones

tiones omneis æquas admiſimus : illi contrà, nihil horum recepe-
runt, nec ad ullas conditiones accedunt : imò, Vuormaciæ, publica
teſtificatione colloquium recuſarunt. Iam, ut ego Ratisbonam me
conferam, fieri certè non poteſt, propter ſumptuũ magnitudinem:
eſt etiam litis aliquid electori Saxoniæ cum Mauricio: quod cùm ab
utriuſque conſiliarijs componi non poſſit, ad me reiectum eſt, &
ut componatur, permagni refert: legatos tamen ad comitium am-
plis cum mandatis mittam. Sic dimiſſo conuentu, Nauius, aliquot
pòſt horis redit ad Lantgrauium: ait Cæſari placere colloquium
hodiernum, & ut Ratisbonam ipſe ueniat, iterùm urget, ſimul ex-
quirit, an Cæſarem eo die ſub ueſperum denuò conuenire uelit?
non abnuit ille, cúnque ueniſſet, per Nauium Cæſar ei gratias agit,
primùm, quòd eò uenerit, deinde, quòd ipſum atque Palatinum
uideat eſſe cupidos concordiæ: cæterùm, collocutores exiſtimare
ſe Ratisbonam eſſe redituros: id ſi non fiat, ſe rurſum illos uelle con-
ſcribere: ſed interim petere, ut ad comitium ipſe ueniat, ſi non ini-
tiò, ſaltem ad exitum: ſe uidelicet rebus omnibus poſthabitis, in
Germania totum nunc uerſari triennium, ut eam pacare poſſit. Ad
ea Lantgrauius, de collocutorum abitu nihil ſibi conſtitiſſe prius,
& hodie primùm audiſſe, cauſas etiam, cur id factum eſſe putet, re-
citaſſe: quòd ſi iam ipſe petat, ſuiſque ſocijs uiſum fuerit, ut diuer-
ſæ partis ijdem theologi reuertantur, ſuos etiam non emanſuros:
ut autem ipſe contendat eò, non ſibi eſſe integrum, quòd magnos
in Brunſuicenſi bello ſumptus fecerit, quòd filiam nuper elocarit,
quòd inter Saxoniæ duces arbiter eſſe debeat, quòd non niſi ma-
gno cum comitatu ſibi proficiſcendum ſit, quòd à Brunſuicenſis
captiui ſocijs periculum ſuis finibus, per ſuam abſentiam incum-
bat. Tum Cæſar, ſui minimè eſſe conſilij, ut ipſum ullo non neceſ-
ſario ſumptu grauet, ſed petere inprimis ut ueniat, quòd ipſius pre-
ſentiam actioni toti ualde profuturam, & fore putet, ut & Saxo-
nes & alij ſic excitentur: neque uerò eſſe quòd ab Henrici ſocijs ali-
quid metuat: nec enim tantas illorum eſſe uires, & ut aliquid conen
tur, ſe tamen interuenturum, nec ut quietem publicam & ocium ali-
quis interturbet, permiſſurũ eſſe. Lantgrauius, repetitis iterum cau
ſis nihil ſe polliceri poſſe, legatos tamen ait miſſurum, qui paci ſtu-
deant: quòd ſi autem per omnia morem ei gerere uel gratificari non
poſsint, orare, ne moleſtè ferat, ſed cogitet nulla id obſtinatione
uel malicia fieri, uerùm metu numinis diuini: nam & perbreuem

ac incertam esse huius lucis usuram, & de perpetuitate cogitandum esse. Cæsar iterùm de suo studio locutus, negocium illud Saxonicũ differri posse: ueniat igitur, nec ulla re sese patiatur impediri: fore, ut præsens ipse consultor sit & author socijs, quò sese tractabiles præbeant, & ut commodum fiat actionis initium. Posthæc, Lantgrauius conquestus de nonnullis, quorũ opera sit usus Henricus Brunsuicensis, rem omnem actam, & quomodò sit ille captus, breuiter exponit, & ab illis iniuriam sibi fieri Mauricióque dicit: esse uidelicet homines leues, & natos excitandis turbis: in his Fridericum Spedium heri sibi nunciasse, quòd si uellet audire, patefacturum quę nunc agitentur occulta quædam & artificiosa consilia: sed quòd homini minimè fidat, eius repudiato colloquio, nunciasse, ut quæ coràm esset dicturus, perscripta sibi mittat. Cùm hoc Lantgrauius diceret, admodum Spedio Cæsar succensuit: his ergò commutatis inter eos uerbis, Lantgrauius peramicè dimissus à Cæsare, discedit, Hedelbergam profectus, inde domum. Cæsar autem rectà contendit Ratisbonam: & illis ipsis ferè diebus, nimirùm ad calendas Aprileis legati protestantium Vuormaciæ conueniunt, de summa rei consulturi: quia uerò benignè Cæsar Lantgrauium ab se dimiserat, illi, acceptis à Lantgrauio literis, qui rem actã interea cum Saxone communicauerat, Aprilis die XXIII discedunt, ut Ratisbonæ, quò proficiscendum erat alioquin ad comitia, de his ipsis rebus deliberent.

Hoc in cõuentu Rauesburgenses in protestantiũ fœdus uenerunt. Aprilis die octauo, tertius sit Tridenti consessus patrum. ibi ueteris atq; noui testamenti libri recitantur, & sacrosancti esse iubentur, nulla ipsorum omissa particula: uetus autem & illa uulgata Bibliorum uersio sola iubetur in templis atque scholis obtinere locum: statuitur etiam, ne quis ad suum captum atque sensum interpretetur sacrã scripturam, sed ut ecclesiæ consensum atque patrum in eo sequantur omnes: adhæc, librarijs, ne quid excudant aut distrahant, nisi de consensu præsulis ordinarij, mandatur: deinde, ne quis ad ludicra, fabulosa, uana, uel ad superstitionem atque ueneficia seu famosos etiam libellos utatur sacræ scripturæ sententijs atque locis, edicitur, & futuro cõsessui dies ad decimum septimum Iunij diẽ designatur. Aderat tum Cæsaris legatus, Franciscus Toletanus, & cùm in Cæsaris laudẽ multa dixisset, explicasset etiam, quàm fuerit iucundus ille dies Cæsari, quo concilium pontifex inchoauit, Didaco Mendociæ, qui febri correptus Venetias ad pristinam legationem redierit, se datum esse collegam,

collegam, demonstrat, & operam suam professus, Deum esse rogandum dicit, ut hanc pontificis atq; Cæsaris consensionem, tam piam, tamq; salutarem reipublicę perpetuam esse uelit, quò uidelicet emendatis uitijs, & noxijs herbis reuulsis, pristinam suam culturam ager domini recipiat. Ad undecimum Aprilis diem, pontifex, per Hieronymum Franchum, quem tunc in Heluetios remittebat, dat literas ad Sedunensem & Curiensem episcopos, & quosdã ijs locis abbates. totius orbis Christiani proceres ecclesiasticos, ad cõcilium generale Tridentinum ab se uocatos: æquum autem esse, ut ipsi, qui ecclesiam Helueticam repræsentant, inprimis eò ueniant: nam eius nationis populum ualde sibi præ cæteris esse charum, quòd sint tanquam peculiares filij sedis apostolicæ, & libertatis ecclesiasticę defensores: uenisse iam Tridentum ualde frequentes episcopos ex Italia, Gallijs, Hispania, & augescere quotidie numerum: itaq; non esse decorum, ipsis, qui sint uicini, longinquiores præuertisse: gentẽ ipsorum esse non parua sui parte contaminatam hæresibus, eóq; magis indigere concilio: tarditatem igitur istã diligentia nunc resarciant, et mox eò se conferant, omni postposita mora, nisi pœnã, legibus præscriptam, & neglecti officij neq; præstitæ obedientiæ crimen incurrere uelint, quam quidem obedientiam per iusiurandum sibi promiserint: cætera dicturum esse legatum, & orare ut ei fidem habeant.

Clerus & academia Colonienſis litem suam aduersus archiepiscopum magno studio Romæ exercebant. Itaq; pontifex, Aprilis die decimo sexto, lata sententia, illum, quòd suę salutis immemor, contra regulas & doctrinã ecclesiasticam, & apostolorũ traditiones, contra Christianæ religionis cõsuetos in ecclesia ritus atq; ceremonias, contra Leonis decimi censuram, aduersus Lutherũ atq; socios editam, non uno modo peccarit, ab ecclesiæ communione submouet, & archiepiscopatu cæterisq; sacerdotijs omnibus et priuilegijs & facultatibus priuat, & ipsius ditionis populo mandat, in uniuersum, ne deinceps ei pareant, iusiurandum etiã, quo sint ei deuincti, remittit, eiq; silentium imponit, & ut sumptum litis aduersę parti restituat, edicit. Erãt adiuncti Colonienſibus, Leodinus et Vtricensis episcopus, & academia Louanienſis. ea sentẽtia Romæ pòst excusa fuit typis, Augusto mense. Cęsar, ubi Ratisbonam uenit, & è prędũ colloquij sermone cognouit de re tota, molestissimè tulit theologorũ abitionem, & dimissis in Germaniã literis, admodũ de eo queritur, et principes, ut ipsi ueniant, grauissimis uerbis hortatur. A' protestantibus

legati ſolum uenerunt: aderant autem Mauricius, Ericus Brunſuicenſis, Ioannes & Albertus Brandeburgici, Tridentinus, Auguſtanus, Bambergicus, Vuirciburgenſis, Paſſauienſis, Hildeſſemius, epiſcopi. ſub exitū Maij Ferdinandus quoque rex eò uenit. Altera die Iunij proteſtantes adeunt Cęſarem, queruntur de cæde Diazij, & de parricida ſupplicium ſumi poſtulant. Cæſar cum fratre deliberaturum ſeſe: Ferdinandus etiam interpellatus, eodem modo reſpondet. proteſtantibus aderant Palatini, Colonienſes, Monaſterienſes, Noribergici, Ratisbonenſes ac Norlingenſes legati. Tertio pòſt die, Cæſar, conuocat omneis ordines, & indicti cauſam conuentus exponit. ipſis conſtare, quemadmodum Imperij cauſæ, longè ſanè grauiſſimæ, comitio ſuperiori Vuormacię, propter plurimorum abſentiam expediri non potuerint: ad hunc itáque conuentum rem fuiſſe dilatam: quò minus autem ad conſtitutū diem, nonas Ianuarij menſis, ipſe uenerit, factum eſſe, partim ob infirmā ualetudinem, partim, quòd colloquium eſſet inchoatū opinione tardius: habuiſſe quoq; rationem temporis & hyemis aſperrimæ, nec ipſos ullo non neceſſario ſumptu uoluiſſe grauare: & quanquàm domi ſatis eſſet quod ageret, tamen ingreſſum iter, omnium primum huc ueniſſe: quod ſanè præter expectationem ſibi prorſus acciderit: nam exemplo ſuo debuiſſe reliquos etiam priuatis negocijs antetuliſſe rempublicam: confidere autem fore, ut qui ualetudine non ſunt impediti, ueniant etiámnum, reliqui uerò legatos mittant cum plenis mandatis: porrò, Vormaciæ fuiſſe deſignatum colloquiū doctorum, cuius quidē ſit factum initium, & omninò putaſſe, futurū, ut poſtquam ipſe cæteríq; principes huc ueniſſent, & collocutores reperirēt huic rei uacantes, & quid inter ipſos actum eſſet, cognoſcerent: nunc autem ſcire ipſos atque uidere, quemadmodum abſque fructu ſit diſſolutum & abruptū colloquium: cùm autē ipſe uehementer cupiat pacare Germaniam, diſſidio ſublato religionis, petere, ut quid amplius in eo faciundum eſſe putent, ſibi cōmunicent, ut pro ſuo munere officióque ſtatuere demum aliquid utiliter poſſit: adhæc, quoniā Imperij ſumma neceſſitas poſtulet, ut Camerę iudiciū reſtituatur, & uerò, quemadmodū id fieri debeat, legibus iam antea cautū ſit, poſtulare, ut qui eius rei ius habent, exhibeant ac repręſentent aſſeſſores, & impenſam omnem faciant, neque ſe, qui maximum Imperij cauſa ſumptum ſuſtineat, præterea grauent: nam ut legibus atque iudicio careat Germania, rem eſſe & illaudati exempli, nec ullo modo poſſe excuſari:

delibe-

deliberationem etiam de inferendo Turcis bello, in hoc tempus esse reiectam, sed anno superiori Galliæ regem sibi nunciasse, de induciis impetrandis esse spem, ad eámque rem procurandam suum studium & operam esse pollicitum: & quia non ità pridem auxilia sibi dederint ordines, annona quoque multis in locis non respondeat expectationi, uisum sibi fuisse Germaniam esse nonnihil recreandam, ut, cum opus erit, tolerare sumptum possit: itáque per intercessionem Gallię regis egisse cum Turca, & unius anni pactas esse inducias: cùm autem illę iam ad finem Octobris exeant, & alioqui non uno modo uiolentur, sicut à Ferdinando rege fratre accipiat, & qui sit futurus euentus, non constet, omninò se arbitrari, futurum, ut cum res ità poscet, illud, quod de auxilijs antea polliciti sunt, præstent: se uicissim, quod ad tutandum Imperium pertineat, nihil non esse collaturum & opis & consilij. Solent electores communicare consilia: sed hoc tempore Moguntini & Treuirenses legati secessionem faciunt à Colonien-sibus, Palatinis, Saxonicis, Brandeburgicis, & ad pontificios transeunt, &, re deliberata, concilium Tridentinum approbant, & Cæsarem, ut illud tueatur, & protestantibus persuadeat, hortantur, quò nimirum & eò ueniant, & synodi decretis atq; cognitioni se submittãt. Protestantes uerò Cæsarem orant, ut firmam pacem & æquabile ius constituat, ut religionem legitimo Germaniæ concilio uel Imperij conuentui, uel colloquio doctorum, certis legibus instituendo, permittat: Tridentinum etiam hoc concilium non illud esse, quod in Imperij conuentibus decretum sit atq; promissum, demonstrant. Dum his de rebus deliberatur, ecce fama spargitur, à Cæsare & Ferdinando & pontifice maximos fieri bellicos apparatus. Nam quia pacem Galliæ rex cum Cęsare colebat, & inducias in hunc annum Turca largitus erat, idoneum hoc uidebatur esse rei gerendæ tempus. Episcopi quidam & sacrificus Cæsaris magnum inter alios huc attulisse momentum dicuntur, à pontifice nimirum subornati. Cùm ergo bellige rari Cęsar omninò constituisset, nona die Iunij Tridentinum cardinalem celerrimo cursu Romam mittit cum mandatis ad pontificem, auxilia promissa conquirendi causa. Biduò pòst, centuriones omneis, tribunos atq; duces cum pecunia dimittit, ut è uestigio delectus habeãt. Burensi Comiti Maximiliano iam antè mandauerat, ut quantas omninò posset equitum peditúmq; copias, per inferiorem Germaniam conduceret. Albertum etiam & Ioannem Brandeburgicũ & ordinis Germanici magistrum, Vuolfangum iubet conscribere equitatum,

nam duo illi, quanquam erant religionis, & Ioannes quidē etiam fœderis protestantium, tamen, quòd Cęsar, non propter religionem, sed quorundam rebellionis ulciscendę causa bellum suscipi diceret, suam illi operam addixerant: & erat Ioannes, Henrici Brunsuicensis captiui gener, ut sæpe diximus. His rebus commoti, dęque communi Germaniæ periculo soliciti, protestantium legati, reliquos Imperij ordines, ut Cæsarem unà secum adeant, belli deprecādi causa, rogant: uerum id frustrà fuit: inprimis autem Moguntini recusabant & Treuirenses. Lantgrauius, qui diligentissimè perueſtigaret omnia, subinde missis Ratisbonam literis, quid comperisset, & quid diuersis ex locis ad se delatum esset, nunciabat, & ut equitum cohortes aliquot, iam antè propter belli suspitionem conductæ, retinerentur amplius, & nouæ conscriberentur, monebat. Illi uerò, quòd Cæsaris postulata, nihil hostile, sed summam lenitatem studiúmque pacis præ se ferrent, nullum, eo quidem anno, bellum esse futurum putabant: cùm autem ipsa res declararet, non esse uanū rumorem, cùm iam non in Germania tantùm, sed per Italiam quoq; manus cogerētur, Hispanorum etiam aduentarent copię, Iunij die XVI Cęsarem adeunt, & quia plena sint omnia motibus bellicis, num ipsius hęc fiant imperio, sciscitātur: cum enim nec in Turcam, nec in externum ullum principem aliquid ipsum moliri fama sit, mirari, quorsum iste pertineat apparatus. Aderant eis Colonienses ac Palatini legati. Cæsar ad ea per Nauium. qua charitate sit Germaniam complexus, inde ab inito magistratu, & quàm fuerit perpetuò studiosus pacis, nihil opus esse recitare: nūc etiam eiusdem se uoluntatis esse, nec aliud habere sibi propositum, quàm ut concilientur ordines, & pax atq; ius per Imperium ualeant: in eo qui sibi paruerint, eos omnem ab se beneuolentiam expectare iubet, qui secus facient, in hos pro iure & authoritate sua sibi agendum esse dicit. Postridie, datis literis ad plærásq; ciuitates fœderis protestantium, inprimis ad Argentinenses, Noribergicos, Augustanos, Vlmenses, non dubito, quin uobis, inquit, abunde constet, quàm chara mihi semper fuerit Germania, cōmunis omnium patria, quantos etiam subierim labores, & sumptus fecerim, non absq; regnorum meorum maximo dispendio, ut graue illud et periculosum religionis dissidium componeretur. qua quidem in re nullū meum captaui priuatum emolumentū, sed id semper operā dedi, ut sublatis offensionibus, pace Germania frueretur: hoc enim decreta testificātur, à me subinde renouata, tametsi quidam secus hęc interpretantur, & falsò mihi

diuer-

diuersum attribuunt. In hac etiam mea reipublicæ administratione, ciuitatum salus mihi semper curæ fuit, ne uidelicet à quibusdam opprimerentur, qui datam occasionem atque facultatem eius rei perficiendæ, non erant neglecturi, quod etiam uos, ex rebus anteactis, pro uestra prudentia non semel animaduertisse puto: iam, licet à quibusdam uaria sæpe tentata sint in uestrum & reliquorum ordinum & meum quoq; detrimentum, tamen, quòd ea sine maiori aliquo motu corrigere non possem, toleraui, spe quadam bona, fore, ut huius meæ lenitudinis fructum aliquando perciperem, utilem reipublicæ: quod sanè futurum erat, nisi quidam occultis & miris artibus conciliationem impediuissent, non eò certè, quòd religionem ament aut gloriam Dei spectent, sed ut obducta quadã specie pietatis, qua suam nequitiam tegunt, reliquos ordines opprimant, eorúmque facultates in suam potestatem redigant: nam & quorundam bona iam occuparunt, & per uim adhuc detinent, magna certè cum iniuria plurimorum. Et quum eò rem deduxerint, ut sublatis iudicijs, nihil amplius metuant, nunc etiam hunc meum, quo fungor, magistratum non uno modo petunt & temerariè conuellunt, eo consilio nimirum, ut ordines Imperij, maximè uerò ciuitates, partim ui, partim insidiosis rationibus subigant. Cuius quidem rei fidem mihi faciunt sermones ipsorum, quandò iactant, ut quidem ad me defertur à fide dignis, & minantur etiam, se mihi uim facturos atque bellum. Testantur idem tot illorum ficti, seditiosi, famosi libelli atque picturæ, quas edunt, ut turbas excitent, & in me populum accendant. itáque spem nullam habere possum, fore, ut patientia & lenitate mea uicti redeant ad sanitatem aliquando, & ab insolentia sua desistant. Nam adhuc quidem adeò nihil hac ratione profeci, tot nunc annis, ut non solùm non facti sint meliores, uerumetiam se ipsis deteriores, & obstinati magis, magísq; rebelles ac temerarij. Quę sanè res ad interitum reipublicæ pertinet, ac nisi remedium adhibeatur, futurum est, ut è sua prisca libertate Germania grauissimam in seruitutem atq; tyrannidem adducatur: id uerò tolerare diutius atque pati nec mihi licet, nec ullo modo, si ferrem, excusari posset: ut ergò dignitas mihi mea conseruetur, ut pax atque ius in suo gradu consistant, ut imminens periculum, ab Imperio depellatur & à uestro capite, reipublicæ perturbatores illos ad officium adducere, & Germaniam suo nitori atq; libertati restituere constitui. Quod quidem institutum meum uobis putaui denunciandum, ut ne fidem habeatis ijs, qui fortè spargent aliud esse mei

consilij, nam sanctè uobis confirmo, non aliud me spectare quàm hoc ipsum, quod iam exposui. quapropter etiam confido uos mihi non esse defuturos, ut & illorum reprimatur audacia, & uestra uobis dignitas recuperetur. Id si feceritis, omnem à me beneuolentiam uos expectare iubeo, quod quidem amplius declarabo, si quis à uobis ad me ueniat eius rei legatus. In eandem ferè sententiam ad Vuirtembergicum quoque principem scripsit. Eodem die, quo fuerunt hęc perscripta, Granuellanus atque Nauius ad se uocant earum, quas dixi, ciuitatum legatos, & ad singulos separatim in eundem prope modum locuti, bellum hoc non aduersum ciuitates, uerùm in quosdam parari dicunt, rebelles, qui læsæ maiestatis crimen admiserint, qui Cæsaris authoritatem uiolarint, qui principum aliquot & episcoporum facultates occuparint, qui per occasionem ne ciuitatibus quidem sint parciturí: fidem igitur & officium Cæsari præstent, nec aduersarijs opem ferant, ut ne Cæsar causam habeat offensionis in ipsos, quibus bene uelit: scribant autem hæc suis quàm primùm, & hortentur, ut in officio permaneant: Cæsarem quoq; scripturum illis & missurum etiam legatos. Eodem die, Tridenti, statuitur, ut in eorum, qui uulgo canonici dicuntur, & monachorum collegijs, theologica prælectio cuipiam demandetur, ad eámq; rem, sacerdotium aliquod loco stipendij designetur: ad legendi uerò munus nemo recipiatur, nisi de cuius eruditione, moribus atque uita compertum habeat episcopus aut abbas: & quoniam euangelij prædicatio non minus necessaria sit, quàm ipsa lectio, iubentur episcopi & quicunque alij proceres ecclesiarum docere populum, aut, si legitimè impediantur, substituere qui faciant: archipresbyteris etiam atque populi pastoribus mandatur, ut saltem septimo quoque die, qui Domino sacratus est, denuncient hominibus quæ cognitu necessaria sunt ad salutem, hortentur eos ad uirtutem & à uitijs deterreant: negligentibus constituitur pœna: simul admonentur episcopi, diligẽter cognoscant, quid quisque doceat, & si fortè disseminentur hæreses ac opiniones absurdæ, remedium, legibus præscriptum adhibeant. Pòst fiunt decreta de peccato quod uocant, originis, & culpam eius omnem tolli dicunt per baptismum: manere quidem in baptisatis fomitem peccati, seu concupiscentiam: & licet hanc Paulus aliquandò peccatum uocet, hoc tamen eò fieri, non quòd reuera sit & propriè peccatum, sed quòd ad peccatum inclinet: hoc autem decreto non cõprehendi uirginem Mariam, & obseruandum esse, quod in eo quondam statuit

Sixtus

Sixtus pontifex eius nominis quartus. proximo deinde conſeſſui dies dicitur ad XXIX Iulij diem. Porrò, Sixtus quartus anno ſui pontificatus XIII decretum fecit, quo ſacris interdicit illis, tanquam hæreticis, qui uirginem Mariam in peccato fuiſſe conceptam originali, quod uocant, & eius conceptionis memoriæ conſecratum diem ab eccleſia Romana, non eſſe celebrandum docent. Decretum hoc extat in ea iuris pontificij parte, quam dicunt extrauagantẽ. In hoc, quem diximus, conſeſſu, Galliæ regis legatus, Petrus Daneſius, orationem habet, & de Galliæ regum in eccleſiam Romanam meritis atq; pietate, multa locutus, inde à Clodoueo rege ducto initio, Franciſcum regem ab his maioribus profectum, nullo genere officij inferiorem illis eſſe docet. qui perpetua quadam amicitia coniunctus fuerit Leoni, Adriano, Clementi, & iam Paulo III pontifici Maximo, qui in iſta religionis iactatione atque tempeſtate diligenter cauerit, ne qua fieret ſuos intra fines mutatio, propterea quòd penes eccleſiam, totius rei iudicium eſſe uellet. Etenim, etſi natura ſit clementiſſimus, tamen grauiſſimas pœnas ijs denunciaſſe, qui priuata quadam temeritate, ſtatum auderent eccleſiæ conuellere: qua quidem diligentia & ſeueritate ſit hoc conſecutus, ut Galliam totam ipſis iam tradat pacatam: nihil enim in ea nouum eſſe, nihil, alienum, nihil, quod non ex ueteri more ac diſciplina ſit introductum: & cùm inprimis utile reipublicæ ſemper exiſtimarit, eſſe unum in eccleſia, pontificem Romanum, ut Petri ſucceſſorem, ad quem cæteri, uelut ad caput, omnia ſua referant, ſemper illi fuiſſe curæ, ut hic magiſtratus principem locum obtineret: Ac licet magnis ſæpe propoſitis conditionibus ſolicitatus ſit, ut diuerſum ageret, & editum ab altero quodam exemplum ſequeretur, nunquam tamen ab inſtituto potuiſſe dimoueri, & indicto nuper concilio, quum patres aliquot eò conueniſſe audiret, ili cò ſuis aliquot delectis epiſcopis, ut huc cõtenderent, mandaſſe, cúnque deinde conſeſſibus aliquot habitis, decreta quædam eſſent facta, inque Galliam perlata, ſibi & collegis dediſſe negocium, ut huc profecti, quid ſit ipſius uoluntatis, exponerent: primum igitur hoc eſſe poſtulatum, ut ſemel in uniuerſum conſtituant, quid in religione ſequendum ſit atq; credendum, deinde ut perſonis eccleſiaſticis uitę morúmq; diſciplinam acerrimam prę ſcribant: quicquid decreuerint, fore, ut illius mandatu per omnem Galliam obſeruetur: Adhæc, quia Galliæ regum maxima ſint in eccleſiam Romanam merita, ne patiantur quicquam eorum imminui uel mutari, quorum poſſeſsionem

Gallię reges habuerunt inde à Ludouico pio Caroli magni filio: poſtremò, ut Gallicanis omnibus eccleſijs, quarum ipſe tutelam habeat, à maioribus relictam atque commendatam, ſua iura omnia, priuilegia & immunitates confirment. Cum ijs literis, quas paulò ſuprà recitauimus, & amplioribus mandatis, Argentoratum uenit à Cæſare, Lazarus Schuendius, Iunij die XXIIII, cùm ex itinere cæteros, de quibus antè dixi, conueniſſet. Senatus autem, eo dimiſſo, Cæſari non multò poſt reſcribit, & quòd Lazaro non ſtatim reſponderint, factum eſſe dicunt rei propoſitæ difficultate, quæ non ad ſe tantùm ſed ad alios quoque pertineat: iam, quod de ſua in Germaniam uoluntate dicat, habere ſe permagnam gratiam, & orare, ut in ea permaneat, nec ad ciuile bellum incitari ſe patiatur: quòd præterea queratur de nonnullis, qui ſuum non faciunt officium, neque fidem & obedientiam præſtant, magno ſe cum dolore legiſſe: ſperare tamen, ſuæ religionis neminem eſſe tanti criminis affinem: neque enim per nos, inquiunt, ſtetit, quò minus conciliata ſit religio: & ante annum quintum, in comitio Ratisbonæ, quum de quibuſdam dogmatis conueniſſet, túque, Cæſar, ad ordines retuliſſes, placeret ne decretum fieri de recipiendis illis atque ſanciendis, meminiſti, quemadmodum & nos & alij complures tum aſſenſi fuimus. quod ſanè conciliationis optimum erat futurum initium: ſed alij quidam, monitu atque ſuaſu pontificis recuſarunt, & Romam omnia reiecerunt: in aliſs deinde comitijs nihilo plus actum eſt, impedientibus aduerſarijs, qui quidem & ante annum, Vuormaciæ, non modò non approbarunt colloquium abs te inſtitutum, ſed ſingula quoque uerba decreti, quæ huc pertinerent, diſpunxerunt: impediti uerò poſtremi colloquij cauſam, noſtramq; ſimul excuſationem, è ſcriptis noſtris, hoc in conuentu exhibitis, cognouiſſe te putamus: quàm etiam fuerint concordiæ cupidi, quos tu conſtitueras, collocutores, uel ex eo ſatis appareret, quòd dogma iuſtificationis, abhinc annos quinque conciliatum, magnis uiribus impugnarunt, neq; pro cõciliato habere uoluerunt. Quę noſtra ſint uota, & quãtópere concordiã optemus, nouit Deus, quem noſtris in templis, hoc nomine quotidianis precibus ſolicitamus: aduerſarij autem, à ſuperiori conuentu Ratisbonenſi, nullam ad miſerunt actionem, & ad pontificem, cuius in clientela ſunt, atq; concilium, rem omnem reiecerũt: Atqui, graues illos errores, de quibus in eccleſia natum eſt hoc diſſidium, pontifex ui quadam atq; potentia retinere cogitat, & prorſus ità rem gerit, ut eius iudicio committere

cauſam

cauſam non poſsimus: ex quo ſatis intelligi poteſt, iniuriam nobis fieri, ſi quis non compoſiti diſsidij culpam in nos confert: quòd autem illis tribuitur, quaſi conentur eccleſiarum facultates ad ſe transferre, ſub nomine religionis, parum hoc ſit amicè: cur enim huius profeſsionis ſocij, monaſticam illam uitam, quę nimiùm hercle degeneraue rat, in ſuis ditionibus ferre diutius non potuerint, & ſimul, cur illa ipſa bona in meliores uſus conuerterint, noſti, Cęſar, è ſuperiorum annorum actionibus, & cauſam non ſemel audiſti: ſed aduerſarij, quum eccleſiæ bonis fruantur, ità nullam habent eius curam, ut multis in locis ipſorum ditionis, aut nulli ſint miniſtri, uel qui ſunt, nullam ad rem ſint minus idonei, ſiue quis eruditionem, ſiue uitam atq; mores inſpiciat: quomodo etiam literarum ludos procurent, quomodo proſpiciant egenis, notum eſt. Adhæc, quibus rationibus diuerſas eccleſiarum facultates ad ſe pertrahant, & in unum ueluti corpus redigant, ne quid ad omnem luxum eis deſit, nihil attinet commemorare. Quapropter, etiamſi fortè noſtræ profeſsionis aliqui non rectè per omnia diſpenſent eccleſiæ bona, tamen id nullo modo conferri poſsit cum ijs, quæ multis iam ſæculis illi committunt: itáq; res ipſa poſcit remedium, uidelicet, ut ex præſcripto ſacrarum literarum, & ſecundum ueteris eccleſiæ decreta diſtribuantur ea bona. quam quidem ad rem perlibenter ſumus operam noſtram communicaturi: deinde, & Ratisbonæ, & nuper Spiræ decreta feciſti, quemadmodum ocij publici cauſa, de ijs bonis agere oporteat: iam ſi quis eſt omniũ, qui modum in eo non ſeruauit, non dubitamus, quin idem, ſi cognitioni ſiſtatur, & inuicem audiatur, æquum iudicium ſubire, neq; cauſam dare uelit, ut propterea bello Germania uaſtetur. Obijcitur noſtris, quaſi iuris adminiſtrationem euerterint: ſed non te latet, maxime Cæſar, quamobrem de perſonis Cameræ queſti ſint, & quantopere emendationem iudicij flagitarint, quæ licet ſæpe ſit promiſſa, tamen in rem præſentem nunquam uenit. Itáq;, pacis conſeruandæ cauſa, Spiræ nuper illos exauthoraſti, & quemadmodum deinceps inſtituti Camera debeat, modũ præfinijſti. Quam quidem formulam ipſi probauimus, & in altero cõuentu Vuormacię, iuriſdictioni nos illorum uelle parére, demõſtrauimus: aduerſarij uerò, quod tibi ſanè conſtat, perpetuo recuſarunt, ac potius nullum eſſe iudicium uoluerunt: in hos nimirum eius rei culpa eſt omnis conferenda: quòd ſi uel nunc etiam res ad eum modũ, ut tu præſcripſeras, inſtitueretur, id quod in primis optamus, & de quo noſtris in hoc Ratisbonæ cõuentu legatis

mandata dedimus, non dubium est, quin illi, qui nostros in Ratisbonense ac Spirense decretum deliquisse putant, iure suum consequi possent. eam ad rem operam nostram profitemur: nec enim ullũ, qui sit inofficiosus, fauore uel auxilio prosequi uelimus. Nunquã etiam deprehendimus aliquem ex nostris affectare magistratũ hunc tuum, aut aliorum oppressionem moliri, uel iactare minas, quasi uim facere cogitet. Ac sanè credimus, à pontifice & ipsius administris hæc tibi frequenter decantari, pro eo, quod in religionem circumferunt, odio: studium autem erga te nostrum putamus te non semel ex ijs bellis quæ gessisti cum exteris, deprehendisse: atq; utinam ille, qui te iam aduersum nos accendit, eo semper in te fuisset, quo nos sumus, animo: quędam certè bella uel omninò non suscepta, uel multò citius pacata fuissent. Iam, in seditionibus illis atq; bellis, quæ per Germaniã, te Cæsare, nata sunt, quomodo sese gesserint erga te, deinde, quàm liberaliter aduersus Turcam sua subsidia nostri contribuerint, publicè notum est, inprimis uerò tuis Austriacis prouincijs. Cùm ergò non dubitemus hos ordines ab ijs criminibus, quæ tibi delata sunt, esse alienos, &, si cognitioni sistantur, posse tibi, Cæsar, & quibusuis alijs innocentiam suam approbare, uehementer etiam atq; etiam te rogamus, mitissimum Cæsarem, & patriæ parentem, ac per omnia sacra perq; Germanię salutem obsecramus, ut hunc tantum apparatum deponas, & illos, qui tam grauiter tibi delati sunt, iudicio sistas, more nimirum à tuis maioribus usurpato, quem neq; te prætermissurum speramus. Id si facias, fore confidimus, ut & iniuriam illis factam, & præclaram ipsorum esse uoluntatem erga te cognoscas. In hac uerò deliberatione respicias, quæsumus, Germaniæ statum, miserabilem certè, tum propter diuturnam rerum omniũ caritatem, tum propter formidabilem & perpetuum hostem Imperij, Turcam: consideres, quam fidem horum ordinum parẽtes tuis maioribus, quam ipsi tibi ac Ferdinando fratri semper prędstiterint, quandò & in Turcam & in alios uestri nominis hostes, auxilia uobis, amplius etiã quàm reliqui, subministrarunt, quæ ne nunc quidem recusant etiam: expendas tecum atq; reputes, quàm sit hoc futurum bellum exitiosum, quãtum calamitatis atq; malorum ex eo redundabit ad innoxiam multitudinem, pueros, infantes, mulieres & id genus alios: neq; illorũ impulsu, qui sui dominatus atq; potentię retinendę causa, nostris aduersantur, eò rem deducas, ut inclyta Germania, uel pars eius aliqua, tibi certè deuotissima, suis exhausta uiribus, & prorsus afflicta, uim Turcicam

ſuſtinere amplius & demorari non poſſit. ut ergò noſtris precibus acquieſcas, maiorem in modum oramus: habebimus id ſummi loco beneficij, et ſi quis erit, qui poſt factam cognitionem, tibi parere, præter ius et æquum recuſarit, eum non modò non probabimus, uerùm etiam tibi, ſummo principi ac magiſtratui, diuinitùs dato, quantũ in nobis erit, auxiliabimur, ac fidem omnem ſemper præſtabimus. Mauricius, qui uigeſimo quinto die Maij Ratisbonam uenerat, Iunij die uigeſimo diſcedit, ubi Cæſar priuatim cum eo diu multúmq; ſermocinatus fuit. eius uerò quæ fuerit ſumma colloquij, res ipſa pòſt declarabit. Proteſtantium legati, cùm ad uim & arma ſpectarẽt omnia, neq; ſine periculo de rebus neceſſarijs uel deliberare poſſent, uel ad ſuos etiam perſcribere, diſcedunt alij poſt alios, domúmque redeunt. Ad idus Iunij Cæſar legatum mittit ad Heluetios, Ioannem Muſchetum, ſuperioris Burgundiæ quæſtorem, & initio præfatus de ſua in ipſos beneuolentia, de charitate erga rempublicã: maximè uerò Germaniam, ſtudióq; pacis, Germaniæ quoſdam ait eſſe principes, qui ſub euangelij prætextu multa ſeditioſè faciant, leges omneis euertant, ut ſublatis iudicijs nihil ſit amplius quod metuant: eorum audaciã eò nunc progreſſam, ut contra ſuum honorẽ & magiſtratum nitantur, & uim atq; bella minentur, nec obſcurè præ ſe ferant, quaſi per ſuam abſentiã, inuadere cogitent et opprimere communem patriã: his ergò rebus coactũ, arma ſumere, ut pro ſui muneris atq; loci dignitate, periculum à republica depellat, & illos coherceat: neq; dubitare, quin hunc ſuum conatum Deus approbet: exiſtimare etiam, fore, ut cæteri ordines, quorum hic ſalus uertitur, opẽ cõſilióq; ſeſe iuuent: rogare igitur, ne ab aduerſarijs, qui odioſè multa & acerbè cõtra ſe ſpargant, aliud ſibi perſuaderi patiantur, nec ab illis impulſi aliquid faciant, aut in ſuis finibus permittant, quo ſuum hoc inſtitutum tardari poſſit aut impediri: bellum enim hoc pro totius Germaniæ ſalute ſuſcipi, nec ullam aliam ſubeſſe cauſam: acquieſcant igitur in ueteri amicitia & fœdere, quod ſit inter ipſos: nihil enim ſe facturum contrà, neque ſuis permiſſurum, uti faciant, & per occaſionẽ præſtiturum ipſis eſſe fidem omnẽ & amorem, ut adhuc quidem fecerit: id cùm ex rebus alijs multis, tùm ex eò potiſſimùm intelligi poſſe, quòd cum alijs regibus atque dynaſtis nullam unquàm pacem fecerit, in qua nõ & ipſi comprehenderentur. Superioris Germaniæ ciuitates & dux Vuirtembergicus, audito Cæſaris reſponſo, quod per Nauiũ dedit, ut ſuprà docuimus, cõtinuò datis

literis ad Saxonem atq; Lantgrauium, fœderis duces, quid agatur, ostendunt, & omnem fidem opémq; polliciti, quantas omninò possunt, peditum copias cõscribunt, & omninò primi fuerunt in armis. Exercitus autẽ erat bipartitus: unum agmen erat Vlrichi principis, ad uiginti quatuor signa peditum, & in his ex nobilitate complures: alterum erat à ciuitatibus conductum. Hi cùm Vlmæ conuenissent omnes, Iunij die x x i Gunspergũ petunt, & altera luce producti, dispartiti consistunt. duces erant Ioannes Hedeccus, Schertelinus, Baltasar Gultlingus, Sebastianus Besserus, Mathæus Langemantelus, Ioannes Harderus, Iudocus Rosebergus. Hi ciuitatũ copias primùm, certis cõditionibus, per iusiurandũ, ut fieri solet, astringunt, & ut Schertelino pareant, ac dicto sint audientes, mandant, donec principes ipsi, fœderis duces, uenerint. Pòst ad Vuirtembergicos digressi, cùm idẽ egissent, Hedeccum illis eadẽ ratione ducem constituunt. eo facto, Baltasar Gultlingus, genere nobilis, & Vuirtembergici ducis cõsiliarius, de reliquorũ uoluntate uerba faciens ad sui principis militẽ, Sathanę uicarius, inquit, põtifex Romanus, incendiũ excitare denuò cogitat, cõmilitones chariss imi, quo Germania, quæ nobis ortum dedit omnibus, cõflagret, et funditus intereat. huc nimirùm impellit eũ, & illud, quo ueram religionẽ persequitur, odium acerbissimum, & uindictæ quoq; studiũ, ob acceptã superioribus annis calamitatẽ à Germanis, quandò Roma capta fuit atq; direpta. Carolum itáq; Cęsarẽ potentissimum excitauit, ut in principes nostros et ordines, qui pio fœdere coniuncti sunt, arma sumat, fore sperans, ut per uim & summam crudelitatẽ illos cogat ad impię suę religionis ac diabolicę cultũ & obseruantiam. Etenim pro certo nunciatur, superbũ illud & nefariũ sathanæ mancipiũ, habere iam coactas tam equitum quàm peditũ lectissimorũ copias nõ mediocres, quas ad Cęsarẽ mittat: de Hispanis quoq; iam increbuit aduentantibus: quid uerò malorũ, ab externo milite, cõmuni patriæ, quantáq; pestis incumbat, nemo nõ intelligit: nostri principes igitur ac ordines, quia sui muneris esse sciunt, ut nõ modò uim omnẽ et iniuriã à suę ditionis populo depellant, uerumetiã elaborẽt et prouideant, ne falsa religione decipiantur, & salutis æternę discrimen adeant, omninò cõstituerunt bellum istud, quod pręter omnẽ expectationẽ, imò pręter pactũ atq; promissum ipsis infertur, beneficio Dei defendere. ideóq; uos & uestri ordinis alios, quantùm quidẽ in hac celeritate fieri potuit, conduxerunt. quia uerò fœderis duces adhuc absunt, uẽturi tamẽ paucos intra dies,

illustrissi-

illustrissimus princeps Vuirtembergicus, Vlrichus, ut interea res omnis ordine administretur, nec hosti præbeatur ulla nocendi nobis facultas, loco sui, ducem uobis cõstituit amplo & illustri loco natum Ioannem Hedeccum. huic ergò fide data parebitis, & ità uos geretis in uniuersum, ut nomen illud præclarum & illustre, quod maiores nostri, uarijs olim gestis bellis cum exteris nationibus atq; populis, uirtute summa multóque sanguine sibi compararunt, ad nepotes etiam nostros propagetur. Cætera Deo committemus omnipotenti, qui sine dubio rationes expediet in hac tàm iusta causa, piáque defensione, prout ipsius maiestati uidebitur, nobis esse commodum atque salutare. De Smalcaldicorum legatis antea dictum est, quemadmodum Ratisbona discesserint, quum deliberationi nullus esset ibi locus: conductis autem copijs, ut iam demonstrauimus, Vlmæ congregantur, ut in commune consulant. itáque Iunij die uigesimo primo, duci ac senatui Veneto scribunt, & de pontificis iniurias questi, rogant, ne illius copijs dent iter per suos fines, &, si pontificis uires augeantur, quid ipsis & alijs per Italiam populis expectandum sit, superioris ætatis exemplis demonstrant. scribunt etiam passim ad nobilitatem Germaniæ, ac monent, ne militem ad se proficiscentem impediant. deinde, quia Rhœtos atque Tirolenses acceperant multum angi propter externi militis aduentum, ultima die Iunij per literas hortantur, ut transitu illos prohibeant, ad eámq; rem auxilia pollicentur. à Noribergicis quoque petunt opem, sed illi non se posse dicunt: quod ad suorum finium defensionem uix ipsi satis habeant. adhæc, Schertelino secunda die Iulij mandãt, ut hostes, qui prope radices alpium delectus habendi causa confluebant, inuadat. simul ad Heluetios legationem decernunt. De Cardinali Tridentino diximus antè, qui Romam celeriter transcurrit, missu Cæsaris. illo igitur solicitante, fœdus, quod iam antea conceptum erat & informatum, Iunij die uigesimo sexto decernitur his pactis. Quoniam per multos nunc annos, in magnis perseuerauit erroribus Germania, sic ut ingens ex eo sit metuendum periculum, cuius quidem auertendi causa sit indictum Tridenti concilium, & mense Decembri anni superioris inchoatum: & uerò Smalcaldici repudient illud, nec ad se pertinere dicant, ideò pontificem atque Cæsarem, pro gloria Dei, & pro reipublicæ, maximè uerò Germaniæ salute, certis legibus inter se transegisse: & primo quidem, ut Cæsar exercitum & quicquid est ad bellum necessariũ proximo mense Iunio comparet,

& ſit rebus omnibus inſtructus, & eos, qui concilium recuſant, & errores illos defendunt, uiribus & armis ad priſcam religionem & ſanctæ ſedis obedientiam reducat: ſed interim omnem operam det & experiatur an ſine bello poſſit hoc perficere: pacem aut tranſactionem nullam cum ijs faciat, quæ ſit eccleſiæ & religioni noxia: pontifex, præter illa centum aureorum millia, quæ iam depoſuit, tantundem Venetijs quoq; deponat, quæ pòſt ipſius legati nullum in alium, quàm in belli uſum expendant: & ſi nullum erit bellum, eam pecuniam ad ſe recipiat: adhæc, ſubminiſtret in hoc bellum & alat peditum Italorū millia duodecim, & leuis armaturæ equites quingentos, per ſemeſtre tempus, & his copijs præficiat legatū, duces atque centuriones: quod ſi bellū ante ſextum menſem finiatur, ipſius hoc fiat cōmodo: Cæſari liceat hoc anno, permiſſu pontificis, dimidiam partē bonorum eccleſiæ, per Hiſpaniam ſumere, liceat quoq; ex annuis prouentibus monaſteriorum Hiſpaniæ diuendere, donec aureorum millia quingenta confecerit, & hæc quidem omnia belli tantùm huius gerendi gratia, uerùm ea lege tamen, ut de ſuis bonis tantundem illis inuicē oppignoret: &, quia res noui ſit exempli, ex arbitrio pontificis, hoc nomine rectè caueat: ſi quis hoc ipſorum inſtitutum impedire uelit, coniunctis uiribus ei reſiſtant, & auxiliū alter alteri ferant, idq; facere teneantur ambo, quámdiu bellum durabit, & ſex præterea menſibus à finito bello: integrū ſit cuiq; ſeſe adiungere huic fœderi, & partem ſubire tum oneris tum emolumenti: pactionem hanc confirmet etiam ſenatus cardinalium, & quod de Iunio dictum eſt, accipiatur de huius anni menſe Iunio, quo fœderi iam antè concepto ſubſcripſerint uterq;. Huius confœderationis exemplū, legatus pontificis, Hieronymus Franchus, Heluetijs pòſt exhibuit, ut infrà dicetur. Ad hoc ferè tēpus pacem Galliæ rex facit cū Anglo, & Boloniā ei permittit, donec pecuniam debitam perſoluat: & quum his ipſis diebus Gallię regis filio Henrico nata eſſet filia Iſabella, rex Anglię cōfirmandæ amicitię cauſa rogatur, ut in ſacro baptiſmate pro illa fideiubeat. Tunc etiā Scotiæ cardinalis Andræanus in ſua quadā arce, ſub prandij tempus confoditur à nobili quodā, cùius ille fratrē ob Lutheraniſmū durius tractauerat. facta cęde, percuſſor in Angliā profugit. Iulij die tertia pōtifex dat literas ad Heluetios, & captata beneuolentia, propter ſuam et ſuorum anteceſſorum cum ipſis coniunctionem, deplorat, quoſdā ex ipſis, per inſidias diaboli, & perturbatores legū, auulſos eſſe ab apoſtolica religione, & ab ſe,

tanquam

tanquam chariſſimos filios è ſinu et complexu amantiſſimi parentis: ueruntamen, magnū eſſe Dei beneficiū, quòd ex ipſis multi permanſerint conſtantes in fide erga Deū & eccleſiam, quò uidelicet alij, qui ſermonibus improborum decepti ſunt, exemplum habeant poſitū ob oculos, & ad maiorum ſuorū religionem aliquandò reuertantur: nam diuinæ bonitatis magnū hoc eſſe argumentum, quòd in iſto diſſidio religionis, pacem inter ſe colant, quum alijs in locis per hanc occaſionem grauiſſimi ſint excitati motus: quos ut componeret, nullū nō adhibuiſſe remediū ſtatim ab initio ſui pōtificatus, et magna ſemper uſum eſſe lenitate: nuper etiā ad extremum confugiſſe, denuncia to concilio generali, cui locū atq; ſedem delegerit Tridenti, oppido Germaniæ, cuius intra fines hæc hęreticorū uitioſa ſeges maximè creuerit: quod quidē ad oppidum tutò uenire poſſent, & ſuas ibi partes tueri, ſi uellent: ſperaſſe enim, in tam auguſto conuentu, cui ſemper chriſtiani reges atq; populi plurimùm detuliſſent, & in cœtu tot epiſcoporum, qui ſpiritu ſancto ductore religionē tractarent, neminem fore tàm impium, qui non tantæ ſe ſubmitteret authoritati, qui non impijs continuò dogmatis reiectis, eccleſiæ catholicæ iudicium amplecteretur: hanc etiā nunc opinionem retinere ſe de ipſis, & propter concordiā domeſticam ſperare, futurum, ut ex ipſis, qui fideles atq; cōſtantes permanſerunt, obtemperent concilio, cæteri uerò, qui nō conſultò, ſed quadā credulitate in errorē adducti ſunt, authoritatem ſynodi nō aſpernentur: quod ut faciant, & ad conciliū ueniant, tanq; ad cœleſtē aliquem ſenatū, cui Deus ipſe præſit, hortari ſe plurimùm, ut antè quoq; fecerit: magno autē dolori ſibi fuiſſe, quòd in Germania nō pauci ſint, etiā de numero eorum, qui principes habentur, qui conciliū non modò ſuperbè & inſolenter cōtemnunt, ſed maledictis etiā & conuicijs inſectantur, neq; ſe decretis illius parituros eſſe dicunt: ideò uerò doluiſſe cumprimis, quòd iſta perditorum hominum contumacia & obſtinatione, neceſſitatē ſibi uideret imponi, rem armis tentandi: nam neq; tot animarū iacturam, quę per hęreſes quotidie perirēt, neq; Chriſtiani nominis oppreſſionē hanc diutius perferre ſe potuiſſe, quòrū illud ad paſtorale ſuū officiū, hoc autē ad ſui gradus atq; loci dignitatē pertineat: dúmq; de remedio ſæpe cogitaret, ac Deū precaretur, ut uiā oſtenderet, peropportunè accidiſſe, ut Cęſar, maximę pietatis princeps, eiſdē ferè, quibus ipſe, ſceleribus impiorū offenſus, armis uindicandā ſibi religionē iudicaret: cùm enim ipſius interceſſione et opera, Germanię datū eſſet ab ſe conciliū,

uiſum ei fuiſſe, quòd qui illud recuſarent atque contemnerent, ipſius quoque factum & authoritatem deſpicerent: hanc igitur occaſionē diuinitùs oblatam ſe libenter arripuiſſe, & præclaram iſtam Cæſaris uoluntatem adiuuare conſtituiſſe omnibus tam ſuis quàm eccleſiæ Romanæ facultatibus: etenim ſi ſecus faciat, ſi negligenter agat & remiſſè, non dubium eſſe, quin tot filiorum animas, hæreticorum perfidia corruptas, ab ſe Deus, tanquàm à parente requirat: hoc autem ſuum conſilium atque mentem ideò ſe patefacere ipſis, ut & qua prematur ſolicitudine, uideant, & ſua uota ſecum, hoc eſt cum Deo & religione coniungant: multa quidem ipſorum exiſtere præclara facta, ſed nullum eſſe pręclarius, quàm hoc, ſi cum Deo ueterem amicitiam, exemplo maiorum, colant, ſi eccleſiæ Romanæ, quæ ſemper ipſis benefecerit, priſtinam fidem & amorem præſtent, ſi iam in hac tam pia cauſa ſubminiſtrēt auxilia: quod ut faciant, orare plurimùm.

Proteſtantium ſuperioris Germaniæ legati, quinta die Iulij Badenam Vlma ueniunt ad conuentus Heluetiorum, & expoſitis mandatis, in menſem Auguſtum reijciuntur. poſtulata erant, ne militi externo dent iter per ſuos fines, & ut ſuos militare ipſis permittant, ſi res ità poſtulet. his etiam diebus, Brunſuicenſes, Goslarienſes, Hildeſſemij, Hanobrij, mādatu Saxonis atq; Lantgrauij, demoliuntur, Henrici Brunſuigij primariā arcem, Volffebutelum, quam ad hoc uſq; tempus, impoſito præſidio muniuerant. Palatinus elector, in his motibus interpellat Cæſarē, Ratisbonæ, per legatū Vuolffium Affeſtenum, equitem, & quæ ſit belli cauſa, in quem fiat apparatus, ſcire cupit: deprecatur etiam, &, ut ſibi liceat intercedere, obſecrat. Diebus aliquot interiectis, per Granuellanum atque Nauium Cæſar reſpondet. non illi eſſe difficile, utrunq; ſcire, & quæ ſit cauſa, & qui petantur bello. pòſt, eadem ferè, quæ ſuprà in literis ad ciuitates, criminatur, quòd ſibi non obtemperent, quòd non in Germania tantùm, ſed apud exteros etiam multa ſint aduerſum ſe quidam machinati, ſpecie religionis, quòd nullis legibus uelint aſtringi, quòd alienas poſſeſſiones inuaſerint, ſacras inprimis, eaſq; pro ſua diſpenſent tyrannide, non alio certè conſilio, quàm ut in ſuos liberos atque nepotes, hæreditario quodam iure, transferant epiſcopatus & id genus alias præfecturas: an credibile ſit, eos, qui talia committunt, ferre poſſe legitimam ullam cognitionem, ac non potius eò ſpectare, quemadmodum excitatis turbis atque diſſidijs, iudicium & cenſurā defugiant? emendationis quidem nullam eſſe ſpem, & ſcire ipſum,

quàm

quàm leniter egerit, quàm multas offensiones illis condonarit. quã tamen re nihil sit consecutus aliud, quàm quòd insolentiores facti, reliquos etiã ordines pertentent, & ad rebellionẽ solicitent: quibus artibus id fiat non sibi constare: quàm autem sit indignum, & meritò sibi dolendum, facilè quemuis intelligere: cùm etiam ipsi, iure omni sublato, tyrannicè & uiolenter agant, & Imperij decreta proijciant, non esse, quòd alia uia, quàm ea, quæ sit ipsis usitata & familiaris, hoc est, armata manu, res tentetur: itáque sui esse propositi, ut hoc bello non religionem modò, sed & reliquas offensiones componat, & Germaniæ pacem atque libertatem restituat, & eos, qui facient officium, patrocinio suo defendat, in perturbatores autem ocij communis & oppressores libertatis, pro eo ac meriti sunt, grauiter atque seuerè uindicet. Hoc Cæsaris responsum, Palatinus, Iulij die decimo, quum pridie esset allatũ, Saxoni, Lantgrauio & Vuirtembergico mittit, & explicato communi periculo, quod incumbat Germaniæ, præsertim ab externo milite, si bellum increscat, obtestatur, ut quantum omninò possint, largiantur atq; concedant: etenim, licet tristis & aspera sit rerum facies, tamen existimare se, quòd si erga Cæsarẽ se submittant, & nonnullis in rebus morem ei gerant, fore, ut ad conciliationem ea res maximum adferat momentum: hęc autem esse, quibus mitigari posse Cæsarem intelligat, primùm, si condonari sibi petant offensionem, deinde, si quid minus æquè factũ sit ab aliquo, corrigatur, postremò, si quid alieni possideant, ut id Cæsari uel cuipiã alij, prout uidebitur, permittant: in eo si quid ipse possit amplius, fidẽ operámq; suam pollicetur. Saxo interim atq; Lantgrauius, quibus omninò prẽter expectationẽ hic tàm repentinus motus accidit, præsertim, quòd amicissimè Cæsar Spira nuper discesserat, certiores facti de re tota, magno studio copias et ipsi conducunt, et ad socios datis literis, ut idẽ faciant, néue callidis quorundã cõsilijs diuelli sese patiantur, monent. Et quum deliberandi causa conuenissent, Iulij die quarto datis ad Cæsarem literis, ẽ legatis, inquiunt, nostris, tuo mandatu Ratisbonã missis, clemẽtissime Cęsar, accepimus, quomodò, cùm de belli audissent apparatu, nostræ cõfessionis atque fœderis socij, diligenter te solicitarint, dares operã, ne quid acciperet Germania detrimenti: & quanquam tum ità respõdebas, ut iure nobis oboriri suspitio posset, tamen in bona quadã spe fuimus, eo bello neq; nos nec ullũ Imperij ordinẽ peti, propterea, quòd ad conuentũ illum abs te uocati, legatos eò misimus cum plenis mandatis, qui &

de postulatis tuis deliberarunt, & quid sui esset consilij, demonstrarunt, ità quidem, ut nullius offensionis in mentē nobis uenerit: deinde, responsum illud tuum non ad præterita, sed ad futura pertinet, dum ais uelle te constituere rempublicam, & in eos, qui non sint dicto audientes, pro tua authoritate uindicare: quamobrem minimè cogitandū nobis erat, fore, ut prius, quàm & postulata tua promulgares, & à nobis responsum esset, bellum parares: ubi uerò tandem ex multis coniecturis, inprimis autē ex tuis ad principes aliquot atq; ciuitates literis, tum etiam ex Granuellani uerbis atq; Nauij sermone cognouimus, tui esse propositi, principes quosdam minus obedientes mulctare, iámque rumor ubique percrebuit, in nos belli molē omnem conuerti, molestè sanè grauitérque, pro eo ac decet, istud tulimus, et hanc ad te mittendam epistolam duximus, purgandi nostri causa. Et primo quidem, uerè possumus hoc affirmare, nos atque socios onera publica nobis imposita subijsse semper prę cęteris, cùm nonnullis etiam daretur immunitas: deinde, quæ in proximo conuentu Spiræ petebas auxilia, dedimus operam ut impetrares, & nos illa contulimus ipsi: quòd autem nunc ijs omnibus exhibitis officijs in crimen uocamur non præstitæ obedientiæ, non modò nobis dolet, sed uehementer etiam est molestum & acerbum: fuisset autem optabile nobis, & quidem æquum erat etiam, accusari nos, & audiri prius, quàm ad arma ueniretur, & hæc nostri criminatio spargeretur: sic enim & nostram eramus innocentiā facilè probaturi, & eorum refutaturi calumniam, qui nos tibi ad hunc modum detulerūt: quàm amanter cum utroque transegeris & Spiræ nuper, & ante annum quintum Ratisbonę, notum est, ità quidē, ut nulla nobis obijci possit uel rebellio uel facinus illaudatū: ut interim omittamus, quòd agri Brunsuicensis possessionem, tuo rogatu, sequestro permisimus ante annum, & in summum ferè discrimen fortunarum omnium idcircò deuenimus: non te latet etiam, quomodò tunc, quum Francofurti creatus fuisti Cæsar, Imperio te deuinxeris, quid per sanctissimum iusiurandum promiseris, & quomodò sit ex Imperij legibus agendum, quandò crimen eiusmodi, quale tu nobis iam obijcis, aliquis commisisse dicitur: quòd autem indicta causa uim nobis adferre cogitas, id Deo commendabimus, et ubi, quibus de rebus nos incusas, acceperimus, ità respondebimus, ut quiuis intelligat, & iniuriam nobis fieri, & te, Romani antichristi ac impij concilij Tridentini impulsu, bellum hoc suscipere, ut & euangelij doctrinam, & Germaniæ

maniæ libertas opprimatur, nec ullam aliam ſubeſſe cauſam docebimus: rerum noſtrarum ſtatus, ut hoc ità tibi nunciemus, poſtulat: in hanc ergò partem accipies. nam multò nobis eſſet iucundius, tibi gratificari, ſtudiúmq; noſtrum approbare. Cæſar, Iulij die ſeptimo, datis ad archiepiſcopum Colonienſem literis, Germaniæ ſalutis, inquit, cauſa, nimirum, ut ocium publicum & ius & æquum, & huius noſtri loci dignitas, Imperijq; libertas recuperentur, quę quidem omnia ſeditioſi quidam ex republica propemodum ſuſtulerunt, &, niſi cohercentur, tollent omninò, cogor arma ſumere, ut illos ad officiũ adducam: & quoniam in hoc eſſe totos accipio, ut te ſimul & alios in ſocietatem ſuam pertrahant, mandò, primùm, ut per omnẽ tuam prouinciam edicas, & des operam, ne quis militet, niſi mihi meíſq; ducibus, qui mandatũ habebunt, eiuſq; rei fidem facient: deinde, ut eos, qui forte iam in militiam profecti ſunt, ilicò reuoces, & domi manere iubeas, & noſtrum expectare iuſſum: in eos uerò, qui non parébunt, ſeuerè uindices, atq; ità te geras, ut intelligere poſſim, Germanię quietem tibi eſſe charam: ni facias, magno tuo cum periculo et bonorũ omnium diſpendio futurum ſcias. Eas literas archiepiſcopus, ut accepit, paſſim promulgat, & edicit ut pareatur: deinde preces fieri iubet in eccleſijs, ut imminens Germaniæ periculum Deus auertat. Eodem ferè tempore, proteſtantes ad Galliæ & Angliæ regem, nuper reconciliatos, ut dictum eſt, mittunt legatos, qui de auxilijs utrunq; ſolicitent. Cùm Saxo & Lantgrauius ad Cæſarem priuatim ità ſcripſiſſent, uti diximus, publicum etiam ſcriptum edunt idibus Iulij, quò demonſtrant, religionis cauſa bellum hoc ſuſcipi, & hoc eſſe conſilij Cæſaris, ut obducta ſpecie quadam rebellionis, & tanquam in paucos aliquot uindicare uelit, ſocios fœderis diuellat, alios ab alijs, & tantò facilius paulatim pòſt omneis euertat. Eius rei probationes multas adducunt, & quid Ferdinandus rex, quid Granuellanus, quid Nauius & alij quidam Ratiſbonę priuatim dixerint, referunt, nimirum, concilij cõtemptum, huius eſſe cauſam belli: Rauesburgijs etiam, qui nuper euangelij doctrinam admiſerint, mandaſſe Cæſarem aiunt, miſſis literis, ut paucos intra dies ab inſtituto diſcederent, alioqui futurum, ut ſectionem urbis & agri militibus permitteret: ſed exitinere cum literis reuocatum eſſe nuncium, ut ne palàm fieret, hoc bello religionem peti: quòd etiam archiepiſcopum Colonienſem, põtifex, ob emendationem doctrinæ, lata ſententia, loco & dignitate ſua priuauit, quòd idem propè Cæſar facit atq; minatur, an belli cauſam id

non satis declaret? Rumorem enim esse non obscurum, id agi, ut cardinalis Augustanus, qui facem his turbis admoueat, per uim illi surrogetur: hoc etiam spargi, fore, ut ipsis oppressis, militum copiæ passim per Germaniam distribuantur, qui concilij decreta de religione facta, Cæsaris nomine defendant & exequantur: adhæc, multorum literis perscribi, Toletanum archiepiscopum inprimis, & reliquos id genus Hispaniæ proceres, ingentem pecuniæ uim in hoc bellum conferre. quod quidem minimè sint facturi, si prophana esset belli causa: notum esse præterea, cuiusmodi sit factum Augustæ decretũ ante annum XVI, quandò Cęsar profitebatur, non se posse ferre sectam hanc atq; doctrinam Lutheri, sed ut eam funditus extirpet, omne suum robur, uitam etiam atq; sanguinem uelle cum suis impẽdere: Si quidem ipsi opprimãtur, quod Deus auertat, tunc statim appariturũ, an huic religioni parcant, ac non potius ecclesiæ ministris trucidatis, & ipsorũ stupratis uxoribus atq; liberis, monachos & id genus reliquam colluuiem restituant: Cæsari uerò non licere uim ullã facere ulli ordini, nec indicta causa proscribere quenquam, neq; militem externum in tra Germaniæ fines adducere, uel ius aliquod hæreditarium atq; successionem Imperij sibi uendicare: nimirũ his legibus eum esse deuinctum, & eas per iusiurandum approbasse, nam si fas ei sit secus agere, non posse diuturnum esse reipublicæ statum: quam autem habeat offensionis causam, non se uidere: nam ad me quod attinet, ait Saxoniæ Dux, quicquid inter illum, Ferdinandũ fratrem, atq; me fuit dissidij, totum est abolitum, ante biennium, Spiræ, & arctioris necessitudinis causa, Ferdinandi filia Eleonora, filio meo natu maximo despõsa fuit ultrò, si modò de religione cõueniret. Id Cæsar tum probauit, & cùm domum illinc essem è comitijs rediturus, in diuersorium meum misit Granuellanũ atq; Nauium, & amplissimis uerbis omnem beneuolentiam mihi meisq; liberis ac toti prouinciæ deferebat. Ab eo tempore quod nam tantum scelus cõmisi, quamobrem in me tam dira molientur? Sed reuera sic res habet, ut antè diximus: quia concilium pontificium recusamus, in odium incurrimus: ęquum autem erat, illum non sic agere, nec aduersus familiam Saxonicam ista cogitare: nouit enim, quomodo patruus meus Fridericus, post Maximiliani mortem, hanc Imperij dignitatem sibi delatam, ad ipsum uoce atque suffragio suo detulerit, ut interim omittam alia multa Saxonicæ domus in Austriacam familiam collata beneficia. Quòd si fortè propter submotum ab episcopatu Numburgico Iulium Pflugium offensus est; equidẽ & ius

meum

meum editis libellis explicaui, &, si Cæsar arbitros non suspectos daret, eorum cognitioni rem permisi. Iam, quod ad me pertinet, inquit Lantgrauius, ante annum quintum planè fui reconciliatus ei Ratisbonæ: & quòd annis aliquot superioribus bellum in episcopos mouere constitui, quòd deinde propinquo meo duci Vuirtembergico suppetias tuli, quò sua recuperaret, totum hoc, & si quid etiam contra ius scriptum & Imperatorum leges, palàm aut occultè feciſſem, condonatum mihi fuit, conscriptis ea de re literis atq; signatis: quæ sit igitur alienationis causa, planè nõ possum recordari: deinde, quum nuper ipsum Spiræ conuenirem, adeò fuit erga me benignus & uultu & sermone, ut uestigium nullum offensionis deprehenderem. Ratisbonæ conuenerat ante annum quintum, si quid aduersus Cliuensem ipse tentaret aliquandò, ne me prorsus immiscerem: mouit illi postea bellum, & quod promiseram, seruaui: cúmque deinde Cliuensem in gratiam reciperet, quod fuit ante Venlonum, omnibus, qui militassent ei uel opem tulissent, ignouit. Atqui, si fortè nostram absentiam, & quòd Ratisbonam ipsi non uenimus, ægrè fert: excusauimus uterq;, Saxo quidem, per legatos, ego uerò coràm in colloquio, Spiræ. Sed quænam sit ista Germaniæ libertas, aut reipublicæ forma, si propterea bellũ suscipi debeat, cùm & in superioribus aliquot, & in his ipsis Ratisbonæ comitijs, alij multi principes absint? Bellum uerò Brunsuicense non potest nobis dari crimini: nam, ut uim ab se depellat, cuiq; permissum est. Rogauimus frequenter in comitijs & obtestati sumus, ut illius comprimeretur audacia: præter literas autem atq; uerba nihil consecuti sumus: & tamen ijs literis, quas Ferdinandus rex ad Henricum ea de re publicè dedit nostro rogatu, priuatim erãt aliæ adiunctæ literæ, è quibus facilè uidebat Henricus, non sibi obtemperandum esse. Hæ literę Vuolffebuteli repertæ sunt, subscriptæ manu regis & in medium adferri possunt, si sit opus. quòd si ea seueritate fuisset actum in Brunsuicensem, ut iam Cæsar in nos, licet immerentes, agit, nullum erat futurum bellum: sed quia nos, qui propter euangelij professionem odia maxima sustinemus, oppugnabat, conniuebatur ad ipsius omnia facinora. Nouit autem Cæsar, quomodo & captam prouinciam sequestro permisimus, & propter susceptam in illum defensionem, coram arbitris ab ipso datis, iuri nos sistere uoluimus: hanc rationem si secutus ille fuisset, neq; repudiata sequestratione & posthabitis Cæsaris edictis, nouum excitasset motum, sed iure nobiscum et legibus contendisset, facilis erat uia. Nam si

iudicio uicti non paruissemus, iam exequendi iuris causam Cæsar habiturus erat grauem atq; legitimam: nunc uerò, cur ita rem gerat, nullam habet. Adde, quòd à quo tempore captus est Henricus cum filio, Cęsar nihil unquã à nobis eo nomine postulauit: non est igitur, quòd officij neglecti possimus incusari. Si fortè nobis impingitur, quasi iurisdictionẽ impediamus: iniuria nobis fit longè maxima. nam quòd multis nunc annis in Camerę tribunal atq; consessum ij solùm recipe rentur, qui nostram religionem oderunt acerbissimè, quòd hi ipsi, posthabitis transactionibus, contra nos atque socios in causis religionis pronunciarent, quòd in causis etiam ciuilibus nullum ius nobis communicarent, fecimus, quod iure nobis facere licebat, eósque legitimè & necessariò recusauimus, uti suspectos & aduersarios, professi recusationis causas amplius nos uelle demonstrare coram delectis arbitris. Nihil igitur hic nobis obijci potest: deinde Spiræ decretum fuit ante annos duos, ut æquabiliter Camera constituerẽtur: quò minus autem id factum sit, nobis atque socijs tribui non potest: & nouit Cæsar, ante annum in conuentu Vuormacienſi, neminem huic ipsius decreto fortius reclamasse, quàm illos ipsos, qui uolunt obsequentes & officiosi uideri principes, eò nimirum, ut quum sint aduersarij, iudices etiã esse possint. Audimus insuper, hoc quoq; ueluti crimen nobis intentari, quòd ex nobilitate quosdam ad nos conamur traducere: sed mirum est, cur hoc in nobis reprehẽdatur: nam ex rerum Imperij commentarijs doceri potest, hunc morem etiam patrum memoria semper extitisse, ut suæ ditionis non nobiles tantùm sed episcopos etiam sibi coniungerẽt: & ut aliquid sit in eo culpę, num ideo bellum indicta causa nobis mouere licet? Iam, etsi in illo fœdere hæreditario, quod est inter Saxonicam, Brandeburgicam & Hessicam domum, Cæsar exceptus est, tamen hoc sic accipi debet, modò potestate sua non abutatur. Albertus igitur & Ioannes Brandeburgici, cognati, qui suam operam Cæsari contra nos addixerunt, diligenter secũ expendant, quid agant, & sint memores iurisiurandi, quo tenentur: hoc ipsis denunciatum uolumus, & ijs etiam, qui, cum sint beneficiarij nostri, stipendia sub ipsis merent hoc in bello. Neq; uerò excusantur, si fortè dicant Cæsarem habere in animo mulctare quosdam principes, ob non pręstitam obedientiam: sciunt enim ipsi, nihil eiusmodi iure nobis obijci posse. Quòd si de crimine Cęsar nos accusasset, ut æquum erat, neq; nos illud refellere potuissemus, nihil opus fuisset his artibus uti, & ad defectionem solicitare socios. nam de-

monstrato

monſtrato crimine, ſponte ſua plærique nos deſeruiſſent, & in cauſa non bona pauci nobiſcum erant commune ſubituri periculum. Ad hæc, ante annum ſecundum, quandò contra Galliæ regem auxilia Cæſari decreuimus cum alijs, promittebat, eo finito bello ſe profecturum eſſe ipſum in Vngariam aduerſus Turcam: nunc autem in Vngariam & loca finitima, Turcæ maximis cum copijs irruunt, ut quidem à multis nunciatur, & ſunt alioquin ijs locis Budę atq; Peſtę magna Turcarum pręſidia: ſed poſtponitur miſerorum hominum ſalus eius regionis, qui nunc hoſti crudeliſſimo uelut in prędam obijciuntur, et hoc agitur interim, ut in Germania cędes fiat, & eorũ, qui Chriſtum profitentur, cruore omnia redundẽt. Quod cum ità ſit, fore ſperamus, ut hanc noſtram uicem plęriq; omnes doleant & miſerentur, & aduerſarijs, qui ſolũ eò tendunt, ut apud nos extincta euangelij doctrina, ſicut alijs in locis ipſorum ditionis fieri uidemus, extrema ſeruitus nobis imponatur, minimè ſeſe coniungant, ſed tolerabili ſtipendio noſtra potius, quàm illa caſtra ſequantur, in quibus uerſatur antichriſtus Romanus & ipſius clientes, quorum hoc eſt præcipuum ſtudium, ut, uel cum internecione Germaniæ, doctrinam ſuam & impiam & impuram denuò ſtabiliant atq; confirment. Et quia poſt multam belli deprecationem, nullius adhuc criminis conuicti, cogimur uim iniuſtam à nobis depellere, cõfidimus adfuturũ eſſe Deum ueritati contra mendacium, & in hac ſua cauſa, belli ſummum Imperatorem atq; ſigniferum eſſe futurum aduerſus nefaria conſilia pontificis. Ei uidelicet rem omnem commendamus, &, ut ſanguinariorum conſilia retundat, ac nominis ſui maieſtatem, magis atque magis illuſtrẽ faciat, precamur. Eodem die ſcribunt ad Ioannem Marchionem Brandeburgicum: &, quia ſit fœderis proteſtantium, ut quidem ipſius literis doceri poſſit, deinde, quia priuatim ſit iam olim ipſorum confœderatus, monent, ne ferat arma contra ſe, uerùm ut ex pactis & pro ratione fœderis agat: nam alioqui fore, ut rem omnem euulgent, & quàm non ſuum faciat officium, publicè demõſtrent. Ad hęc ille, ſe militare Cæſari, neq; negare, quandoquidem ſibi cauerit, non peti religionem: ſe quidem eſſe fœderis Smalcaldici, uerùm Auguſtanæ tantùm confeſſionis ratione: quod ad priuatum fœdus attinet, in eo Cæſarem excipi claris uerbis: id cùm ità ſit, non eſſe, cur hanc ſuam militiam ægrè ferant, aut aliquid ab ſe contra fidem datam factum eſſe dicant. Eo dato reſponſo, illi publicum ſcriptum edunt, & inter alia, quod de Auguſtana cõfeſſione dixerat, refutant, & ipſius

literis docent, eum sibi socijsq; teneri opem ferre, si res in eum casum deueniat, & si quis aliam contra se belli causam obducat atq; simulet, uti nunc Cæsar facit. Itáque diligenter monent omneis, præsertim tribunos, centuriones atq; milites, ne suam operam illi, qui fidem uiolarit, addicant. Idibus Iulij, pontifex, euulgato scripto, multa locutus de sua solicitudine & affectu erga rempublicam, hominumq; salutem, de concilio iam inchoato, de pertinacia hæreticorum, qui contemnant illud atq; recusent, & pijs omnibus nefarium bellum indixerint, hortatur in uniuersum omneis, ut ieiunijs atq; precibus Deum solicitent, delicta sua confiteantur, & sacerdotem sibi quisque deligat quem uelit, deinde cœnam Domini percipiant. quò uidelicet Deus exoratus bene uertat hoc bellum, quod Cæsar & ipse necessariò susceperint ad extirpandum hæreses & restituendam ecclesię pacem. Porrò, quanquam Cæsaris hoc erat consilium, ut conductis undiq; copijs, quàm posset occultissimè, Smalcaldicos adoriretur prius, quàm essent instructi, tanta tamen erat illorum diligẽtia, tantus hominũ ardor et ad defendendum hoc bellũ alacritas, ut ad XVI Iulij diem Lantgrauius suas copias educeret in hostem, tametsi per inferiorem Germaniam Burensis Maximilianus exercitum iam propè totum haberet instructum, nec, in quem primum esset facturus impetum, constaret. Filium natu maximum Gulielmum, ad XVI annorum adolescentem, Lantgrauius, antequam è suis finibus exiret, Argentoratum misit, urbem præ cæteris ualde munitam. Abituro nunciabat Henricus Brunsuicensis è carcere, si quidem audire uellet, patefacturum se ipsi, quo tempore, & cuiusmodi essent huius belli fabricata consilia: Lantgrauius autem, qui callidè hoc ab ipso fieri putaret, offensionis minuendæ, uel consequendæ causa libertatis, respuit colloquium: at ille, nemini, præter quàm ipsi uni, rẽ uolebat explicare. Primus impetus, à superioribus Germanis, qui iam erant expediti, factus est in hostem, ex Vindelicis. Cùm enim crebris nuncijs adferretur, pontificis copias, iam superatis ferè alpibus, imminere Germaniæ, præuertendum illis esse iudicabant. sic autem res habet. Ex Italia uenientibus, per Tridentum est iter Oenipontem, Ferdinandi ditionis oppidum. Inde duabus omninò uijs in Bauariam itur, ubi tum Cæsar erat, uel secundo flumine Oeno, per Copstænum, uel ad læuam per medias alpes. Prope ad exitum alpium habet arcem Erebergum, editissimo loco positam, rex Ferdinandus, & ea est natura loci, propter angustias & crepidines uiarum, & præcipitem despectum, ut

qui

qui hunc aditum teneat, quantumuis magnas copias transitu prohibere possit. Contendit igitur eò cum mediocri manu, Iulio mense, Sebastianus Schertelinus, mandatu legatorum, qui Vlmę conuenerant, ut antè diximus, & ex itinere capta Fiessa, oppido episcopi Augustani, quod est ad Læchum flumen, aditū etiam illum & arcem, decima die Iulij, deditione facta per milites præsidiarios, occupat. Erat eius consilij, continuato itinere per alpes, Oenipontem etiam capere, & firmo præsidio munire: sic enim utramcę tenuisset uiam, qua uenitur in Germaniam ex Italia, & milite Cæsarem atcę cōmeatu, ijs quidem locis, intercluisset: sed in hoc tumultu, quum iussu Ferdinandi repente ad arma uocati essent omnes per agrum Tirolensem, magnæ manus conueniunt Oenipontem, ductore Francisco Castelalto, Tridenti prę fecto, & ad oppidi defensionem relicto præsidio, uias & aditus occupant. Itácę Schertelinus impositio in arcem Erebergum, & oppidum Fiessam milite, retrocedit, & cum suis deinde copijs ad eum exercitum, qui per superiorem Germaniam collectus, ad Danubium erat, proficiscitur. Hic exercitus, cui præerat Hedeccus, Dillingam, episcopi Augustani oppidum & arcem, deditione capit, & in fidem suam adigit, Iulij die xxiii. Sub idem tempus, Eistetensis episcopus Mauricius legatos mittit ad belli duces, & ut sibi suisęę parcant, orat: iter etiam per suos fines & commeatum pacto pollicetur. Infra Dillingam est oppidum Donauerda. hi de deditione solicitati, recusarant: missis autem eò copijs, quum uis adhiberetur, in Smalcaldicorum potestatem ueniunt. Interim Saxo & Lantgrauius cum suis copijs procedūt, & per Franconiam profecti, cùm Vuirciburgensis episcopus ipsis idoneè de non impediendo cōmeatu cauisset, ad socios contendunt. Erant tum in ipsorum castris, electoris Brandeburgensis & Mauricij ducis legati, de permittēda intercessione missi: cum autem illi rem ad socios reijcerent, nihil actum fuit. Qui commorantur Augustę, prędiuites mercatores, Fuggeri, et id genus alij, collectis rebus, urbe iampridem excesserant: & quia rumor erat, eos mutuò dare pecuniam Cæsari, hi qui tum erant Vlmæ legati, datis ad senatum Augustanum literis & missis internuncijs, quàm hoc sit indignum, demonstrant, grauitércę monent, dent operā, ne quid in posterū tale fiat. Senatus, illos iam antè, suo more, pecuniam fortè mutuò dedisse respondet, ne esset ociosa, quòd belli consilia nescirent: nunc autem existimare, neminē esse qui id faciat: nec enim impunè cuiquam futurum, si rescisca̅t. Erat id temporis Ratisbonæ, Cæsar, & præter Hispanos, ad millia tria, peditum

Germanorum millia circiter quinq;,& ad ſeptingentos equites,nullæ adhuc ad ipſum copiæ tunc conuenerant. Hiſpanos ex Pannonijs euocauerat:& erant illi,quos à pacificatione Sueſſionenſi, in Lotharingia hyemaſſe, ac deinde prope Argentinam facto itinere, ante annum in Vngariam iuiſſe, libro ſuperiori diximus. Facta nuper pace inter Galliæ regem & Anglum, opportunè proteſtantibus accidit, quòd milites Germani,quorum opera Gallię rex uſus fuerat,dimiſſi, tranſierunt ad ipſos,ductore Bichlingo Comite, & Georgio Recrodo,qui Lantgrauij erat beneficiarius. Saxonem atq; Lantgrauiũ, Cæſar, xx die Iulij, publicis literis proſcribit. Initio ualde prolixe commemorat,quantos hucuſque ſumpſerit labores, ut Germaniam in uniuerſum pacaret,cuiuſmodi fecerit eius rei decreta, quibus cautum ſit,ne qua uis cuiquam fiat,quacunq; de cauſa,uerùm ut legibus atq; moribus agatur:deinde,quomodo ſibi deuincti ſint,& quam fidem præſtare debeãt ordines Imperij,docet.Sed his,inquit,omnibus neglectis, Ioannes Fridericus elector Saxoniæ & Philippus Heſſiæ Lantgrauius,temerariò quodam auſu,ſtudium atq; laborẽ noſtrum omnem,pro republica ſuſceptum,ſingulis temporibus,quantũ in ipſis fuit,impediuerunt,neq; dicto fuerunt audientes,& non modò ſeſe mihi oppoſuerunt,ſed alios etiam ordines, ut idem facerẽt,& illicitas cum ipſis inirent coniurationes,impulerũt. Et Lantgrauius quidem, ſuperioribus aliquot annis, obducta qua neſcio cauſa, bellum inſtituit in quoſdam primi nominis Imperij ordines, & in ipſorum fines progreſſus, pecuniæ uim magnam extorſit. deinde, ambo ſimul, quendam Imperij principem,indicta cauſa,bello petitum,finibus expulerũt,occupata prouincia. Sed & epiſcopatus aliquot & prẹfecturas tam ſacras quàm ciuiles, quarũ domini ueteri conſuetudine ſunt ditionis Imperij, & onera publica ſuſtinent, & in ordinum conſeſſu locum obtinent,in ſuam ditionem perduxerunt,& adhuc quidẽ illos, cùm ſæpe meam fidem in comitijs implorarint, in ea ſeruitute detinent.Multos quoq; ſuis facultatibus atque prouentibus annuis ſpoliarunt, & alienæ ditionis homines in ſuam clientelam receperunt. nuper etiam audacia quadam ſingulari ſolicitarunt quoſdam ordines,ne ad iſta uenirent comitia,uidelicet ut actionem omnem impedirent,meiq; contemptionem excitarent. Et hæc quidem omnia tantò faciunt ſecurius atq; licentius, quòd iudicia contemnunt nec magiſtratum agnoſcunt aut uerentur.Nam ipſorum culpa ſummũ Imperij tribunal eſt ſublatum:tacent leges,& multo iam tempore ius nullum

dicitur,

dicitur, magno sanè cum dispendio plurimorum, & nouo prorsus atque inaudito exemplo. quódque omnium est grauissimum, agunt hæc omnia specioso illo & dulci nomine religionis, pacis atq; libertatis: his enim utuntur tanquàm pallijs atque uestibus, ut suas illas tegant actiones, quum interim nihil minus quàm religionis conciliationem aut Germaniæ pacem atque libertatẽ expetant. Certè, nullo scripturę loco docere possunt, ipsis licere, ut summo magistratui sese quocunq; modo pertinaciter opponant: diuersum uerò doceri potest tum sacris literis tum probatis historijs, nempe, priscos illos doctrinæ Christianę professores, qui suam fidem non uerbis tantùm sed factis etiam atque morte comprobarunt, prophanis quoque regibus obtemperasse. Quò certè minus licet istis, officiũ mihi suum denegare, specie religionis: & cùm denegant, apertè declarant, ipsorum esse consilij, ut diadema, sceptrum atque potestatem omnẽ mihi adimant, & sibi usurpent, & conturbatis omnibus, religionem, ius, pacem atque libertatem opprimant, & amplificati nouis honoribus atque facultatibus, in suam tyrannidem omneis cogant. Hoc enim ipsorum uerba testantur, plena minarum, libelli etiam atque picturæ famosæ, disseminatæ passim & in uulgus emissæ, magno cum nostri nominis ludibrio atque contemptu. Præterea, non solùm fœdera pacti sunt aduersum me, suis illis in conuenticulis, uerumetiam exteros reges in odium mei concitarunt, & clanculum ope consilióque iuuerunt. Non desunt etiam, qui recitare possint, quid moliti sint, ut Turcam in Germaniã excitarent. quod eò magis credi potest, quoniam ad ipsorum institutum ea res perquàm fuisset opportuna. His ergò factis, & fidem datam uiolant, qua mihi deuincti sunt, & munere nostri dignitatem conuellunt, & decreta omnia labefactant, quę certè nõ secus accipiunt, quàm si ideò facta sint, ut alijs uim ab se depellere non liceat, ipsis uerò solis permissum sit, uim cuique facere. Quamobrem in grauissimum illud læsæ maiestatis crimen, & in pœnas eo crimine dignas, legibúsque præscriptas, inciderunt: & quia nota sunt ipsorum facinora, nihil attinet ea demonstrare. Cæterùm, etsi pro authoritate, qua fungor, multò antè mihi licuit in eos, pro merito ipsorum uindicare, tamen, studio pacis, & motus uitandi causa, plurimùm illis indulsi, multa sępe concessi, magis etiam quàm deceret, in eóque & conscientiam meam non semel ipse læsi, & authoritatem mihi minui, et alijs parum bene consului. Sic ante annum quintum, Ratisbonæ, cum Lantgrauio, ante biennium uerò, Spiræ, cùm

Saxone egi clementissimè, nimirùm ea spe, futurum, ut hac immodica mea lenitate victi et tolerantia, desisterent tandem aliquandò à suis illis illaudatis consilijs, nec opus esset uiolentius aliquod remedium adhibere: cùm autem ipsa re, nihil esse profectum, & illos uerba mihi solùm dedisse, comperiam, eò quòd meis & Imperij decretis contemptis, & uiolatis pactis, obstinatè pergunt, & effreni quadam dominandi cupiditate facultates aliorum diripiunt, neq; legibus teneri uolunt, sed eò tendunt, ut omnem reipublicæ statum euertant: & uerò, nisi coherceantur, non modò non religio conciliari, sed nec reliquæ etiam reipublicæ partes constitui possint atq; sanari, cogor aduersus ipsos uti ea, qua sum præditus, potestate. Et quia de rebellione constat, ità quidem ut ipsi negare non possint, deinde, quia uiolenter agunt, neque iudiciũ ullum subire uolunt, equidem illos, uti perfidos, rebelles, seditiosos, lęsæ maiestatis reos, & cõmunis ocij perturbatores, proscribo, & statutum habeo in illos, ut meriti sunt, animaduertere, quò per ipsos mihi deinde liceat rempublicam constituere, & ea facere, quæ propriè sunt mei muneris. Itáque mando, ne quis opem illis ferat quocunque modo, neque se causæ ipsorum adiungat: qui secus fecerint, & fortunarum & uitæ discrimen adibunt: quíque iam fortè profecti sunt, ut illis militent, redeant quamprimùm: mihi uerò subministrent omnes auxilia, neque fœdere uel pactionibus priuatis impediri se patiantur. nam hæc omnia rescindo. Deinde nobilitati atque populo ditionis ipsorum, fidẽ atque iusiurandum, quo sunt eis deuincti, remitto, & publica fide caueo, si morem gerant: qui recusant, eodem modo, quo illi, plectentur. Iulij die uigesimo secundo, Gerardus Velduuichus, Ratisbona remittitur Constantinopolim, quum nuper inde uenisset. Cæsar, quum hic nihil decerni posset, in calendas Februarias anni sequentis, Imperij cõuentum transfert. De literis pontificis, missis ad Heluetios: antea diximus: has ubi legatus pontificius, Hieronymus Franchus accepit, Luceria transmittit, & simul ipse uigesimo quinto Iulij die scribit. ante triduum sibi redditas esse pontificis & senatus cardinalium literas: & quanquam eiusdem prope sint sententiæ cum superioribus aliquot illius epistolis, tamen, quòd aliquid habeant præterea, celeriter ad ipsos mittere iam exemplum, & in proximo conuentu uelle archetypum exhibere: ac quoniam in eo fœdere, quod nuper ad exitum Iunij pontifex atque Cæsar inierunt, locus etiam sit relictus alijs, qui uelint in eam societatem uenire, deinde, quia conue-

nit,

nit,ut Cæsar prius experiatur,num absq; bello possint ipsius & Romanæ sedis aduersarij ad sanitatem & officium reduci,põtificem admodum ab ipsis flagitare, ut claris uerbis pronuncient,an huius esse fœderis,& an Tridentini cõcilij decretis obtemperare uelint: cúnq; diem sibi constituerint,ad proximum Badenæ conuentum,quo die ad superiora postulata sibi respondeant, ideò se, nunc etiam hæc ad ipsos perscribere,ut interea deliberent: orare igitur, per sanguinem Christi seruatoris,ut diligenter secum expendant,quàm sit hoc futurum glorioſum,quàm salutare tum ipsis tum ipsorũ liberis,si & incendium hoc per Germaniam unà restinguant, & concilij decreta laudent. Quòd fœderis causam põtifex enunciarit, callidè factum esse nonnulli putant,ut hac ratione Cęsarem summis difficultatibus obijceret: molestè quidem ipsum tulisse,quòd Cæsar aliam belli causam præ se ferret,certum est,ut infrà dicetur. In hoc tempore,Bauarię ducis filius Albertus,Ferdinandi regis filiam,Annam,alteram uerò, Mariam, Gulielmus dux Cliuensis, in matrimonium ducit. Quum enim Nauarricã Cliuensis frustrà speraret ex Gallijs,ut antè diximus,indultu pontificis, ut aliã duceret, permissum ei fuit. hanc ergò duxit,& fuerunt utriusque nuptiæ peractæ Ratisbonę, medijs in turbis atque motibus bellorum. Vtrunque matrimonium ad nouum necessitudinis uinculum pertinebat. Confessui patrũ, Tridenti dictus fuit dies, ut suprà docuimus, ad exitum Iulij, sed dilata res fuit in anni sequentis initium,ut suo loco dicetur. Erant autem Tridenti, præter cardinales, pontificis legatos, & Tridentinum atque Pachecum Hispanum,archiepiscopi quatuor, episcopi triginta tres, & in his duo Galli, quinque Hispani, Illyricus unus, reliqui omnes Itali. Theologi doctores, monachi, XXXV, ex alijs uerò non monasticæ professionis, duodecim, plærique omnes Hispani. Cæterùm, in quatuor illis archiepiscopis erant duo,uelut personati, Olaus Magnus, Vpsalensis, Robertus Venantius, Scotus. id autẽ sic accidit. Cùm Sueciæ rex Gustauus, Daniæ finitimus, religionem mutaret, quod fuit anno circiter M. D. XXXVII, Ioannes Magnus, archiepiscopus Vpsalensis, qui mutationem illã improbaret, relicta patria, Romã confugit,eóq; uenit mediocri cum comitatu. Venetias profectus deinde, factus est eius ciuitatis patriarchę uicarius, & ut uulgò dicunt,suffraganeus. Eam uerò conditionem postea pertæsus, Romam reuertit,& in angustias redactus,quum diuenditis equis familiam ferè totam dimisisset,à Paulo põtifice collocatur in hospitali do

mo, quam uocant, ſancti ſpiritus, in eáq; tenuis atque pauper uitam finijt. erat cum eo frater Olaus: huic pontifex archiepiſcopatum illũ Gothicum, licet extra commercium eccleſiæ Romanæ poſitum, confert, & cõcilio intereſſe iubet, & ad uictum quotidianum aureos dat menſtruos quindecim. Alter ille, Scotus, cùm archiepiſcopatum Armacanenſem eſſe in Hibernia pontifici demonſtraſſet, titulum eius fuit ab illo conſecutus. erat autem cæcus, & tamen non ſolùm miſſificabat, uerumetiam per celeres equos currebat. hos ergò duos pontifex in cœtu patrum eſſe uoluit, oſtentationis cauſa tantùm, quaſi duo iſti populi tàm longinqui, Gothi & Hiberni, poteſtatẽ ipſius agnoſcerent, cùm illi reuera, præter umbrã & nudum titulum, nihil haberent. De Mauricio ſuprà diximus quemadmodum poſt priuatũ cum Cæſare colloquium, Ratisbona diſceſſerit: ubi domum reuertit, ſubſequente paulò pòſt Ferdinando rege, Pragam ad illũ proficiſcitur. Auguſti deinde menſis die primo, Cæſar, proſcriptionis, quam ſuprà diximus exemplũ Mauricio Ratisbona mittit, & datis ad ipſum atq; populum cõmunibus literis, eadem ferè, quæ proſcriptionis tabula cõtinentur, cõmemorat: & quia proſcriptis agnatione ſit & neceſſitudine cõiunctus, ità quidẽ, ut in illorum poſſeſſiones atq; bona, ius aliquod ſibi fortè uendicare poſſit, grauiſſimis uerbis mandat, ut ſibi in occupandis illorum prouincijs adſit totis uiribus, imò, ut ipſe quàmprimum occupet omnia, & ſui iuris tuendi cauſa detineat: nam alioqui fore, ut occupantis omnia fiant, quicunq; ſit ille, nec quicq; ei proſit ius agnationis atq; pactorum: deinde, propter contemptum imperium eandẽ ſubiturum eſſe pœnã, quam illi. nobilitati autem atq; populo mandat, ut edicto pareant, & fidelẽ operam principi nauent, eadẽ conſtituta pœna. Quas Mauricio ſcripſit, Auguſto etiã fratri cõmunes erant literæ. Smalcaldicorum exercitus iam omnis ad Danubiũ peruenerat. ibi Saxo, Lantgrauius atq; belli conſiliarij dant literas ad Gulielmũ Bauariæ ducem, Auguſti die tertio. ut de Cæſaris apparatu bellico multa dicant, nihil opus eſſe: ſcire enim ipſum rem omnem: & quanquam nullũ officij genus erga Cæſarem prætermiſerint, nec offenſionis ullã ſubeſſe cauſam exiſtimarint, tamen ex illius reſponſo & aliorum ſermone multò ante accepiſſe, illum cogitare ſibi facere bellum, quaſi minus fuerint obedientes, cùm interim neque ſint ullius conuicti criminis, neque uim cuipiam fecerint: & ut maximè uerum ſit quod ille crimen intentat, non tamen ei licere, niſi cognita prius cauſa, rem armis experiri: ſed

hoc

hoc illius institutum esse contra ius & leges Imperij, contra pactionem, contráque morem superioris ætatis: nam si quid haberent Cæsares aduersus aliquem ordinem, id semper ad publicam cognitionem deferre consueuisse: scire ipsum, à multis nunc annis inita fuisse uaria consilia, quò Germaniæ sua libertas eriperetur: neque dubium esse, quin hoc etiam bellum eò spectet: Iam uerò, licet studium retinendæ communis libertatis, adhuc quidem semper in ipso animaduerterint, & quanquàm nuper admodum de sua erga ipsos uoluntate multa pollicitus, nunciarit non se permissurum iter externo militi, tamen ad se deferri, iam ipsum & dedisse iter, & alimoniam etiã atq; tormenta subministrasse, & hostium copias in oppida sua recepisse: id sanè dolere sibi non mediocriter, & existimare, falsis criminationibus ei persuasum esse, ut ità faciat: quum autem suis libellis nuper editis abundè demonstretur, quàm iniquè Cæsar agat, & quàm multæ pactiones tum publicæ tum priuatæ hac una re uiolentur, cõsidere se, tuendæ causa libertatis, ipsum ope consilióque sibi non defuturum, præsertim, quum eius rei spem nuper fecerit per internunciũ: Cæsaris ergò milites è suis oppidis Ræno & Ingolstadio migrare iubeat, aut sibi tantundem præsidium ijs locis imponere permittat: det iter tutum per suos fines atque commeatum, de eóque sibi caueat per literas: & licet non denegaturum putent, petere tamen, ut intra diem quintum respondeat: etenim si secus faciat, capiendum sibi esse consilium ex tempore. Ad septimum Augusti diem, Mechliniæ, quod est Cæsaris ditionis oppidum Brabantiæ pulcherrimum, puluis tormentarius in turri quadam in mœnibus dispositus, à fulmine correptus & incensus, ipsam turrim primùm à fundamentis euertit, proxima deinde ædificia, intra & extra urbem, ad quingentos amplius passus in circuitu inuasit, ex ijs plæraque incendit, plurima euertit, diruit ac disiecit, nonnulla concussit ac disrupit, atque ex his lapides ingentes correptos, plæroſque ad sexcentos passus longè abiecit, atq; ità corruptis tectis ac denudatis, uitreis fenestris per omneis uias concussis atq; fractis, totã propemodum urbẽ deformauit, arbores radicitus euertit et ambussit. perierũt in ea calamitate homines plus minus ducenti, partim incendio absumpti, partim ruinis ædificiorũ ac lapidibus et tegulis obruti, prẽter eos, qui grauiter uulnerati mortẽ effugerant, quorũ ingens erat numerus. ex his complures biduo ac triduo, nonnulli quatriduo pòst, è cellis subterraneis, in quas confugerant, plęríq; mortui, qui uel fame uel spiritu præcluso

extincti erant, pars uiui, qui penu ibi condito, inuento uitã toleraue-
rant, reperti atq; extracti sunt. præterea ingens numerus iumentorũ
atque pecorum cum stabulis deflagrauit. murus autem, qua parte
turris steterat, ad ducentos amplius passus dirutus ac solo fuit ęqua-
tus. Heluetij, ad nonum Augusti diẽ, iterùm Badenæ cõueniunt,
& protestantium legatis, quos tunc adesse iusserant, ut suprà dixi-
mus, quarto post die respondent, nõ quidem omnes, uerùm illi, qui
sunt religionis pontificiæ. dolere sibi plurimùm istud inter ipsos at-
que Cæsarem excitatum bellum, neque esse, quod potius uelint aut
magis optent quàm pacem: ideóque nolle prorsus immiscere se huic
bello, nec in alterutram inclinare partem, sed arcere à suis finibus mi-
litem externum, & transitu prohibere, & suos continere domi, quan
tùm quidem possint: ideóque iam edixisse grauiter, ne quis militet,
sed ut omnes imperium magistratus expectent, & ad patriæ defen-
sionem intenti sint: nihilo tamen secius abijsse multos in militiam,
quos ipsi conduxerint: id sibi esse permolestum: itáque rogare, ut
& illos dimittant, & domũ redire patiantur. Præter superiora pro-
testantes hoc etiam tunc postulauerant ab illis, ne uenirent in fœdus
illud Cæsaris atque pontificis, néue militem ullum eis auxilio mitte-
rent, quod pontifex inprimis solicitabat, sed ut sibi, qui bellum iniu-
stum defendere, & ab se propulsare cogantur, opem ferrent. Et mul
ta locuti de pontificis iniquitate, qui & præsidere concilio, & simul
iudex esse uelit, & illud habeat in loco ad iniuriam opportuno, per
occasionem referunt de nece Ioannis Diazij, et facinus illud tàm hor
rendum non modò non uindicari in hunc usq; diem, sed etiam à mul
tis ità laudari, quasi præmio dignum sit, ostendunt: eam rem esse in-
dicio, quàm non sit ipsis consultum atque tutum ad ea loca uenire,
ubi summam rerum obtinent aduersarij, & in his episcopus Triden
tinus, nuper factus cardinalis, & pontifici nõ uno modo deuinctus.

Quia protestantes iam cum omnibus copijs erant ad Danubiũ, si-
cut diximus, Cęsar, qui nondum esset instructus, Augusti mẽsis ini-
tio, relicta Ratisbona cum prędidio, Landishutũ petit, Bauarię ducis
oppidum, ad Isaram flumen, et pro mœnibus castra ponit. Donauer
da, Saxo, Lantgrauius atque socij, missis literis, Augusti die undeci-
ma, quo sint in ipsum animo, iuxta belli morem atque legem denun-
ciant, & superiori, inquiunt, mense, per epistolam nos apud te pur-
gauimus, Carole Cæsar, de ijs, quorum incusamur: ac licet æquum
erat, ut aut bellicum apparatum intermitteres, aut saltẽ belli causam

explicares,

explicares,& nobis inuicem auditis,pro more Imperij,próque data fide abs te per iusiurandũ,ageres, tamen, quia nihilo minus pergis, coacti sumus & ipsi uenire ad arma,uim istam iniustam, tuáque personam indignam depellendi causa: quod enim euangelij doctrinam simul & Imperij libertatem petas, uarijs tuis actionibus demonstrari potest. Scis enim ipse, cuiusmodi consilia multis nunc annis,cum antichristo Romano & cum exteris regibus tractaris, ut eos uel tibi coniungeres,uel in nos excitares. Deinde, non consulto senatu principum & ordinum, inducias feciſti cum Turca, planè contra promissum. etenim cum auxilia tibi daret in Galliæ regem,ante annum secundum, Germania,confirmabas,eo finito bello,te ipsum esse cum exercitu profecturum aduersus Turcã: sed nunc pactus es cum illo, nimirùm,ut eò commodius, quod constitueras,aduersum nos persiceres. Et iam in his Ratisbonæ comitijs,nouum huic rei colorẽ atq; speciem induxisti,prolixè multa locutus de tuo erga Germaniam & communẽ patriam studio atque uoluntate, déque contumacia quorundam. quod eò uidelicet faciebas, ut nos, qui religionis nomine cõfœderati sumus,alios ab alijs diuelleres.Nam neglecti à nobis officij crimen nullũ docere potes,& causę diffidẽs, nõ citasti reos,ut sese cognitioni senatus Imperij sisterent, imò, ne nominasti quidẽ illos: atque interim tamen datis literis ad diuersos principes atque ciuitates,callidè simulabas,quasi non religionis,sed contumaces quosdam cohercendi causa,bellum parares: religionem autem abs te peti, uel ex eo satis apparet, quòd concilium apud pontificem solicitasti, in quo præter clientes atque beneficiarios illius, nemo locum habet. fuerunt in eo consessu pauci quidã, aliquantò liberiores in dicendo, sed inuenta ratio fuit, ut ijs reuocatis atque submotis alij summitterentur nequiores. Cuiusmodi etiam decreta Tridentini patres, aliquot iam consessibus fecerint,notũ est omnibus: non est igitur hoc illud conciliũ, toties promissum in comitijs, ut ante annũ Vuormaciæ tibi demonstrauimus:& quæ tunc à nobis dicta fuerũt,iam repetita uolumus: quòd etiã tui sit propositi,cogere nos, ut conciliũ approbemus, doceri potest literis põtificis nuper missis ad Heluetios, quibus ualde queritur de multis per Germaniam, qui concilij dignitatem proijciant, & hanc dicit esse causam, cur armis rem experiri uelit: & quoniam eadem de causa tu quoque belligerari constituisses,peropportunè sibi dicit hoc accidisse,atq; ideò uelle tum suas tum ecclesiæ Romanæ uires omnes atq; facultates huc impendere,

Cùm ergò propoſitum illud tuum, quod alia quæſita ſpecie tegere uolebas, pōtifex patefecerit, quis amplius dubitet, religionem peti? Nos quidem nullius facti nobis conſcij ſumus, quod uel publicè cognoſci recuſemus, uel non poſſimus excuſare: ſed erat tui muneris, exemplo maiorum, ſiſtere nos ſenatui principū, & rationes noſtras inuicem audire: neque decebat, ut ad hunc modum nobiſcum ageres, uocares ad comitia, proponeres de republica, cōſilium noſtrum exquireres, atque interim belli rationes cōtra nos inires. Quid enim hoc rei eſt, dimiſſo Turca, belli furorem omnem in nos conuertere, quaſi multò ſimus illo deteriores? atqui confidimus omninò fore, ut hoc tam indignum facinus impediat Deus atque retardet: etenim, ſi qua fuit inter te, Ferdinandum fratrem atque nos offenſio uel ſimultas, ea fuit tota ſublata Cadami, Viennæ, Ratisbonæ, Spiræ: pingas ergò licet & ornes, quantum uoles, hoc tamen certò ſcimus, nullam aliam ſubeſſe cauſam, niſi ut oppreſſa uera doctrina, libertatem amittat Germania. Scribis tu quidem ad diuerſos, & conaris perſuadere, quaſi ualde cupias euangelij doctrinam propagari, ſed academię Louanienſis dogmata, tuo iudicio confirmata, deinde piorum hominū ſupplicia, tuis in ditionibus, & iſta cum antichriſto Romano facta cōfœderatio, demonſtrant ſatis atque loquuntur, quid tui ſit animi, nimirùm hoc ipſum, ut uniuerſum pontificatum recuperes atq; confirmes, extincta uera doctrina, quā ſumus Auguſtę profeſſi. Quod cùm ità ſit, & quia fœdus eò fecimus, ut in hac religione permanere nobis liceat, & ut eam coniunctis animis tueamur, etiamſi quis aliam offenſionis cauſam aduerſus aliquē ex nobis obducat, neceſſariò nobis hæc ſuſcipienda fuit defenſio, quam & diuinum & naturæ quoque ius nobis concedit atque tribuit. Et quanquàm propter hoc tuū inſtitutum nullo tibi ſumus aſtricti uinculo, nec opus idcircò fuit, ut quid noſtræ ſit uoluntatis, tibi denunciaremus, tamen amplioris cautionis loco renunciamus eam tibi, qua deuincti fuimus, fidem & officium, non quidem ut Imperij ius atque commoda deminuamus, uerùm ut ea conſeruemus potius. hoc ergò profitemur palàm et more ſolenni, ſic animo parati, ut tuum hoc atque ſociorum bellum à nobis depellere cogitemus. etenim in cauſa tam pia, támq; honeſta nullum debemus recuſare periculum. Hanc epiſtolam per adoleſcentē quendam nobilem atque tubicinem, uti fieri ſolet, ad Cæſarem mittunt in caſtra prope Landishutum: ille autem non modò non accipit, uerumetiam iubet capitis denunciata pœna, ut eam ſuis referant.

hoc

hoc insuper addit, si quis in posterum ab illis ad se ueniat, fore, ut loco muneris atque torquis aurei, laqueum ab se ferat: deinde, proscriptionis tabulam, de qua dictum est, illis tradit, & grauissimis uerbis mandat, ut suis eam reddant. Prius quàm hanc epistolam mitterēt, disputatum fuit, quomodò Cæsar esset affandus: & Saxo quidem non ei tribuendum esse Cæsaris cognomen, alioqui cum eo belligerari nō licere: Lantgrauius uerò contrà sentiebat: & habebant uterque sui dicti comprobatores: tandem hæc fuit inuenta ratio media, ut illum appellarent uelut eum, qui sese pro Cæsare gerat. Postea, quo sit eundum, deliberatur: erant qui Landishutum dicerent, ubi Cęsar erat: cùm autem periti regionis docerent interesse paludes, ità quidem, ut angustis admodum uijs, per unum & alterum subinde milliare singulis eundum esset equitibus, mutato consilio, Ratisbonam ire statuunt, ubi Cæsar & præsidium reliquisset & tormenta: nam & castris ibi deligi locum idoneum, et, si Cęsar obsessis opem ferat, de summa rei posse cum eo dimicari. Promotis ergò castris, pergunt, sed lentè admodū: & sub illud ferè tempus, quod fuit ad idus Augusti, Landishutum ueniunt Itali seu pontificij milites, maxima cum Cęsaris expectatione, qui de Smalcaldicorum progressu certior factus, dimissis nuncijs, illos, ut accelerarent, hortatus fuerat. Peditū erant millia decem, equites leuis armaturę, quingenti. His omnibus copijs, nepotem suum ex filio, Octauium Farnesium, pontifex præfecerat. ei militabant magni nominis duces, Alexander Vitellius, Ioannes Baptista Sabellus, Sfortia Palauicinus, Fridericus Sabellius, Paulus Vitellius, Iulius Vrsinus, Alexius Lascaris, Hieronymus Pisanus, Ioannes Maria Paduanus, Nicolaus Plumbinus, Nicolaus Petilianus. Cum hac manu, Florentiæ dux Cosmus Medices unà mittebat equites ducentos, Rudolpho Balione, & Ferrariæ dux Hercules, centum, Alfonso fratre notho, ductore. Octauio pontifex fratrem adiunxerat cardinalem Farnesium Alexandrum, uelut inspectorem consiliorum Cæsaris, & impulsorem atque flabellum etiam. Discedens ex Italia Farnesius, dixisse fertur, se tantam esse daturum stragem per Germaniam, ut in Lutheranorum cruore uel natare possit ipsius equus. Non multò post, aduenerunt etiam Hispani, quos ab Insubria & Neapoli Cęsar euocauerat, circiter millia sex, ueterani omnes. His pręerant Philippus Lanoius, princeps Sulmonensis, Aluarus Sandæus, Alfonsus Viues, Iacobus Arzius. Cæsaris erat legatus Ferdinandus Toletanus, dux Albæ: post hunc pro-

ximum locum habebat Ioannes Baptista Castaldus. Cardinali Augustano demandata fuit annonæ præfectura. Militabant etiam Cæsari Maximilianus Austriacus, Emanuel Philibertus, Sabaudię ducis filius, Ericus dux Brunsuicensis, & Henrici captiui filius Philippus, Georgius dux Megelburgius, Georgius dux Brunsuicensis, Henrici frater, uir ordinis ecclesiastici, Fridericus Furstembergius, Renardus Solmensis, & alij complures. In protestantium castris erant Ioannes Ernestus, electoris Saxoniæ frater, Ioannes Fridericus, electoris filius, Philippus dux Brunsuicensis cum quatuor filijs, Ernesto, Alberto, Ioanne, Vuolfgango, Franciscus dux Luneburgensis, Vuolfgangus princeps Anhaldius: Christophorus Hennebergius, Georgius Vuirtębergicus, Albertus Mansfeldius cum duobus filijs Ioāne & Volrato, Ludouicus Oetingensis cū filio, eiusdem nominis, Gulielmus Furstembergius, Christophorus Oldenburgius, Hubertus Bichlingus, Hedeccus, Comites omnes: Recrodus, Rifebergius, item Heluetiorum octo signa. Cùm igitur omnes iam cōueniissent copiæ, præterq; eæ, quas ab inferiori Germania Burensis ducebat: Cęsar, illinc profectus, Ratisbonā petit. eo cognito, statim oborta fuit suspitio nōnullis, quasi in Misniā atq; Saxoniā cogitaret: cōfectis ergò pōtibus, in alterā Danubij ripam Smalcaldi corū transportatur exercitus. progressis aliquantulum uersus Norgouiā, nuncius adfertur, Ratisbona Cęsarē contendere Ingolstadiū: ibi cōuersa ratione, per loca salebrosa & aspera, Danubiū repętūt, ne Nuburgū, quod est supra Ingolstadiū tribus milliaribus, & Donauerdam Cæsar occuparet, inq; Virtembergicū agrum iter haberet expeditū. Vbi Nassefelsum uenissent, Lantgrauius postridie nō magno cū comitatu progreditur, ut Ingolstadiū contemplaretur, ignarus ibi Cęsaris esse copias: nā de paucis tantùm Hispanis ibi pręsidiarijs acceperat, eósq; uolebat ad pugnam prolectare: sed dum pergit, Sulmonensis principis equites aliquot prodeunt: impetu facto, desiderati sunt utrinq; nōnulli, uulnerati uerò plures: è captiuis cognitū est, Cęsarē eo die castra facturū esse ad Ingolstadiū. Lantgrauij factū hoc elector Saxonię molestè grauitérq; tulit, et si quid eiusmodi post hac ipso faciat incōsulto, discessurū se profitetur. Copijs deinde productis omnibus in aciē & instructis, quasi pręlio dimicandū esset, in castra milite reducunt. Nocte sequenti, per primā quietē, in Hedecci castra, qui Saxoni fuerat attributus, irruunt Hispani, et pedites ad cētum interficiunt; ex ipsis quoq; nōnulli desiderati sunt, itáq; magna

fuit

fuit in omnibus castris excitata turba, quæ tenebris etiam augebatur. Postridie, qui uigesimus nonus erat Augusti dies, aliquot emittuntur centuriones atque duces, qui situm castrorum hostilium cognoscãt. In hos eruptionem ex improuiso faciunt equites Itali: cúmque multi cecidissent utrinq; illi, nulla re perfecta, redeunt in castra. Lantgrauius igitur altera luce, paucis aliquot comitatus, ex omni numero delectis, ut aliquid certi cognosceret, exit, & uado reperto, quod nullum esse dixerant ante ipsum emissi speculatores equites, redit ad Saxonem, & equitatum traduci posse renunciat. Pridie calendarum igitur Septembris, prima luce pergendum, & occupandum locum editiorem, ubi specula fuit Ingolstadiorum aliquandò, & tormentis agendum esse placuit, si fortè Cæsar ad prælium elici posset. Multa iam nocte, Saxo, per interuallũ, bis Lantgrauio nunciat, abiisse Cæsarem, & fumare castra: sed ille, cùm fidem ei rumori non haberet, quinque cohortes equitum suorũ emittit, ductore Gulielmo Schachto, qui uadum occupent, & traducendis tormentis atque peditatui pontes efficiant: aliquantò pòst, ipse cum reliquis copijs omnibus atque tormentis magna celeritate sequitur. Vbi uentum est ad flumen, Schachtus ei nunciat, Cæsarem non se commouisse loco: cùm id ad Saxonem deferri curasset, progressus, collem illum, de quo dictum est, occupat, & tormentorum ibi partem collocat: copias etiam ad læuam atq; dexteram distribuit: idem deinde Saxo facit, ubi cum suis eò uenisset.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare, Liber XVIII.

DE MAXIMILIANO BVRENSI DICTVM EST ANtea: is omni confecto exercitu, qui erant, equitum, ad quatuor, peditum ad decem millia, & in his aliquot Hispanorum atque Italorum cohortes, qui Britanniæ regi contra Gallum militauerant, Augusto mense progressus è Belgio, supra & infra Moguntiam, & ubicunque nauium esset facultas, Rhenum transmittit, licet ad alteram ripam essent à Smalcaldicis copiæ dispositæ, Chri-

ſtophoro Oldeburgo & Rifebergo ductoribus, qui tranſitu illos prohiberent. Archiepiſcopus Moguntinus non minimum hucattuliſſe momentum putatur. Vbi iam Smalcaldicorū exercitus omnis cōueniſſet eo, quem diximus, loco, cœptum eſt omnibus tormentis in caſtra Cæſaris fulminari, & uehementiſſimè quidem. Ibi tum Lantgrauius, conuocatis ad Saxonē belli conſiliarijs atq; ducibus, quòd ſi penes me ſolum, inquit, eſſet adminiſtratio, ſicut tunc erat, quandò Vuirtembergicū reſtitui, duabus equidē cum legionibus hoſtem adoriri primò uelim, & foſſoribus adductis, munitiones illorū diſturbarem, & ſummis deinde copijs impreſſionem facerem. Variantibus ibi ſententijs, cùm alij diſſuaderēt, ut rem ſummi diſcriminis: alij nō improbarent quidē, modò ut ab Ingolſtadijs, qui tormentis abundabant, nihil periculi ſit metuendum, & equitatus etiā adhibeatur ſtatim initiò pugnæ: nihil actum fuit. Quod quidem ità reprehenditur à multis, ut hic error, & ipſorū calamitatis, et uictorię Cæſaris initium atque cauſa fuiſſe putetur. Nam & equitatu longè ſuperabant, & humili tantùm foſſa, Cęſaris tum erant munita caſtra: cùm autē eius diei fulmen & impetū Cæſar ſuſtinuiſſet, nocte ſequenti caſtra ſic cōmuniuit, ut maiori deinde fiducia rem ageret, ac tempeſtatem omnē multò commodius ferret. Incredibilem uerò Cęſaris aiunt fuiſſe fortitudinem in hoc tanto diſcrimine, quum non modò timoris nullam daret ſignificationē, ſed ſuis etiam animum adderet, eandē ſubire paratus, quam illi, fortunam. Quomodò Cęſar, per ſuū in Burgundia quæſtorē ſolicitarit Heluetios, libro ſuperiori diximus: ad ea poſtulata reſponſum fuit in eo cōuentu, quem Auguſto menſe Badenę fuiſſe docuimus. nō ſe diſceſſuros ab eo fœdere, quod ſit ipſis cū Auſtriaca & Burgundica domo: deinde, qui ſint ex ipſis iam in militiā profecti, reuocare, ac niſi pareant, uelle mulctare pro eo ac decet. Hunc ad modū reſponderunt nouem pagi, qui pontificiæ ſunt, uti diximus, religionis: Tigurini uerò & Bernates & Baſilienſes & Schafuſiani, quia literæ Cæſaris atq; pontificis non eandē belli cauſam referant, deinde, quia Cæſaris atq; pontificis cōfœderationis exemplū, ipſis à legato pōtificis exhibitū, clarè dicat, religionis proteſtantium extirpandæ cauſa bellum ſuſceptū eſſe, legato Cæſaris dicebant, uelle ſe deliberare quid reſpōdeant, & expectare, donec à Cæſare fiant certiores, an religionem ipſis integram et ſaluam permittat.

Hoc ubi Cæſar accepit, Auguſti die uigeſimo ſeptimo dat literas ad eos, è caſtris ante Ingolſtadium, quòd non idem cum alijs reſpon

derint,

derint, nõ uidere se causam,& aduersariorum dolis hoc esse factum, existimare: nam audire se, quemadmodum in superiori cõuentu Badenæ conati sint ipsis persuadere, quasi non mulctandi causa principes rebelles, uerùm aduersus aliquot ciuitates bellum hoc susceptum sit, quò scilicet ope pontificis, euangelij doctrina simul & Germaniæ libertas opprimantur: audire etiã, quomodò solicitauerint ipsos, nõ solum de auxilijs contra se, uerumetiam de fœdere, cuius & spem esse factam intelligat,& fore, ut eis in proximo conuentu planè respondeatur: iam uerò, quæ sit causa belli, quoniã hoc suis è literis, & priuatim ad eos scriptis,& palàm editis intellexerint, non esse quòd hic repetat: quòd enim religionis nomine molestiam ulli fecerit, aut rebellionis causam dederit, non posse doceri: sed statim ab initio, quũ bellũ pararet, amanter egisse atq; benignè cum plerisq;, magis etiã, quàm uel suã personam, uel illorum conditionẽ atq; gradũ deceret: nec esse, quòd rebellionẽ suam purgent, eò quòd pontifex opem sibi ferat: etenim nõ Italię modò, sed Germanię quoq; principes aliquot, & ex nobilitate complures, honestissimis familijs procreatos, et quidem in ijs nonnullos, Augustanæ cõfessioni coniunctos, auxilia sibi dare,& uitã atq; sanguinẽ in hoc bellum impẽdere: quòd certè minime sint facturi, si quidẽ res ad hunc modũ haberet, ut seditiosi falsõ dicãt: quòd autẽ illi semper eò spectarint, ut religionis obducta specie, supremum magistratũ conuellãt,& oppressa religione ac libertate Germaniæ reliquos ordines in seruitutẽ redigãt, id plurimis ipsorum actionibus ità iam esse notũ, ut ampliori demõstratione nihil sit opus: nimirùm, sub dulci nomine religionis, in suũ fœdus pellexisse potissimas Germaniæ ciuitates,& earum copijs atq; facultatibus instructos, aliorum occupasse ditiones atq; bona: quomodò etiã nunc grassentur,& alienæ ditionis homines in suas partes cogant,& multos in sua religione impediant, & ad aliud uitæ genus cogant, in carcerem etiã & uincula conijciant, & grauissimè cõminentur, & templa dispolient, rem ipsam loqui: hanc uidelicet esse causam, cur ipsos de fœdere solicitent, ut hac ratione amplificati, cõmodius, quod animo destinatum habent, perficiant: non autẽ dubitare se, quin & hęc ipsi uideant,& quid commodi uel incõmodi sit ab illorum expectandum societate, satis intelligant: quòd cùm ità sit,& quoniã de sua uoluntate, déq; belli causis compertũ habeant, confidere se, futurum, ut & fœdus illorum repudient,& militem domi contineant,& eos, qui iam in militiam abierunt, denunciata pœna domum reuocent, & in

antiqua fœdera nihil committant, sed reliquorum exemplo, pacem & amicitiam colant: hoc & ad ipsorum pertinere laudē, & sibi quoque futurum esse pergratum. Ad eas literas illi eodem ferè modo, ut suprà legato respondisse diximus, rescribunt, & ut interpositam moram boni consulat, orant: et quia neque religionem neque patriæ libertatem hoc bello peti confirmet, se quoque dicunt inuicem factu ros quod se deceat: etenim, si qui suis è finibus in militiam abierunt, id nullo suo permissu factum, sed clanculum illos esse profectos, ut antea non semel: suæ autem esse consuetudinis, non quidem illos reuocare, qui se nescientibus & inuitis abierunt, sed, ubi domum reuerterint, mulctare. Sicut Heluetios, ità quoq; Bohemos Lantgrauius atque Saxo solicitabant: hi uerò sic respondebant, ut facilè appareret, ipsorum animos esse iam criminatione Ferdinandi regis præoccupatos. Id quum ex eorum literis illi cognouissent, sub exitum Augusti rescribunt, & religionem hoc bello peti demonstrant, & libellos ab se nuper editos ea de re, mittunt, & ne quid hostile contra se faciant, petunt, & quid sit ipsorum uoluntatis, nunciari sibi flagitant.

Sub idem etiam tempus edunt scriptum, & à fide dignis ad se deferri dicunt, pontificem, antichristum Romanum, organum sathanæ, huius authorem belli, qui superioribus aliquot annis, per incendiarios conductos, igni Saxoniam grauiter afflixerit, nunc emisisse ueneficos, qui puteos & aquas stagnantes corrumpant, ut quod ferro supererit & armis, hoc isti ueneno perdant. Itáq; monent in uniuersum omneis, præsertim suæ ditionis homines, dent operā, ut emissarij illi comprehendantur, & subiecti tormentis, quum de scelere constabit, pœnam luant. Aliquot deinde pòst diebus, electoris filius, Ioannes Gulielmus, euulgatis literis, monet suos, ut sibi diligenter caueant. nuper enim non procul à Vinaria, oppido Turingiæ, comprehensum esse quendam ex suspitione, Italum, qui sibi & nonnullis alijs Romæ datam esse pecuniam fateatur nomine pontificis, ut incendijs atque ueneno, quantùm omninò possent, per Germaniā damni darent. De proscriptione, & quomodò Cæsar eius formulam siue tabulas ad Saxonem atque Lantgrauium miserit, suprà diximus: hanc igitur ut acceperunt, è castris ad Ingolstadium, altera die Septembris, honoris & existimationis tuendæ causa respondēt, edito scripto ualde prolixo. Quòd suum ille studium atque uoluntatem erga Germaniam tantópere commendet, simulatum esse: nam inde ab inito magistratu semper eò spectasse, quomodò illam in ser-

uitutem

uitutem adduceret: hanc nimirùm esse causam, cur Hispania cæterisq; relictis prouincijs, in Germaniã sępe redierit, tantósq; sumptus fecerit: eiusdem esse generis, quod de religione dicat: hoc enim semper eius fuisse cõsilij, ut nactus occasionẽ temporis, puram doctrinã opprimeret: quoties enim, inquiunt, pacẽ nobis atq; religioni dedit, hoc astutè fecit, solùm ad tempus, donec in publicos usus atq; necessitates Imperij, pecunia esset à nobis contributa: pòst, in dubiũ atque quęstionẽ decreta facta uocauit, & in suspenso rem tenuit, ut interim cum Galliæ rege, pacem, cum Turca uerò faceret inducias, & speculati tempus idoneũ, ipse atque pontifex, Tridentinum illud conciliũ indicerent, ac fœdus inirent. Eius autẽ rei quædam adferemus documenta. Ratisbonæ ante annum quintũ, de religione statuit: & quum nobis decretũ illud in plęrísq; nõ probaretur, mentem suam declarauit amplius, cõcepta formula, qua nobis rectè cauebat: eam pòst in alteris comitijs, ipsius legati & Ferdinandus rex confirmarunt: sed ante annum secundũ, in conuentu Spirensi, cùm eius rei mentio fieret, nõ sibi uenire in mentẽ aiebat eius declarationis. In superioris anni cõuentu Vuormacię, Hildessemensis episcopus, palàm in cõsessu principum, pontificijs illum promisisse dicebat, decretũ Spirense nõ habiturum esse locũ à bello Gallico. Paucos ante menses, quum Ratisbonam iret ad comitia, Granuellanus mihi dicebat, inquit Lantgrauius, pręsente Palatino, meísq; consiliarijs et legato Vuirtembergico, decretũ illud Spirense, tempori fuisse accommodatum: nunc uerò, Cęsarẽ illud ad reliquos ordines nõ posse tueri. Ante annum sextum, in conuentu Haganoæ, Ferdinandus rex, quum ad pontificios ordines mandata sua referret, nulla dicebat nobis esse decreta seruanda: nam illa metu belli Turcici fuisse facta, quum nostris esset opus auxilijs. Quid? pulchrá ne uidetur hęc esse causa circumuenien di nos atq; socios? fatentur ipsi technam, qua pecuniã à nobis emunxerunt. planũ igitur est, quòd et religionis excidiũ semper sit molitus, ut quidẽ fœdus nuper initũ demonstrat, & quòd tempus solùm ad eã rem opportunũ captauit. Vt autẽ legitimè res agi uideretur, semper à nobis cõtendit, ut concilio nos pontificio summitteremus: id uerò cur nobis facere nõ esset integrũ, satis abunde scriptis in lucẽ emissis, demonstrauimus. Fuit autem eius propositi, decreta concilij tueri & exequi, ad eámq; rem perficiendã, multò antè principes aliquot exteros solicitauit: sed quum metus esset, ne hac ratione aduersum se concitaret omneis religioni coniunctos, aliã obduxit causam,

& rebellionem finxit, ut ſocios diuelleret, & præcipuis oppreſſis, reliquos deinde cogeret imperata facere. Et quanquam ipſe atque frater hoc ſuum tam uafrum & inſidioſum conſilium magno ſtudio tegere cogitabant, ſingulari tamen Dei beneficio factum eſt, ut indies magis atque magis patefieret. nam & belli cauſam & fœderis exemplum pontifex ipſe per legatum Heluetijs expoſuit, ex quo perſpicuum eſt, non ſibi tantùm, ſed & omnibus, qui doctrinam hanc profitentur, imminere diſcrimen, & hoc agi, ut pontificatus omninò reſtituatur. Iudicent igitur omnes, quàm pulchrè ſit actū ab illis, quando nuper in conuentu Ratisbonæ conati ſunt perſuadere, quandò cōfirmarunt, ad componendam religionē uelle ſe legitimis & tranquillis uti remedijs. Nuper ait Lantgrauius, Spiræ mihi dicebat ipſe, nullum ſibi eſſe fœdus cum pontifice: dicebat idem Granuellanus: hic eſt ſcilicet ille paternus animus, hoc ſtudium illud & amor pacis, de quo toties & tàm multa prædicant. Ecquis unquam eiuſmodi quid audiuit, uelle perſuadere principibus diuerſum ab eo, quod iam olim in animo defixum fuit? Quid Cæſari debeant principes, quid inuicem ipſe præſtare debeat, abundè nobis conſtat: ut nos illi, ſic ipſe uiciſſim nobis eſt obligatus: quòd autem indicta cauſa nos proſcribit & poſſeſſionibus omnibus deijcere conatur, in eo iuris uinculū diſſoluit, quo clienti ſeu beneficiario deuinctus eſt inuicem patronus. Iam, quòd rebellionem nobis obijcit, nihil eſt, & ſcit ipſe, nobis iniuriam fieri. nam mihi nuper, inquit Lantgrauius, hoc nomine gratias egit Spiræ, quòd ad componendam religionem nihil diligentiæ præterijſſem. Quòd autē paraſſe bellum, & pecunias quoſdam ordines mulctaſſe me dicit, non diffiteor equidem, & cauſæ fuerunt graues, cur apparatum facerem: ſed publicè conſtat, Ludouici Palatini principis & Richardi Treuirenſis interceſſione rem omnem fuiſſe conſopitam: ipſe quoq; datis literis, etſi factum hoc indignè tuliſſet, tamen, quòd arma depoſuiſſem, nihil amplius deſiderare ſe nunciabat: deinde, quum annis abhinc ſexdecim Auguſtā ueniſſet, & hoc nomine me compellaret, equidem, Ferdinando rege, Friderico Palatino, & nōnullis alijs preſentibus, ità me purgabam, ut ei ſatisfieret. nō eſt igitur, quòd ex eo cauſam aliquam aſſumat ad hoc bellum. Quòd Vlricho Vuirtembergico principi meam operam præſtiti, eo nomine, quum Saxoniæ dux Georgius & Moguntinus intercederent, reconciliatus fui per tranſactionem, quam ipſe ratam habuit: & poſtea Ratisbonę, quicquid eſſet offenſionis, inter-

poſita

posita fide & cautione sustulit totum & aboleuit. Nunc etiam de bello Brunsuicensi loquitur: eius uerò causam edito scripto demonstrauimus, & ante bienniũ, in frequentissimo Imperij consessu, præsente ipso, copiosius explicauimus. Respondit tunc quidẽ Henricus, uerùm nostras refutationes audire Cæsar recusabat. cur autem non exactè rem omnem cognouit, & de consilio reliquorũ principum in eo statuit? nimirùm, quia in bellum Gallicũ atq; Turcicũ auxilia petebat, consultò rem suppressit, & sequestrum introduxit, in eóq; illi Vuormaciæ sumus assensi, tametsi nõ teneremur, & utrinq; placuit, ut captam prouinciã Fridericus Palatinus & eius patruelis Ioannes Simmerius tenerent & administrarent, donec de causa legitimè pronunciatum esset. Eo facto, nobis confirmabat, forè, ut Brunsuicensis etiam assentiretur, ad eúmq; missis literis, grauiter mandabat, uti pareret: ille uerò contemptis ijs mandatis bellum in nos excitauit, in eóque captus est, ut ex meo & Mauricij scripto constat. Hoc igitur in bello nihil egimus inofficiosè, nihil aduersum leges, & ad æquum iudicium prouocamus. Verùm ex hocipso, quæ sit eius in religionẽ uoluntas, uideri potest. nam licet illius mandata contempserit Henricus audacissimè, quanquam, cùm de sequestratione nunciaretur ei, grauissimis uerbis ipsum atq; cõtumelijs affecit, tamen, quòd nostræ religionis esset acerrimus osor, impunè omnia fecit. Quòd à nobis ait quosdam esse perductos in nostrã ditionem, longè secus habet, etiam antè non semel ad ea respondimus. hoc autẽ de ipso uerè dici potest, qui nonnullas Imperij prouincias & episcopatus in suam ditionem redegit, & sub huius belli tempus nobiliũ cõuentus passim habuit, ut illos in nostrã perniciem ad se traduceret. hoc quidem fatemur, nos in fidem nostram atq; clientelam recepisse nonnullos, ut si propter euangelij doctrinã periclitarentur, illos tueremur: id autem officij nostri esse putamus: nam subuenire Deus iubet afflictis. defensione autẽ, multis nunc annis, & hoc tempore potissimùm, nulli magis opus habent, quàm hi, qui pro Lutheranis habentur: in cæteris autẽ rebus, extra religionẽ positis, nullũ eis patrocinium dedimus, imò sumus hortati semper, ut ius suũ magistratui tribuant. Obijcit nobis etiã, quasi dehortati simus alios, ne ad comitia uenirẽt: id autẽ ualde est absurdũ: etenim, quum nuper ad calendas Aprilis nostri legati Vuormaciæ cõuenissent, & ipse Ratisbonã peteret, iussimus, ut rebus omnibus omissis, ad eum conuentũ et ipsi proficiscerentur: ad reliquos omneis Imperij conuentus aut ipsi uenimus, aut semper

legatos eò nostros misimus. De Camera quod dicit & perturbato iudicio, iàm antè sæpe refutatum est. Mentionem quoq; facit ethnici magistratus, ut ostendat non licere sibi resisti. atqui, non officium modò nostrum fecimus, uerùm amplius etiã, quàm uel oportebat, uel maiores nostri facere consueuerunt, ei præstitimus, nõ sine maximo nostro dispendio: & quàm nullã habeat querimoniæ causam, ex eo uidere licet quod dicemus. Quidã Galliæ regis legatus nuper ad eũ missus, per occasionẽ incidit in huius belli mentionẽ: ait permagnũ esse quod moliatur: cogitet secum ipse, quanta sit Germanię potentia, & quanti res periculi: quòd si unus & alter fortè deliquerint, iniri posse rationẽ, quomodò sine bello res cõponatur. Ad ea fertur ille respondisse, nihil opus esse cõpositione: uelle se domare Germaniam, aut de fortunis omnibus periclitari: nam illius uires nõ posse iam esse tantas, ut sibi magnopere sint extimescendæ: iam enim amplius annos uiginti fundamenta se iecisse huic rei: sæpe illos auxilia sibi tulisse, multis bellis, nuper etiam cõtrã regem ipsum: fecisse maximos sumptus in crebris comitijs: militum etiã manus atq; robur amisisse diuersis bellis: & hęc quidem eò se fecisse, ut uiribus Germania destitueretur: hoc igitur esse peridoneũ rei gerendę tempus. Qui hunc eius sermonẽ ex ore legati accepit, uir honestus ac fide dignus, nobis recitauit. cur ergò belli causam in nos deriuat, quũ illud tàm longo antè tempore sit molitus? quando nos & priuati uiximus, & eramus adhuc in religionis pontificiæ sentina demersi? Quòd si pactis stetisset atq; decretis, nos etiã nostrũ eramus officiũ facturi: sed quoniam ea uiolauit, & uerò præcipua Deo debetur obedientia, sibi culpam esse tribuat. Etenim quia religioni molitur exitiũ atq; libertati, causam præbet, cur ipsum oppugnemus bona cõscientia. Cùm enim in eũ casum res deuenit, licet resistere, sicut & sacris & prophanis historijs demonstrari potest. nam iniusta uis minimè Deũ habet authorẽ, nec alia ratione sumus ei deuincti, quàm si conditiones, quibus est creatus Cęsar, impleat. Priuatim se transegisse nobiscum fatetur: id nobis est auditu sane pergratũ: cur igitur ob eas causas, de quibus bona fide semel transactũ est, bellũ excuscitat? nam rebellionẽ ullam nos fecisse, uel antè, uel post eas transactiones, doceri nõ potest. sed ità res habet. Ante annos XXV decretũ Vuormaciæ fecit, & edictum promulgauit aduersus Lutherum et eius doctrinæ sectatores, grauissimásq; pœnas cõstituit: edictũ autẽ illud hoc nimirùm bello iam exequi cogitat. Sceptrũ illius atq; diadema nunc̃q; appetiuimus;

facul-

facultatibus enim noſtris contenti ſumus, Deúmque precamur, ut piè nobis eas conſeruare liceat. Si uerum eſt quod dicit, cur illi toties auxilia dedimus, etiam nuper ante annum ſecundum, aduerſus Galliæ regem? cuius quidem beneficij ac meriti cauſa deponere debebat quicquid erat offenſionis, etiámſi nulla fuiſſet antè facta tranſactio. Intemperanter in eum nihil unquàm diximus, imò, propter opinionem uirtutis ualde ſemper prædicauimus. Libelli famoſi & picturæ in ipſum contumelioſæ, nullæ ſunt à noſtris theologis aut alijs etiam editæ: imò theologi noſtri ac uiri docti ſemper illum magnis laudibus celebrarunt, & pro concione populum hortati ſunt, ùt idem facerent, ac Deum pro ſalute ipſius deprecarentur. ediderũt fortè quædam in pontificatum: id uerò cur illis inhiberemus, cauſa nulla fuit. Quàm petulanter autem & ignominioſè nos, noſtróſque ſocios & theologos inſectati ſint Cochlæus, Hadamarus, Carmelita Colonienſis, etiam tunc, quum Ratisbonæ diſſidij componendi cauſa conuentum eſſet, ſatis eſt apertum. Conſpirationes & conuenticula nobis obijcit, in eóque permagnam facit iniuriã, ut in cæteris omnibus. nati enim ſumus & editi ſanguine Germano, remoti & alieni plurimùm ab eiuſmodi technis, cuiuſmodi plurimis abhinc annis in nos fabricatæ nunc primùm ſeſe produnt. ut autem nos contra uim iniuſtam tueamur, fœdus iniuimus, neque diffitemur, idq; fecimus, muniendi ſolùm noſtri, non autem cuiuſquam offendendi cauſa, & quamobrem fecerimus, iam altero ſcripto demonſtrauimus. Et ante annum quintum, in comitio Ratisbonæ, quandò cum Cæſare, inquit Lantgrauius, tranſegi, Granuellanus mihi meóque tum Cancellario confirmabat, illum eo fœdere minimè offendi, imò poſſe ferre, ut quàmplurimos in noſtram partẽ traduceremus. Poſthæc, obſcuris uerbis aliquid dicit, quaſi Turca ſit per nos in Germaniam excitatus: hoc autem ipſa re cõfutari poteſt. nam & auxilia ſemper dedimus in bellum Turcicũ, amplius etiam quàm noſtri maiores, & dedimus, quum id minimè teneremur facere, propter nõ impletas conditiones, & quum alij nonnulli, qui dare promiſerant, nihil præſtarent: ſed iampridem auditũ eſt, quomodò ipſe & frater hoc egerint apud Turcam, ut impetu facto nos tantùm atque ſocios opprimeret. Decreto publico nuper data ſunt ei cõtra Galliæ regem auxilia: promiſit tunc, eo finito bello, ſe mox iturum in Turcam: fecit deinde pacem cum hoſte, nõ conſultis ijs, quorum pecunia bellum geſſerat, et ecce nunc omnem impetum in nos conuertit. Eſt ne pulchrum

ſpectaculum, ex Auſtria ſubuehi tormenta in hoc bellum, atque inte
rim ab hoſte truculentiſſimo uicinam Pannoniam deuaſtari? Quæ
nobis impingit crimina, ſeditiones, cõiurationes, læſæ maieſtatis, nul
la ſunt, nec eſt alia belli cauſa, quàm ea, de qua iam ſæpe diximus. Aít
ſe plura nobis eſſe largitum, quàm ſe deceat, & ad multa conniuiſſe,
non ſine cõſcientiæ animíque dolore: ſimulatum etiam hoc eſt. iam-
pridem enim concupiuit, ſed temporibus impeditus non potuit no
bis inferre bellum, & hucuſque neceſſariò diſtulit, donec Cliuenſem
principem & Galliæ regem & Turcã haberet pacatos. Quid enim
eius fuerit uoluntatis, declarãt grauiſſima illa, per ipſius prouincias,
piorum & innocentum hominum ſupplicia. Quòd etiam antehac
nobiſcum tranſegit, nunc primùm uidemus eò fuiſſe factum, ut in-
terea reliquis negocijs expeditus, unum hoc bellum adminiſtraret,
de quo ſuſpicari profectò nihil equidem potui, inquit Lantgrauius,
propter ſummã illam, qua Spiræ nuper uſus eſt in me, beneuolentiã
& humanitatẽ. quo quidem tempore Nauius hoc etiam apud Can
cellarium meũ egit, ut colloquium iſtud ſilentio tegeretur. Scopus
autẽ illius criminationis hic eſt, ut ſocios à nobis diſiungat. itaq; ty-
rannidẽ & rapinam et ordinis politici conturbationẽ nobis obijcit,
ſed immeritò. nam in rapinas & latrocinia noſtris in finibus acerbè
uindicamus, & hoc nomine nõ parum odij nobis conflauimus. At-
qui, nefario, & poſt natos homines inaudito latrocinio ſublatus eſt
nuper è medio & trucidatus uir innocentiſſimus, Ioannes Diazius:
cõprehenſus frater parricida & accuſatus: principes obteſtati ſunt,
ut tàm immane ſcelus uindicaretur: quid autẽ conſecutũ ſit, res ipſa
loquitur. Offenſionũ atq; turbarũ cauſam in nos transfert, ſed ipſius
edictũ illud Vuormacienſe motus omneis excitauit. nam ſæpe ac ue-
hementer à nobis ſolicitatus, nunquam illud antiquare uoluit, eíq;
tanq; firmamento ſemper incubuerunt aduerſarij, & inprimis Hen-
ricus Brunſuicenſis, qui fœdus inijt cũ nonnullis, ante conuentũ Au
guſtanum: cuius quidẽ conuentus qui fuerit exitus, quale decretum,
publicè notũ eſt. illa ſanè uerborũ atrocitas tũc pronunciata, cauſam
nobis dedit ineundæ poſtea ſocietatis atq; fœderis hodierni. Paſſim
in omnibus comitijs moleſti nobis fuerunt põtificij, & ad delectũ ci-
borum atq; ferias ab ipſis excogitatas cogere nos uoluerunt. Augu-
ſtę etiã Cęſari permiſimus, cùm amplè polliceretur, ut populi docto
res cõſtitueret: ſed notum eſt, quàm impios & imperitos homines ei
rei præfecerit. Vetus eſt Imperij cõſuetudo, quum princeps aliquis

ex

ex comitijs domum redire cogitat, ut id pace Cæsaris ei liceat: meus autem parens, inquit, Saxo, quum esset Augustæ, dimissionem ab illo impetrare nõ potuit,& non semel per indiciũ accepit,forè,si pararet abitionem, ut retineretur inuitus. Et quanq; præclarè meritus est de illo patruus meus Fridericus,tamen parenti meo,quoad uixit, principatus insignia cõferre recusauit, edicti solùm Vuormaciensis & religionis causa: deinde,cum cęteris principibus tractauit Augustæ consilia de substituendo fratre Ferdinando in Imperium, patre meo summoto prorsus ab ea deliberatione. quod sanè factũ,quia uehementer erat indignum,& ad summã familiæ nostrę spectabat iniuriam,minimè potuit à nobis dissimulari.Et quanquam iustis de causis integrũ nobis erat,abesse deinceps à publicis conuentibus,præsertim illis, in quibus Ferdinandus pro Romanorũ rege sese gerebat, tamen, ne reipublicæ defuisse uideremur, aut semper ipsi uenimus, aut legatos eò misimus. Quũ ergò de belli causa cõstet,obtestamur omneis, ne diuersæ narrationi fidẽ habeant,& communem patriam unà nobiscum defendant. de populo quidẽ & beneficiarijs nostris, quibus ille fidẽ,qua nobis tenentur,remittit,nõ dubitamus, quin officium suũ nobis illi præstabunt. Dimissa pugnandi occasione ad Ingolstadiũ,sicut dixi,per triduũ adhuc ibi commorati Smalcaldici, cùm Cęsar interea sese diligẽter uallis atq; fossis munijsset,quarto Septembris die discedũt, ut Burensem trãsitu prohibeant:licet hoc aliqui dissuaderent,neq; longius quęrendum hostem esse dicerent,qui sub ipsorũ oculis & aspectu uersaretur. Secundis castris,Nuburgũ, quod iam ante præsidio firmauerant, biduo pòst, Donauerdam ueniunt. Decima Septẽbris die,prope Vendingã, Oetingici Comitis oppidũ,castra ponunt,emissis exploratoribus,qui de Burensi cognoscant: id Cęsarẽ non latuit,& ab illo certior factus Burensis,ab itinere deflectit, & Noriberga Ratisbonã profectus, ad Ingolstadiũ Cæsari sese cõiungit incolumis. hac igitur expectatione illi deiecti, Donauerdã tertio pòst die redeunt. huc ad ipsos ueniunt Christophorus Oldeburgius,Fridericus Rifebergus cũ duabus legionibus, & Comes Bichlingus cũ quinq; signis peditũ. Interea Cæsar,promotis castris,Nuburgũ petit: et cùm nulla uenirẽt auxilia,præsidiarij dedítionẽ faciunt. ijs omnibus Cęsar ignouit, accepta fide,ne posthac in ipsum arma ferrẽt. Fama deinde fuit,Cęsarẽ cogitare Augustã: itáq; Smalcaldici Danubiũ transmittũt,ut eius iter impedirent: cùm autẽ dispositio Nuburgi præsidio, Marxæmũ peteret; illi priora in castra

reuertuntur. In Galliam atque Britanniam legatos ab illis fuisse missos de auxilijs antè diximus, uerùm id frustrà fuit. Et Galliæ quidē rex, eò quòd pace cum Cæsare facta, nõ sibi licere diceret, excusabat: uerúntamen, quòd illius augeri potentiam nollet, Petrum Strozam Florentinum, hominem militarem atque prędiuitem, hortatus fuit, ut illis ad trecenta aureorum millia mutuò daret, & quò cõmodius id fieret, magnam pecunię summam, quam ei debebat, persoluit. Nõ recusat ille, quoniam Argentinenses, Augustani & Vlmenses fidem interponebant, & ad principes in castra, quæ tum erant Donauerdæ, proficiscitur cum Ioanne Sturmio, qui missus in Galliam fuerat. Quum eò uenit, magnificè fuit exceptus, & sic discedit, quasi certò dependsurus pecuniam: ubi uerò tempus uenit, quo id fieri oporteret, nusquàm in Gallijs compáret. Id autem astu cardinalis Tornonj factum fuisse, multi putãt. nam is, odio religionis, aduersa quæq; Smalcaldicis optabat, & erat præcipuæ tum apud regem authoritatis. Sub finem Septembris, denuò Smalcaldici scribunt ad Tigurinos, Bernates, Basilienses, Schafusianos, & quid in animo Cæsar habeat, & quid ipsis ab eo sit periculi, si rerum potiatur, ostendunt, & considerare iubent, sit ne consultum rebus ipsorum, ut Cæsari atque pontifici sese profiteantur hostes, ac deinde Cæsarem in finitimis locis adoriantur: quod si faciant, fidem omnem & auxilium ipsis pollicentur. Adhæc illi pòst respondent. non sibi tantùm, sed & reliquis Heluetijs hęreditarium esse fœdus cum Austriaca simul & Burgundica domo: quæ quidem regiones ipsis omnibus & uinum & frumenta subministrent: itáq; si temerè fœdus illud ipsi rescindant, fore, ut socij Heluetij, qui sunt diuersæ religionis, & commeatum sibi nolunt intercludi, causam habeant, cur Cæsari atque Ferdinando ferant opem, & in alpibus claustra uiarum, magno suo labore cõclusa, patefaciant, & in illorum societatem ueniant: deinde, subesse iam hyemem, sic, ut etiámsi maximè uelint, nihil tamen magnopere possint: &, si finibus egrediantur, periculum esse, ne alij locum interim occupent: multò igitur præstare, ut domi maneant: sic enim fore, ut & socij non se commoueant: optimo se quidem in ipsos esse animo, & fausta omnia precari, quod etiã ipsa re iam antè declararint: sed ut tantum in se discrimen recipiant, minimè sibi consultum uideri: quapropter orare, ut in bonam partẽ interpretentur. Cęsar, Marxęmo Donauerdam contendit: sed cùm castris idoneum locum nõ reperiret, deflectit ad dextram, & Octobris die tertia Monhæmum petit.

petit. Erat tùm fortè nebula, & à Smalcaldicis emissi speculatores, qui de illius itinere cognoscerent, non idem renunciabant: ubi tandem Comes Oetingensis Ludouicus, illũ magna cum exercitus parte iam transisse Vuernizam flumen, adferret, continuò sequuntur, duabus circiter horis post meridiem, & sub noctem, à Cæsare non supra dimidiũ miliare castra ponunt. huc ad ipsos uenerũt à Norlingensibus internuncij, qui in ea propinquitate Cæsaris auxilia petebant. ijs liberaliter responsum fuit. postridie, rursus est oborta nebula. primam aciẽ, Saxo, mediã Lantgrauius, postremam Georgius Malspurgus et Rifebergus ducebant. Saxo progressus cum quinq; legionibus & multis equitũ turmis, ad hostẽ propius accedit, & excursionibus utrinq; factis res agitur. Dissipata nebula, Cæsar, cùm primum agmen uia Norlingica procedere uideret, postremum uerò nondum apparéret, omnẽ educit exercitum, quasi collaturus signa: Lantgrauius ergò, qui medius erat, cùm ad ipsum acies hostilis obuerteretur, consiliũ exquirit: erant qui Saxonẽ insequendũ esse dicerent: quia uerò postremũ agmen lõgius adhuc aberat, quod suo discessu, præsenti uidebat expositũ iri periculo, nõ sibi discedendũ esse putabat, uerùm dimissis nuncijs, qui & illos properare iuberent, & Saxonẽ reuocarent, constitit immotus in ijs quos occupauerat collibus. Erat medius inter utrunq; exercitũ Egra fluuius, tenuis quidẽ, sed difficili transitu, Cæsari præsertim, si prælio decertare uellet: hoc ad flumen usq; Burensis iam cum suis copijs peruenerat: & cùm ad prælium res omninò spectare uideretur, Cęsar illũ reuocat, & grauiter, ne longius progrediatur, edicit. sic utrinq; reditũ est in castra, & Smalcaldici quidem prope Norlingam. Altera luce, Cęsaris aliquot cohortes propius ad hostẽ adequitant, & manus acerrimè cõserunt. hoc in cõflictu per aduersum os uulneratur Albertus Brunsuicẽsis, Philippi filius, cùm à cõpotatione tumultuariè prodijsset: Norlingã relatus, nõ multò pòst interijt. Cęsar ibi per dies aliquot cõmoratus, Octauiũ Farnesium interea mittit, adiuncto peditatu Germano cum tormentis, ut Donauer dã occupet. probauit hominis consiliũ fortuna: cúnq; de nocte profectus, eò prima luce uenisset, admotis scalis, oppidani sese dedunt: pręsidiarij fuga sibi salutem quęrunt. eo facto, Cęsar Donauerdam petit. Smalcaldicorum fuerat consiliũ, illius adoriri castra, uerùm discessu mutata res fuit, et per indicium illud Cęsar accepisse putatur. His ipsis diebus, Lantgrauio nunciabat dux Albanus, quid ita montes atque colles insideat? cur non in planiciem

descendat & prælio contendat? Lantgrauius inuicem, se sociósque fuisse per dies quinque medijs in campis ante Ingolstadium, & expetiuisse prælium: cur non conflixerit? cur idē iam ad Norlingam non fecerit, ubi totū ipse diem substiterit? Dum hæc in Sueuia geruntur, magna fit rerum per Saxoniam immutatio. Quemadmodum Cæsar, cum Mauricio duce, Ratisbonæ, Ferdinandus autem Pragæ cōsilia tractarint, quomodò deinde Cęsar ei mandarit, ut Ioannis Friderici atque Lantgrauij prouincias occuparet, suprà diximus. Porrò, Mauricius, principio belli Ratisbona domum reuersus, suę ditionis ordines omneis conuocat, & Chemnici, quid facto sit opus, consultat. Illi suadent, ut è Cæsare planè cognoscat, an religionem uelit esse saluam, deinde, ut ipse & Brandeburgicus elector intercedant: quòd si religioni caueatur, & intercessio locum non habeat, hortantur, quandoquidem extra causam religionis teneatur in omnibus parére Cæsari, ut quiescat, & ad prouinciæ defensionem copias conducat: ad eam rem auxilia promittunt, simul ex omni numero sex illi attribuunt, quorum utatur in rebus omnibus consilio. Cùm autem ea quæ diximus, ad ipsum essent allata Cæsaris mandata, Ferdinandus etiam ex Vngaria militem euocaret, & in Bohemia manus cogeret: Fribergum rursus conuocat ordines, Octobris die octauo. Repetit actionem superiorem, décp ipsorum cōsilio se unà cum Brandeburgico solicitasse dicit Saxonem atcp Lantgrauium, ut intercessionem sibi permittant, grauiter etiā illos, ut quanti sit res periculi, secum expendāt, commonuisse: uerùm adhuc nullum esse datum ab ijs responsum idoneum, & editis libellis ad arma rem deuenisse, & leuioribus aliquot prælijs iam esse dimicatum: & quanquàm illi non semel ab se flagitarint opem, tamen quia Cæsar de religione sibi rectè cauerit, ideò se, quemadmodum ipsi suaserint, nihil mouisse, uerùm ad suæ regionis tutelam, in hoc usque tempus aluisse militem, & cum delectis communicasse consilia: nunc uerò tam dubium & periculosum esse statum temporis, ut delecti nō se posse tantum sustinere onus, dicant: illorum ergò rogatu conuentum hunc esse indictum: etenim Cæsaris ad se peruenisse mandata, quæ sit ipsis exhibiturus, grauia quidem illa, maximíque momenti, & eius generis, ut si negligantur, toti prouinciæ summum ex eo periculum immineat: adhęc, Bohemos, eorúmcp socios parare bellū, & iam extitisse finibus, ut Ioannis Friderici prouinciam inuadant: & licet per literas primùm, deinde, missis legatis, pòst ipse quoque susceptо itinere,

Ferdinan-

Ferdinandum regem sit deprecatus, tamen nihil impetrasse: cum etiam Cæsaris hoc mandatu fieri putet, non sibi licere, neque sanè in sua esse potestate, ut resistat: optare se quidem uehementer, ut compo sito bello ciuili, Turcarum impetus tardetur: sed scire ipsos, quæ sit utriusq; ditionis necessitudo & successionis expectatio, & quomodo argentifodinas habeat cum electore patruele communes: pati autem hæc omnia diuelli à domo Saxonica, & in alienas deuenire manus, id sibi fore longè grauissimum: deinde, totam regionem sic esse permixtam inuicem, ut si patruelis agrum externi milites inuadant, periculum sit, ne sua quoque prouincia maximam calamitatem accipiat: uidere etiam ipsos, quàm non sit consultum, peregrinas nationes ijs locis inueteraſcere: quod cùm ità sit, petere tàm suo, quàm Augusti fratris nomine, ut rem omnem diligenter expendant, & ope consilióque iuuent: se uicissim, quod sui sit in ipsos officij, nihil esse prætermissurum. Re consultata, Saxoni & Lantgrauio nunciandum esse placuit continuò, de Cæsaris mandatis, atq; Ferdinandi regis apparatu, & utrunq; rogandum, ut cladis uitandæ causa, suas prouincias à Mauricio patiantur occupari: hoc enim & ad honestatem & ad cautionem uideri satis. Octobris igitur die undecimo scribunt ad utrunq;, seperatim. rem omnem enumerant, de cõsilio, quod sub initium belli dederint, de mandatis Cęsaris, de Bohemorum & Ferdinandi regis apparatu, de Mauricij apud Ferdinandum interceſſione: & quia nunc ad Saxonię fines externi milites peruenerint, in maximo rem esse discrimine: uehementer quidem sibi dolere casum, sed quia Cæsaris hæc omnia fieri mandatu intelligant, qui de religione ipsis cauerit, non esse quòd ei resistant, qui sit præcipuus omnium magistratus: cùm uerò tanta sit inter ipsos cõiunctio, nullum ut dari damnum uni possit, quod non et alteri noceat, ideò post multam cogitationem, nullam apparere sibi uiam expeditiorem, quàm si Mauricio suas possessiones permittant: sic enim fore, ut & bellum externum à finibus removeatur, & religio conseruetur, & rebus aliquandò pacatis, multò sit facilius, ab eo rursus illa consequi, quàm ab alijs: ponderent ergò secum rem omnem, & huic consilio acquiescant, quo non aliud inueniri possit, hoc quidem in tempore, magis salutare. Lantgrauium in literis orabant etiam, ut rationem hanc electori persuaderet. Mauricius unà quoque scribit ad socerum Lantgrauium, in eandem propè sententiam: & quia miles externus iam instet, necessariò sibi prouidẽdum esse dicit, ne Saxonia deuastetur: multam deinde beneuolen-

tiam ei pollicetur, nec ipsius quicquam appetere se, demonstrat. Poloniæ quoq; regem ait uelle ad Cæsarem intercedere, idq; sibi per legatum nunciasse: gerat ergò morem, neq; se patiatur ullis uerbis exasperari, & Saxoni idem persuadeat, neq; recuset demittere se erga Cęsarem: hunc enim prope solum esse aditum ad reconciliationem, neq; se defuturum etiam studio pacis. Ad Fribergi conuentum, Saxonis electoris filius, Ioannes Gulielmus, quum de Ferdinãdi regis audisset apparatu, missis legatis, à Mauricio petit, ut pro ratione fœderis hæreditarij coniungat arma, & à communi patria periculum depellat. Mauricius, nulli se labori suo pepercisse, quò res componeretur: cùm autem id frustrà fecerit, & nunc sint in armis uicini, non sibi licere quicquam facere contra summum magistratum, ait, quem fœdus etiam illud antiquum exceperit. De Cæsaris profectione, Donauerdam euntis, ut dictum est antè, serò tandem acceperunt Smalcaldici. postridie, Laugingam, quod est oppidũ supra Donauerdam tribus milliaribus, ad Danubium, ire constituunt, & de nocte quidem: cùm autem incertũ esse, num sit progressus Cęsar, &, si Laugingam ipsi petant, ac Cęsar interim sit à tergo, periculum esse nonnulli dicerent, ne Norlingam occupet, ac deinde per uallem Remsiam in agrum Vuirtembergicũ inuadat, mutato consilio, diem unum ibi subsistunt. Tulit hoc molestè Schertelinus, ut alia quędã, et Augustam proficiscens, à qua ciuitate missus fuerat in bellũ, quod erat Laugingæ pręsidium, abducit, neq; pòst in castra redijt. Cæsar interim Donauerda progressus, Dillingam & Hochstętũ, paulóq; pòst, Laugingam, & Gundelfingam, ad Brentã flumen, deditione capit. itáq; Danubij possessionem adeptus, permagnas habebat rei gerendę cõmoditates, et Laugingę relicto pręsidio, cùm Brentam traiecisset, prope Sonthęmum uicũ, castra statuit, Vlmã petiturus, tribus ab eo loco milliaribus. Octobris die XIII, Smalcaldici, promotis demum castris, cùm allatum esset, Cęsarem tenere iter Vlmense, Giengam postridie ueniũt, quod est ad idem flumen, oppidũ, non longè supra Sonthęmum, sic ut inter utrunque exercitum medius laberetur amnis. Cùm ibi cõsisterent, nondum tensis tabernaculis, equites aliquot in monte uicino conspiciunt, in his erat Cæsar ipse, qui cum Albano processerat speculandi causa. Ducebat eo die primum agmen, Saxo, celeritérque contendit ad hostem, & Lantgrauio, ut confestim sequatur, nunciat: cùm uerò pedem referrent hostes, cunctanter agit, & in mõte Lantgrauium operitur. Amissa tunc fuisse putatur pulcherrima rei bene gerendæ occasio-

nam

nam neq; uado transiri flumen poterat, & unus modò pons erat ijs lo cis, & ut fortè per eum Cæsar euasisset, præcipui tamen duces in ma gnis erant angustijs futuri, quod ipsimet postea ferũtur non dissimu lasse. Cęsar, Vlmensi intermissa profectione, ne, post tergũ hoste re licto, Danubij commeatum amitteret, aliam rationem inijt, & idibus Octobris in propinquam syluam collocat insidias, ad tria tormẽtario rum millia: cúnq; Sulmonensis princeps armatura leui proluderet, & facto concursu fugam simulans ad syluam eos pellexisset, illi mox ir ruunt ex insidijs & urgent. id cõspicatus Lantgrauius, ilicò suis labo rantibus, qui erant equitum cohortes quatuor, auxilio uenit. itáq; ne dimicatum est acriter adusq; noctem, & maioribus etiam tormentis acta res fuit. Saxo interim ad exercitum mansit, ut si fortè Cęsar in his turbis castra uellet atque munitiones adoriri, propulsaret impetum. Cum hoc non succederet, nocturnas insidias instituit Cęsar, & ex om ni numero deligit pedites Germanos & Hispanos, & lineas interulas iubet superinducere armis: equitatum etiam addit, & Albano duce, prima uigilia noctis emittit, ut silentio profecti ad hostem conten dant: ipse cũ reliquis copijs expeditis, ilicò subsequitur. Cùm eò pro pè uentum est, Albanus & excubitorum numerum auctum, & in ar mis illos esse cognoscit. itáq; frustrà fuit hic conatus, quum illi pau cis horis antè, rem per indicium accepissent. Propter pabuli autem & commeatus inopiam, & anni tempus, et assiduos imbres, contagio & lues inuasit castra Cęsaris: & ad hoc ferè tempus domum ex castris proficiscitur cardinalis Farnesius, & Italorum aliquot cum eo cohor tes. Cæsar etiam eadem de causa mutare locum, & in uetera prope Laugingam castra reuerti coactus est, pridie calendarũ Nouembris.

Ad nobilitatis & ordinum Mauricij literas, Fribergo missas Octo bris die xi, sicut diximus, Lantgrauius, eiusdem mensis die uigesimo respondet. dolere sibi uehementer, bellum ijs regionibus inferri, mul tò magis autem, in communi periculo non consociari arma, more & exemplo maiorum: quòd autem non animaduertant hoc bello peti religionem, id sibi cumprimis uideri mirabile, quum & pontificis ad Heluetios literæ, & fœdus inter ipsum atq; Cæsarem initum, & man datu pontificis exhibitum Heluetijs, apertè hoc testificentur & pla num faciant: etenim, post initum fœdus, à pontifice, magnas ad Cęsa rem ueniisse copias, & ex Italis qui fortè capiuntur, omneis hoc affir mare, ideò se missos, ut bellum Lutheranis facerent: deinde, socios re ligionis ualde crudeliter hoc bello præ cæteris affligi direptionibus,

incendijs, latrocinijs: fœminas atque uirgines nefariè constuprari, pueris ipsis & infantibus resecari manus atque pedes, nimirum odio doctrinæ: quòd Cæsar ipsis de religione cauerit, id esse fictum: nam si rogetur ex eo, uelit ne religionem, quæ Lutherana dicitur, concilij pontificij decretis & authoritati subijci, non dubium esse, quin technа statim deprehendatur: non esse igitur, quòd illi promisso fidant: adhæc, quòd Cæsaris illa proscriptione moueantur, ualde se mirari, quum sciant, non hoc ei licere, nisi primùm rei citati sint & iudicio conuicti: sed dolendum esse cumprimis, nobilissimam familiam & populum Saxonicum ità diuidi: nam si uires coniungerent, & eadem esset omnium uoluntas in defendēda patria, periculum hoc omne, quod nunc metuitur, facilè posse profligari: se quidem contulisse consilia cum electore, sed illum ab ea ratione, quam ipsi demonstrent, prorsus alienum esse: nam si quid ipse tale, commutata fortuna, peteret à Mauricio, non dubitare, quin & ille recuset, & ipsi quoq; dissuadeant: quod cùm ità sit, non sibi consilium ipsorum probari, eóq; magis, quòd Mauricius non ità pridem datis ad utrunq; literis, dolere sibi ualde diceret quorundam sermones, qui iactarent ipsum captare prouinciam sui patruelis: nam iniuriam sibi fieri, et orare, ne fidem habeant: ijs redditis literis, excusationem se illius accepisse, neque sollicitos fuisse amplius: quòd si nunc autem illius agrum occupet, uidere ipsos, quæ sint hominum futura iudicia: petere igitur, ut impediant, ne fiat: nam alioqui non externum modò sed & ciuile bellum ex eo nasciturum: cùm enim propter euulgatam proscriptionem uis ei fiat, neq; se neq; socios ei posse, qui sint in eadem causa, deesse: quis autem eius rei sit futurus exitus, non esse difficile prouidere: dent igitur operam, ne Saxonica domus & Hessica diuellantur, sed ut Mauricius opem sibi socijsq; ferat: hoc illi fore cumprimis & glorioſum & salutare. In eandem ferè sententiam, eodem die scribit ad Mauriciū, & monet, ne Cæsaris edictis atq; proscriptione moueatur, sed in memoriam reuocet electoris atq; sua in ipsum & parētem ipsius merita: cùm enim Georgius patruus testamēto cauisset, ut suam prouinciam omnem Cęsar teneret, donec frater à protestantium religione discederet, scire ipsum, quid tum acceperint ab utroq; beneficij: deinde, quū annuam pecuniam, ipsius parenti Georgius daret, ac metus esset, ne odio religionis eam denegaret, protestantes ei tum promisisse, quòd si res in eum casum deueniret, se liberaliter ei tantundem annuè daturos: desistat igitur ab incepto, nec inuito Saxone quicquam in illius

prouin-

prouincia tentet: nam alioqui non ei defutura ſociorum auxilia: Polonicam legationem fuiſſe quidem in caſtris apud Cæſarem, & quid egerint, ad Saxonem atq; ſe ſcripſiſſe: conditiones autem eius eſſe generis, ut ad pacem minimè faciant. Ad eundem prope modum belli conſiliarij ſcribunt ad Mauricium & ipſius ordines, ac ſi uis ulla fiat Saxoni, non ſe neglecturos illius iniuriam profitentur: ipſe quidem elector nihil tum illis reſpondit, ut infrà dicetur amplius. Eodem die Lantgrauius & conſiliarij ſcribunt etiam ad Magdeburgicos, Brunſuicenſes, Bremenſes, Hamburgios, Goslarienſes, Hildeſſemios, Gotingenſes, Hanobrios, Embecenſes, Mindenſes, ad Pomeraniæ ducem, ad Luneburgios & Anhaldium: docent, quantum immineat Saxoniq; periculum, inprimis autem electori, cuius ad fines iam hoſtis peruenerit: initium eſse factum ab rege Ferdinando, qui Bohemos ad hoc bellum pertraxerit: deinde, Mauricium illi ſeſe coniungere, & cauſam obduci, quòd Cęſar eum proſcripſerit: ſe uerò nunciaſſe Mauricio, deſiſtat ab armis, alioqui non defutura Saxoni auxilia: cùm autem in præſenti diſcrimine omnis illa regio poſita ſit, & elector opem ab ſe flagitet, non ſe poſſe non illum adiuuare: & fuiſſe quidem ſuæ uoluntatis, illi tradere partem exercitus, quem habeant: ſed quia non procul ab ſe conſederit hoſtis, & ſpes bona ſit, fore, ut breui ſummis copijs decertetur: qua quidem in re poſita ſit ipſorum omnium ſalus, non eſſe conſultum, ut in hoc tempore ſeſe debilitent aut infirmiores reddant ipſi: nam hoc ab hoſte captari, ut alijs in locis bello diſtenti non poſſint omne robur in ipſum expedire: quod cùm ità ſit, petere, ut cõmuni nomine copias peditum ei ſubſidio quàmprimùm mittant Vuittembergam & Vinariam, ac ſimul quod reliquum ex fœdere debent pecuniæ, totum hoc electoris filio & conſiliarijs perſoluant: nam agi communem omnium cauſam, & ſocijs afflictis, futurũ, ut ad ipſos idem caſus recidat. De Bohemis antè diximus: hi militabant quidem Ferdinando regi, ſed admodum inuiti, propter antiquum fœdus, quo domui Saxonicæ cõiuncti ſunt: deinde, quòd non neceſſarium bellum eſſe dicerent, & quòd electori plericq; putarent iniuriam fieri. Ferdinandus autem peruicit, & ex Pannonijs atq; Sileſia militem euocauit, ut illos uel nolentes cogeret. equites Pannonij uulgò dicuntur Huſſari, genus hominum ualde rapax & immite. Conductis ergò copijs, quum iam finibus egrederentur, Sebaſtianus Vueittemullus, ductor exercitus, ad xx Octobris diem, miſsis literis, bellũ Saxoniæ ducis populo denũciat, quòd ſuperioribus annis ipſo-

rum princeps collegium Dobrilugum occuparit, quòd Cęſari nuper atq; ſocijs fidem renunciarit, uiolato fœdere, quod cum domo Saxonica Bohemis intercedat: & quanquam nihil opus fuerit ulla denunciatione, propterea quòd ille ſit à Cæſare proſcriptus, tamen, ne quid prætermiſſum eſſe uideatur, uoluiſſe hoc pro ſui muneris ratione ſignificare. Per hoſce dies legati Smalcaldicorum Vlmæ conueniunt, ut in commune conſulerent: cùm autem è Saxonia crebri uenirent nuncij de ſtatu rerum, elector, datis literis XXVII die Octobris, mandat ſuis, qui erant Vlmæ, rem omnem ſocijs exponant, & ſui rationem haberi poſtulent, quoniam ipſe nulli ſuo periculo atq; labori pepercerit, ut à Germania ſuperiori tempeſtatem hanc profligaret: belli conſiliarios, paucis antè diebus nunciaſſe quidem ciuitatibus & alijs per Saxoniam, ut ſibi ferant opem: ſed incertum eſſe, quid illi ſint facturi, & ut faciant, tamen uereri ſe plurimùm, ne ſint impares tantæ multitudini hoſtium, & periculum eſſe, ne, prius quàm ſint inſtructi, iam hoſtis in ſuum agrum inuaſerit: hęc igitur petant à ſociorum legatis, primum, quia ſibi graue ſit & incommodum in hac rerum aſperitate, coniugem, liberos & populum deſerere diutius, ut ſibi dent in eo conſilium: deinde, ut ampliora ſibi decernant auxilia, cuius quidem rei ſpem Lantgrauius & belli conſiliarij iam fecerint: poſtremò, ne cum hoſte pacem faciant, niſi prius ipſe recuperarit amiſſa. Legati liberaliter ad ea reſpondent, & inprimis orant, ut ad exercitum maneat, donec in hyberna Cæſar militem deduxerit, & quanti ſit res periculi, ſi diſcedat, oſtendunt: quòd ſi Ferdinandus atque Mauricius ullam uim ei faciant, auxilia pollicentur, neque dubium eſſe dicunt, quin ſocij principes ac ordines omnem ei fidem ex fœdere præſtent, neque pacem antè faciant, quàm ipſe ſua recuperarit: ſi quidem ipſi uideatur, ſe quoque ſicut Lantgrauius & belli conſiliarij fecerint, hoc ipſum uelle denunciare Mauricio: confidere etiam omninò, fore, ut qui ſunt per Saxoniam ordines confœderati, ſuum in eo faciant officium. Eo, quem diximus, Octobris die XXVII, Mauricius Dresda dat literas ad electorem, quid Cæſar ſibi mandarit, & quanto ſit res in diſcrimine, nuper ipſum è ſuæ ditionis ordinum literis accepiſſe: iam uerò, quum ſibi ſuóq; populo Cæſar de religione cauerit, ideò ſe, de conſilio ſuorum, conſtituiſſe, quò uidelicet Cæſari ſatisfiat, & ſuum quoque ius integrum ſibi permaneat, inire rationem, ne ipſius ager atque prouincia in alienas manus deueniant, atque iſtud quidem ità ſe, tum ſuo, tum fratris Auguſti nomine, ipſi

denun-

denunciare: quòd si tempus olim erit, quo Cæsari ac regi Ferdinando reconciliabitur, non se recusare, si quidem illi patiantur, quò minus suæ ditionis ordines, inter utrunque de summa rei tractent. In eadem planè uerba scribit electoris filio Ioanni Gulielmo, & ut literas ad parentem scriptas curet perferri, monet. Bohemi interea & Hussari, in finitimum electoris agrum, Vœtlandiam, irruunt: cędibus, direptionibus, incendijs atque libidinibus grassantur: sed non diu commorati Bohemi, quoniam inuiti, sicut diximus, militabant, ad xi Nouembris diem discedunt à signis, & dilapsi domum recurrunt. Vngari uerò, & quos mercede Ferdinandus conduxerat, Mauricio sese coniungunt, qui Zuiccauiam deinde & Schnebergum & Aldeburgum, & plæraq; omnia electoris oppida deditione capit, inque suam fidem illos adigit, præter Gotham, Isenacum, Vuittembergam. Eius rei nuncius in castra Cæsaris perlatus, magnam excitauit lætitiam, quam & tormentorum tonitru Cæsar significabat, uti fieri cõsueuit.

Hisce ferè diebus Cæsar iterum castra mutat, eadem de causa, qua prius, et locum magis commodum atq; siccum deligit, ut militem uehementer afflictum reficeret, & commeatus difficultatem subleuaret. plęriq; omnes in hyberna ducendum esse militem suaserant: sed unus ipse, qui loca prius explorauerat, continendum esse statuit exercitum, & alendum bellum. Mauricij factum plæriq; omnes admodum reprehendebant, quòd illi, quem loco parentis colere debebat, qui fortunarum ipsius omnium propè solus author erat, tàm indignam referret gratiam. & prodibant in illius inuidiam atque uituperium libelli & carmina multum amarulenta, quæ & uiolatæ fidei, & proditæ religionis, & summæ ingratitudinis ipsum insimulabant, eóq; magis, quòd nec uxoris nec; soceri precibus quicquam in eo tribuisset. Ea re cognita, scriptum edit, purgandi sui causa, & cuiusmodi sit in suis finibus religio, quid ipse populo promiserit, & quomodo iuuandæ religionis causa, literarum ludos instituerit, ostendit. Postea, Cæsarem, sibi suóque populo, nec sibi tantùm, sed alijs etiam principibus cauisse dicit de religione, deque libertate Germaniæ conseruanda, nec illius esse uoluntatis, ut uiolenter aliquid in eo fiat, sed ut legitimè causa componatur ex multis iam factis Imperij decretis: itáque se fidem illius habere promissis atque literis, eorum principum exemplo, qui nunc ei militent, & non domi tantùm, sed in castris etiam, & militiæ, religionem hanc profiteantur: hos enim, qui sint ei familiares, et in ipsius aspectu quotidie uersentur, animum

eius facilè posse perspicere, & si quid eiusmodi deprehenderent, dubio procul non esse cum eo permansuros: quòd autem Cęsari pontifex opem ferat, id eò fieri, quòd bellum ijs infertur, quos erroribus atque potentiæ suæ uidet inprimis aduersari: sed considerandum esse, non quid illum moueat, sed quę sit Cęsaris, qui bellum administrat, uoluntas: quòd etiam suis in prouincijs religionem pontificiam Cæsar retineat, non augere suspitionem: hoc enim in illius esse positum arbitrio, neque modum ei posse in eo præscribi: neque certè ullum esse principem aut magistratum, qui sibi aliquid in eo præfiniri ab aijs patiatur: quum ergò religioni cautum sit, nullam se uidere causam, cur in cæteris omnibus Cæsari non obtemperet: Christi enim esse mandatum, ut Deo pariter atq; Cęsari, quod suum est, cuiq; tribuatur, quæ sua solicitudo, qui labor interuenerit, ut hoc tantum incendium restingueretur, hoc & Cæsari & Ferdinando regi & multis aljs esse non ignotum: neq; sanè per se stetisse, quò minus ad compositionem uētum sit: etenim, ut nulla fuerit alia causa, tamen hanc unam sibi fuisse præcipuam, cur pacem optaret, quòd bello ciuili, Turcæ potentia simul & animus augescat, cuius rei uel sola Gręcia documentum esse possit: quum uerò sublata mentione pacis, grauissima Cæsaris ad se perferrentur edicta, de Ioannis Friderici bonis occupandis, Ferdinandus etiam illius iam immineret finibus, non Bohemis tantùm, sed Austriacis etiam & Vngaris ad hoc bellum excitatis, non sibi fuisse integrum, resistere magistratui, quem omnia fœdera semper excipiant: quòd autem de se nonnulli dicunt, quasi sui patruelis agrum omnem appetat, iniuriam sibi fieri: séque iampridem illud ad socerum Lantgrauium atque Saxonem per literas excusasse: atq; utinam ille sit rerum status, qui tunc erat, quum ea scriberet, nec essent, qui possessiones illius ad se transferre conentur: cum autem nunc longè sit alia conditio temporis, & Ferdinandus flecti non possit, & exercitum immittat, & iam argentifodinas aliquot, sibi cum patruele communes, occuparint illius ex Bohemia profectę copię, necessariò sibi prouidendum fuisse, ne reliquas etiam inuaderent, néue longius progrederentur: quid autem sui esset consilij, & Lantgrauio & patrueli eiusque filio prius denunciasse: quod cùm ità sit, orare, ne quis aliorsum istud accipiat, nec ijs, quæ de se fortè spargentur, fides habeatur: nam & in tuenda religione se fore constantem, & non aliò spectare, quàm ne Saxonicę domus facultates & ornamenta in peregrinas manus deueniant. Per hoc tempus recruduerunt in

Gallijs

Gallijs persecutiones. Est ijs locis Melda, decem à Parisiorum Lutecia milliaribus, eius oppidi superioribus annis fuerat episcopus, Guielmus Brissonnetus: qui cùm doctrinæ purioris admodũ esset studiosus, idoneos etiam doctores populo præfecit, exclusis monachis. cùm autem hoc nomine periculum ei crearent theologi Sorboniſtæ, non præstitit constantiã, & ab incœpto destitit: ueruntamen remanserunt in animis multorum, eius doctrinæ reliquiæ, & hoc demùm anno, circiter sexaginta oppidani, re deliberata, uerbi ministrum sibi deligunt, & in ædibus priuatis collecti, finita concione, certis diebus, cœnam domini, iuxta præscriptum euangelij & institutũ Christi percipiunt. Ea res non diu potuit esse occulta, præsertim, cùm ex agris etiam nonnulli sese coniungerent. itáque capti, cùm simul essent omnes, in carcerem conduntur, & habita quæstione, carris impositi, Lutecią pertrahuntur. ibi damnati capitis, domúmq; reportati, quatuordecim ex illis, alligati singulis palis, eodẽ tempore uiui cremantur, reliqui partim uirgis & fustuario, partim exilio fuerunt mulctati. Quum Lutecia domũ reducerentur, in uia quidã illis occurrit è proximo uico, & ad perseuerantiã hortatur. itáq; comprehensus, idẽ quod illi, supplicĩu adijt. Antequàm cremarentur, subiecti fuerunt tormentis, ut doctrinę socios atq; sectatores proderent, uerùm nihil ab eis potuit extorqueri. Nonnulli consultò istud fieri putabãt, impulsu quorundã, ad disturbandam Smalcaldicorũ cum rege coniunctionem, de qua tunc agebatur. Mauricij literæ, quibus amicitiam Saxoni renunciabat, redditæ fuerunt in castris ad sextum Nouembris diem. Libro superiori diximus, quomodò pontifex lata sententia, mensis Aprilis die XVI, Colonienſem archiepiscopum proscripserit: cùm hoc ille, quarta die Nouembris primùm certò accepisset, ut ipse cõmemorat, aliquot pòst diebus edito scripto, & causis explicatis, quamobrem pro iudice pontificẽ non agnoscat, qui sit iampridẽ & hæresis accusatus & idolatriæ, prouocat ab ea sententia ad legitimum Germanię concilĩu, & ubi primùm id inchoatũ fuerit, prosecuturũ se litem contra pontificem, affirmat. Smalcaldicorũ legati, quos sub exitũ Octobris Vlmæ conuenisse diximus, quum sententijs nõ conuenirent, mense Nouembri Giengam ad castra profecti fuerunt, ut facilior esset deliberatio. Ibi proponitur. quia socij religionis nulla dent auxilia, & ex cõfœderatis Luneburgenses & Pomerani & alij quidam, nihil omninò, reliqui uerò per Saxoniã ordines atque ciuitates nõ ità multùm conferant, & ex Gallijs nihil adfe-

ratur,& dilabente quotidie milite propter anni tẽpus & alia incommoda,deminuatur exercitus,è tribus unum esse deligendum, ut aut prælio contendant,aut discedant,pręsidijs in hyberna dispositis,aut pacem inducíasque faciant. re deliberata,pacis mentionem posse fieri,placuit,& adhibetur Adamus Trottus, qui per causam electoris Brandeburgensis,aditũ habebat ad eius fratrem Ioannem Marchionem. cùm autem Cæsar, qui rationes illorum omneis & incommoda per indicium ex propinquo cognouit,& nuper è Saxonia lætum acceperat nuncium,duras admodum cõditiones proponeret, decernitur,ut reliquis omnibus abductis copijs in Saxoniã,equites mille, & ad octo millia peditum relinquantur in hybernis, ad eámq; rem sumptum faciant dux Vuirtembergicus,& Germaniæ superioris ciuitates. Ad xxiii deinde Nouembris diem,discedunt, facto prius decreto,ut in Galliã & Angliam altera legatio mittatur, & ad duodecimum Ianuarij diẽ Francofurti denuò conueniatur. Sic ergò parùm fœliciter fuit administratum bellũ, cuius quidẽ mali præcipua fuisse causa putatur, quòd non ex unius arbitrio res ageretur. cùm enim æquali essent potestate prædíti Saxo & Lantgrauius,nõ semel accidit, ut in disceptando peropportunæ dilaberentur occasiones. quod etiã de distribuendo præsidio decretũ fuerat,nõ successit,cùm nonnulli cõtribuere quid amplius recusarent. Vbi de illorũ discessu Cęsar comperit,equites continuò dimittit,qui de itinere cognoscãt, paulò pòst, Albanũ & Burensem sequi iubet,sed & ipse deinde cum equitatu Germanico procedit, peditatu relicto & iusso expectare. Smalcaldici iam erant in castris plærique, ubi pernoctandum erat: Lantgrauius autem,& si primum agmen eo die ducebat,substitit tamen apud Saxonem, & habebant utercq; decem equitum uexilla tantùm ac tormẽtarios circiter quingentos.cùm his in monte cõsistunt, adductis,quas reliquas habebant,machinis:atq; ità commorati,cùm sub noctẽ Cęsar suos reuocasset,ipsi quoq; silẽtio progressi, ueniunt in castra prope Heidenæmũ,quod est Vuirtembergicę ditionis,periculo uitato præsentissimo. nam si Cæsar impetũ fecisset,illi, qui numero lõgè superabãtur,aut capti fuissent omnes,aut interfecti. quod nec ipsi postea dissimularunt. Cæsar autẽ, qui de copijs ipsorũ nesciret,ac multò crederet esse maiores, agebat remissius,& eadem nocte peditatum progredi, séque subsequi iubet, eo consilio nimirùm, ut postridie illos inuaderet: uerùm illi, sicut diximus, de nocte profecti,iam erant ad excercitũ. itaq; Cęsar in castra reuertit,in ijsq; biduo

permansit,

permanſit, militis reficiendi cauſa. deinde, quòd illos per Franconiã hyemare uelle putaret, copioſam & locupletem prouinciam, anteuertendum eſſe ſtatuit. Cùm Bophingã igitur, Norlingam, Oetingenſem agrum & Dingelſpulum deditione cepiſſet: Roteburgũ, quod eſt ad Duberum flumen, oppidum Imperij, magna celeritate contendit. Lantgrauius ad Vuirtembergicũ profectus, quum Saxoni ſuos attribuiſſet, domum repetit, & calendis Decembris Francofurtum uenit. Saxoniæ uerò dux, etſi neruo belli deſtitutus erat, tamen ingreſſus iter cum copijs, Gemundam, oppidũ Sueuiæ, tormentis oppugnat, deditione capit, à ſenatu deinde pecuniã exigit, quæ uiritim collecta fuit: pòſt, duodecimo Decembris die Francofurtum uenit, ab ijſq; nouem aureorum millia conſequitur: Moguntino autem, ad quadraginta millia imperat: progreſſus deinde, Fuldenſem abbatem prædiuitem & alios quoſdam pontificiæ religionis, eodem modo tractat. Lantgrauius, domum reuerſus, dat literas ad Mauriciũ generum, ſéq; uenturum ſcribit ad ipſum, modò ſibi publica fide caueatur. nam de pace inter illum atque Saxonem agere uolebat. Mauricius cauet illi quidem, eiuſque rei literas mittit, ſed conditiones erãt aſſcriptæ complures, & eius generis, ut ille, non ſibi proficiſcendum ratus, mitteret legatos, Hermannũ Hundelſuſium, Henricũ Lerſnerum. ac licet hi diligenter ſolicitarent, nihil tamen cõfici potuit. cùm & Mauricius non ſibi licere, niſi de Cæſaris uoluntate, paciſci diceret, & Saxo, qui copias haberet inſtructas, quò minus ei bellum faceret, moram nullam uellet interponere. Deſperata igitur pace, Lantgrauiani milites domum redeunt: Recrodus autem, qui peditatum Germanicum è Gallijs adduxerat, ut ſuprà docuimus, cum Saxone permanſit. Roteburgi Cæſar cùm eſſet, Burenſem ab ſe dimittit, & ut rationem ineat occupandi Francofurti, mandat. poſtea, ſub idus Decembris datis illinc literis ad Vuirtembergicum principem Vlrichum, etſi propter bellum, inquit, abs te ſuſceptum atque Lantgrauio, ſuperioribus annis, in fratrem Ferdinandum regem, & occupatum agrum Vuirtembergenſem, æquum erat, ut grauius in illũ atq; te ſtatuerem exemplum, tamen iniuriam omnem & pœnam tibi condonaui, & beneuolentiã omnem exhibui: & nuper, ſub initiũ huius belli, tametſi longè aliter eſſes meritus, eò quòd tyrannidem non in populum modò, ſed in uicinos etiam Imperij ordines atq; ciuitates exerces, neque legibus aut iudicio uis ullo teneri, quendam genere nobilem ad te miſi legatũ, qui ſuſcepti belli cauſam tibi demõſtraret,

ac simul peteret, uti quiesceres; ac omnem de me beneuolentiam expectares: uerùm his omnibus neglectis, nec habita ratione fidei, qua mihi deuinctus es, coniunxisti te proscriptis eorúmque socijs, & in idem, quod illi, crimen incidisti, rebellionis, ac primùm Ferdinandi fratris & aliorum ordinum, pòst etiam aliquot meæ ditionis & Imperij oppida, ex improuiso, cum tuę factionis hominibus occupasti: nec eo contentus, quum hęc perpetrasses, bellum mihi scilicet denunciasti, singulari quadam audacia, meámq; famam & existimationem grauissimis uerbis læsisti, & hunc dignitatis gradum atq; splendorẽ mihi detrahere conatus es, & fidẽ mihi renunciasti, & è uestigio cùm tuis coniuratis exercitum ausus es educere, mihíque opponere, uiolatis quàmplurimis & Ferdinandi fratris & meis beneficiarijs. itáque in pœnam, quæ perfidiosis & proscriptis, & læsæ maiestatis condemnatis debetur, incidisti. Quod cùm ità sit, & licet causam habeo grauem atq; iustam, ut in te pro tuo merito seueriſſimè uindicem, tamen, pro mea clementia, & ut misera multitudo conseruetur, edico, ut statim, his redditis literis, te tuáſq; fortunas omneis, totámq; pro uinciam, & quicquid omninò tuum est, sine conditione mihi dedas, ut pro meo arbitratu statuam: nisi enim pareas, te simul & tuos igni ferróque persequar. Etenim, quas ante diem quartum, purgandi tui causa dedisti ad me literas, eæ mihi non satisfaciunt, neque sunt idoneæ, quæ tuum hoc facinus excusent atque subleuent. Earum literarum exemplum ad eius ditionis populum unà mittit, & ne deinceps ei pareant, edicit, sed missis ad se legatis audiant, quid imperet: fidem etiam & iusiurandum, quo sint ei deuincti, remittit: id si faciant, curaturum se dicit, ut æquiore cõditione postea uiuant: sin autem, eandem quam illi, pœnam ipsis cõminatur. Quum hæc Cæsar scriberet, iam ipsius copiæ, Albano duce, erant ad fines agri Vuirtembergensis: Vlrichus uerò princeps, in arcẽ Tuelam, extra regionẽ, altissimo & prærupto monte positam, sese recipit, & ex itinere, quum Cęsaris ei redditę essent literę, uigesimo die Decembris illi suppliciter & demissè admodum scribit. quòd in tantum sit odiũ eius adductus, uehementissimè sibi dolere, nec enim grauius quicquam sibi potuisse accidere: cùm autem pro se quidam intercesserint, ipse quoq; culpã sibi condonari flagitarit, bonam se spem habuisse, mitigatum iri offensionem: eam uerò spem sese adhuc retinere, quòd ipsius habeat exploratam clementiam, qua soleat in supplices uti: nimirùm eius rei non unum extare documentum, & quidem ante paucos annos editũ

in

in quoſdam ex ordine principū, qui fortè non paulò maiorē, quàm ipſe, cauſam offenſionis ei præbuerint: quòd ſi ſuos etiam audiſſet legatos, non ſe dubitare, quin lenius multò fuerit ſcripturus: itáq; ſe miſericordiam eius implorare, ac petere, ut propter Chriſtum ſibi condonet, neque grauius quid in ſe, miſerum ſanè principem, ſuóſq; ſtatuat. Per hoſce dies uenerūt ad Cæſarē equites cataphracti Neapolitani, circiter quingenti, Ioanne Baptiſta Spinello, ductore. Pòſt hæc, Cæſar Halam, oppidum Sueuiæ, nuper ei reconciliatum, proficiſcitur. eò uenit ad ipſum elector Palatinus Fridericus. Is quadringentos equites auxilio miſerat Smalcaldicis, quum eſſent ad Ingolſtadium. itáq; Cæſarē adit, & non ipſius oppugnandi cauſa, uerùm, quòd ex fœdere priuato teneretur Vuirtembergico duci, factū hoc eſſe demonſtrat. Cæſar eū acribus uerbis excipit, & enumeratis, quæ cōtuliſſet in ipſum, beneficijs, grauiter incuſat: uerúntamen ignoſcit, & ut errorem hunc atq; culpam, in poſterum, accuratiore fide compenſet, hortatur. Sub initiū belli, Palatinus, quum de conſtituendis eccleſijs cogitaret, Paulum Fagiū, hominem facundum atq; doctū, Argentorato uocauerat Hedelbergā, ut euangelij doctrina cæteris præiret ac uiam cōmonſtraret: in hac autē Cęſaris fortuna, quod inchoatū ibi fuit, totum intercidit. Aliquot pòſt diebus, ueniunt ad Cęſarem legati Vlmenſes, & cùm ſupplices facti culpā agnoſcerent ac deprecarentur, reconciliati fuerunt. huius ciuitatis præcipua eſt per Sueuiā authoritas atq; potentia. permagni erat igitur hęc ipſorū à ſocijs diuulſio: ſed illi datis ad amicos literis ſub exitum Decembris, cur ità fecerint, cauſam eſſe docent, quòd Cęſar iam iam erat urbē circumſeſſurus, ipſi uerò miſerè eſſent à ſocijs deſerti, nec ullū appareret humanū præſidium, quo ſe cōtra tantam potentiā defenderent: deinde, quòd ex ſocijs nōnulli primi ordinis, Cęſarē priuatim de reconciliatione ſolicitarent. Cęſar eos mulctat centum millibus aureorū, tormentis XII, & decē ſigna peditū illis imponit. Burenſis interea Lantgrauij ditionē, quæ ſupra Francofurtū eſt, ingreſſus, oppidū Darmſtatū, partim ui, partim deditione capit, arcē incendit, et multitudini parcit. defendebāt enim illud ciues tantùm et ex agris collecta turba. pòſt, pręter Francofurtū tendit: & quū eius per uim capiundi, præſertim, male affecto milite, & eo anni tempore ſpem nullā haberet, copiarū partem Rhenū tranſmittit, et ad Moguntiā ſe iubet expectare: cúmq; nihil minus ipſe cogitaret, et domū iam eſſet rediturus, ecce, Francofurtenſes, miſſis legatis, deditionem faciunt, & imperata ſe

facturos demonstrant. Ille, nihil cunctatus, iter arripit, & cum exercitu oppidum ingressus, in Cæsaris potestatẽ illos redigit, & ut erat ingenij aperti, quum epulum ei senatus daret, iocatus in illos esse dicitur: ob tam leuiter atque timidè factam deditionẽ Darmstatanos nimirùm esse dignos, qui Francofurtũ inhabitent, ipsos uerò Darmstatum esse deducendos. est enim oppidum illud, si cum Francofurto componatur, propè uicus. Cur autem ità facerẽt, causa fuit, quòd Vlmenses & Virtembergicum uiderent iam reconciliatũ iri: deinde, quòd metuerent, ne mercatus ab ipsis aliò transferretur. nam facultas est omnis ipsorum in eo collocata: neque nesciebant Moguntinum & Vuormacienses, pro se quemq; interpellare Cæsarem, ut id obtinerent. legatis deinde missis ad Cæsarem, in gratiam recipiuntur, depensis aureorum millibus octoginta. Saxoniæ dux, ubi iam ad suos fines cum exercitu peruénit, Decembris die uigesimo secundo, missis literis ad ordines Mauricianos, quòd ad uestrã, inquit, epistolam, undecimo die Octobris ad me datam, nihil rescripsi, consultò feci, & euentum expectare uolui: quid autem interea sit actum, publicè constat. Atqui, pro ea, quæ est inter nos, agnatione & necessitudine & confœderatione, próque meis in principem uestrum meritis, nihil equidem tale uel ab illo uel à uobis etiam expectabam: nec unquam mihi uenit in mentem, fore, ut ad hunc modum ille in me meúmque populum ageret: multò minus, ut eius consilij, quod ad totius regionis & ad uestrum etiam detrimentum pertineret, uos illi essetis authores atq; duces. Verùm hoc uobis esse puto uisum tempus idoneum, quo sese proderent insidiosa quorundam uestri ordinis, & multis nunc annis fabricata, sed à Deo semper repressa consilia: nam expendite uobiscum ipsi, quale fuerit hoc uestrum factum, quandò Georgio duci fuistis consultores, ut fratrem suum & fratris filios exhæredaret propter diuersam religionem, & hęredes instituere Cęsarem atque Ferdinandum regem, nisi pontificiam illi religionem profiterentur ac restituerent. quòd autem eius testamenti nulla habita ratione, ad Henricum fratrem hæreditas omnis delata fuit, & euangelij doctrina retenta, id sanè mea & sociorum opera cumprimis factum est. Et quanquam ille nostram religionem professus, in fœdus etiam uenit, confectis ea de re literis & obsignatis, tàm suo, quàm filiorũ nomine, uos tamen, quoniam spes illa prior uobis excidit, illum, ut à pacto discederet, impulistis: cúncq; mortem obijsset, filij quoque parentis uestigia secuti sunt, haud dubiè uestro consilio.

Et

Et ſicut bonorum illa poſſeſſio, uobis inuitis, ad Henricum eiúſque filios peruénit, ità etiam illa, quæ mihi cum Henrico fuit, amicitia, non mediocriter uobis doluit, & ut ea diſſueretur, non ſemel eſtis moliti: neque ſanè fruſtrà fuit omninò conatus ueſter, & quod illo uiuo perficere non potuiſtis, id apud filios tandem eſtis conſecuti, præſertim apud Mauricium, de quo maximam uirtutis & coniunctionis opinionem atque ſpem in animo conceperam: etenim ante annum ferè quintum, non multò pòſt quàm magiſtratum iniſſet, illum aduerſum me, nihil tale meritum, excitaſtis, & ità quidem, ut magni res eſſet periculi. Et quanquam tempeſtas illa tum interceſſore Lantgrauio ſedata fuit, & addita cautio, ne quid in poſterum tale fieret, ſed ut ex antiquo fœdere res ageretur utrinque, uos tamen illi & Auguſto fratri conſilium dediſtis, ut abſente me, prouinciam meam occuparet. quæ ſanè res eò magis mihi dolet, quòd ille peramicis ad me datis & inuicem acceptis literis, nihil eiuſmodi ſignificauit: deinde, quòd Lantgrauij & ſociorum deprecationi nihil in eo tribuit. Mouet me & uehementer quidem, innoxiæ multitudinis meíque populi calamitas, quem ille peregrino & crudeli & barbaro milite adducto, rapinis, latrocinijs, direptionibus afflixit: mouet etiam, quòd eiecti ſunt & profligati paſsim eccleſiæ miniſtri, uiolatæ uirgines atque matronæ: cuius quidem atrocitatis Deum aliquandò fore uindicem, nihil dubito: ſed multò me uehementius mouet atque perturbat illius actio tam infida, tam hoſtilis & inopinata, uobis authoribus procul dubiò ſuſcepta, qui precio & largitione, Iudæ proditoris exemplo, eſtis ad hoc comparati. Cur in meas ille poſſeſſiones inuadat, obducitur cauſa, quòd Carolus ità iuſſerit, & Ferdinandus urgeat: ſed horum edictis longè debebat præferri propinquitas & ſanguinis coniunctio, & ipſum denique fœdus atque pacta, quæ ſunt utrique familiæ communia: de rebus enim omnibus, extra religionem poſitis, iampridem inter Carolum, Ferdinandum atq; me conuénit, & quæ nobis tribuuntur crimina, falſa ſunt, & religionis cauſa tantùm affligimur. Si uos commouit illius mandatum, cur non magis commouit ipſa rei indignitas? cur non expendiſtis, an mandatum tàm iniquum & nulla ratione munitũ principi ueſtro liceret exequi? Sed in conſilium attuliſtis animum iam olim affectibus deprauatum atque corruptum, & uobis principíque ueſtro magis adhibuit prouincia mea, quàm æquitas ipſa, quàm uerum iudicium. nam alioqui ratio

uobis commonſtraſſet, quoniam indicta cauſa condemnati ſumus, proſcriptionem ipſam pugnare cum legibus, cum pactis atque iure, quibus ille tenetur Imperio deuinctus: Mauricius quoque facilè uidiſſet, non ſibi licere, tam impio & uiolento parére mandato, & patriæ ſalutẽ potius ſpectaſſet: uerùm maluit inſiſtere ueſtigijs nefarij Doëgi, & ficta quadã officij neceſſitate facinus illud ſuum tegit atq; circumueſtit. Neq; uerò ad rẽ facit, quòd illũ nihil tale fuiſſe facturũ dicitis, niſi Ferdinandus cũ copijs in meos fines aduentaſſet. nam longè ſecus res habet, & à fide dignis ad me defertur, primùm, uos ipſos atque Mauritium hæc omnia callidis & occultis conſilijs apud Cæſarem atque Ferdinandum, Ratisbonæ ſimul & Pragæ ſolicitaſſe, ut ipſum tempus olim patefaciet: deinde, non omnium hoc eſſe factum aſſenſu, uerùm à paucis aliquot ex omni numero delectis hoc tàm ſceleratum facinus fuiſſe conflatum. Nunc ergò, poſtea quàm meos fines, Dei beneficio rurſus attigi cum exercitu, planè conſtitui ueſtro principi parem referre gratiam, & ea omnia tentare, quæ ſunt ad defenſionem & ad prouinciæ meæ recuperationẽ neceſſaria. qua quidem in re uos etiam, præſertim authores tàm flagitioſi conſilij, pro ſcelere eorum ſic ulciſcar, ut quàm ſit atrox, quæ mihi facta eſt iniuria, prorſus intelligant. Dolet mihi quidem, eò rem eſſe deductam, & communis patriæ moueor incommodis: ſed quum à uobis factum ſit initium, & res ipſa poſtulet, ut uim & iniuriam à meis depellam, profiteor, quicquid ex eo deinceps naſcetur malorum, non eſſe mihi tribuendum. Si qui ueſtrum etiam ſunt ab hoc facinore alieni, qui ſuam innocentiam mihi uelint probare, licebit ut id faciant: humaniter eos accipiam atque benignè. Daniæ rex, etſi confœderatus erat, tamen nullam opem Smalcaldicis tulit. Cęſar Hala profectus Hailbrunum, & oppidanis in gratiam receptis, Albanum immittit in agrum Vuirtembergicum, ut ſuprà diximus. is deditione captis aliquot locis, multum damni dabat. Solicitante uerò Palatino
M. D. XLVII. principe, Vuirtembergicus Ianuarij die tertio reconciliatur his conditionibus. Quoniam ipſe per ualetudinem non poſſit, mittat legatos, qui ſupplices facti, Cæſaris miſericordiam implorent: idem ipſe faciat intra ſextam hebdomadam, decreta Cæſaris de republica ſeruet: Saxoni & Heſſo nulla det auxilia, ſed Cæſari ferat opem, ut in executionem ueniat aduerſum ipſos euulgata proſcriptio: nulla ſuis in finibus commercia permittat Cæſaris aduerſarijs: nullum fœdus omninò faciat, in quo non & Cæſar & Ferdinandus & Auſtriaca

domus

domus cõprehendantur: si qui suæ ditionis aduersus Cæsarem, Ferdinandum regem, Austriacámq; domum militabunt, in eos grauissimè uindicet: nobilitatem etiam, ne quis ex ipsis militet, per iusiurandum adigat: Cæsari, quoties uisum fuerit, det iter per suos fines, & aditũ ad omnia patefaciat: tormẽta sociorum, relicta suis in finibus, cum omni instrumento tradat: in sumptum belli dependat aureorum millia trecenta, dimidiam quidem partem, è uestigio, reliquum autẽ, intra diem XXV: cautionis loco tradat Aspergum, Kirchenũ, Schorendorffum, ut ijs præsidia Cæsar imponat pro suo arbitratu: cum ijs, quibus hoc in bello damnũ dedit, transigat, si non possit, stet iudicio Cæsaris: consuetudinem fori Burgundiæ superioris sequatur tum ipse tum filius, quum ijs locis iudicio contendent: in suæ ditionis homines, qui Cæsari deditionem fecerint, minimè uindicet: Ferdinando regi suum ius integrum maneat: intra sextam hebdomadam filius eius Christophorus & populus ista confirment, & habeant rata: frater eius Georgius huius pacis beneficio minimè fruatur. Quum hæc Ianuarij die tertio, sicut diximus, essent concepta literis, Vlrichi principis legati, Balthasar Gultlingus, Ludouicus Frauenburgus, Ioannes Feslerus iurecon sultus, quinto pòst die ueniunt Hailbrunum, & ad Cæsaris proiecti pedes, principem, quò minus ipse ueniat, impediri ualetudine, & sibi negocium dedisse dicunt, ut excusent: illum uerò culpam profiteri palàm, & dolere uehementer ob admissum facinus, & orare per omnia sacra, ut in gratiam recipiatur, & ne quid in se suúmq; populum statuatur acerbius: nam & ratas habere pacis cõditiones, &, ubi primùm per ualetudinem licebit, ipsum deprecandi causa uenturum, neque tanti beneficij memoriam unquam esse depositurum. Ad ea Cęsar per Nauium, quòd delictum agnoscat et deprecetur, accipere se satisfactionem, & pro sua clementia uelle conseruare multitudinem, ait, et illi ignoscere, modò pacta seruet, & in posterum, quod sui sit officij, non prętermittat. Post eos ueniũt Memingi, Bibraci, Rauesburgĥ, Campodunenses, Isnenses legati, supplicéśq; facti pœnã deprecantur, & quòd in ipsum deliquerint, partim errore suo, partim aliorũ culpa factum esse dicunt: se uerò confugere nunc ad ipsum, uelut ad fontem misericordiæ, & obsecrare ut ignoscat & pristino loco restituat, neq; de suis priuilegijs & immunitatibus quicquam deminuat. Cæsar deinde per iusiurandum eos adigit, ut sibi sint in posterum fideles, ut ijsdem teneantur legibus, quibus reliqui ordines, ut à fœdere Saxonis atq; Lantgrauij discedant, neculla re ipsos adiuuent, neq; fœdus ul-

lum cõtra se deinceps faciant. pòst, recipit eos in gratiam, & Meminenses quidem mulctat aureorum millibus quinquaginta. Prius quàm in Cæsaris conspectum uenirẽt, de non mutanda religione sibi caueri petebant: Nauius autem, quo Cæsar tum utebatur his in rebus interprete prẽcipuo, solicitè monebat, ne quam eius rei mentionem facerent: nam alioqui futurum, ut Cæsar hoc ipsorum erga se diffidentiæ tribueret: etenim initio belli satis illum declarasse uoluntatem in eo suam: acquiescant igitur, nec amplius sibi caueri postulent. hoc autem eò factum esse creditur, ne, si denegatum esset, aliud agi putaretur, quàm quod Cæsar euulgatis literis erat professus: quòd si autem claris uerbis concederetur, ad pontificis hoc offensionem pertineret, cuius hic erat scopus, ut isto bello, protestantium extingueretur omninò doctrina. Per hosce dies Genuæ fuit nata seditio, in familiam Aurienſem, cuius tum erat princeps, Andreas, rei naualis peritia longè omnium clarissimus, eiusq; reipublicæ facilè primus, beneficio Cæsaris. huius uerò turbæ dux erat & signifer Comes Fliscanus, in eacq; fuit trucidatus inter alios Andreæ gentilis atque propinquus, Ioanninus Auria, uir magnæ uirtutis. quòd nisi Fliscanus fortè dilapsus in mare perijsset, in maximo discrimine res futura fuisse creditur: sed illo sublato, socij facinoris diffugiunt, eámq; tempestatem ilicò secuta fuit magna tranquillitas. Authores huius consilij Cæsar fuisse dicit Farnesios, inprimis Petrum Aloisium, Placentiæ ducem, ut infrà suo loco dicetur. Qui sub exitum Iulij, superioris anni, futurus erat Tridenti patrũ consessus, in hoc usq; tempus fuit prorogatus, & Ianuarij die XIII, quum in primarium templũ patres de more conuenissent, statuitur de iustificatione hominis, & damnãtur, qui post peccatum Adæ, non esse liberũ hominis arbitrium, qui sola fide & imputatione iustitiæ Christi, hominem iustificari, qui iustificationem nihil aliud esse, quàm fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis per Christum, qui necessarium esse, ut certò quis credat, necq; dubitet sibi remitti peccata, sécq; esse ex numero prædestinatorum, qui prẽcepta Dei non posse ab homine etiã iustificato, prẽstari, qui iustitiam acceptam non conseruari atq; etiam augeri per bona opera, qui post baptismũ amissam iusticiam recuperari sola fide, sine sacramento pœnitentię, qui peccatori pœnitenti culpam omninò remitti, neque pœnam ullam restare luendam uel in hac uel in futura uita, per purgatorium, qui decreta ista gloriæ Dei & merito Christi derogare, dicunt. Aduentãte cum exercitu Saxoniæ duce, Mauricius Lipsiam prẽsidio

munit

munit, & ſuburbia incendit. eodem tẽpore ueniunt illuc equites Pannonij ſupra mille. Ianuarij die XIII fit oppugnationis initium, ſed oppidanis fortiſſimè ſeſe defendẽtibus, infecta re diſceditur ſub eius mensis exitũ. Crebris autem tormentorũ ictibus ac ueluti grandine quadam, oppidum uehementer dilaceratum fuit & plane deformatum. Illinc Saxo profectus, non ſolùm amiſſa deinde recuperat per Turingiam & Miſniam, ſed Mauricijũ quoq; ſuis oppidis exuit, incolumi tantùm Lipſia & Dreſda: Magdeburgicũ etiam & Halberſtatenſem epiſcopatum ad ſe traducit, facta cum epiſcopo Ioanne Alberto, tranſactione. Pridie, quàm Lipſiam oppugnaret, Ferdinandus rex Bohemis mandat, ut ſumptis armis auxilio proficiſcantur Mauricio: parebant quidem illi, ſed iniuſſi poſtea domum redierunt: itáque Ferdinandus ad finem Ianuarij rurſus idem mandat. Ibi populus Pragenſis, cuius eſt ijs locis authoritas præcipua, ſenatum rogat, dent operam, ut rex mandatum aboleat, quod cum ipſorum libertate pugnet, & cui non poſsint honeſtè parére: nullam enim ſubeſſe cauſam, cur in Saxonem electorem arma ferant, & multis in rebus eandem ipſorum eſſe religionem, quæ ſit illius: egregiam quoque ſemper fuiſſe uoluntatem ipſius atq; ſtudium in reprimendis Turcarum armis. Ad ea Ferdinandus inter alia, non ei religionis cauſa bellum inferri, ſed rebellionis: & quod de collatis in Turcam auxilijs dicant, longè rem aliter habere: nam illũ, miſſis internuncijs ante menſes aliquot, ſollicitaſſe Turcam ait, ut Vngarię atque Bohemię bellum faceret, nec ampliores inducias largiretur, & quas pepigiſſet, reſcinderet: & ut commodè res ageretur, ſe non defuturum, & ex diuerſa parte facturũ eſſe impetum. Vbi de ſtatu Saxoniæ Cæſar cognouit, & crebris Mauricij literis ſolicitaretur, equitum peditúmq; copias ei mittit auxilio, Alberto Brãdeburgico ductore, ac deinde ſubſequi iubet Hiſpanorum & Italorum manus, Sandæo & Marignano ducibus. Albertus, lanuarij die nono, cum ſua manu diſcedit Hailbruno. Cæſar, illinc etiam profectus, Vlmam petit: in itinere Lindauienſes & Eslingenſes ei reconciliantur. De pontifice dictum eſt antea, quemadmodũ lata ſententia Colonienſem archiepiſcopatu priuarit & omni functione: cum id faceret, omne ius & authoritatem ſimul attribuit Adolfo Schauenburgo Comiti, quem ſuperioribus aliquot annis archiepiſcopus inter omneis unum ſibi delegerat coadiutorem. itáq;, miſſo diplomate pontifex monet totius regionis ordines, ut eum pro ſuo præſule recipiant & agnoſcant: adhæc. Cæſarem urget, ut ſententiam exequatur.

Cùm autem admonitus aliquoties archiepiſcopus, ut ab incœpto deſiſtat, non ſibi licere pacata cõſcientia, diceret, Cæſar, iam prope uictor, legatos Coloniam mittit Philippum Lalęngum, Geldrię pręfectũ, & Viglium Zuichemum iureconſultum. Per eos interpellat prouinciæ totius ordines, quos ad certũ diem eò uenire iuſſerat, ut archiepiſcopo relicto Hermanno tranſeant ad eum, qui coadiutor antè fuiſſet, eique fidem omnem & obſequentiam, ut antiſtiti ſuo, præſtent. Ab eccleſiaſticis quidem difficile non erat iſtud impetrare: nam huius ipſi motus erant authores: uerùm nobilitas, & in his complures illuſtri loco nati, deinde ciuitatum legati, non ſibi eſſe integrum demõſtrant, ab eo, cui tam longo tempore paruiſſent, quo ſint uſi tot annis non pœnitendo principe, cui fide ſint per iuſiurandum aſtricti, deficere. Hac obiecta difficultate, dux Cliuenſis, planè finitimus, grauioris turbæ uitandæ cauſa, conſiliarios eò mittit interceſſores. qui poſt multam & diligentem actionem ab eccleſiaſticis obtinent, ut quieſcant, interea dum cæteri ordines archiepiſcopo rem omnem exponant. Miſſi fuerunt ergò Theodoricus Mãderſchittus, Gulielmus Nuenarius, Comites, totius nobilitatis facile primi. hi pro ſua dexteritate atq; gratia perſuadent illi, ut miſericordia populi, ne bello uaſtetur tota prouincia, cedat. Cùm fidem igitur & iuſiurandum remiſiſſet omnibus: ille, quem diximus, coadiutor, quem fratris loco ſemper dilexerat, ſuccedit. fuit hoc Ianuarij die XXV. Erat archiepiſcopi frater, Fridericus, quem epiſcopum fuiſſe Monaſterienſem libro decimo diximus, eccleſię Bonnenſis præpoſitus, uti uocant: priuatus autem ea præfectura fuit, eiuſque tulit exuuias Gropperus. idem accidit Stolbergio Comiti, Colonienſis eccleſiæ decano, qui conſtanter archiepiſcopum defenderat. Mox per totam regionem, archiepiſcopi noui mandatu, religionis facta fuit immutatio, & quicquid Bucerus inſtituiſſet, aboletur.

Smalcaldicorum legati, quum Galliæ regem adijſſent, Britanniam petunt, ut idem apud utrunque perficerent. Sed iam tum grauiter rex Henricus ægrotabat, & inualeſcente morbo, ſui regni anno XXXVIII, ſub finem Ianuarij decedit è uita, quum teſtamento filium Eduardum, nouem annorum adoleſcentem, feciſſet hæredem, eiq; filiam Mariam, ex prima, & Iſabelam, ex altera coniuge ſubſtituiſſet. Verùm antequàm mortem obiret, Thomam ducem Norfolcium, cuius magna ſemper fuerat authoritas, perpetuis uinculis addicit; eius uerò filium, Comitem Surrię, capite plectit, ob emiſſas aliquot uoces, nimium ſuſpectas ægrotanti. Eius interitum ſecuta fuit deinde religionis

gionis immutatio, ſicut infrà dicemus. nam etſi pontificis authoritatem omnem ſuis è finibus eiecerat, licet eſſet capitale, ſi quis illum, ut præcipuum eccleſiæ caput agnoſceret, quanquam in publicis eccleſiæ precibus, illum, uti peſtem & antichriſtum, auerſabatur, tamen doctrinam retinebat pontificiam, ut ſuprà demonſtratum eſt. Filium ab ineunte ætate rectè curauerat erudiri, & moriturus ei conſtituit tutores, ad XVI, & in his, Eduardum Comitem Herfordenſem, adoleſcentis auunculum. Huic deinde, quòd maximè fidelis ei futurus crederetur, præcipua pars tutelæ demandata fuit à contutoribus, & attributum cognomen honorificum, ut regis atque regni protector diceretur. Acceſsit etiam ducis cognomen, quum ei Somerſetenſem principatum rex tribuiſſet. Is & euangelij doctrinam amabat, & ut ea reciperetur, operam dabat, & eius amplectendæ regi alumno ſuo fuit author, in eóque ſocium & adiutorem habebat inprimis Thomam Cranmerum, archiepiſcopum Cantuarienſem, inſigni doctrina prędituin, & Anglię primatem. Moritur etiam hiſce diebus Ferdinandi regis uxor, Anna, multorum liberorum mater. ei Cęſar funus facit Vlmæ. Interim Auguſtani, ſociorum exemplo & ſuo periculo commoti, quum idoneos haberent interceſſores, & in his Antonium Fuggerũ, redeunt cum Cæſare in gratiam, mulctati centum quinquaginta millibus aureorum, tormẽtis XII inſtructis, & prędidio militum, ſignis decem. Erat in urbe Schertelinus, & multis nunc annis illorum ſtipendijs merebat. hunc Cæſar & Ferdinandus rex inprimis oderant, ob occupatam arcem Erebergũ: itáq; tametſi uehementer ſenatus deprecaretur, tamen, quum Cęſar obſtinatè recuſaret, nec aliter paciſci uellet, uertere ſolũ coactus fuit, et cum omni familia Cõſtãtiam ſeſe recepit, quod eſt proximè ad Heluetiorum fines, oppidũ.

Lipſię durante obſidione, Brandeburgicus elector intercedit, & miſſis ad utrunq; legatis, actionem ſibi permitti flagitat. Elector quidem non abnuit: Mauricius autẽ grauiter incuſans illũ, quòd tam acerbum bellum gereret, ſexto demum die, paulò reſpondet alienius, quum fruſtrà uideret oppidum oppugnari. Brandeburgicus igitur hoc ſtatim Lantgrauio perſcribit, orans, ut Mauricio perſuadeat: & quia bellum hoc ciuile per Saxoniam componi uix poſſit, niſi publicum illud Cęſaris compoſitum ſit etiam, rogat, ut animum huc adijciat. perſuadendi uerò cauſa, quanto uerſetur in periculo, demonſtrat: ſocios enim ferè omneis iam eſſe Cæſari reconciliatos, & Vuirtembergicum grauiſſimis tranſegiſſe conditionibus: Cæſarem nouas parare copias:

& quoniam tantæ potentiæ ſolus ipſe diu reſiſtere non poſsit, monet, ne grauetur ſeſe demittere, & ijs paciſci legibus, quas ipſe conceperit, & per legatos unà mittat: etenim, quia multis de cauſis ualde ſit exacerbatus Cæſaris animus, rem ipſam poſtulare, ut ſupplici quadã demiſsione ſibi condonari petat: reſpiciat ergò ſe ſuóſq; liberos & promiſcuam multitudinem, nec in extremum periculum rem deducat. In eandem ſententiam electori quoq; ſcribit. Cæſar, paulò antè, quàm Smalcaldici menſe Nouembri diſcederent, negocium dedit quibuſdam, ut ilicò nouis conſcriptis copijs, bellum in finitimis Saxoniæ locis facerẽt, ne, qui ſunt ijs locis ordines atq; ciuitates, Lantgrauio uel Saxoni poſſent opem ullam ferre. His copijs omnibus, quæ erant peditum ſigna XXI, equites mille ducenti, pręficit Iudocum Grunningum, Selandię præſidem. Hi Conradum comitem Deckelburgium, Smalcaldici fœderis ſocium, & Oſnabrugum, & Mindam oppidum, & Comitẽ Lippenſem & alios quoſdam ijs locis, imperata facere cogunt, & Ritbergum arcem occupant, inde Bremam petunt. fuit hoc menſe Februario. Militabant hic Cęſari Philippus Eberſtenius Comes, Chriſtophorus Vrisbergerus, Fridericus Spedius. Elector Saxoniæ, quum de ſucceſſu Cæſaris audiſſet, datis ad ſenatum Argentinenſem literis, Februarij die XIII, quomodo ſua recuperarit, & Mauricio plæraq; per Turingiã & Miſniam ademerit, eiuſq; nobilitatem in ſuam fidem adegerit, & Magdeburgenſem epiſcopatum ſibi coniunxerit, exponit: quòd autem Vlrichus Vuirtembergicus, & plęręq; omnes Germanię ſuperioris ciuitates, iniquiſſimis cõditionibus tranſegerint, & religionis omiſſa mentione, contra ſe reliquóſq; ſocios auxilia Cæſari promiſerint, id ſibi planè præter expectationem accidiſſe, & omninò fieri contra rationes fœderis: de ipſis audire ſe, quòd conſtanter agant: id ſibi fuiſſe periucundum: pergant igitur, neq; remolleſcant, & faciant uti fœderatos decet, ac, ſi res ità poſtulet, Heluetiorum atque Galliæ regis auxilio ſeſe tueantur atque ſuſtentent: ſe quidem cupere ipſis omnem fidem & amorem præſtare, ſed impediri bello domeſtico, cui ſi Deus finem fecerit, ſuo commodo, non ſe defuturum ipſis: Magdeburgi conueniſſe iam Saxonicorum ordinum atq; ciuitatũ legatos: cum his agere ſe de ijs rebus, propter quas Francofurti fuerat indictus cõuentus, & ſperare, futurũ, ut officium præſtent, ciuitates inprimis, nec à ſocietate ſeſe diuelli patiantur. Ad idus Februarij uenit Argentoratum à Galliæ rege, Mendoza, Hiſpanus, exul, & prolixè pollicetur: ſed iam tum ſenatus mittẽdam eſſe lega-

legationem ad Cæsarem de pace, decreuerat. sic ille re nulla perfecta discedit. Legati ad Cæsarem erant Iacobus Sturmius, Mathias Pharrerus, Marcus Hagius. legationis causa fuit, ut Vlmam profecti, quibus conditionibus Cęsar omninò paciſci uellet, cognoscerent. Habebat tum in consilio Cæsar Atrebatensem episcopum Antoniũ: Granuellanus enim pater Vesontionem erat profectus, et Nauius hoc ipso tẽpore uitam morte commutauit, cuius in locũ deinde succesſit Georgius Seldus iureconsultus, eiq; fuerunt adiuncti propter multitudinẽ negociorum Germanię, Ioannes Marquardus Badensis, & Henricus Hasius, qui Palatini fuerat antè, & nuper admodum Bipontini principis consiliarius, rerum Germaniæ ualde peritus. Ferdinandus rex, ut Bohemos excitaret, detrectantes militiam, sicut diximus, Februarij die sexto, cum filio Ferdinando progreditur, & Lætmericiam uenit, quod est ad Bohemiæ fines oppidum. Ibi quum unum & alterum diem regni proceres ac ordines expectasset, prolixam habet orationem: & quia Mauricius fidem suam imploret, hortatur, ut arma capiant, tum propter fœdus antiquum utriusq; gẽtis, tum quòd sint beneficiarij Cæsaris: & quoniam hoc ipso nonnulli dicant libertatem suam imminui, cautionem promittit, ne quid ipsis in posterũ sit fraudi. Qui tunc aderant ordines, non sibi licere dicunt statuere, nisi de reliquorum assensu. petunt igitur, ut quàm primum agat conuentus: alij quidam obsequium & operam suam profitentur. hi erant oppidorum pręfecti, quibus deinde gratias rex agit, illis uerò prolixè demonstrat, non hoc esse quæstionis tempus, & rem ipsam flagitare præsens auxilium aduersus hostem: ea confecta militia, non se recusare conuentum, neque uelle quicquam ipsorum adimere libertati: gerant igitur morem & secum pergant. Illi tandem offensionem ueriti, quum rex paulò acrius esset locutus, assentiuntur, &, nisi militent ipsi, stipendia promittunt. Sub Idus Februarij, nobilitas, & Pragenses, missis ad regem literis, orant, quia mandatis insistat, nouo quodam exemplo, ut ad xx Martij diem, ordines omneis iubeat adesse pragæ: quòd si non possit, & ipsi tum fortè conueniant atq; decernant, petunt ne moleste ferat. ille, quid Lætmericiæ sit actum, exponit, & ad xvii Aprilis diem conuentũ promittit, & ne quid interim ipsi tentent, néue congregentur, uetat. quartò pòst die, quàm illa scripserant, fœdus faciunt, tuendæ libertatis causa. Postea quàm in Saxoniam Albertus Marchio peruénit, Mauricius oppidum Rochliciam illi attribuit. cuius usumfructum habebat Lantgrauij soror uidua, Georgij

Saxonię ducis nurus. Eo cognito, Ioannes Fridericus elector, qui tũ Aldeburgi erat, tribus ab illo milliaribus, calendis Martijs Ernestum Luneburgicum, Volratum Mansfeldium cum aliquot equitum turmis, ac deinde Recrodum cum sua legione peditũ de nocte pręmittit: ipse cum reliquis copijs subsequitur. Postridie, antè quàm luceret, pauci quidam equites pręmissi, excubitores inuadunt: ex ijs nonnulli capti fuerunt, reliqui fuga petunt oppidum. Erant in suburbio signa peditum quatuor. his comitati aliquot equites Albertini, & prima luce egressi, manus conserunt: repulsi in suburbium sese referunt. Cum autem elector, qui secundam aciem ducebat, uenisset, & ex mõte uicino, tormentis in oppidũ fulminaret, pedites etiam impetu facto suburbium incenderent: illa, quæ diximus, peditum signa quatuor, per pontem, equites uerò per Muldam flumen, in fugam abeunt. pedites ergo, qui iam suburbium tenebant, magnis animis progressi, oppidũ inuadunt, diripiunt & hosti tormenta tollunt. Dum hæc ità geruntur, Albertus fugam circumspicit & flumen petit, sed ab Ernesto Luneburgico interceptus, ad electorẽ deducitur. In oppido præsidium erat, peditũ signa sex. hi sese consociant cum reliquis equitibus, & defensionem parant, sed uicti multitudine deditionem faciunt omnes, et armis exuti, non se militaturos in Saxonem atq; socios intra sextum mensem pollicentur, atq; ità dimittuntur. Equites cõsectati quatuor illa signa peditũ, quos trans põtem fugisse diximus, magnam eorum partem concidunt. In ijs erant complures Itali & Hispani. Habebat Albertus tàm à Ferdinando rege, quàm à Cæsare circiter mille quingentos equites, peditum signa decem, machinas uerò bellicas XIIII. A prima luce pugnatũ est usq; ad meridiem. Elector non multos è suis desiderauit, & in his, magnę uirtutis uirum, Vuolffium Theodoricũ Phirtensem, qui tormento percussus, aliquot pòst diebus è uita migrauit. Cæsorum numerus in oppido repertus fuit ad mille, foris autem, & in ipso flumine, trecenti. Post conflictũ, elector cum Alberto captiuo redit Aldeburgũ, ac deinde rem omnem in Bohemiam enunciat, neq; se contra fœdus facturũ aliquid esse demonstrat, & eos, qui in suæ ditionis homines igni grassati sint atque ferro, mulctari petit.

Vuirtembergicus princeps erat pactus, ubi primùm per ualetudinem liceret, supplicem se futurũ Cæsari. Venit igitur Vlmam, mense Martio, quantumuis affecto corpore, & sedens in sella, permissu Cęsaris, quoniam sese cõmouere non poterat uel inflectere, per consiliarios supplices condonari sibi factũ petit, omnem obsequentiam in poste-

rum

rum pollicitus. Vbi liberaliter ad ea Cæsar respondit, è uestigio discedit, & belli Saxonici causa Norlingam cõtendit. Dum Vuirtembergicus ad hunc modum deprecatur, hominum erat ingens circumfusa corona, qui præmoniti ad spectaculum confluxerant. In tribus illis locis, quæ suprà diximus, agri Vuirtembergici, Cæsar iam antè præsidia collocauerat, Hispanos potissimùm.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIpublicæ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber XIX.

MARTII DIE TERTIO, TRIDENTI FIT SEPTIMVS patrum cõsessus. in eo damnantur, qui uel pauciora quàm septem ecclesiæ sacramenta, uel nõ omnia dicunt à Christo esse instituta, qui negant aliud alio esse dignius, qui signa quædam illa solùm externa dicunt esse gratię uel iustitię per Christũ atq; fidem acceptæ, qui negant eorum perceptione conferri gratiam, qui baptismo, confirmatione & ordine non inprimi characterem in anima, uel signum spirituale et indelebile, qui administrandi ea potestatem omnibus esse communem, qui receptos ecclesiæ ritus, in eorum administratione prętermitti, uel mutari posse, qui ecclesiæ Romanę, parentis omnium atque magistræ doctrinam de baptismo, non esse synceram, qui facta post baptismum uota, nullius esse momenti, & derogare fidei quam sint professi, qui confirmationem, ociosam esse ceremoniam, et olim aliud nihil, quàm adolescentulorum institutionem fuisse dicunt, qui spiritus sancti uirtutem et afflatum, adesse confirmationi negant, qui non solis episcopis, uerùm cuiuis sacerdoti promiscuè confirmationis ministerium tribuunt. Posthæc, decreta faciunt de beneficijs ecclesiasticis. ut episcopi cæteríque proceres ecclesiarum sint legitimè procreati, sint & ætate & moribus & eruditione spectabiles: ne quis omnium plures episcopatus quocunque titulo possideat, & ut illi, qui plures possident, ex ijs retineant quem uelint, reliquos intra annum abdicent: quibus est populi pascendi demandata cura, sint ipsi præsentes, nec alios in locum substituant, nisi ad tempus, & ità, si, cur abesse non possint, causam docuerint, &

id epiſcopo probatum fuerit, cuius erit prouidere, ne populus negligatur, & ut ſacerdotū delicta puniantur, & quæ ſunt apud ipſos uitioſa, corrigantur. alteri deinde conſeſſui dies dicitur XXI Aprilis. Ferdinandus rex, ubi Dreſdam peruenit ad Mauricium, octauo die Martij ſcribit Bohemis: Ioannem Fridericum conſtituiſſe ipſos inuadere: prouideant ergò ſuis rebus, & Sebaſtiano Vueittemullo, quem ſibi per abſentiam ſuam legauerit, obtemperent.

Argentinenſes legati, quos Vlmæ fuiſſe diximus, domum reuerſi, quum à Cæſare præſcriptas conditiones, ſenatus non improbaret, denuò mittuntur, ut omninò tranſigant. Ingreſſi iter, Cæſarem Norlingæ reperiunt, ex podagra male tunc affectū, & uigeſimo primo Martij die deprecati, reconciliantur. Conditiones erant tolerabiles. nam neque præſidium Cæſar illis impoſuit, & aureorum millibus triginta fuit contentus, neq; ſupra duodecim exegit tormenta. Brandeburgicus elector ſolicitè quidē agebat pro Lantgrauio, & ad Ferdinandum quoque rem detulit: ſed duriſſimæ ferebantur conditiones. hæ erant, ut futura decreta ſenatus Imperij, ſine omni exceptione probet: ut è ſuis filijs alterum det obſidem: ut Henricum Brunſuicenſem atque filium dimittat, & Cæſaris cognitionem in eo ſubeat: ut aduerſus electorem Saxonem atq; ſocios auxilio Cæſari mittat equitum centurias aliquot, octo ſigna peditum, in eóſque per tempus ſemeſtre ſumptum ipſe faciat: ut Cæſari ſupplex fiat, & crimina ſua palàm profiteatur. has uerò conditiones ille reſpuit, &, niſi mitigentur, quoniam illis honeſtè non poſſit aſſentiri, quamuis fortunam ſibi ſubeundam potius, datis ad amicos literis, oſtendit. Cæſar, quo die cum Argentinenſibus tranſegit, Norlinga diſcedit Noribergam uerſus: & poſtridie miſſis ex itinere literis ad ordines Mauricianos, quoniam Ioannes Fridericus, ait, proſcriptus ille, ex fuga domum reuerſus, non ſolùm ea recuperauit, quæ Mauricius princeps elector illi meo mandatu ademerat, ſed illa etiam, quæ Ferdinandus frater ijs locis occupauerat, quòd eſſent ſub clientela Bohemiæ: equidem ad reprimendam illius audaciam atq; rebellionem ſum ingreſſus iter. quamobrem à uobis poſtulo, primùm, detis operam, ut ijs locis, quà ſum tranſiturus cum exercitu, nihil deſit rerum neceſſariarum, & ut benignè milites accipiantur: deinde, ut contemptis illius comminationibus, principi ueſtro fidem omnem præſtetis & amorē, ut adhuc quidem feciſtis. nam eò militiam hanc ſuſcepi, ut illius oppreſſa ferocia, pax & ocium uobis recuperetur.

Eodem

Eodem etiam die Pragæ consiliarijs scribit atque præfectis. in Ioannem Fridericum se constituisse pro ipsius merito uindicare: prouideant igitur, ut in sua castra sit commeatus ex ipsorum agro. Martij die uigesimo quarto, Bohemiæ proceres atque ciuitates, illi, qui fœdus nuper fecerant, uti diximus, ubi Pragæ conuenissent, sicut antè constituerant, leges condunt militares, & ad gerendum bellum, si res ità poscat, necessarias, & summæ rerum præficiunt Casparum Phlugium. Sub hoc tempus rex Ferdinandus & Mauricius & Augustus frater cum suis copijs Pricciam ueniunt. tulerunt id grauiter Bohemi, quòd in suos fines illi iam essent ingressi: per literas itáque Ferdinandum orant, ne patiatur exteras nationes introduci: nam & noui & periculosi rem esse exempli. sed & ipsi Mauricio & Augusto fratri scribunt, ut è suis finibus quàmprimum excedant absque maleficio: nam alioqui se consilium esse capturos ex tempore. Ferdinandus ad ea rescribit uigesimo sexto Martij die. non esse quod uereantur: nam eò solùm ad hæc loca uenisse, ut Cæsari iam appropinquanti sese coniungant. Pragensibus deinde scribit, ne sumptum ullum non necessarium faciant: Saxonem enim cessisse retrò. Legatum Saxo miserat in Bohemiam, Nicolaum Minquitium, renouandi causa fœderis antiqui: sed is ualetudine detentus in uia, quum Pragam uenire non posset, datis literis petebat, ut quosdam ad se mitterent homines fideles, quibuscum rem transigat. ijs acceptis literis, Praga Saxoni scribũt proceres, uigesimo octauo die Martij, & quid Minquitius flagitarit, exponunt: cupere se quidem uehementer ei gratificari, & agnoscere æquum esse, ut ità fiat: sed impediri difficultate temporis & præsentibus turbis: Mauricium enim atque fratrẽ, conductis copijs, conari damnum dare finibus ipsorum, idque Ferdinandi regis impulsu: rogare autem, ne sic istud accipiat, quasi fœdus renouare nolint: etenim uelle se illud seruare & in ueteri amicitia persistere, non minus quàm si iam renouatum esset: daturos etiam operam, ut primo quoque tempore denuò confirmetur: nam ideò cogi manus, & uim contra se parari, quòd à fœdere non discedant, & ipsi bellum facere recusent: petere igitur, si fortè Mauricius ità pergat, ut opem ipsis ferat: id si faciat, nullum esse tantum discrimen, quod non pro ipsius salute subire uelint: Ferdinandum nunc esse Pricciæ, & inde cum copijs profecturũ in uallem Ioachimicam, ut quidem fama ferat: hoc si fiat, se constituisse paucis pòst diebus mouere castra, & cum exercitu omni progredi in eam partem, ubi

neceſſe uidebitur, & res ipſa feret. Penultima die Martij ſcribunt ad Morauiæ proceres, hortati, ut pro mutui fœderis ratione, ſumptis armis, quàmprimum ad ſe ueniant, ut ab impio illo & Sodomitico genere hominũ, Hiſpanis & Huſſaris, quos Cæſar & Ferdinandus adducant, communis patria defendi poſſit. Galliæ rex Franciſcus, quum regnaſſet annis XXXII, Ramboleti, quod abeſt Lutecia iter diei, uitam finit ultima die Martij. ſucceſſorem habuit Henricũ filium, circiter XXVIII annorum iuuenem. Is è ueſtigio Connestablium, Annam Momorancíũ, qui iam totos ferè ſex annos priuatus uiuebat, ut ſuprà docuimus, reuocat, & loco priſtino reſtituit, & in ſummo honore habet. deinde, qui præcipuo loco fuerant antè, partim uileſcunt, partim ſubmouentur, & in uincula conijciuntur. hi erãt cardinalis Tornonius, Anebaldus Amiralius, Grinianus prouinciæ Galliæ præfectus, Longeuallus, Bayardus, Polinus, & inprimis illa, quam in delitijs rex habuerat, Stampiana. Franciſci regis interitus ualde incommodè accidit uiris literatis atque ſtudioſis. nam artes omneis liberales nemo uehementius amauit, aut liberalius eſt proſecutus. Multa iam conſuetudine uariam ſibi cognitionem comparauerat. nam prandens atq; cœnans ferè loquebatur de literis, & auidiſſimè quidem, uſus ad eam rem per multos annos Iacobo Colino, homine docto, & in lingua populari mirabiliter facundo. poſt hunc ſubijt Petrus Caſtellanus. Ab ijs, quicquid eſt in poëtarum, hiſtoricorum, coſmographorum libris, hauſerat: quicquid de plantis, herbis, animalibus, metallis, gemmis prodiderũt Ariſtoteles, Theophraſtus, Plinius, & id genus alij, multo, ſicut dictũ eſt, uſu, et quotidiana recitatione cognitũ habebat & exploratum. de mathematicis etiã & rebus diuinis frequens erat collocutio. Circumſiſtebant mensam omnis ordinis uiri magnifici: & quoniam de uarijs argumentis inferebatur ſermo, uix erat, ut non ex ijs aliqui ſemper in mediũ aliquid adducerent: & id quidem unicuique licebat, qui modò eſſet paulò notior. exemplum etiam iſtud ſtudiúmque regis, multos, ut cum laude coram eo diſſerere poſſent, ad maiorem diligentiam excuit. In ſua lingua ſemper habitus eſt inprimis eloquens atque gratuis. Per Italiam atque Græciam habebat, qui ueterum authorũ ſcripta conquirerent atque deſcriberent: & bibliothecam inſtituit ampliſſimam, quæ libros aliquot inſignes poſtea dedit. eius erat cuſtos Caſtellanus. Paulò antè quàm è uita decederet, Saxoni atq; Lantgrauio miſerat in ſubſidiũ belli, ſingulis aureorum millia centena, &

tunc

tũc, cum obiret mortẽ, uix dum erat ea perlata pecunia. Sub idem quoq; tempus è Britannia redeunt in Galliam legati protestantium, ut reliqua conficerẽt: & sicut ibi regem Henricum, postea quàm eò uenissent, ità nunc Franciscũ, simulac eò reuerterant, extremè ægrotantem offendunt. Itáque hoc etiam ad reliquam Cæsaris fortunam accessit, quòd reges duo potentissimi, quibus nec opportunitas, nec, ut plærique tum putabant, uoluntas etiam deerat illius & impedien di & retardandi consilia, mortui sunt eodem prope tempore. Cæsaris illæ copiæ, quas nobilibus aliquot oppressis, & capta Minda, Bremam iuisse diximus, ad exitum huius mensis, mediocrem cladem acceperunt, amisso belli duce præcipuo, Selandiæ præfecto, Groningo. Cúnq; Bremensium uires creuissent accessione Hamburgensiũ, Vrisbergerus, ad quem illius morte summa rerũ peruenerat, mutatis castris, & longa facta circuitione, propter interiectas paludes, urbem alio loco cœpit obsidere. Non multò pòst, eò uenit etiã Ericus Brunsuicensis, quem Cæsar ad idus Martij, Norlingæ ab se dimiserat, ut nouum equitatum ac peditatũ conscriberet, in eáq; loca deduceret. Cęsar Norlinga profectus Noribergam, inde petit Egram, proximè ad Bohemorũ fines, oppidũ ditionis Ferdinandicæ. Mandauerat rex Pragensibus aliquoties, ut discederent ab armis: per eos reliqui ordines facti certiores, quarta die Aprilis illi rescribũt. quòd arma sumpserint & cũ copijs progressi sint, eò fieri, ut ab se suisq; finibus uim iniustã depellant, pręsertim per ipsius absentiã: rogare autem, ut ad Cęsarem intercedat, ne Saxoni bellũ faciat, sed amicę disceptationi rem permittat: cõuentum etiã haberi petũt, uti promiserit.

Hisce ferè diebus Egram Cæsar uenit: & Aprilis die VII, cùm pridie Ferdinandus & Mauricius eò uenissent, scribit ad omneis ordines Bohemiæ, & paucis repetit quę superiori mense scripserat, uti diximus, & Saxonẽ tantùm ab se peti demonstrat: commeatũ igitur expediant, & annonã subministrent, & domũ reuertantur: nã alioqui futurũ, ut id sibi & Ferdinando fratri grauiter accidat: de religione nõ esse quod uereantur: nã toto hoc bello nemini se religionis causa fuisse grauem. Eodẽ tempore, delecti, qui Pragę erãt, rursum dimissis literis in omnes partes, monẽt ordines grauissimis uerbis, ut arreptis armis quàm primùm accelerẽt, patriæ tuendæ causa: nam ad extremũ discrimen rem esse deductã. Ferdinandus illorũ postremis literis, XI die Aprilis, Egra respondet, in eandẽ prope sententiã, uti Cæsar: desistant igitur ab incœpto, nisi faciant, initurũ se rationem, quò

temeritas ista coherceatur: quòd pro Saxone intercedant, uideri sibi cumprimis mirum: nam neque de Cæsare, neque de se, neque certè de Bohemia sic illum esse meritum: de conuentu quod petant, facturum in eo se quod deceat. Interea Saxo progressus, Fribergum & Misenum oppidū ad Albim, Mauricio adimit. Et sub hoc tempus, qui Tridenti erant patres, Bononiam eunt, neq; post illum consessum, in quo de sacramētis egerunt, sicut antè diximus, ulla fecerūt decreta. Discedendi causa ferebatur, quòd aër huius loci minus esset salubris, ità dictante Hieronymo Fracastorio Veronensi, qui patrū concilij medicus erat, & à pontifice menstruos habebat aureos ad sexaginta. tulit hoc indignissimè Cæsar, & suæ ditionis episcopis atque theologis mandabat, ne pedem illinc mouerent. itáque concilij pars Tridenti, pars altera Bononiæ fuit. Cùm Norlinga Cæsar Noribergam peteret, Burensis Maximilianus, qui cum peditum signis duodecim, equitibus autem circiter quadringentis Francofurtum tenebat, eò uenit, accersitus: et quum deinde Francofurtum redisset, Aprilis die duodecimo supplicium sumit de duobus, quorū unus, Gulielmus Verdensis, erat oppidanus, alter uerò Ioannes Gelusius, ditionis Lantgrauij. Causa supplicij fuit, quòd à Lantgrauio summissi dicebantur, ut unius portæ claues à fabro compararent, ut quatuor diuersis locis oppidum incenderēt, ut infixis clauis ferreis, tormentorū usum adimerent, ut excitatis incendijs, Burensem eiúsq; familiares et consulem atque senatum auxilio sociorum trucidarent, ut puteos oppidi ueneno corrumperent, illum inprimis, qui culinæ Burensis aquam dabat, & alterū qui est in ipsa curia. pòst exijt scriptum, quod coniurationē hanc illos esse confessos in carcere, & cùm ad supplicium ducerentur in eo perstitisse dicit. Lantgrauius autem sese purgat, & à quo tempore Francofurtum in Cæsaris potestatem uenit, nihil ab se tentatum esse confirmat, & obiecta crimina multis grauibúsque uerbis amolitur: Ioanni Gellusio se mandasse quidem aliquoties, ut quâ Cæsar atque Burensis iter facerent cùm copijs, cognosceret, & id quidem solùm: quòd si autem acerbitate quæstionis & doloris magnitudine uicti, falsa dixerunt, & non alijs tantùm sed sibi quoque iniuriam ipsi fecerunt, orare, ne suam hoc ad inuidiam & odium transferatur: torturam enim omnem & quæstionem, quę modum excedat, esse rem incertam & periculi plenam: eius rei documentum esse, quòd hi ipsi, quos antea socios coniurationis nominauerant, eos deinde, cùm ad pœnā raperentur, innocentes pronunciarunt.

ciarunt. Aprilis die decimo tertio, delecti Pragenſes denuò ſcribunt ad ordines regni, grauitérq; monent, ut fœderi, quod ſit ipſis cum domo Saxonica, ſatisfaciant: queruntur etiam à nonnullis iam illud eſſe uiolatum: itáq; mandant, ne quis deinceps in illud committat. eodémq; die dant literas ad Ferdinandum, & ne militiam hanc ſuam ægrè ferat uel ipſe uel Cęſar: adhæc, ne Saxonem electorẽ oppugnet, orãt, primùm, propter fœdus, deinde, quòd ille de cauſa cognoſci cupiat. Hoc ipſo die, Ferdinandus Ioannẽ epiſcopum Olmuecenſem & quoſdã alios cõſiliarios Pragam mittit ad conuentum, qui ad XVIII Aprilis diẽ inſtitutus erat. per eos, quò minus ipſe uenerit, excuſat: deinde, ut fœdus nuper initum reſcindant, & diſcedant ab armis, petit: nam alioqui non poſſe liberum agi conuentum. id ſi denegetur, iam in madatis habebãt legati, ne quid agerent pręterea: ſi uerò mos geratur, ut tum agant ex præſcripto, nihil autem decernant, ſed ad ipſum referant omnia. Cæſar eodem die diſcedit Egra cum omni exercitu, comitatus Ferdinando fratre, qui grauis armaturæ equites habebat D C, Huſſaros autem ad mille, et peditum ſigna decẽ. Aderãt quoq; Mauricius et Auguſtus frater cum totidẽ copijs. decimo tandem die, quum cõtinenter iuiſſet, prope Miſenũ, ubi Saxo tum erat, Aprilis die XXII peruénit. eo cognito, Ioannes Fridericus, oppido relicto, quum pontẽ ſublicium incendiſſet, prope Mulbergũ ad Albim, caſtra ponit. Cæſar autẽ ueritus, ne Vuittembergã ſe reciperet, opere, pręſidióq; munitũ, et primariũ eius ditionis oppidũ, accelerandum ſibi uidebat. Iuſſis ergò progredi copijs, quum diẽ unum quieuiſſent, Aprilis die XXIIII mane uenit ad Albim. erant ad alterã ripam diſpoſitę ſtationes à Saxone cũ tormentis, ut Cęſarẽ impedirẽt, quò minus aut effecto ponte, uel uado reperto flumen tranſmitteret, tum etiam, ut eũ pontem, quem è ſcaphis atq; lintribus ipſi confectũ habebant, defenderent. cùm autẽ adeſſe Cęſarem omni cum exercitu uiderent, & Hiſpanorũ agmen unum, circiter mille, magno impetu proruerẽt in flumen, ſic ut brachijs tantùm extarent, & cõfertim eiacularentur, illi flammam in ſcaphas cõijciunt, quæ partim exuſtę fuerunt, et à ripis paulatim diſcedũt. Ibi pedites aliquot Hiſpani, nudi et gladios tranſuerſos ore deferentes, in flumen ſeſe cõijciunt, et quũ natando peruenijſſent in ulteriorẽ ripã, nauigia illa, quæ ſecundo flumine deuecta, Saxones à reliqua parte põtis auulſerãt, ſiſtũt, & licet multis peterẽtur telis, abducũt. Ex ijs nauigijs, et illis, quę Cęſar plauſtris adduxerat, effecto põte, fluuius deinde fuit conſtratus, ut pedites &

impedimenta transirent. In hoc rerum statu, Saxo, qui tunc sacram concionem audiebat, præmissis impedimentis, ipse postea subsequitur, & Vuittembergam iter habet. Cęsar autem, qui in celeritate momentum omne positum esse uideret, uado reperto, primùm Hussaros & leuiorem omnem equitatum transire flumen iubet. pòst ipse quoque cum grauiori armatura transit incolumis, neque cunctandũ ratus, donec impedimenta simul & peditatus adessent, progreditur, & tribus trans Albim milliaribus, ad syluam Lochanam, Saxonem offendit. ibi suos ad uirtutem cohortatus, initium prælij facit. Exercitus omnis equestris erat bipartitus. in prima acie erant Albanus, Lanoius, Antonius Toletanus, Baptista Spinellus, Mauricius: alterum agmen Cæsar & Ferdinandus cum duobus filijs & Sabaudię ducis filio ducebãt. Poterat Saxo uim tantam sustinere et fortè profligare etiam, si quidem exercitum omnem habuisset coniunctum: nam & Vuittembergæ & passim erant in præsidio relictæ magnæ manus, et Gulielmus Thumsernus cum suis copijs aberat, nec in tanta celeritate Cæsaris conduci potuerunt omnes. Itáque numero uictus & multitudine, quum ad noctem usque pugnatum esset: ipse, per sinistrã maxillam accepto uulnere aduerso, cùm fortiter sese defenderet, capitur, & ad Albanum abductus, Cæsari deinde sistitur. In cuius aspectum ubi uenit, equidem me tibi captiuum, inquit, statuo, clementissime Cæsar, & ut custodiam mihi ponas principe dignam, oro. Tum ille: nunc ergò sum tibi Cęsar? ait: accipiam te pro merito. Ferdinandus paulò acrius illum adortus est uerbis, & quòd ipsum atque liberos omnibus fortunis euertere tentasset, incusat. Captus cum eo fuit Ernestus Brunsuicensis, Philippi filius: natu uerò maximus filius electoris, accepto uulnere Vuittembergam peruenit. captiuorum ingens erat numerus: qui ex fuga superstites fuerunt, circiter cccc, Vuittembergã contendunt. in his erant Bichlingus & Recrodus. equites consectati fugientes magnam faciunt prędam, & tormenta omnia, quæ Saxo præmiserat, uti diximus, intercipiunt. Albanus deinde Saxonem & Ernestum Alfonso Viui custodiendũ tradit. Quo tempore Cæsar prope Misenum accessit, quod fuit Aprilis die uigesimo secundo, deinde, postridie, & eo die, quo flumine transmisso pugnauit, & aliquot pòst diebus, solis aspectus ualde fuit tristis, obscurus, pallidus, & ueluti caligine quadam circumdatus, ità quidem, ut plærique longissimè à Saxonia remoti, & ignari quid ageretur, iudicarent magni aliquid portendi. nec enim

in

in Germania solùm, sed per Galliam etiam & Britanniam id fuit obseruatum, & ità rem habere multa hominum millia testificari possunt. De regis Ferdinandi legatis, Pragam missis ad conuentū, antè diximus: regni proceres, auditis eorū postulatis, quòd fœdus fecerint & arma sumpserint, nec iniquum, neque contra Bohemię consuetudinem esse dicunt. deinde legationem ad Ferdinandum inuicē decernunt, qui eadē exponant, & simul illū orent, uti pro Saxone ad Cæsarē intercedat. sed prius quàm hi dimitterentur legati, nuncius à Ferdinando uenit de uictoria Cęsaris & capto Saxone. Ibi cōmutata sententia, commeatū & annonam pollicētur, et Ferdinandū orant, det operam apud Cæsarem, ut exercitus ille omnis in Vngariā deducatur aduersus Turcā, de cuius aduentu nunc crebrò nuncietur: alij quoque reges ad huius belli societatem inuitentur: quod si fiat, non se futuros in postremis. Capto Saxone, Cæsar Vuittembergam petit, eóq; cum exercitu, Maij die quarta peruenit, & triduò pòst, Ioannem Fridericum ob rebellionē, ut ait, capitis damnat: ille uerò, cùm audisset, animi cōsternati significationē nullam dedit, sed existimare se respondit, Cæsarē non ità secum esse acturū: ueruntamen, si fixum hoc ei sit atq; decretū, petere, ut certò sibi renuncietur, quò de rebus ad uxorē atq; liberos pertinentibus cōstituat. Brandeburgicus autē elector, ubi de facto prælio cognouit, statim iter arripit, & ad Maij diem sextum in castra uenit, & Cæsaris animum mitigat, ut Saxone conseruato sententiam mutaret. Conditiones ergò Cæsar proponit, quas ubi Saxo ratas habuit Maij die decimo octauo, uitam redemit. Inter alias hæc etiam perscripta fuerat, ut quicquid concilium aut Cęsar de religione decernerent, approbaret: cùm autem ille minimè assentiretur, in eóque permaneret, nec ullius periculi rationem in eo haberet, Cæsar eam particulam induci iussit & obliterari. Cæteræ uerò conditiones sunt eiusmodi. dignitati septemuirali, tam suo quàm liberorum nomine renunciat, & Cęsari, ut pro suo statuat arbitratu, permittit: Vuittembergam & Gotham, alterū regionis propugnaculum, Cęsari tradit, sic tamen, ut supellectilem omnem & annonam auferat, pręter quàm tormenta & tertiā alimonię partem: militi pręsidiario Cęsar abitionē permittit, absq; signis tamen: Albertū Brandeburgicum Saxo liberū sine mulcta dimittit, & ablata illi restituit: Cęsar inuicem dimittit Ernestum Brunsuicensem, accepta prius ab eo fide: quæ Mansfeldijs & Prussiæ magistro & Solmensibus per hoc bellū adempta sunt, Saxo reddit, iuri Magdeburgico, Halber-

ſtatenſi, Hallenſi renunciat: Cameræ Imperij, quam Cæſar cõſtituet, parére, et ſumptus in eam ſubminiſtrare promittit: ut Hẽricus Brunſuicenſis atq; filius liberi fiant, aſſentitur, nec ullam in eos actionẽ mouebit: diſcedit ab omni fœdere contra Cæſarem atq; Ferdinandum regem inito, nec ullũ deinceps faciet, in quo non ipſi cum ſuis prouincijs atq; ſocijs comprehendantur: bona illius omnia Cęſar publicat, eáq; donat Ferdinando fratri & Mauricio, ſic tamen, ut ei liberiſq; aureorum millia quinquaginta annua Mauricius dependat: ſi Cæſari uidebitur, Saxo, permittente Mauricio, Gotham oppidum & arcem retinebit cũ omni fructu, ueruntamen arcis munitionẽ demolietur, nec oppidũ firmabit: quia magnã uim æris alieni Saxo cõflauit, Mauricius, ut ea debita, quæ cõtracta ſunt ante fœdus Smalcaldicum, perſoluantur, ſubſidio dabit illius liberis ad centum aureorum millia: deinde, reliqua debita, quę publicatis, & ipſi à Cęſare donatis bonis inhęrent, perſolũat, eáq; ratione quę ſunt inter utroſq; lites & controuerſiæ, finẽ habebunt: in illos, qui Cæſari militarunt, nihil Saxo mouebit, ſed nec in Danię regẽ: decreta Cęſaris & ordinũ Imperij ſeruabit: quia ſupplicíũ & pœna corporis ei remittitur, erit deinceps in cuſtodia Cæſaris aut ipſius filij, Hiſpaniarũ principis: ijs bonis, ut ſuprà dictũ eſt, utentur fruentur ipſius liberi, modò pacis conditiones habeant ratas ipſi pariter atque populus. Ab hac pace excludun tur Albertus Mansfeldius, eiúſq; liberi, Bichlingus, Ringrauius, Recrodus, Thumſernus. quanquàm hic, ſi copias intra menſem dimittat, comprehendetur. Antequàm hęc cõſtituerentur, Cęſar è caſtris ante Vuittembergã ſexta die Maij cõſcribit ordines Imperij, ut ſub Idus Iunij Vlmæ cõueniant fœderis ineundi cauſa: legatos eò mittit cardinalem Auguſtanũ, Ioannem Brandeburgicũ, Liranum, Henricum Haſiũ. Idẽ facit rex Ferdinandus. Ad illud, quòd delecti Pragenſes nuper dixerant de facto fœdere, quaſi nihil in eo noui uel contra morẽ regionis feciſſent, Ferdinandus, è caſtris ante Vuittembergam, Idibus Maij reſpondet. prorſus eſſe noui rem exempli, quęq; ad ſuam iniuriã pertineat: deinde, quid per ſuã abſentiam fecerint, quàm multis modis rebellarint, oſtendit, & plurimis coaceruatis argumentis hoc agit, ut fœdus illud in Cæſarem atq; ſe factum eſſe demonſtret: ut igitur illud aboleant & reſcindant, & ſigillum cuique ſuũ reddant, & fœderis formulã ſuis tradant legatis, mandat: niſi pareant, capturũ ſibi eſſe conſilium. Etſi cum Saxone Cæſar tranſegerat, uti diximus, tamen qui Vuittembergam defendebant milites

pręſidiarij

præsidiarij, ad tria circiter millia, & ciues etiam recusabant facere deditionem, nisi princeps ipse mandaret. Oppidanos enim terrebat inprimis licentia militaris, quum ex ipsis propè mœnibus atque uallis conspicerent, quantum damni darent per agros, Hispani præsertim & Vngari. Saxo igitur Maij die uigesimo primo, quum frater & filius & consiliarij quidam prodissent ex oppido, militiæ sacramentum eis remittit, &, ut ante diem tertiū illinc discedant, iubet. eo accepto mandato, Cæsarem oppidani rogant, ne militem peregrinū introducat. promisit ille & seruauit, eisque potestatem fecit, ut eos omneis, qui non suo mandatu sese ingererent, eiusque rei fidem facerent, repellant. Facta deditione, Saxonis uxor, Sibilla Cliuensis, egressa cum filio & fratre mariti uenit in castra, & supplex facta, Cæsarem multis cum lachrymis deprecatur pro coniuge: Cęsar eam perhumaniter accipit & cōfirmat, deinde Saxoni permittit, ut oppidū ingressus per dies octo cum uxore & liberis commoretur. Quo die milites egressi fuerunt, mandatu Saxonis, quod erat uigesimo tertio die Maij, Cęsar pedites Germanos immittit, Nicolao Madrucio ducto re. biduo pòst, rex Ferdinandus cum filijs, cum electore Brandeburgico & Mauricio uenit in oppidum, spectandi solùm causa, neq; diu moratus redit in castra. post meridiem Cæsar etiam ingreditur, & cùm in arcem uenisset, uxorem Saxonis captiui salutat, et iterum consolatus, bono esse animo iubet. De Francisco rege Galliæ mortuo suprà diximus. is XXIIII primùm die Maij sepultus fuit in æde diui Dionysij, consecrata regibus, et una cum eo filij duo, Franciscus & Carolus, quorum ille, ante annum undecimum, hic autē ante biennium è uita decesserat. nam ad hoc usque tempus extabant. Interea dum Francisco regi funus paratur, effigies illius per dies aliquot exornata pulcherrimis uestibus, diademate, sceptro & reliquis insignibus, lecto superimponitur, ad eámque certis horis prandium atque cœna defertur, ijsdem planè ceremonijs, ut uiuo fieri consueuit: ijs deinde remotis uestibus, lugubres inducuntur: aderant perpetuò monachi quadraginta octo, ex ijs qui uulgò dicuntur mendicantes: hi cōtinenter decantabāt missas & uarij generis preces: circa corpus exanime positi erant cęrei magni quatuordecim, & è regione, altaria duo, in quibus inde à prima luce sacra fiebant ad meridiem usq; : sacellum etiam erat in propinquo, cum infinitis cæreis atque luminaribus: circa currum, in quo corpus ferebatur, erant monachi uiginti quatuor cum totidem cæreis: antecedebant autem homines egeni,

quingenti, lugubri ueſte, cum ſingulis facibus. Inter alios proceres aderant cardinales undecim. orationem funebrem habuit Petrus Caſtellanus, epiſcopus Matiſconenſis, de quo ſuprà diximus. Hic inter alia multa regem conſtituiſſe prædicat exædificare collegium, in quo docerentur omnes artes atq; linguæ, & ad ſtudia literarum alerentur ſexcenti, ad eámque rem deſignaſſe dicit aureorum millia quinquaginta annua. De Erico Brunſuicenſi diximus antea: is, ut agrum ſuum ab iniuria defenderet, Maij die XXII diſcedit ab obſidione Bremę: idē facit Vrisbergerus, qui alteram exercitus partem ducebat, et inter eos de loco conuénit, ubi ſuas copias iterum coniungerent. Ericus autem incidit in hoſtem. hi erant Hamburgenſes, qui Bremenſibus auxilio uenerant: pugnatum eſt acriter in ipſam uſque noctē, & Ericus tandē profligatus, ac in Viſurgim flumen compulſus cū equitatu, multos è ſuis deſiderauit: ipſe tamen tormentis omnibus amiſſis euaſit incolumis, & pòſt ad Cæſarem profectus, culpā omnē in Vrisbergerū contulit, qui ſibi nō tuliſſet opem. Erant cum Bremenſibus eorúmque ſocijs Albertus Mansfeldius, Hedeccus, Thumſernus, Cōradus Phenningus, & alij complures: ubi uerò cū Cęſare Saxo tranſegiſſet, dilapſæ fuerūt omnes iſtę copię. Dum hęc geruntur, Mauricius & Brandeburgicus pro Lantgrauio diligēter intercedunt: & quò cōmodius res ageretur, Lipſiā illum euocāt: ſed quum Cęſar omninò uellet, ut abſq; cōditione ſeſe dederet, arces etiā omneis atq; tormenta traderet, infecta re domū redit, eóq; die Vueiſ ſefelſum uſq; proficiſcitur, quatuor à Lipſia milliaribus. Poſtridie, cùm inter equitandum, de propoſitis cōditionibus, déq; ſua fortuna ſermonē cum Chriſtophoro Eblebo cōferret: quòd ſi ſcirē, inquit, fore, ut Cæſar exorari ſeſe, méq; domū redire patiatur, & ex propugnaculis unū mihi permittat, inſtructū tormentis, equidē, publicę pacis cauſa, reliquas arces demoliri, et tormenta omnia tradere, nō recuſarem. Tum Eblebus, hunc, ait, ſermonē ad Mauriciū referam: paucos intra dies uel rurſus adero, uel certi quid renunciabo per epiſtolam, & ut interim ab alijs conſilijs quieſcas, oro. profectus igitur ad Mauriciū, non multò pòſt, redit, & literas ad illū à Mauricio, ſimul et Brandeburgico perfert, quarta Iunij die ſcriptas in hāc ſententiā, è caſtris ante Vuittebergā. ſimulac de ipſius uoluntate per Eblebū, amplius accepiſſent, ad Cæſarē denuò ſe rem detuliſſe: quid autē impetrarint, hoc ipſam docere formulā, et capita pacis, quę nunc Eblebus ei ferat; & quia ſint conditiones tolerabiles, nō dubitare ſe, quin

ſit

sit eas admissurus, præsertim, quum uideat quanto uersetur in discrimine: nõ recuset igitur illas, & Cæsari sese permittat absq; cõditione: nec enim esse, quod uereatur, ne grauiora Cæsar imponat, aut ipsum detineat captiuũ: eius rei nomine fidẽ se suam interponere, &, si quid ipsi pręter eam formulã, quam nunc per Eblebũ sit accepturus, accidat, aut si detineatur, nõ se recusare, quin eandẽ subeãt fortunã, et ab ipsius interpellati filijs, ad satisfaciendũ sese sistant: de religione futurum, ut ipsi caueatur eodem modo, quo sibi iam cautũ sit & Ioanni fratri: quòd cùm ità sit, & quoniã ista transactio nõ ipsi modò priuatim, sed reipublicæ quoq; sit utilis futura, petere se maiorẽ in modum, ut quàmprimum accedat, & Henricũ Brunsuicensem atq; filiũ adducat, & cõditiones recipiat, suámq; fidẽ sequatur: nec esse quòd metuat, ne fortè per uim ipsi Brunsuicensis eripiatur in uia: periculũ enim omne sese uelle præstare, & cùm erit ingressus iter, fore, ut obuium habeat equites, qui ipsum deducant incolumem. Formula pacis hæc erat. ut se suámq; prouinciã Cæsari nulla cõditione dedat: ad Cæsarẽ ipse ueniat, & supplex cõdonari sibi petat: erga Cæsarẽ obsequenter sese deinceps gerat & officiosè: quæ Cæsar pro salute reipublicæ faciet decreta, seruet: Camerę iudicio, quod Cęsar cõstituet, pareat, & sumptũ pro uirili parte sustineat: aduersus Turcã auxilia, singulis temporibus, ut cæteri principes, conferat: ab omni fœdere, maximè autẽ Smalcaldico discedat, & eius generis literas omneis Cęsari tradat: nullũ fœdus unq̃ faciat, in quo nõ Cęsar et Ferdinandus rex comprehendantur: hostibus Cęsaris omni sua prouincia interdicat: si quem Cæsar mulctare uelit, eũ minimè defendendũ suscipiat: Cæsari det iter per suos fines, quum res ità feret: in suæ ditionis homines, qui contra Cæsarem aut Ferdinandũ militabunt, grauiter animaduertat: eos uerò qui iam militant, reuocet, ut intra diẽ XIIII discedant à signis, & nisi pareant, bonis omnibus mulctet, quæ Cęsari deinde cedãt: in sumptũ belli Cæsari dependat intra quartũ mensem aureorũ millia centum, quinquaginta: quas habet arces atq; propugnacula, pręter Zegenhemũ aut Cassellũ, ad solum usq; demoliatur, & quos in ea disponet præsidiarios atq; duces, in Cæsaris fidem adigat: nihil in posterum, nisi de Cæsaris uoluntate, muniat: machinas omneis bellicas cum omni instrumento Cæsari statim tradat: ex ijs uerò Cęsar ei largiatur, quantum satis esse uidebitur ad eius loci, quẽ ei concedet, tutelam: Henricum Brunsuicensem, eiúsq; filiũ, liberos dimittat, & Henrico suã prouinciã reddat, eiúsque ditionis populo

iuſiurandum remittat, déque damno dato cum illo tranſigat: quæ Pruſſiæ magiſtro cæteríſque per uim eripuit, reſtituat: in Daniæ regem uel quoſuis alios nihil moueat, quòd uel opem ei tulerint, uel quòd Cæſaris ſecuti ſint partes: captiuos omneis, qui Cæſari militarunt, abſque mulcta dimittat: iis qui iure cum ipſo quaq; de re uolent experiri, ſeſe ſiſtat: has leges ipſius liberi ratas habeant: idem faciant nobilitas atque populus, & ſi quidē ille pacta non ſeruet, comprehenſum Cæſari tradant: pro his rebus omnibus Brandeburgicus & Mauricius & Vuolfgangus Palatinus generi fideiubent, &, niſi pareat, uires omneis in ipſum expedire ſpondent, ut ad ſeruanda pacta cogant. Hæc ubi fuiſſent allata, de communi ſuorum ordinum conſilio & aſſenſu Lantgrauius ea recipit, ſic tamen, ut amplius nonnulla ſibi peteret declarari. Sexta die Iunij Cæſar iam moturus caſtra, milites præſidiarios, Vuittemberga rurſus euocat: confeſtim Mauricius ſuos immittit, & quum eodem die conſules atque ſenatū uocaſſet in arcem, de priuilegijs ipſorum atque libertate nihil ſe uelle deminuere dicit, ac ſimul in ſuam fidem illos per iuſiurandū adigit. Eſt enim Vuittemberga, ſeptemuiralis ditionis oppidū primariū, qua Cæſar Mauricium nuper donauerat, publicatis Ioannis Friderici bonis, uti diximus. Oppidani pòſt & nobilitas orant Mauricium, uti ſcholam in hoc tumultu bellico dilapſam reſtauret: hoc ille promittit, & ſimul homines ruſticanos, qui profugerant, reuocari iubet, & ad ædificandum, materiam, ad ſementem uerò faciendam & tolerandam uitam, frumentū illis dare pollicetur, tenuioribus quidem, gratis, alijs autem, mutuò. deinde Iulium Pflugium mittit in poſſeſſionem epiſcopatus Numburgenſis, & Nicolaum Amſtorffium inſtitutum à Ioanne Friderico, ſicut libro decimo quarto diximus, deijcit. A Cęſare quoq; miſſus fuit Lazarus Schuendius cum præſidio militum, ut & Gotham arcem dirueret, et Albertum Brandeburgicū ibi captiuum liberaret. Hyeme ſuperiori, Magdeburgicus archiepiſcopus cum Ioanne Friderico tranſegerat, ſicut diximus, eíque ditionem ceſſerat: commutata uerò fortuna, quum & Cęſar & clerus hoc ipſum indignè ferrent, coadiutor ei datus eſt electoris Brandeburgici filius Fridericus. E caſtris Vuittembergicis in Bohemiam reuerſus Ferdinandus rex, Lætmericiæ, quod eſt ad finines oppidum, ſubſiſtit: illinc initio Iunij dat literas ad omneis ordines Bohemiæ. queritur denuò de fœdere, & illud contra ſe factum eſſe dicit: itáque mandat, ut ab eo diſcedant, & ſinguli, quid ſuæ ſit

in

in eo uoluntatis, nominatim sibi perscribant: scire enim se, multos esse lapsos per imprudentiam, quibus ignoscere uelit, neque moturum esse quicquam, nisi tantùm in eos, qui suum istum magistratum uiolarint. Quum Vlmam uenissent ordines: legati Cæsaris, quos diximus, prolixè commemorant, quantópere Cęsar et Ferdinandus paci Germaniæ semper consuluerint tàm in publicis quàm priuatis actionibus: uerùm eius rei nulla habita ratione, Saxonē & Hessum, nō ipsos modò rebellasse, uerùm alios etiā, ut idē facerent, impulisse, & uiolatis legibus atq; iure, omnia conturbasse per Germaniā: itáq; Cæsarē, pro sui magistratus dignitate arma necessariò sumpsisse, maximo & uitæ cum periculo & fortunarum dispendio: quid autem damni dederint rebelles illi atq; proscripti per hoc bellū, ditioni Moguntinę, Magdeburgicę, Halberstatensi, Eistetensi, Augustanę, Fuldensi, Stolbergijs, Mansfeldijs et Gemundę ciuitati, satis hoc esse notum: & quia Cæsaris cogitationes omnes eò tendant, ut Germania pace fruatur, inprimis ei uideri consultum, ut fœdus aliquod eius rei causa fiat: eiusdē quoq; sententię Ferdinandū regem esse, & utrunq; in eam societatē esse uenturum, ut & præsens hic tumultus, & si quis alius nascetur aliquandò, facili momento coherceri possit: nā ut communi patriæ bene sit, nihil esse reliqui facturos ad summā diligentiā atq; fidem: idē inuicem ab ipsis illos expectare. Hanc ipsorū deliberationem pestilentiæ uis interpellauit: Augustam ergò sese tandem recipiunt, quo in loco Cæsar magnos Imperij conuentus agere instituit, ut infrà dicemus. Cæsar deinde rebus ad Vuittembergā constitutis, Halam Saxoniæ proficiscitur, quod est ad Salam flumen, oppidum, inde petiturus Hessiam, nisi Lantgrauius transigeret. Cum autem in his esset angustijs Lantgrauius, nec aliter posset, Mauricij fidem atque Brandeburgici secutus, iter ingreditur, & decimo octauo die Iunij Halam uenit sub uesperum, medius inter Mauricium & Brandeburgicum, qui obuiam ei Numburgum usque processerāt. horam unam pòst, uenit etiam eò Brunsuicensis Henricus cum filio Carolo Victore, qui captiuus fuerat, & altero filio Philippo, & Erico Brunsuicensi, qui nuper post aduersum factū pręliū, uti diximus, eò uenerat. Postero die, mane, Christophorus Carlebicius ad Lantgrauium ueniens, pacis formulā exhibet, uti subscribat. in ea fuit additū, Cęsaris esse interpretari singula eius capita. Lantgrauius ergò, quoniam id in illa, quam Brandeburgicus & Mauricius antè miserant, perscriptum non erat, episcopo Atrebatensi renunciat, nō sibi

esse integrum subscribere. is per scribam esse neglectum ait, & rursus idem urget. sic ille morem gerit. Amplius deinde petit Atrebatensis, quia de religione sibi uelit caueri, sicut Mauricio cautū sit atq; Brandeburgico, ut ipse uicissim caueat & Cæsari promittat uelle parére concilij Tridentini decretis. Ille contrà. nec antea quenquam apud se, nec pacis quoque formulam eius rei meminisse: cariturum potius illa cautione Cęsaris, ut ipsi quoq; non sit necesse cauere: cúnque diu super eo disceptatum esset, minæ quoque fuerunt adhibitæ: consediſſe iam in aula Cæsarem, & ipsum operiri, molestéq; ferre dilationē: maturet ergò, ne quid ille fortasse grauius in ipsum statuat. Tandem in hæc uerba subscribit Lantgrauius. liberi, pij & generalis concilij decretis, quo quidē in concilio non minus reformetur caput, quàm reliqua membra, uelle se parére, sicut Mauricius & Brandeburgicus facerent. hi enim ab Augustana confessione non se discessuros, ei promiserāt. Eo facto, sub horā quintam, post meridiem, ubi Cęsar in solio, domi suæ consedit, electores duo, quos dixi, Lantgrauium adducunt, qui cum ad Cæsarem propius uenisset, in genua subsedit, & proxime illū Cancellarius Guntherodus, qui de scripto recitans, quòd Lantgrauius, inquit, anteacto bello, grauiter te offendit, potētissime Cæsar, sic ut iure in eum uindicare possis, hoc ei summopere dolet, eóque, sicut antè promisit, tuæ uoluntati sese permittit, ac simul per omnia sacra rogat, ut & pro tua clementia factū ignoscas, & proscriptionem, quam commisit, aboleas, & pristino loco ipsum restituas, et in tuam fidem ipsius omnia recipias: hoc ille summi beneficij loco habebit, ac deinceps omnem tibi fidē, obsequium & obedientiam præstabit. Cæsar ad ea, per Georgiū Seldum, ubi deliberasset: etsi grauissimam pœnam sit meritus, ut & publicè constet, & ipse fateatur, se tamen ait & pro sua liberalitate, & quoniam principes aliquot interceſſerint, non recusare, quin & à proscriptione liberetur, & neque supplicio, quod sit commeritus, neque carcere perpetuo, neque bonis etiam mulctetur amplius, quàm sit in formula pacis definitum: ipsius etiā nobilitati atque populo sese ignoscere, modò pacta seruent, & suum hoc tantum beneficiū deinceps agnoscant. Huius actionis erant spectatores, Maximilianus Austriacus, Philibertus Sabaudus, Albanus, Prussiæ magister, Atrebatensis, Numburgicus, Hildesemius episcopi, Henricus, Ericus, Carolus & Philippus Brunsuicenses, Romani pontificis, Bohemi, Danię regis, Cliuenses, & maritimarum aliquot ciuitatum legati, deinde ex

nobilitate

nobilitate complures. Lantgrauius, qui salua putaret omnia, Cæsari gratias agit, & cùm diutius eum Cæsar insidere genibus pateretur, iniussus consurgit. pòst aliquantò Brandeburgicus accedit, & ipsum atque Mauricium unà secum apud Albanum ducem esse cœnaturos dicit: ille ne tum quidē aliquid odorari potuit. cum ad Albanum uenissent, cœnatur: à cœna Mauricius & Brandeburgicus cum Albano & Atrebatensi colloquuntur: interim fallendi temporis causa Lantgrauius ludit alea. Multa iam nocte, Mauricius & Brandeburgicus illum ad se uocant, & per Eustachium Schlebium ostendunt, se per omnem uitā, ut uiros principes deceat, egisse fideliter, & si quid essent polliciti, seruasse diligenter: eandē fidem ab alijs etiam expectasse: nunc uerò ducem Albanum & Atrebatensem dicere, ipsi pernoctandum ibi esse, custodibus admotis: eare nihil unq̄ sibi grauius accidisse nec acerbius: uelle autē cum ipso Cæsare colloqui, et sperare nō detentum iri. tum ille, se quiduis potius expectasse, quàm ut id fieret: ipsorum fidem secutū eò uenisse: scire ipsos, quomodò sibi liberísque deuincti sint: satisfaciant igitur ei promisso & obligationi. Cùm uerò manendū esset, Mauricius, & ex Brandeburgici cōsiliarijs nonnulli cum eo per noctē illam cōmorantur. postridie Cæsarē adeunt, & grauem habent querimoniam, & quanti existimationis ipsorū intersit, demonstrant: etenim, si qua fuisset eius rei uel minima suspitio, nec illi sese consulturos, ut eò ueniret, nec illum, ubi libertatem esset amissurus, unquam fuisse uenturum: habeat igitur ipsorū, qui intercesserint, rationem, eúmq̄ missum faciat, quod quidē ipsi per interpositam fidem ei promiserint. Cæsar, cauisse quidem illi dicit, non quòd omninò non esset detinendus, sed quòd non perpetuò, nec aliud suæ fuisse uoluntatis, ostendit. Ad consiliarios deinde transeunt, inprimis ad Atrebatensem. ij, post multā et acrem disceptationē, Lantgrauio nunciant, licere uti discedat: ille, perlibenter, ait, modò ut incolumis domū deducar. hic iterum duo illi intercedunt, sed frustrà. biduò pòst, ei nunciatur, ut Cæsarē comitetur. hoc ille recusat omninò, neq̄ se profecturū dicit, nisi ui pertrahatur. Ibi tum Mauricius & Brandeburgicus multùm orant & obtestantur, ne recuset: quóque magis faciat, dextra data, pręsentibus aliquot ex nobilitate, non se discessuros promittunt ab aula Cæsaris antè, quàm sit liberatus. Profecti cum eo Numburgum, ad Cęsarem pòst abeunt, ut ipsius causam agant. triduo pòst, quod erat Iunij die uigesimo sexto, Carlebicium ei mittunt, & quòd Cæsarē non sequantur

longius, orant ne moleſtè ferat: nam illũ omninò uetuiſſe, ne faciant: alioqui futurũ, ut in Hiſpaniam ablegetur: ueruntamen, ſi centum il la & quinquaginta aureorũ millia perſoluat, ſi de reliquis etiam ſer uandis conditionibus fidem faciat, intelligere ſe, futurũ, ut intra deci mum quartum diem poſtea liberetur: Auguſtam ſeſe profecturos eſſe breui ad comitia, nec ullum ſtudium, fidem atque diligentiã præ termiſſuros. Ille, qui caſum hunc immoderatiſſimè ferret, de pecu nia, déque diruendis arcibus uelle ſe curare dicit, & confidere, cuius rei ſpem faciant, fore ut ea præſtetur. Poſtea Turingiæ finibus egreſ ſus cum Hiſpanis, ubi Greuetallum ueniſſet, Albano fidei publicæ literas & obligationis formulam exhibet: is nihil, niſi de perpetuo carcere promiſiſſe Cæſarem ait interceſſoribus. Et quis igitur eius captiuitatis, ait Lantgrauius, erit modus aut terminus, quoue tempo ris interuallo circumſcribetur? etiamſi per XIIII aut eò plures an nos, inquit Albanus, te detineat, nihil tamen contra promiſſum Cæ ſar fecerit. Ille, quò libertatem quàmprimum recuperaret, pecuni am non multò pòſt, omnem dependit, arces demolitur, & machinas tradit. Porrò, tormentorum, quæ partim ab illo, partim à Saxo ne & Virtembergico & à ciuitatibus eſt conſecutus Cæſar, ingens erat numerus, &, ut aiunt, ad quingenta: quorum deinde nonnul la, Mediolanum, alia, Neapolim, alia in Hiſpaniam miſit, reliqua per Belgium diſtribuit, tanquam uictoriæ trophæa & monumenta.

Lantgrauij captiuitatem acerbiſſimè tulit is, quem internuncium fuiſſe diximus, Eblebus, genere nobilis, & aliquantò pòſt è uita deceſſit, dum eius rei cogitatione uehementius afficeretur, ut plæ rique putant. Cæſar conſtituerat bellum facere Magdeburgicis, qui ſunt infra Vuittembergam ad Albim, iter bidui: nam hi prope ſoli minus ei ſatisfaciebant: ſed in hoc ipſo tempore Galliæ rex Hen ricus militẽ in Germania conducit per Sebaſtianum Vogelsbergiũ, ad ſigna decem. id erat Cæſari ſuſpectum: itáq; tum propter hãc cau ſam, uti creditur, tum, quòd illos alia uia poſſe coherceri putaret, Ha la profectus, iter ſuũ in Germaniã ſuperiorẽ conuertit, et Iunij die ui geſimo ſeptimo Marchionem Marignanũ Ferdinando fratri mittit auxilio cum ſignis octo peditum Germanorum. Erat tum Ferdinan dus Lętmericiæ: occaſionẽ expectans rei gerendæ: quumq; de ſucceſ ſu Cęſaris audiſſet, et capto Lantgrauio, calendis Iulij miſſis literis ad Pragenſes, mandat, ut ad ſextum Iulij diẽ ſibi præſto ſint in arce Pra genſi, ſeſeq; cognitioni ſiſtant. poſteaq; eò uenit cũ copijs, in publico

conſeſſu

confessu rem omnem anteactã,& quot modis in ipsum deliquissent, exponit,& læsæ maiestatis crimen admisisse dicit,& ut ad singula respondeant, iubet. Ibi tum illi facti supplices, ipsius uoluntati sese permittunt,& ne iure secum experiatur,flagitant: itáque rex,quum & Ferdinandus filius & Augustus Mauricij frater & alij quidam proceres intercederent, has eis conditiones decima die Iulij proponit. in proximo conuentu fœdus initum prorsus aboleant,conuulsis omnibus sigillis, libertatis & priuilegiorum suorum literas omneis atque documenta sibi tradant, quò nonnulla corrigat,& quę uidebuntur, ipsis denuò largiatur & confirmet: tradant etiam literas omneis,quibus iura tribuum atque societatum cõtinentur,eò quòd ex ijs nonnulla turbis occasionem atque materiam subministrent: arces quoque tradant & iurisdictionẽ omnem atque uectigalia, deinde literas omneis fœderis,& eius quod cum cæteris ipsi fecerunt, & quod initum est cum Ioanne Friderico: ceruisiæ uectigal illud promissum in annos treis,perpetuò dependant: tormenta & bellicum instrumentum omne deducant in arcem, & quæ priuatim quisque habet arma conferant in curiam. hæc si faciant,multitudinem se conseruaturum ait,exceptis nonnullis,quos ad pœnam,ut meriti sint,& in commodum reipublicæ captiuos detinere uelit. Ad populum relata,quum ex captiuis ad quinquaginta dimisissent,transactum est. ex nobilitate quidam citati,quum ad diem non uenissent,lata sententia,famam, fortunas omneis atq; uitam commisisse pronunciantur: aliæ quędam ciuitates atque nobiles,ad eum modum,uti Pragenses, absq; conditione sese dedunt. Caspar uerò Pflugius, quem rei summæ confœderati præfecerant, uti diximus, læsæ maiestatis damnatur, & in eius caput præmium cõstituitur, aureorum millia quinq;. In comitijs deinde, quum abolito fœdere sigilla conscidissent,rex ea quæ postulauerat,omnia propemodum ab illis impetrauit. Dum in Germania Cæsar triumphat,grauis orta fuit Neapoli seditio, cuius hæc erat causa,quòd prorex,Petrus Toletanus,pro more Hispaniæ uellet de cuiusque fide & religione inquirere. tulerunt hoc impatienter ciues,alioquin etiam pertæsi Hispanorum imperiũ,& post multas utrinque lanienas in urbe, Hispani superiores extiterunt, ut qui propugnacula tenerent & arces. itáque mulctatis aliquot, reliqui iubentur exulare. Cæterùm, inquisitio Hispanica, quæ tàm est hodie celebris, instituta fuit olim ijs locis,à Ferdinando & Elisabetha, regibus, in Iudæos, qui post baptismum suos ritus atque leges

retinerent. nunc autem, quandò Lutheri nomen est inuulgatum, in omneis promiscuè, qui uel minimùm suspecti sunt, exercetur, et aspe rè quidem atq; subitò. His ipsis diebus, Galliæ cardinales ad septẽ, regis mandatu Romam petunt, & ibi commorari iubentur, donec aliud nuncietur. id eò factum esse putatur, ut & horum opera pon tifex omninò se ad regis amicitiam applicaret, &, si mortem obiret, quia iam ætatis annũ octogesimũ agebat, ut alius crearetur non alie nus à rege. neq; uerò deerant, qui Conneſtablij factũ hoc esse cõsilio dicerent, ut per illorum absentiam solus ipse regem possideret. nam illi prope omnes, regem, quocunque iret, sectabantur. Legatum pontifex paulò antè miserat in Galliam Hieronymum Romanum, cardinalem, cum amplissima potestate largiendi multa, quæ sunt & legibus & concilij quoque decretis interdicta. cardinalem etiam hoc tempore creauit Carolum Guisium, Claudij filium, archiepiscopum Rhemorũ, quem regi periucundum esse sciebat. Galliæ rex contrà, filiolam suã, notham, circiter nouem annorũ puellam, Oracio Far nesio, pontificis ex filio nepoti spondet, maioris necessitudinis ineun dæ causa. Cæsar, Hala digressus, Bambergam uenit, ut in ea propin quitate magis terreret Bohemos, & fratri tanq; neruos adderet. hic quum esset, tertia Iulij die conuentũ denunciat Imperij, & ut ad calen das Septembris Augustæ cõueniant omnes, principes quidem, ipsi, reliqui uerò legati, cum plenis mandatis, edicit, séque bellis fuisse tar datum ait, quò minus ad anteactas Februarij calendas egerit conuen tus, uti Ratisbonæ decreuisset: turbis uerò sedatis, & quia motuum authores in sua nunc habeat potestate, non amplius differre se uo luisse, quò nimirùm reipublicæ partes uitiosæ sanari possint: delibe rationem autem fore de ijs rebus, quæ Vuormaciæ, & ante annum Ratisbonæ tractari debebant. Vlmæ futurus erat hic conuentus, uerùm ob pestilentiæ contagionẽ mutatus est locus, ut suprà quoq; diximus. Bamberga deinde petit Noribergam: ibi cùm esset, aliquot Saxoniæ ciuitates in gratiam recipit, & decimo sexto Iulij die literis euulgatis, quid cum Lantgrauio sit actum, & quibus ei pactis igno uerit, exponit: & quoniam ille sit solicitus, ne fortè plærique per im prudentiam, ipsius bonis atque populo uim faciant, ideò se, rogatu illius mandare, ut omnes abstineant, & si quam habent in eum actio nem, ut legibus experiantur. Hoc ipso tempore Mauricius, Me lanchthonem, Pomeranum, Crucigerũ, theologos Vuittembergi cos, perhumaniter accipit Lipsiæ, quò illos euocauerat, & de sua in

religio-

religionem uoluntate multa locutus, ecclesiæ simul & scholæ ministerium illis cõmendat, & ut pro sua cõsuetudine pergant, hortatur, & stipendia cõstituit, &, ut ipsimet scribunt, donis ornatos dimittit. nam edito pòst libello, Pomeranus hanc illius humanitatẽ & munificentiam prædicat. Galliæ rex, qui calendis Aprilis parenti successerat, Iulij die xxv, post meridiem, ad urbem Rhemorũ uenit, inaugurationis causa, & ante primariam ædẽ sacram exceptus à tribus cardinalibus, deducitur ad aram, & osculatus ibi diuorũ reliquias, auro inclusas, & reliquis peractis precibus, ad cœnam abit: cœnatus redit, & denuò precatus, cum sua delicta sacrifico recitasset, ad quietem sese confert. postridie mittit quosdam ex nobilitate, qui diui Remigij abbatem orent, ut pyxidem olei sacri, quam cœlitus uenisse dicunt, adferat. post in templo conueniunt hi qui dicuntur pares Franciæ, numero duodecim, Rhemensis, Laudunensis, Lingonensis, Bellouacus, Nouiodunus, Catalaunus, episcopi: deinde, rex Nauarræ, Vendomensis, Guisius, Niuernus, Mompenserius, Aumalius. hi repræsentabãt Burgundiæ, Normanniæ, Aquitaniæ duces, itẽ, Tolosæ, Flandriæ & Campanię comites. Ex episcopis delecti fuerunt, Lingonensis & Bellouacus, item cardinales duo, qui regẽ adducerent: quum in cubiculũ hi uenissent, recitatis aliquot precibus, regem lecto decumbentem, uti fert ceremonia, subleuant, & comitati reliqua turba sacrificorum, deducunt in ædem sacram, prægestante districtum ensem Connestablio. Rex, quum ad arã esset precatus, ab episcopis in suam sedẽ deducitur, & interea dum pyxis illa uenit, archiepiscopus Rhemensis, ubi preces, quæ libro ceremoniarũ continentur, absoluit, aqua cõsecrata regem & cæteros omneis aspergit. cúncq; iam pyxis aduentare diceretur, quam absentis abbatis uicarius monachus ferebat, insidens equo gradario albo, & sui ordinis monachis comitatus atque nobilibus illis, quos antè diximus à rege fuisse missos, archiepiscopus obuiã ei procedit cum episcopis aliquot, usq; ad uestibulũ templi, præeunte crucigero, atq; ibi pyxidẽ ab illo recipit, interposita cautione de restituendo: & cum rursus ad aram ueniret, rex è sede cõsurgens, honorem ei defert. pòst in sacrarium templi sese confert archiepiscopus, atq; ibi more solenni uestitus egreditur, & insiurandum ab eo petit atque fidem, qua pro ueteri consuetudine reges dicuntur esse deuincti ecclesiæ. ab episcopis deinde duobus rex ad arã adducitur: ibi sumptis alijs uestibus, in genua procumbit, & gladio, quem ille multis precibus consecrauit, ut aiunt, cingitur.

Post hęc, archiepiscopus oleum ritè parat, & interea dum reliqui sacrifici suas cantiones expediunt, tacitè cum rege precatur, uterque pronus in terram: deinde caput regis & pectus & utrunq; humerũ, & utriusque brachij iuncturam inungit, additis precationibus usitatis. Eo facto, rex nouis uestibus, tanquam ecclesiæ minister, induitur, & in utriusque manus palmam inungitur: manus deinde componit ad pectus, & chirothecis induit cõsecratis, uti uocant. archiepiscopus uerò annulum ei in digitum inserit, & dextræ sceptrum tradit, & in hoc ipso momento Cancellarius euocat eos, qui dicuntur pares. ijs præsentibus, archiepiscopus ab altari sumit Caroli magni coronam, & quum eam tetigerunt pares, capiti regis imponit, & in solium editiori loco constructum, regem deducit, comitante procerum turba, & finitis ibi precibus, osculatur. Idem faciunt proceres, & acclamatione facta, multam ei salutem precantur omnes, & clangore tubarum excitatur publica congratulatio: pòst, in promiscuam multitudinem dispergitur aurum & argentum. inde missam archiepiscopus orditur, & decantatis euangelij uerbis, rex nummos aliquot aureos & panem argenteũ & uinum ad aram defert, & peracto sacro, cœnam domini more ipsorum percipit. postea prandetur. In hunc usum, & ne qua res hunc actum interturbaret, rex uolebat uideri militem conduxisse Germanum, ductore Vogelsbergio, sicut antè diximus. Interea Cæsar reliquos Imperij ordines pecuniam poscit, ob sumptus belli, quod ipsorum causa potissimùm, & pro salute Germaniæ susceptum esse dicebat. nobilitas etiam omnis, & ij qui Smalcaldicis militauerant, tota passim Germania mulctantur. Eius uerò pecuniæ, quam à principibus atque ciuitatibus tum pontificijs tum Lutheranis consecutus est Cæsar, summa censetur supra decies sexties centena aureorum millia, ut quidem ex rationibus editis apparet. quosdam etiam Cæsar, uti rebelles, à sua gratia planè repudiabat: in his erãt Georgius Vuirtembergicus, Albertus Mansfeldius, Ioannes Hedeccus, Ludouicus Comes Oetingensis, pater atque filius. hunc enim sic mulctabat, ut ipsius possessiones omneis, alteris filijs, quorum erga se fidem atq; studium probabat, Friderico & Volfgango, prorsus attribueret. itáque ille cum uxore cæterisq; liberis profugus, & omni fortuna dispoliatus, Argentoratũ uenit, ac deinde multis annis passim oberrauit, donec temporis facta commutatione, Cæsar illis ignosceret, ut infrà dicemus. Magdeburgicos etiam Cæsar euulgatis literis proscribit: sed & Ferdinandus rex,

propter

propter ſuis finibus illatum bellum, à Smalcaldicis, præſertim à ciui tatibus pecuniam exigit, & ab Auguſtanis quidem ac Vlmenſibus ingentem ſummam conſequitur: deinde Vlricho Vuirtembergico, quaſi fidem & ſuperiorum annorum pacta uiolaſſet, litem de tota prouincia facit: neque quicquam illi profuit, quòd grauiſſimis conditionibus nuper à Cæſare pacem redemerat. Adhęc, cardinalis Auguſtanus maximam auri uim à ciuitate etiam extorquet: ſed & Tridentinus pecuniam eos popoſcit, quòd Ferdinando regi militem auxilio ſe miſiſſe diceret, ad recuperandum in alpibus aditum illum, à Schertelino, ſicut diximus, occupatum. Heluetios quoque Cæſar de nouo fœdere ſolicitat: Baſileam tamen & Tigurum & Schafuſium & quoſdam alios eximit, quòd ad imperium eos pertinere diceret. Illi, de communi conſilio reſpondent, cum Auſtriaca, cúnque Bugundica domo, ſibi fœdus eſſe, cui firmiter inſiſtant, nec eſſe quòd aliam ſocietatem ineant: idem ſe uiciſſim ab ipſo etiam expectare.

Sub finem Iulij menſis, Auguſtam Cæſar uenit cum Saxone captiuo: Lantgrauium uerò Donauerdæ reliquit, cuſtodibus Hiſpanis, qui multa quotidie in eius contemptum atque ludibrium faciebant. Armata fuerunt hęc comitia. nam præſidium erat in urbe iam antè, decem ſigna peditum: in agris uerò circùm erant Hiſpanorũ & Italorum copiæ: à quibus ut eſſent immunes Memingenſes, triginta, Campodunenſes autem uiginti aureorum millia pendebant: adhæc, ab inferiori Germnaia uenerunt equites circiter ſexcenti, quos per agrũ uicinum Cæſar diſtribuit. Hiſpanorum ſigna duodecim, cùm apud Biberacũ aliquandiu hyemaſſent, in oram illam, quę eſt ad lacũ Brigantinũ, deducti fuerunt: Vuiſſeburgi, oppido Nortgouiæ, erãt in hybernis equites Neapolitani ſeptingenti. Gerardus Veltuichus, quem ad Turcã iuiſſe libro XVII diximus, Auguſti menſis die XII redit ad Cæſarẽ, pactis inducijs in annos quinq;. Auguſtã Cæſar ubi uenit, primariũ templũ & alia quædam ſibi ſumit: reliqua ſenatui permittit atque populo: ſacrifici uerò prius quàm aliquid in ſuis templis agerent, adhibitis ceremonijs, illa, tanquam Lutheraniſmo polluta, repurgant & expiant. Docendi muneri Cæſar in primo templo Michaëlem Sidonium præficit, Moguntini uicarium epiſcopum. Is inter alia multas habuit de ſacrificio miſſæ, quod uocant, conciones, quæ poſtea fuerunt ab ipſo typis euulgatæ. cùm autem in ipſorũ templis magna eſſet ciuium ſolitudo, pontificij, paſſim oblata pecunia, tenuiores, ut intereſſe uellẽt, ſolicitaſſe dicuntur.

Frequentissimus fuit hic conuentus: aderant electores omnes, & in his Adolfus Colonienſis, & Mauricius. uenit etiam eò rex Ferdinandus et cardinalis Tridentinus, & Henricus Brunſuicenſis, & Cluenſis, & ſoror Cæſaris Maria, & neptis, Lotharingiæ uidua. Calendis Septembris fit initium. ibi cùm Maximilianus Auſtriacus, nomine Cæſaris pauca quædam eſſet præfatus: de ſcripto Cæſar, perſcribam, uti fieri ſolet, proponit, & de ſua in communem patriam uoluntate locutus, ante biennium ſe cõuentus egiſſe dicit Vuormaciæ, ut ſimultatem omnem componeret: cùm uerò pauci quidam adeſſent, actionem omnem tranſtuliſſe Ratisbonam, quò & ipſe primus omnium uenerit, licet ualetudine tum uteretur admodũ tenui: cúnque cæterorum aduentum expectaret, quibus ea de re ſcripſiſſet, uix paucos tamen ſibi præſto fuiſſe, quorum nonnulli deinde ſe minimè conſcio diſceſſerint: eo cognito, ſe reliquis etiam abeundi feciſſe poteſtatem: ſic adeò conuentum illum fuiſſe, nullo cum fructu, neque ſine ludibrio, diſſolutum: & quum aſtu quorundam atque detrectationibus id factum eſſe cognoſceret, neceſſariò ſibi adhibendum fuiſſe remedium: ideóque miſſis literis, quid ſui eſſet propoſiti, & quomodò religionis hoc diſſidium legitimè componi uellet, multò antè ſignificaſſe: poſtea uerò, quàm fœlicem euentum ſui conſilij Deus dedit, comitia ſe denunciaſſe ſtatim, ut de communi ipſorum uoluntate atq; ſuffragio decernat quod ſit ex uſu reipublicæ: ſed quia diſſidium religionis, cauſa ſit omnis perturbationis Germaniæ, &, niſi componatur, pax omninò conſtitui non poſſit: & uerò ſua potiſſimùm opera, quum id ſæpe ab ſe flagitaſſent, indictum ſit & inchoatum Tridenti concilium, ideò ſe primam & potiſſimam uelle huius rei deliberationem eſſe: quemadmodum uerò pacem omnes colere debeant, id eſſe jam antè decretum. uerúntamen ſi quid in eo putent eſſe corrigendum aut amplius declarandum, libenter auditurum rationes ipſorum: ut etiam ius adminiſtretur, inprimis eſſe curandum: nam ad infamiam & detrimentum Germaniæ pertinere, quod iam per aliquod tempus nullum ius dicitur: decretum quidem antè fuiſſe, quomodò ſit conſtituenda Camera, ſed quò minus id factum ſit, incidiſſe quædam: nuper autem principes aliquot atque ciuitates fidem dediſſe, iudicio, quod ipſe daret, ſe parituros eſſe, & ſumptum etiã in eo facturos: itáque petere, ut huius rei procurationem ſuæ fidei permittant, & ſumptum, pro ſua quiſque uirili parte, conferant: daturum enim operam, ut in eum conſeſſum

homines

homines idonei recipiantur, qui data fide per iusiurandum, æquabile ius omnibus dicant: & quia propter intermissum aliquandiu iudicium, causarum & litium numerus ualde sit auctus, uideri sibi consultum, ut loco supplementi decem præterea iudices, ad consuetum numerum extra ordinem adijciantur: de querimonijs autem ecclesiasticorum, propter ereptam ipsis iurisdictionem atque bona, uelle se cognoscere, & offensionem omnem tollere, si possit: de Turcicis auxilijs placere sibi actionem differri, donec Ferdinandus rex frater uenerit, qui & de pactis inducijs, & quid in posterum fieri oporteat, sit explicaturus: postremò, priuatas quorundam deliberationes atque cõgressus non sibi probari: nam ijs impediri publicas actiones, ac sæpe fieri, ut persuasionibus à sententia concepta multi reuocentur: id autem in publicis Imperij conuentibus non esse decorum neque ferendum: quid enim quisque sentiat, palàm debere in consessu & liberè pronunciari: hæc esse, de quibus ad ipsos referre uoluerit, & petere, ut de ijs quàmprimum agant, & quid sit ipsorum uoluntatis, demonstrent. Huius mensis die decimo, Petrus Aloisius, Pauli tertij filius, Placentiæ, domi suę confoditur, & paulò pòst, Ferdinandus Gonzaga, Cæsaris per Insubriã præfectus, urbem occupat. eius rei nuncius intra paucos dies peruenit Augustam, & ex eo, quod Cęsari nunciatum esse dicebant, communicata principibus fuit rei gestę historia, scripto comprehensa. narratio tota pertinet ad infamiam et uituperationem Petri Aloisij: sic autem res habet, ut quidem in eo scripto recitatur. Quum facta permutatione, factus esset Placentiæ dux atque Parmæ, Petrus Aloisius, multa fecit cõtra ius & æquum, & asperitate sua nullũ non ordinẽ offendit, & inter alios, Hieronymum Palauicinũ spoliauit bonis: & quum is uitandi periculi causa, Cremam sese recepisset, Venetorum ditionis oppidũ, uxorem eius atq; liberos in carcerem coniecit. Quum ea res ad maiorem aliquem motum spectaret, cardinalis Tridentinus, qui Farnesiorũ familiæ bene uellet, datis literis intercedit, sed Aloisius alienè respondet. uenit postea Tridentum Octauius è castris Cæsaris, domum rediturus: ei cardinalis rem omnem exponit, rogat ut ad patrẽ intercedat. gerit ille morem, & postea renunciat, fore, ut Hieronymus in gratiam recipiatur, modò ueniat ipse, & supplex condonari sibi petat. Cùm autem esset metus, ne uiolata fide grauius quid in eum fieret, cardinalis non magno cum comitatu Cremam proficiscitur, & Hieronymum accersit: is ueritus insidias, non prius accessit, quàm de cardinali

certò sciret. ubi sermonem & consilia contulissent, & suam operam cardinalis prolixè deferret, iter ambo suscipiunt. Cardinalis autem è suis unum & alterum præmittit ad Aloisium, qui de suo & Hieronymi aduentu docerent: ibi tum ille diuersum ab eo, quod Octauius filius antè significauerat, renunciat, neque se posse illū restituere, demonstrat. Et quanquam legati, uiri graues atque prudentes, multa dicerent hominis mitigandi causa, ille tamen in eo perstitit. Itaque Tridentinus, ubi Palauicinum Cremam reduxisset, domum reuertit. Iam antea uerò quidã ex nobilitate, qui Aloisium etiã oderant, in ipsius caput atq; uitã coniurarant. hi conductis aliquot sicariis, occasionem expectant, & eo stipati satellitio subinde prodeunt separatim in publicum, &, pro se quisque, propter inimicitias priuatas istud fieri, prę se ferunt: atque interim è suis priuatim singuli perconctantur, an in ulciscenda iniuria fidelem operam ipsis nauare uelint, quam ab aulæ præfecto Aloisij sibi factam esse dicebant: illi suã operam non in eo tantùm, sed in ipso quoque domino trucidando pollicentur. Sub hoc ipsum tempus Aloisio scribit Paulus tertius pater, ut à decima Septembris die sibi caueat: astra enim ei prænunciare cladem aliquam insignem. erat enim Paulus pontifex nõ astrologię modò, sed & necromantiæ, sicuti pro certo cõfirmatur, admodum studiosus. ijs acceptis literis, Aloisius erat in metu & solicitudine: cúnque dies ille uenisset, magno cum comitatu, lectica deportatus, arcem egreditur, ut urbis munitionem, quam instituerat, uideret. aderant etiã coniurati: sed cùm ibi non possent, quod uellent, exequi, subsistunt, & quum ille domum rediret, comitantur, & tanquam officij causa, præcedunt, numero xxxvi: & ubi iam in arcem cum lectica peruenissent, è uestigio pontem pensilem ad se reducunt, ne quis pręterea subsequi posset. ibi cõtinuò strictis mucronibus illum petunt, & acerbè tyrannũ increpantes, in lectica confodiunt, & unà sacrificum quendam & stabuli præfectum & satellites quinque Germanos trucidãt. postea per arcẽ discurrunt & omnia diripiunt, maxima ui pecunię reperta, quam ille munitioni urbis designauerat. Interea fit ciuium cõcursus ad arcem, et quid rei sit, quęritur, cum fremitus atq; clamor intus exaudiretur: illi de sublimi respondẽt, se occidisse tyrannũ, & ciuitati pristinam recuperasse libertatem. cùm autem eius rei uix ægrè fidem facerent, interposita cautione ciuium, & impunitate promissa, corpus exanime, cathena religatum ex muro suspendunt, et agitatum aliquándiu præcipitant in fossam. Accurrit

populus

populus,& pugionibus atque pedibus illum petunt. tanta erat acerbitas odij. pòst,re deliberata,per celeres equos, Ferdinando Gonzagæ,quid actū sit,enunciant,& Cęsaris clientelæ sese dedunt,& auxilia sibi quàmprimum mitti postulant. Ille statim præsidium eò mittit,& occupata urbe,in Cæsaris fidem per iusiurandum illos adigit. pòst,ad Cęsarem omnia perscribit,& quid sit ipsius uoluntatis, rogat. Parmenses etiam,ut Cęsari sese permitterent,solicitati fuerūt: sed hi,missis ad pontificem literis,in eius fide uelle permanere,neque se recusare dicūt,quò minus interfecto parente, filium Octauiū pro principe agnoscant. Hæc est eorū summa,quæ Cæsari nunciata fuisse dicebant ipsius familiares,& quæ spargebant inter ordines: alij uerò longè secus commemorant,& consultò rem actam esse,& paucissimis horis à facta cæde, Gonzagam ad portas urbis adfuisse cum præsidio dicunt: sed affirmare nihil possum. Vtcunque sit,impium & sceleratum inprimis hominem fuisse Petrum Aloisium, fatentur omnes: & extant Italorum libelli,qui nefarias illius libidines enumerant,in quibus hoc est omnium inprimis memorabile,quòd Cosmū Cherium,episcopū Fanensem, per uim stuprasse dicitur, usus opera suorū,qui illū distinerent. quod quidē facinus misero illi sic doluisse ferunt, ut præ mœrore & indignitate rei postea sit extinctus. nec̄ desunt, qui uenenum ei datū ab illo fuisse putant, ne flagitium illud ad Cæsarem deferret. Paulus nihilo secius impensè filium amabat, & ad ipsius amplificationem omne studium conuertit, & quum de flagitijs nonnunquam audiret,non admodum ægrè tulisse,et hoc solùm fertur consueuisse dicere,hæc illum uitia non se commonstratore didicisse. Quomodò cōcilij patres, Tridento relicto Bononiam migrarint,suprà diximus: illud uerò Cæsar grauissimè tulit, & iam cum Augustam ueniisset,author senatui principū fuit, ut de eo pontificem interpellarent. Itáque decimo quarto die Septembris,episcopi datis ad eum literis, Germaniæ statum atque periculum exponūt, & illud auerti potuisse dicunt, si maturè fuisset adhibitum nascenti morbo remedium, concilium uidelicet publicum, de quo Cæsarem non semel interpellarint, ut intra Germaniæ fines illud procuraret. quò nimirùm eius regionis episcopi,quorum inprimis interest, adesse possent: cùm enim ipsorum sit ampla iurisdictio,non esse commodum,hoc præsertim tempore,longius à suis abesse finibus: diligentia tandē Cęsaris, quum Mantuam & Vicentiam nemo ueniisset,indictum quidem esse concilium & inchoatum,sed extra fines Germa-

niæ, Tridenti ſcilicet, quod ad Italiam magis pertineat: hac etiam de cauſa perpaucos eò ueniſſe Germanos: neque ſane potuiſſe, præſertim belli tempore, omnibus undique uiſs obſeſſis et intercluſis: nunc autem ea depulſa tempeſtate, quum in ipſum ferè portum eſſet peruentum, & bona quædam ſpes animos omnium teneret, prȩter omnem expectationem aliò transferri, uel diuidi potius conciliū, in quo ſalus fuiſſet tota collocata reipublicę: uehemẽter hoc ſibi dolere propter impendens periculum: iam enim totos XXVII annos conflicta ri Germaniam cum nouis & perniciosis dogmatis atque ſectis, & epiſcoporum authoritatem propè omnem iacere, & in hac uaſtitate rerum atque confuſione infinita hominum millia de ſalute periclitari: breuiter, hoc tàm peſtilenti malo uitiatum & corruptū eſſe, quicquid antea ſyncerum fuit, & diuulſos inuicem ordines Imperij, nullam inter ſe colere amicitiam: in his tot tantiſque malis unicum habere ſe perfugium ad eccleſiam apoſtolicam: orare igitur maiorem in modum, & per Germaniæ ſalutem, ut concilium reſtituat: id ſi faciat, nihil eſſe, quod non ab ipſis debeat expectare: ſin autem, non ſibi apparére, unde petant auxilium: nam undique uentos atque procellas imminére, quibus depellendis eccleſiam Romanam Deus conſtituerit, ueluti propugnaculum aliquod & rupem firmiſſimam: habeat igitur eorum, quę poſtulent, rationem, & cogitet poſſe fieri, niſi prouideat, ut aliæ rationes ineantur atque conſilia, cauſam hanc expediendi: quod ſupereſt, orare, ut hæc boni conſulat: nam ut ità ſcribant, & officio & temporis cõditione ſeſe cogi. His etiã diebus Angli maximo prælio Scotos deuincunt, ductore Somerſeto regis auunculo. Belli cauſa fuit eadem quæ prius, Henrico rege, nempe, quòd Scoti pactam Eduardo regi ſponſam non darent. poſt eam uictoriam Angli progreſſi multa per Scotiam occupant, & ſuos fines longinquè proferunt. De poſtulatis Cęſaris non idẽ ſentiebant omnes. nam è ſeptemuiris, qui ſunt eccleſiaſtici, concilium Tridentinū urgebant ſine omni conditione: Palatinus autem & Mauricius, & Brandeburgenſes legati non illud recuſabant, modò liberū eſſet atque pium, in quo pontifex minimè præſideat, & epiſcopis remittat iuſiurandum, & ipſorum quoque theologi decidendi facultatem habeant, & decreta iam facta retractentur: cæteri uerò principes ac ordines inſtabant, ut conciliū continuetur, ut proteſtantes accepta fide publica, audiantur & decretis parére cogantur. Eorum omnium ſententijs cognitis, Cęſar Octobris die decimo octauo reſpondet, &

ut

ut omnes concilio se submittant, petit, & cum Palatino atque Mauricio priuatim agit, ut assentiantur. Et Palatinus quidem territatus fuit etiam, nisi morem gereret, ob recentem anni superioris offensionem, uti diximus, cùm uix ea cicatrix coaluisset. Mauricius, qui & socerum Lantgrauium cuperet liberari, & nuper admodū esset auctus à Cæsare, faciundum aliquid sibi uidebat. Itáque cùm Cæsar eis prolixè de sua uoluntate per internuncios promitteret, & ut ipsius fidei rem permitterent, flagitaret, illi demùm Octobris die uigesimo quarto assentiuntur. Reliquæ solùm erant ciuitates, quæ magni rem esse periculi uidebant, submittere se concilij decretis indifferenter. cùm ijs Granuellanus & Hasius diu multúmque agebant: atque interim fama per urbem diuulgata fuit, illos esse præfractos, qui recusarent id quod iam principes omnes comprobassent: auditę quoque fuerunt comminationes, futurum, ut acrius multò, quàm nuper, plectantur. Tandem fuit inuenta ratio, ut & Cæsari satisfieret, & ipsis etiam esset cautum. etenim uocati ad Cæsarem: ut ipsi responsa principum corrigant, non suum esse dicunt, & simul scriptum ei tradunt, quo testificantur, quibus ipsi conditionibus concilium probent. Cæsar, eorum audito sermone, per Seldium respondet, sibi pergratum esse, quod reliquorum exemplo rem sibi permittant, & cæteris consentiant. Ità plus eis tribuebat, quàm ipsi uellent: nec enim consenserant alijs, uerùm inuidiæ declinandæ causa nolebant principum sententiam conuellere, & tamen, ne quid in posterum esset fraudi, quomodò concilium ipsis placeret, scripto explicabant, ut aliquandò suæ uoluntatis extaret documentum. fuit hoc sub exitum Octobris, & eodem tempore Ferdinandus rex, pòst etiã Brandeburgicus elector eò uenit. Cæsar ergò mox cardinalem Tridentinum, initio Nouembris Romam celeriter mittit, ut pontificem, de synodo reuocanda Tridentum, interpellaret. Nouembri mense, uxor Lantgrauij, Cristina, & filij, & delecti quidam cõsiliarij, missis literis ad omneis principes ac ordines Imperij, qua ratione sit ille captus, quum fide publica uenisset Halam, exponunt: & quia cõditiones omnes à Cæsare præscriptæ, quæ quidem præstari iam possint atq; debeant, sint impletæ, depensa pecunia, liberatus Hēricus Brunsuicensis, cum filio, confœderatorũ literæ omnes exhibitę, iusiurandũ nobilitatis et fideiussorũ interposita cautio, tormenta omnia tradita, diruta propugnacula: deinde, quia parati sint nec; recusent ipsimet esse obsides, donec reliquis etiã satisfiat, magno se cũ animi dolore &

cruciatu hanc illius tàm indignam ſortem & captiuitatem aſpicere: nam prius quàm Halam iret, non ſic afflictas fuiſſe res ipſius, quin ad tempus potuerit arces cõtra uim hoſtilẽ defendere: hoc etiam Cæſaris legatos, qui pòſt ijs locis fuerunt, poſſe teſtificari: uerùm miſeri cordia populi, bello pacem antetuliſſe: quapropter orare uehementer, intercedant apud Cæſarem, & omne ſtudium eò conuertant, ut quàm primum libertati reſtitutus, domũ redeat: nam ſi diutius detineatur, futurum id ipſius maximo cum ualetudinis detrimento. Rei uerò cõficiendæ cauſa, Lantgrauij coniunx uenit Auguſtam, et tum ipſa, tum per Mauricium & Brandeburgicum ſolicitat principes, ut interueniant. Eo cognito, Cæſar, prius quàm intercederetur, Nouembris die uigeſimo quinto refert ad ordines. audire ſe, quibus de rebus ad ipſos delatũ ſit: & quia uarij ſint hominum ſermones, uelle ſe rem omnem recitare ſimpliciter. Et primò quidem, inquit, anno ſuperiori, cum Smalcaldici prope Giengam caſtra poſuiſſent, Lantgrauius, per Adamum Trottum, interueniente Ioanne Marchione Brandeburgico, pacem ſolicitabat: ſed reſponſum à me tulit, hanc ſolam eſſe conditionem, ut ſe mihi ſiſteret, ac ſine pactione omni dederet. domum deinde reuerſus ab illa fuga, ſubinde per Mauricium ducem, diuerſis locis, Hailbrunæ, Vlmæ, Norlingæ, Egræ, pro ſe tantùm idem egit, nulla neque Ioannis Friderici, neque ſociorum facta mentione: ſed & quum in Saxoniam irem, id ipſum urgere non deſtitit. Ad ea reſpondi Mauricio, quòd tàm grauiter et toties in me deliquiſſet Lantgrauius, nulla cautione mihi ſatisfieri poſſe, niſi ſe mihi ſiſteret, & arces omneis meæ poteſtati permitteret. Capto autem Saxone, quum uideret omnem belli molem in ſe conuerſum iri, Lipſiam uenit, & incõmodas aliquot conditiones proponit. Intercedebant Mauricius & Brandeburgicus, neque recuſabant ſe mihi ſiſtere pro illo, donec impleſſet cõditiones: ego uerò, qui iudicarem ualde eſſe indignum & iniquum, ut ij, quorum eſſet in me ſpectata fides atque uoluntas, alienum periculum in ſe reciperent, ſponſionem illam reieci, & ipſum unum poſcebam. Non multò pòſt, bello confecto Saxonico, & dedita Vittemberga, quum tranſmiſſo rurſus Albi, tenerem iter in Heſſiam: ille, digreſſus Lipſia, quendam ex nobilitate miſit in caſtra, & per Mauricium atque Brandeburgicum has leges proponit. uelle ſeſe mihi dedere, ſine conditione, demoliri arces, & tormenta omnia tradere: ſolùm petebat, ut ex propugnaculis alterum ſibi permitteretur, Zegenhemum aut Caſſellum: deinde, ex-

tormentis

formentis etiam, quantùm ad unius loci præsidium satis esset. Ibi Mauricius & Brandeburgicus quærebant scire, si quidē ità sese dederet, quónam illud pertineret, & quousque esset accipiendum? Responsum illis bona fide fuit, fore, ut neque corporis pœnam ullam lueret, neque perpetuo carcere detineretur, neq; bonis mulctaretur amplius, quàm pacis formula præscriberet: hoc etiam adiectū fuit, non oportere huius rei conscium esse Lantgrauium. Et hæc quidem ratio, præsentibus illis, comprehensa scripto, nec ulla spes alia fuit ostensa, quod ipsos etiam puto posse testificari. Sic igitur Halam uenit, & quum supplex mihi factus esset, Brandeburgicus rogabat, uellém ne affari illum, & præbere dextram, sicut alijs, quos in gratiā antè recepissem? respondi, uix esse decorum, ut id facerem prius, quàm sit omninò factus liber. Albano duci postea mandabam, ut in arcem deduceret, & custodias ei poneret. Is Mauricio et Brandeburgico et Lantgrauio dat cœnam, et quum illū deinde sisteret, orta fuit disceptatio, & uarij iactati sermones. qua re cognita, primam eius rei quæstionem esse uolui, iuré ne uiderer an iniuria detinere captiuum? hoc etiam clarè dicebam, potius quàm in suspitionem aliquā uenire dicta mea patiar, concessurum esse, ut actione omni rescissa, domum redeat Lantgrauius, quò mihi meum institutum persequi liceret. Tum Mauricius atque Brandeburgicus fatebantur ipsi, nihil à me factum esse iniquè, & ad omneis uelle excusare, si qui fortè secus loquantur: hoc solùm rogabant & deprecabantur, ne diuturnior eius esset captiuitas. huic ipsorum postulato respondi, uelle me considerare prius & uidere, ecquid ille pactis atque promissis satisfaciat. Iam uerò, licet fore putabam, ut conditiones impleret, tamen non est nihil quod in eo requiram. nam neque literas & arcana Smalcaldici fœderis exhibuit, uti promiserat, nec arces etiam est demolitus, ut oportuit, & non ità pridem solicitauit custodes, ut præter datam mihi fidem, ei morem gererent. Hæc uobis explicare uolui nudè & simpliciter, ut res tota & æquitas causæ uobis planè constaret. Hanc Cæsaris narrationem ordines eodē die Mauricio & Brandeburgico renunciant: hi postridie respondent. Et antea semper, & nunc etiam sese fateri, non esse, quòd Cæsarem hac in re criminentur aut incusent: uerùntamen & cum Ferdinando rege, priusquàm è castris ante Vuittembergam domum rediret, & cum Cæsaris consiliarijs, paucis quidem illis, uariam & arcanam actionem sibi fuisse: ac fieri posse ut ex imperitia linguæ sit aliquid

admissum erroris, neque se multum super eo uelle disceptare: nam utcunq; res habeat, se quidem, ut & innoxię multitudini parceretur, & Germaniæ restitueretur optatum ocium, authores fuisse Lantgra uio, quum de captiuitate & custodia nihil suspicarentur, ut Halam profectus, ueniam exposceret, & pacis conditiones non repudiaret: quòd autem amissa libertate, captiuus adhuc quidem detineatur, nõ sine magno ualetudinis periculo, quàm hoc sit cum honoris & existi mationis ipsorum dispendio coniunctum, neminem esse qui non uideat: itáque petere maiorem in modum, ut unà secum ad Cæsarem intercedant, & deprecentur, ut ipsorum, qui fidelem operam Imperio nauarint, potius, quàm Lantgrauij rationem habeat, neque sibi grauius aliquid accidere patiatur, sed illũ libertati restituat, præsertim, quum & conditiones ferè sint omnes impletæ, & amplissimis cautionibus in omnem partem Cæsari sit prospectum. Sic ergò communi nomine interceditur: & Lantgrauij quidem uxor, Mariam sororem Cæsaris adhibuit adiutricem: sed nihil profectum fuit. Et quia Mauricius atq; Brandeburgicus, Lantgrauij filijs per interpositam fidem sese dicebant obligatos esse, quándiu ille detineretur, Joannem Liranum Cæsar mittit ad Lantgrauium, qui tùm erat Norlingæ, nuper eò traductus ab Hispanis. per eum literas omneis repetit, etiam illas, quibus ei publicè cauerant. ipse, non ab se, uerùm à filijs eas asseruari dicit atque consiliarijs: etiámsi scribat, frustrà tamen id fieri: nam abeunti dixisse, non se reddituros, nisi prius ipso liberato: uerúntamen, si de suæ liberationis tempore certi quid à Cæsare cognoscat, omnem operam esse daturũ, ut reddant. Eo responso minimè Cæsar contentus, paulò pòst, remotis ab eo familiaribus, unũ & alterum ei tantùm relinquit. Sub exitum Nouembris, Petrus Martyr, Florentinus, Argentorato, ubi iam per annos quinq; magna cum laude docuerat, permittente senatu, proficiscitur in Angliã, uocatus ab archiepiscopo Cantuariensi, de uoluntate regis, & sacris literis interpretandis, Oxoniæ præficitur. erat ei socius itineris Bernardinus Ochinus Senensis: qui, cùm summæ fuisset apud Italos authoritatis ob eloquentiam & opinionem uirtutis, relicto uitæ genere monastico, ad puriorem doctrinam sese conuerterat, & principiò, Geneuam, inde profectus Augustam, conciones aliquot suas euulgauerat. Ad hoc ferè tempus, Henrici regis, de religione decreta, de quibus libro duodecimo diximus, edicto publico per Angliam abolentur, & è templis remouentur imagines atque statuæ. fuit hoc ecclesiarum

clesiarum emendationis initium. Cardinalis Tridentinus nona die Decembris, in frequentissimo senatu Cardinalium, præsente pontifice, rem proponit, ut erat iussus, & quantos labores atque pericula Cæsar, concilij causa susceperit, multis grauibúsque uerbis exponit, & nunc eò rem esse deductam ait illius diligentia & authoritate, ut omnes ordines concilio parére uelint. rogat igitur per omnia sacra, Cæsaris & Ferdinandi regis & totius Imperij nomine, primùm, ut patres, qui Bononiæ sint, Tridentum reuerti iubeat, ad perficiendum opus inchoatum, & reipublicæ perquàm necessarium: deinde, legatum unum aut alterum mittat in Germaniam, ut de ipsorum consilio modus aliquis rectè uiuendi constituatur, ad exitum usque concilij, & ut emendatio fiat ordinis ecclesiastici: postremò, consideret etiam atque statuat, si concilij tempore pontificem decedere contingat, utrum eligendi potestas penes concilij patres, an uerò cardinales esse debeat. ne, quum in eum casum fortè res deueniet, noui motus excitentur. Quinto pòst die, quàm Tridentinus orasset, Iacobus Mendoza, Cæsaris mandatu, eodem in auditorio, loquitur in eandem sententiam: et, si uel dilationem uel excusationem aliquã pontifex interponeret, in mandatis habere se dicit, ut cæterorum regum atque principum legatis adhibitis, palàm de uitio synodi profiteatur. Hoc ipso die, qui Decembris erat dies decimus quartus, Rhemorum archiepiscopus, quem æstate superiori cardinalem esse creatum diximus, Galliæ regis nomine Romam profectus, ad pontificẽ atq; cardinales orationem habet. Initiò, regem Franciscum uita defunctum laudat, inter alia, quòd reliquorũ etiam principum iuris ac libertatis ità fuerit amans, ut nullũ unquam discrimen atq; sumptũ recusarit: ab eius autem moribus & ingenio, filiũ, Henricum regem minimè degenerare: qui simùl ac magistratũ inijsset, ac funus parenti fecisset, nihil potius neque prius habuerit, quàm ut suam erga sedem Romanam uoluntatem & obseruantiam declararet: nimirùm, Galliæ regum tàm esse multa & illustria in pontifices Romanos officia, ut facilè primum locum obtineant, & cæterarum nationũ studijs antecedant: & quum hodierno die magna sit multorũ protervitas, qui huius loci maiestatem quotidie maledictis incessant & oppugnent, maximi sanè rem esse momenti, quòd in hoc ipso tempore, potentissimus rex, ut primogenitum ecclesiæ filium & antesignanũ nationis Christianæ decet, se suáque omnia submittat ecclesiæ, suásque facultates omneis, pro illius dignitate conseruanda polliceatur:

optare quidē illum inprimis, hæc omnia coràm exponere, & ipsius os atq; uultum augustissimum intueri, sed uarijs negocijs occupatū atq; distentum, nec ipsum adesse, neque citius per alium hoc efficere potuisse: perpendant igitur ista secum, & ità se comparent, ut rex amari se ab ipsis intelligat: cum enim respublica præmio continea-tur atque pœna, curandum ipsis esse, ut pios atque iustos principes benignitate in officio retineant, quos autem uel ipsorum imminuere maiestatem apertè, uel cuniculis euertere cognoscunt, eorum insa-niam & audaciam sic reprimant, ut, quem diuinitùs acceperunt gla dium, non esse retusum aut hebetem sentiri possit: neque tamen il-lud sic accipiendum esse, quasi de ipsorum & seueritate & prudentia dubitet, aut aliquam ipsis de aliquo suspitionem commouere uelit, sed ut ex contentione rectè factorum eluceat regis in ipsos beneuo-lentia: sacris legibus esse cautum, ut statim atque summum hoc sa-cerdotium iniuerint pontifices Romani, legatos in Galliam mittāt, amicitiæ firmandæ causa: regem igitur, inito nuper magistratu, uo-luisse eodē officij genere sanctissimā hanc sedem cohonestare: quod ergò fœlix atque faustum sit, regem Christianissimū in ecclesiæ gre-mium pontifex admittat, & omnem ab ipso fidem ac amicitiam ex-pectet, & quod reliquū est, operam det, ne quid accipiat ecclesia de-trimenti: scire enim ipsum, quàm paruis initijs olim exarserint fa-ctiones, quum nemo se conatibus improborum opponeret: eius rei documentū esse in Ioanne XIII, in Gregorio VII, in Paschali II, mul-tísque alijs, qui in maximas calamitates inciderint, donec, qui secuti sunt illos, pontifices, Galliæ regum auxilijs dignitatem amissam re-cuperarunt, & in his, Alexander tertius, qui Fridericum Sueuum Cęsarem ad æquam pacem adegerit, & ereptam ecclesiæ libertatem, ac designandi pontificis iura uindicarit. Galliæ rex, quòd inter-fecto Petro Aloisio, pontificis animum esse uehementer exulcera-tum sciret, & propter translatum Tridento concilium, offensio-nem augeri uideret, tempus hoc idoneum esse iudicabat, quo suum ad usum atque compendium istud traduceret: itáque missis crebrò legatis ad pontificem, & suam operam professus, uti iam dictum est, animum illius augebat & confirmabat. Pontifex, ubi postulata Tri dentini & Mendozæ cognouit, uelle se dicit cum patribus, qui Bo-noniæ sint, deliberare, & ad cæteros etiam orbis Christiani princi-pes rem deferre. Tridentinus ergò, quū aliud responsum impetrari non posset, domū reuertit, relicto ibi Mendoza, cui Cęsar, ut reliqua

perfi-

perficeret, mandauerat. Pontifex autẽ Decembris die decimo sexto, datis literis ad suum in concilio legatum primarium, Ioannem Mariam Montanũ, cardinalem, Tridentinus, ait, his proximis diebus, nomine Cęsaris mihi retulit, quemadmodum cuncta Germania concilio se submiserit: itáque & illius & Ferdinandi regis & Imperij totius nomine petijt, darem operam, ut Tridenti concilium cõtinuetur: idem deinde petijt Iacobus Mendoza, conuocatis aliorũ quoque principum legatis, & ne qua fieret mora, flagitauit: ego autem cum cardinalibus re communicata, concilij patres consulendos esse duxi, ne quid temere fieret, & ut decreta iam facta, tàm illud de transferendo concilio, quàm reliqua, permanerent inuiolata: quum ergò de Germaniæ salute ualde sim solicitus, neq; Cæsaris causa uelim interponi moram, iubeo, ut implorato numine spiritus sancti, patribus rem omnem exponas, & quid respondendum Cæsari esse putetis, quàm primum ad me perscribas. Montanus, ut erat præceptũ, in consilium rem adducit, postea pontifici rescribit. Quanquam Tridento sit Bononiam legitimè translatum concilium: etsi palàm in consessu patrum, quo die de transferendo concilio decretum factũ fuit, admoniti sint omnes, ut Bononiam peterent: licet ipse cæteríque patres Bononia deinde missis literis Tridentũ, amanter cohortati sint ad suscipiendum iter, aliquos tamen ad hunc usque diem ibi permanere: quæ sanè res ad concilij contemptum pertineat, & multos offendat: patres ergò non uidere, quomodò salua dignitate & existimatione synodi, de reditu deliberari possit, nisi, qui sunt Tridenti, Bononiam prius accedant, & sese reliquis coniungant, & concilij potestatem agnoscant: deinde, opus esse, ut patribus antè caueatur, fore uidelicet, ut cõcilio sese Germania summittat, eiúsque decreta comprobet, quæ uel iam facta sunt, uel in posterum fient, sic, ut à nullo retractentur: adhæc, quia rumor increbuit, populare futurum esse concilium, cupere sibi patres, hoc etiam nomine prius caueri: nam si locum illud habere debeat, ordinem omnem conciliorũ atque modum, inde ab apostolis ad hanc ætatem usque deductum, immutatũ iri: cupere etiam scire, quomodò ipsis cauebitur, ut tutò liberéque possint ibi singuli commorari, & quum uidebitur, illinc discedere, nemine prorsus impediente: postremò, & hanc esse necessariam cautionem, ut quum certis de causis maiori parti uisum fuerit, liceat patribus aliò deflectere, & concilium deducere: item, quum apparebit, ijs causis, ob quas indictum fuit concilium, satisfactum esse, liberum

sit patribus finem imponere atque cessare: hæc esse, quæ patres, à multa deliberatione, quum sancti spiritus numen inuocassent, ad ipsius postulata responderint, & orare, ut boni consulat. His redditis literis, põtifex, Decembris die uigesimo septimo, peracta missa, legatum Cæsaris, Mendozam, in cœtum cardinaliũ accersit, & quid synodus Bononiensis responderit, exponit, eámque sententiam sibi & cardinalibus non improbari demonstrat, ut iuri cõsentaneam: ad se quod attinet, nihil esse quod nõ Germaniæ causa uelit: hoc ipsum adeò Cęsarem testificari posse: nihil enim, quod ad boni pastoris & amantissimi parentis officium pertineat, ab se prætermissum: uidere se quidem, quid Cæsar, quid Ferdinandus rex & Imperij ordines petant, sed existimare hoc ab illis ità flagitari, modò sit cum reliquarum nationum pace commodóque coniunctum, & cum ecclesiæ libertate. Mendoza, quum uideret pontificem habere cœtum illum Bononiæ, pro concilio, statuit omninò protestari contrà mox è uestigio: sed intercedente collegij decano & nõnullis cardinalibus, placuit responsum hoc Cæsari renunciandum, & eius expectandas esse literas, & in uigesimũ usque diem protestationem differri oportere. Quum ergò tunc Cæsari Mendoza rem omnem perscriberet, pontifex etiam ad episcoporum Germaniæ literas, de quibus antè dixi-
M. D. XLVIII. mus, calendis Ianuarij respondet. & ipsorũ laudata pietate, quòd de republica soliciti sint in his hæreticorũ & seditiosorum hominũ motibus, causam ait subesse grauem atque legitimã: nam & se uehementer angi solicitudine ista: &, quoniam hoc ad suum pastorale munus propriè pertineat, nullum sibi tempus abire, quo non de remedio cogitet: hac etiam de causa, statim à suscepto pontificatu decurrisse ad illud, cuius & ipsi mentionem faciant, perfugium, & sua sponte concilium indixisse, Mantuæ primùm, deinde Vicentiæ: sed cùm id frustrà fieret, Tridentum ad eam rem delegisse, oppidum in ipsis Germaniæ finibus positum, quò sine periculo ueniri posset: cúnque sub illud ipsum tempus bellum exortum impediret aditum, se, qui legatos eò misisset, necessariò distulisse rem in aliud tempus, ac deinde facta pace rursus denunciasse conuentum, dimissis in omneis partes literis: & quanquàm inter illud tempus atque bellum postremũ annus & eò amplius intercessit, ex ipsis tamen eò neminem ueniisse, neque sanè misisse legatos, præter unum aut alterum: nam ut metu finitimorum hæreticorum ipsis fortè non fuerit integrum, longius à suis abesse finibus, licuisse tamen per procuratores adesse: cuius

ipse

ipſe rei poteſtatem per literas feciſſet: Tridentum uerò non ſolùm ex Italia, ſed ex longinquioribus etiam prouincijs magnum ueniſſe numerum epiſcoporum & aliorum procerum, & ſumma illorum conſenſione multa ibi eſſe facta decreta, tum religionis tum diſciplinæ, quibus non minima pars impiorum dogmatum, quæ defendun tur ab huius temporis hæreticis, refutata ſint atque damnata: quæ ſanè res & magnæ ſibi uoluptati fuerit, & cauſam dederit, cur eius loci minimè ipſum pœniteret, in quo tàm ſalutaris eſſet orbi Chriſtiano ſenatus: quòd autem poſtea ſit illinc migratum, hoc neſcio ſe factum eſſe, & nuncium hunc prius ad ſe fuiſſe delatum, quàm id fore ſuſpicaretur: ſed non eſſe dubium, quin eius rei poteſtatem habeat ipſa ſynodus, ideóque ſe putare legitimam ſubeſſe cauſam, cur ità fecerint, niſi rem aliter ſe habere, planè cognoſcat: & licet pauci quidem ab eo diſceſſerint, tamen non idcircò diuiſum eſſe concilium: quid enim parti maiori placeat, conſiderari oportere: deinde non eſſe translatum in eam urbem, quæ uel Tridento nimis longè diſtet, uel parum tuta ſit & opportuna: nam neque nimis longum eſſe interuallũ, & tum aëris ſalubritate, tum rerum omniũ copia, tùm magnitudine & hoſpitalitate cumprimis eum locum eſſe celebrem & commendatum: quod autẽ ſub eccleſiæ tutela ſit ea ciuitas, ideò non debere minus tutam uideri Germaniæ, quæ non ſolùm fidem & religionem Chriſtianam, ab eccleſia, ſed alia quoque multa liberalitatis monumenta quondam acceperit: huc etiam pertinere, quòd finitimi circùm principes atque populi ſint in fide & clientela Cæſaris: & quanquam hæc ità ſint, tamen, ut ibi potiſſimùm habeatur conciliũ, non ſe magnopere laborare, neq; id ſua permultum referre: quapropter ſi quis alius locus de cõmuni patrum aſſenſu delectus fuerit, nõ ſe recuſare, modò ne inuiti ſint ibi futuri patres: cur ipſi Tridentum rediri uelint & cupiant, hanc adduci cauſam, ut eò libentius accedant Germani: laudare ſe quidem ipſorum deſiderium atque conatum: neque dubitare, quantum ad ipſos pertinet, quin de loco non multùm ſint anxij: cuiuſmodi uerò ſint impedimenta, licere ut ex patrum literis, qui ſunt Bononiæ, cognoſcant: quòd autẽ aliquantò tardius ipſis reſpondeat, hãc eſſe cauſam, quòd nõ multò poſt ipſorum allatas literas, cardinalis Tridentinus ad ſe uenerit, miſſu Cæſaris: & quum illius atque etiã Iacobi Mendozæ poſtulata planè congruerent cum ipſorum literis, non ſe prius ipſis, quàm Cæſari, uoluiſſe reſpondere: quum autem illi non priuatim modò ſecum, ſed palàm

etiam in ſenatu cardinalium rem iſtam ſæpius egerint, ſe miſſo celeri nuncio, conſuluiſſe patres, Bononiæ congregatos, & eorum deinde reſponſum recitaſſe Mendozæ, cum Tridentinus iam abijſſet, cuius quidem reſponſi nunc mittat ipſis exemplum, ut uideant, quid fieri oporteat prius, quàm de reditu deliberetur: quapropter hortari, ut eccleſiæ tranquillitati cõſulant, & cum cęteris Bononiam aut ipſi ueniant, aut ſuos eò mittant legatos, & cõcilium ibi proſequantur, uel ſi locus fuerit uiſus minus idoneus, hoc ipſum unà cùm reliquis patribus ibi deliberent atque diſceptent: quòd autem extremis literis perſcribant, metuendum eſſe, ne ceſſante ipſo, rationes aliæ ſuſcipiantur, non eo ſe commoueri, propterea quòd nullum ſit ab ſe prætermiſſum officium, quem Deus in hac ſede dignitatis, uelut in ſpecula collocarit, ut totius gregis, præcipuè tamen eorum, qui diuerterint ab alijs, curam habeat: quàm autem nihil in ſe deſiderari poſſit, & quanto ſtudio ſit complexus Germaniam, id eſſe publicè notũ: eóq; ſe minus timere caſum aliquem aduerſum, quò magis optimę uolun tatis in hac cauſa, laboris atque ſtudij ſibi ſit conſcius: de ipſis uerò, déque Cæſare, quorum ſit explorata cõſtantia & integritas, ità ſe ſen tire, ut nihil inconſultò facturos exiſtimet: quòd ſi autem aliud agetur, & contra Romanæ ſedis authoritatem noua ſuſcipientur conſilia, non ſe quidẽ prohibere poſſe, quò minus id fiat & tentetur: nam ipſum architectum Chriſtum, quando eccleſiæ Romanæ fundamenta iecit, futuras prænunciaſſe tempeſtates: uerùm, ut conatus fœliciter ſuccedat, & uentorum ulla uis ædificium hoc à Chriſto conſtructum euertat, minimè ſe uereri, eò quòd in firmiſſima petra conſiſtat: non ſemel hoc ab alijs olim fuiſſe tentatum, ſed fractis eorum conatibus, Deum in illis exemplum ſtatuiſſe, quod omnes intueantur, ut quidem tàm recentibus quàm antiquis hiſtorijs demonſtrari poſſit: ſi qui futuri ſint igitur hodie, quos illorum ob oculos poſitæ clades atque pœnæ nihil moueant atque deterreant, eorum ſanè uicem dolere ſibi cumprimis ob imminentem calamitatem: ut autem in ea pietate atque fide, quam ſemper præſtiterunt, ipſi permaneant, nec ab eccleſiæ dignitate remota conſilia locum ullum habere ſuis in conuentibus patiantur, hortari ſe cumprimis, & ab ipſis etiam flagitare. Quum ergò pontifex & Bononiæ congregata ſynodus in ſententia perſiſterent: Cæſaris legati, Bononiã ea de cauſa miſſi, Franciſcus Vargas & Martinus Velaſcus, Ianuarij die decimo ſexto, cùm ſenatum ſibi dari poſtulaſſent, ueniunt in conſeſſum. Aderat cardi-

nalis

nalis Mõtanus & circiter quadraginta quatuor, tàm episcopi quàm eius ordinis alij proceres. Ibi Vargas, diploma, quo potestatẽ ei Cæsar agendi faciebat & collegæ, cùm nuper illud exhibuisset, repetit, & uerba facturus interpellatur à præside concilij cardinali Montano. ijs in literis atque diplomate Cæsar, non concilium, sed conuentum Bononiensem uocat. Montanus ergò præfatus, quanquam, ait, hic cœtus nõ tenetur ullã orationem uestrã audire, propterea quòd mandatũ à uobis exhibitum nõ pertinet ad hanc sanctam synodum, tamen, ne quis ullam habeat querimoniæ causam, non recusamus audire uos, ea cautione tamen, ne uel nobis aliquid dispendij, uobis autem emolumenti quid actio ista pariat, & ùt nobis liberum sit nihilo minus, continuare concilium, & progredi, & in quoscunque contumaces atque rebelles pœnam decernere, sacris legibus definitã. Post hæc, Cæsaris orator Vargas, in acta publica referri petit hoc ipsum, quòd impeditus esset, quò minus ipse prior loqueretur: deinde, postquàm literas, ait, Cæsaris fiduciarias uidistis, quid in mandatis habeamus nunc explicabo: comparemus autem apud uos acturi de re longè maxima, & non modò nos, uerumetiã respublica tota Christiana summis precibus à uobis flagitat & poscit, ut in ea præstetis æquitatem. sic enim omnes iudicant, siquidem obstinatè perseuerabitis in sententia, quam non satis prouidè semel estis amplexi, futurũ id maxima calamitate publica: si uerò desistetis & Cæsari morẽ geretis, omnia fœliciter euentura: quod ut melius intelligi possit ab omnibus, rem totam paulò repetemus altius. nam ità planum fiet, & quàm pernicioſè errabitis, nisi propositum mutetis, et quàm sit egregia Cæsaris in rempublicam uoluntas: in eóque nihil ipsi de nostro, ne uerbum quidem, addemus, uerùm accepti mandati uestigijs immorabimur. Ibi denuò cardinalis Montanus, adsum & ego, inquit, huius sacro sancti concilij prẽses atque legatus, à Paulo tertio pontifice, Petri successore, & in terris Christi uicario constitutus: adsunt & hi sanctissimi patres, ut concilium Tridento legitimè translatum, ad gloriam Dei hominúmque salutem prosequamur. itáque Cæsarem oramus, ut sententiã mutet, & nobis hac in re ferat opem, & concilij perturbatores coherceat: non nescit enim, qui sacris concilijs impedimentum aliquod inferunt, quicunque tandem illi sint, grauissimas committere pœnas ex præscripto legum: sed utut res cadat, & quicunq; demum adferantur terrores, nõ sumus tamen libertati & honori uel ecclesiæ uel concilij, nec etiam nostro defuturi. Quum

deinde Vargas mandati literas palàm recitaſſet, ipſius collega pro-
teſtationis formulam legit. Initio commemoratur, quomodò Cæſar
à Leone, ab Hadriano, à Clemente, & demum à Paulo tertio concí-
lium ſæpe flagitarit, quum id Germani uehementer urgerent: quo-
modò deinde Paulus tertius Mantuæ primùm, deinde Vicentiæ,
poſtremò, quum ijs locis haberi nō poſſet, Tridenti illud indixerit
de Cæſaris & reliquorum ordinū aſſenſu, propterea quòd is locus,
& Italis & Hiſpanis & Gallis & Germanis eſſet peropportunus, &
rebus neceſſarijs minimè careret: quum igitur hæc eſſet ſynodo de-
lecta ſedes, legatos, inquit, pontifex eò miſit, cardinales, Pariſium,
Moronū, Polum: Cæſaris etiam nomine uenerunt epiſcopus Atre-
batenſis, eiúſque parens Granuellanus, & Iacobus Mendoza: ſed
quum nec illud tempus pontifici ſatis uideretur idoneum, actione di
lata, rurſus noui legati Romam uenerunt, cardinales, Montanus,
Cruceius, Polus, à Cæſare autem idem Mendoza & Franciſcus To
letanus: aliorum quoque principum legati uenerunt, & omnes un-
dique magno numero Tridentum confluebant: eodem uerò tem-
pore bellum Cæſar in Germania gerebat, tuendæ potiſſimùm &
amplificandæ religionis cauſa, ut quos ratione flectere non poterat,
armis cogeret: cúncq; magna ex parte fœliciter adminiſtrato bello, in
uiam reuocaſſet eos, qui concilium antè contempſerant, ecce uos, qui
Romanæ ſedis legatorum nomen uobis uſurpatis, repente, inconſul
to pontifice, ſicut quidem ipſi dicitis, confícta qua neſcio cauſa, de
transferendo concilio proponitis, & uix dato cogitandi ſpacio, tu-
multuoſè Tridento diſceditis, quum multi pręſtantes et egregia uir-
tute patres minimè aſſentirentur, et iniuſtam eſſe migrationem dice-
rent, ſéque Tridenti manſuros profiterentur. Interea Cæſar in Sa-
xoniam profectus, hoſtem ad Albim ſuperat, utrunq; belli ducem
prælio & deditione capit, & nihilo minus ante & poſt confectum
bellum, ſæpe per literas & internuncios pontificem rogauit, iuberet
patres Bononia redire Tridentum: eſſe enim magni periculi, ſi ſecus
fieret. Poſtea, conuentum indixit Auguſtæ, in quo, petente Cæſare,
principes omnes ac ordines, magno conſenſu, concilium Triden-
num approbarunt, eíq; ſe uelle parére ſine ulla conditione, promiſe-
runt. cùm id obtinuiſſet, cardinalem Tridentinum ilico Romā mi-
ſit, qui pontifici & ſenatui cardinalium iſta explicaret, ac totius Im-
perij nomine, concilij Tridentini continuationem flagitaret. idem
etiā Iacobo Mendozæ mandauit: pontifex autem deliberandi mo-

ram

ram interposuit,& uos prius consulendos esse duxit,& responsum à uobis tulit uarium, subdolum,& captiosum: deinde Cæsari minus aptè respondit,& tergiuersando satis ostendit,quàm non sit de repu blica solicitus: nam ad probandã migrationis causam opus erat testi bus fide dignis. Cæsar, Ferdinandus rex & principes, missis literis & legato amplissimo,quæ sit omnium ordinum de concilio uolun tas,docuerunt: sed horum omisso testimonio, fidem potius habere pontifex uoluit abiectis & plebeis hominibus. Concilij causa,quàm difficiles & molestiæ plenas profectiones Cæsar non semel suscepit? quantos uerò fecit sumptus? hæc omnia scilicet perierint? Grauissi mis & maximè necessarijs de causis, postulante Cæsare, petentibus Germanis, reliquis assentientibus principibus Christianis, Tridenti concilium & indictum fuit & inchoatũ: itaq; nisi publica rursus om nium ordinum authoritas interueniat,aliò transferri nõ potest. ete nim translationis causa nulla fuit, & inuentum fuit aliquid ad excu sandum, febriculę quædam & aëris uitiũ scilicet:ad eámq; rem sum missi fuerunt medici quidam,inprimis autẽ ancillæ atq; coci: quàm autem futilis ea fuerit causa, res ipsa docuit & euentus. Dicitis in consulto & inscio põtifice uos abijsse: uerùm eius ad uos perscriptę literæ,& datum Cæsari responsum,longè diuersum significãt. certè discedendum non erat,neque mutandus locus, nisi de consensu Cæ saris,cui conciliorum omnium est demandata tutela: uerùm ità cele riter abijstis,ut eos,qui Cæsarem atque pontificem esse prius consu lendos dicebant, reijceretis. Quòd si migrandum erat omninò, ser uanda certè erant sacrorum conciliorum decreta, & manendum in tra fines Germaniæ, ut, de quorum causa præcipuè agebatur, Ger mani,tutò possent ad concilium uenire: nunc uerò Bononiam dele gistis,in medio Italiæ collocatam urbem, & ecclesiæ Romanæ subdi tam imperio,quò certũ est minimè uenturos esse Germanos,et ideò delegistis, ut summo reipublicæ detrimento & dedecore concilium aut dissoluatur,aut ad uestrum peragatur arbitrium: rogat ergò Cę sar,& maximopere quidem, ut qui locus antè placuit omnibus, ad eum ut redeatur,præsertim,quum omnia sint tuta,pacata, neque ti moris ulla subsit amplius causa: quòd si autem recusabitis,equidem nomine & mandatu Cæsaris, concilij translationem hanc, friuo lam & illegitimam,& actionem omnem nullius esse momenti, pro fiteor:uestrum etiam illud responsum,ineptum esse testificor & ple num figmentis,& quæ sequentur deinceps incommoda reipublicæ,

non Cæsari, sed uobis esse tribuenda, sed neque uos potestatem habere concilij transferendi affirmo: & quia publica salus per uos negligitur, Cæsar, ut ecclesiæ protector, eius curam suscipiet, quantùm & iure licet, & sanctorum patrũ legibus est concessum. Quum hæc ille recitasset, scriptam protestationis formulam exhibet, & in acta referri petit. Ibi cardinalis Montanus, de uoluntate patrum graui-ter locutus, iniuriam sibi fieri demonstrat, & Deum testificatur, seq; paratos esse dicit mortem oppetere potius, quàm pati tale exemplũ in ecclesiam introduci, ut uidelicet magistratus ciuilis pro suo arbi-tratu concilium cogat: Cæsarem esse quidem ecclesiæ filium, sed non dominum aut magistrum: se uerò, suósque collegas esse Romanæ sedis legatos, neque iam recusare, quò minus & Deo primùm & de-inde pontifici suæ legationis rationem reddant: quod reliquum est, fore, ut paucos intra dies ipsorũ protestationi respondeatur. In eandem sententiam, eodem ferè tempore, Mendoza, quum à Cæsare uenissent literæ, quibus mandabat uti pergeret, Romæ contestatus est ad pontificem atque cardinales, exterorum regum atque principum adhibitis legatis, uti iussus erat.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, Carolo Quinto, Cæsare,

Liber XX.

SVPERIORIBVS LIBRIS OSTENDIMVS, QVEMADmodum Albertus Brandeburgicus in Polonię regis fidem sese dedit, & Prussicę reipublicę formam mutauit, & à Camera sit proscriptus: deinde, quomodò Polonus in Comitijs Imperij, Cæsarem & reliquos ordines non semel solicitarit, ut, quoniam ille in sua esset clientela, proscriptionem abolerent: cùm autẽ in hunc usque diem nihil impetratum esset, & in hac Cæsaris uictoria periculum aliquod grauius impendére uideretur, Polonus hunc ad conuentum legationem mittit, cuius erat princeps Stanislaus Lascus. Is orationem scripto comprehensam, Cæsari, & senatui principum, Ianuario mense tradit: eius hęc erat sententia. Causam Prussicam esse iam aliquoties actam: sed quia semper in alios reiecta sit conuentus, habere

habere se in mandatis, ut rursus illam explicet: regem uerò sperare, quoniam & liberaliter ei sæpe responderint, & æquitate causa nitatur, futurum, ut ipsius rationem habeant, non quidem ut iudices, uerùm ut principes omni honore & obseruantia digni. Et primò quidem, inquit, de ordine Prutenico sum nonnulla dicturus, ut res plana fiat. Prussiæ bonam partem huic ordini, quem uulgò Teutonicũ uocant, Poloniæ reges ea lege concesserunt, ut in Christiani nominis hostes, eorum uterentur opera: sed illi magna quadam ingratitudine, uiolatis pactis, in suos dominos arma conuerterunt. Itáque sæpe pugnatum est, sæpe renouata pacta, quæ propter uetustatem nihil attinet commemorare: sed illud, quod nostra ferè memoria contigit, referam. Casimirus rex, Sigismundi pater, ingenti prælio superatos, ad pacis conditiones adegit. Tunc inter alia pactum fuit, ut Poloniæ reges in posterũ, pro suo magistratu, per fidem & iusiurandum agnoscerent: uerùm extiterunt postea quidam eius ordinis magistri, qui discederent à pactis, & in tutelam alienã sese darent. In his fuit Albertus Brandeburgicus, qui quum ex pacto teneretur regi auunculo dare fidem intra semestre, recusauit. itáque rex, quantúmuis amans pacis, arma necessariò sumpsit. Et licet summis copijs nunquam sit dimicatum, populationibus tamen & incendijs & leuioribus prælijs & direptionibus multum damni datum fuit, sic ut Albertus, quum esset inferior, induciarũ causa ueniret ad regem. In hoc ipso uerò tempore, auxilio illi uenerunt Germanorum copiæ: quapropter infecta re discessit, & bellum redintegrare cœpit: sed non multò pòst, desertus ab illis, quod antea simulauerat, tunc seriò coactus fuit agere, ut pacem impetraret. Ea demum constituta fuit intercessione quorundam, his legibus, ut regi per iusiurandum fidem daret, & ea faceret omnia, quæ fidelem beneficiarium atque clientem decent. Certum est igitur, Prussiam, post hominũ memoriam, et inde ab eo tempore, quo religione Christiana primùm imbuti fuerunt, & iure belli & pactionibus multis ad Poloniã pertinuisse. nam si qui alij, iuris aliquid in eam sibi uendicarunt, id magistrorum ordinis insolentia factum est & iniuria, qui cùm essent, nostrorum quidẽ regum permissu, origine Germani, sæpe conati sunt Prussiam ad alienos transferre. quæ sanè res, & multarum offensionum inter Germanos atq; Polonos causa fuit, & decretum etiam hoc excitauit, quo proscriptus est Albertus. sed quid iuris habent, ij qui proscripserũt, in clientem alienum? etenim quòd in iudicium non uenit citatus à

nõ ſuis iudicibus, id regis mandatu fecit, in quem omnis eſt deriuan
da culpa, ſi qua tamen eſſe poteſt: ſin autẽ ideò proſcriptus eſt, quia
pro magiſtratu regem agnoſcit, id ſanè cumprimis eſt iniquum, pœ
nas uidelicet aliquem eò dare, quòd officium fecerit: ut ergò pro-
ſcriptionis decretum illud iniuſtum & illegitimum aboleatur, rex
à uobis flagitat, inuictiſſime Cęſar & ordines ampliſſimi. Neque uè-
rò eſt, ut ambitione quadam & augeſcendi cupiditate regem quis
exiſtimet uelle Pruſſiam ſuæ ditionis facere: nam qui prouincias am
pliſſimas ultrò ſibi delatas recuſarit, quomodò in huius rei ſuſpitio-
nem ueniat? certè, non eſt ei tanti hæc regio, quin facilè ſit eam, ſi
poſſet honeſtè, neglecturus: cùm autem ad ipſius ditionem propriè
pertineat, ut ſæpe iam demonſtratum eſt, non poteſt aliter facere.
nam quòd turbæ frequenter & contentiones ea de re ſunt obortæ,
magiſtrorum id ſemper factum eſſe culpa, diximus: & Deus quidẽ
in illorum audaciam ac improbitatẽ ſubinde uindicauit. Sciuit iſta
tuus, Cæſar, atque Ferdinande rex, auus Maximilianus, qui memor
iniuriarũ, quas tum ipſe, tum Fridericus pater ab illis acceperat, ſan-
ctè promiſit Sigiſmundo regi, quo tempore Viennæ conuenerunt,
& promiſit quidem tàm ſuo quàm ueſtro etiam nomine, nullum ſe
daturũ auxilium huic ordini. Fecit autẽ hoc Maximilianus, non no
uo quodam exemplo, ſed maiorũ ſecutus ueſtigia. nam & Sigiſmun
dus Cęſar, cum Ladislao rege, mei principis auo congreſſus, non idẽ
modò, ſed auxilia quoq; in illos promiſit, & proauus ueſter, Frideri
cus Cæſar, cum Caſimiro, Sigiſmundi regis parente, uires & arma
coniunxit in Vngarię regẽ Mathiam, & hunc, de quo loquimur, or
dinem, tunc confœderatos. Et quanquam Caſimirus, huius ordinis
bello tardatus & impeditus, Friderico Cęſari nõ poſſet copias auxi-
liares mittere, pecuniã tamen ſuppeditauit, quantam debebat ex pa-
cto. Sic ergò planum ſit, ordinem iſtũ hoſtili ſemper animo fuiſſe in
familiam Auſtriacã, quæ Poloniæ ſemper & fœderũ & affinitatum
uinculis cõiunctiſſima fuit. cuius quidẽ rei Sigiſmundus rex haberi
rationem à uobis petit. Etenim ſi qui ſunt eius ordinis, qui ſe putant
aſtrictos, ut fidẽ & religionem Chriſtianã propugnent, ij ſanè, quod
agant in Pruſſia, nihil habent. nam finitimi circùm omnes, religionẽ
Chriſti profitentur: alia ſunt igitur petenda loca, ubi ſeſe exerceant.
nimirùm, aliquot iam ſæculis, Hieroſolyma tenetur ab hoſte barba-
ro, cuius quidem ad loci defenſionem hic ordo dicitur antiquitùs eſ-
ſe inſtitutus; tenetur etiã ab eadẽ gente, Cõſtantinopolis: hoc opus,

hic

hic labor est. aut si nimis id uetustum atque longinquum esse putatur, capta sunt non ità pridem & expugnata multa reipublicæ Christianæ & fortissima propugnacula: quin eò potius hic ordo proficiscitur, ut uel amissa recuperet, uel ab hoste reliqua defendat? Quòd si bello ciuili magis delectantur, iam quiuis iudicare potest, quàm non sunt eo cognomento digni. sed ità res habet: in hoc ordine semper est desideratus ordo. quapropter etiam non è Prussia tantùm, sed è Bohemia quoque centum ab hinc annis & penè quinquaginta fuerunt eiecti: neq; tamen ea Bohemiæ loca, unde pulsi sunt, uti publica & uacantia quisquam adhuc sibi cõcedi postulauit: sed sola Polonia uisa est idonea, cui molestia fieret, cùm tamen inprimis ei parcendum esset. Nã etsi multos ordo ille offendit, Poloniæ tamen maximas omnium fecit iniurias. etenim, præter paucos aliquot, & hos quidẽ primos, uix ulli eius ordinis magistri suũ fecerunt officium, imò, plærique, barbaris neglectis, in magistratum suum, Poloniæ reges, arma conuerterunt, nec id modò, sed Tartaros etiã, genus hominũ crudele, et nomini Christiano uehementer infestum, solicitarunt in fœdus, ut de Michaele Cochmestero memoriæ proditũ est. Itáq;, si quis rationem ineat & consideret labores, pericula, sumptus, bella, turbas, prælia, cædes, deuastationes, quibus hic ordo præ cæteris causam dedit, uix illũ esse tantî reperiet. ut autẽ malorum finis aliquandò fiat, rex inprimis optat. nam si quis Alberto Prussiæ duci bellũ faciat, nõ potest omninò rex illius iniuriam negligere, quoniam & auunculus est & patronus. Iactantur, & ad regem perferuntur comminationes aliquorum: id ei sanè perquàm est auditu molestum. amat enim pacem & ociũ, maximè uerò concordiã orbis Christiani: uerùm, si quis uim faciat, inuitus quidem ad arma pertrahetur, sed ea tamen arripiet, ut se suósque defendat. Amicitiam ille quum omnium principum, tum uestram inprimis, potentissime Cæsar & Ferdinande rex, appetit, eámq; perpetuam esse cupit. Antehac sæpe uos orauit per literas & internuncios, ut in Albertum principẽ decreta proscriptio tolleretur: id quò minus adhuc factum sit, nõ tàm uobis, quàm temporum difficultati tribuit. nunc uerò, quum explicatæ sint uobis rationes omnes, & impedimenta sublata, putat potestatem habere uos eius conficiendi, quod aliquandò liberaliter promisistis, quandò nõ unis literis, uoluntate magis quàm facultate uos esse paratos ei gratificari, significastis. Quòd si fortè nolit ordo quiescere, sed turbas atque bellum excitabit, planè uos maiorum uestrorũ Maximiliani

& Friderici Cæsaris pacta seruaturos esse confidit. Alterum, quod in mandatis habeo, pertinet ad Dantiscum & Eluingam urbes. Hæ, quanquam sunt ditionis Poloniæ, tamen ad Imperij conuentus euocantur. petit ergò rex, ne quid in posterum eiusmodi fiat, & quum præter ipsum nemo quicquam habeat iuris in illos, ut suis legibus uti permittantur. Cæsar, ubi de postulatis cognouit, ad ordines Imperij refert, & Vuolfgango Prussiæ magistro dat orationis exemplum. Is Ianuarij die uigesimo tertio lingua populari respondet, & nonnulla præfatus, in hoc, inquit, tota rei cõtrouersia cõsistit, utrum ditionis Polonię Prussia sit, an Imperij: si posterius hoc demonstrauero, facilis erit dijudicatio. sic autem res habet, inuictissime Cæsar, potentissime rex, amplissimi principes ac ordines, ut dicam. Annis abhinc ferè quadringentis, quum in barbaros, qui nostræ religionis homines per Asiam & Aphricam uehementer affligebant, publicũ susciperetur bellũ, institutus hic fuit ordo, de quo loquimur, quem & Cęsares munificè locupletarunt, & pontifices confirmarunt. Eius ordinis milites, aliquot annis difficillima bella deinde gesserunt ijs locis, pro republica Christiana, sed ingenti accepta calamitate, diuersa per loca dissipati fuerunt atque dissecti. Per idem uerò tempus, Mazouiæ dux, Cõradus, grauiter afflictus à Prussijs, qui tum Christi religionis erant hostes, quum sese tueri diutius & ab illis defendere non posset, primò Romanum pontificem implorabat, ut cœlesti & immortali proposito præmio homines ad arma, sicuti fieri solet, uocaret, deinde, meum hunc ordinem sibi coniunxit, & Culmensem agrum omnem, Prussiæ finitimum, atque, ut magis excitaret, Prussiam omnem dedit occupandam. Eam donationem Fridericus secundus Cæsar confirmauit, & ei, qui tum erat, ordinis magistro, Hermanno Salcio permisit, ut Prussijs bellum faceret, &, si debellaret, in perpetuum ea regione potiretur. Fuit hoc anno salutis M. CC. XXVI. Sicadeò meus ordo, Cæsaris & pontificum & Imperij principum auxilijs continuato bello per annos ferè LIII, in suam demum potestatem subegit Prussiam, & ad religionem Christianam deduxit, & episcopatibus aliquot atque collegijs decorauit, arces etiam & urbes in ea cõstruxit, ut esset ijs locis ueluti murus atq; propugnaculũ Imperij, & nobilitatis Germanicæ perfugiũ. Et ità quidem pars eius regionis in nostra potestate permansit ad annũ usque salutis M. CCCC. L, altera uerò pars ad Albertum usque Brandeburgicum. Cùm deinde Lituani Tartaris coniuncti bellum facerẽt Polonis atq; Mazouijs, nostri

nostri milites, professionibus & instituti sui memores, sumptis armis, longè latéque profligarunt Lituanos, in ipsorum ingressi fines. itáq; diuturna pax & amicitia nobis fuit cum Polonis, donec Lituaniæ quidam princeps, Poloniæ rex fuit creatus. Is, ut suæ gentis cladematque dedecus ulciscereturbellum nobis repente fecit, & adiutus à barbaris, maximum damnum dedit: sed repulsus à nostris, & exutus bona suæ ditionis parte, non lætum eius belli finem habuit; ità quidem ut ad concilium Constantiense querimoniam deferret. Interuénit postea decretum, ut quam belli iure nostri tenebant partem Poloniæ, redderent. Ad hunc modum auctus iterum, accepti beneficij memoriam deposuit, & bellum redintegrauit, & quasdam ordinis nostri prouincias, Polonicæ ditionis esse contendebat. Et quanquàm intercessione duorum regum Vngariæ atque Boheniæ transactum fuit, recruduit tamen uulnus, & demum ad Sigismundum Cæsarem delata causa fuit, qui priorem transactionẽ, regum arbitrio factam, comprobabat. Sed ne sic quidẽ Polonus conquieuit, & bellum rursus excitauit, quod uigesimo quarto pòst anno Tornij compositum fuit, Ladislao, rege. Qua quidem in pacificatione, ille ab omni lite discedit, neque se Prussiæ dominum aut hæredẽ uocat, & successores omneis obligat, ut intra anni tempus, ab inito magistratu, iurent se ratam habituros hanc pacem, & ad idem iusiurandum, episcopos ac regni cęteros ordines adigant, & ut decimo quoque anno iusiurandum hoc renouetur. Hoc etiam tunc pactum fuit, si quis Poloniæ rex deinceps Prussiæ magistro bellũ moueat, ne populus ei parére teneatur uel auxiliari, sed ut pacem perpetuã utrique colant. Et hæc quidem transactio circiter ducentis fuit obsignata sigillis, ut demonstrari potest: uerùm nõ amplius XIIII annis ea pax durauit. Nam anno salutis M. CCCC. L, populus, facta rebellione coniurauit aduersus magistrũ. & licet põtifex atq; Cęsar eos proscriberent, Fridericus tertius, etsi cognitionẽ ille fieri petebat, tamen adeò nõ destiterunt, ut L XX. circiter oppida & arces uno die deficerent. Huic illorũ coniurationi Polonię rex Casimirus, Sigismundi pater, sese coniunxit, et nos in eas redegit angustias, ut qui tum erat ordinis magister, Ludouicus Erlinsusius, præsentis periculi metu coactus, qui uel in constantissimũ uirum cadat, ut & prouinciã retineret, & saluus ipse in prouincia esse posset, iniquissimis conditionibus cum eo transegerit, nulla uel pontificis uel Cæsaris uel Imperij ordinũ interueniente authoritate. Huius autem pacis hæ sunt leges inter alia,

ut Prussiæ magistri deinceps, intra sextum mensem ab inito magistratu, Poloniæ regem adeant, & per iusiurandū pro domino agnoscant, eíque ferant opem in quoscunq; Polonos quoque recipiant in ordinem non minus quàm Germanos, & ad præfecturas etiã admittant, & quas deinceps acquirent facultates, eas ad Poloniæ regū clientelam deferant. Hæ uidelicet conditiones non solùm ad priuatum ordinis mei, sed ad publicum etiam Imperij & nobilitatis Germanicæ detrimentum atque dedecus pertinent. itáque fuerunt ab eo tempore magistri, qui perspecta rei iniquitate, graues ea de re querimonias habuerunt ad pontifices atque Cæsares, ueruntamen coacti iurarunt. Et Prussia quidem in Imperij clientela permansit ad Fridericum usque Saxonem & Albertum Brandeburgicū, ordinis magistros. nam ij fidem Poloniæ regibus dare noluerunt, eò quòd neque pontifex neque Cæsar transactionem illam Casimiri comprobassent, & quòd anno M. D. Maximilianus Cæsar in comitijs Augustæ, facto decreto, iusserat fidem Imperio tantùm præstari. Cúnque deinde minuendæ controuersiæ causa, diem Maximilianus indixisset Passauij, quod fuit anno M. D. X, missis eò legatis, nihil omninò confici potuit: unde postremum illud est insecutum bellum. sed & Albertus ipse Noribergæ fuit in comitijs ante annum uigesimum quartum, & ut Imperij princeps locum habuit inter alios, & decretum ibi factum obsignauit. planum igitur est, neque Poloniæ regē habere quicquam iuris in Prussiam, nec Alberto licuisse, in illius fese dare fidem atque clientelam. Iam uerò, quòd ordinem meū legatus insectatur ob ingratitudinem & uiolata pacta, facit in eo nobis iniuriam, & literarū monumentis doceri potest, uix unquam à regibus Poloniæ nobis seruatam esse fidem. An ullæ sunt unquam uisæ literæ, pluribus obsignatę sigillis, quàm illæ, quibus cum rege Ladislao transactum fuit? an ulla potuisset amplior interuenire cautio? Et tamen perruptis literis atque sigillis redintegratū in nos fuit bellum. hanc scilicet gratiam nobis retulerunt ob restitutam ipsis Sarmatiã & bonam Lituaniæ partem. Superioris memoriæ Cæsares aliquot nominat, & offensos ordini meo fuisse dicit: sed longè res aliter habet. nam Sigismundus, non modò litem diremit, & secundum nos iudicauit, ut paulò suprà dictum est, uerumetiam auxilia nobis in hostem subministrauit: deinde, Fridericus, quo tempore populus rebellionem fecit, ut antè recitauimus, & amorem nobis omnem præstitit, & coniuratores proscripsit, & Imperij conuentus hanc ob causam

ſam egit Noribergæ, quibus in comitijs auxilia quoque nobis decreta fuerunt. Maximiliani conſimilis fuit uoluntas atq; ſtudium. nam neq; iurare nos Polono uoluit, & tum ſuo, tum Imperij nomine crebras idcircò literas ad Sigiſmundū regem dedit, & decretū tunc fecit, nobis honorificum. Pergit orator, & facetè nobis etiā illudit, & cur Hieroſolymā, idq; genus alia loca non recuperemus, interrogat. Equidē non ſum ità rerū imperitus, quin multa poſſim in eum retorquere: ſed propter hunc ampliſſimum conſeſſum mihi temperabo, & hoc ſolùm inuicem ex eo quæram, primùm, cur Polonię rex non recuperet ea, quæ Moſcouiæ princeps illi ſuperioribus aliquot annis ademit? quę ſanè magnitudine ſua totā ferè Pruſſiam adæquant: deinde, cur in hac tanta fortuna non defendat ſuos fines ab illis quotidianis Tartarorum incurſionibus? nimirùm, hæ ſunt uiolatæ fidei pœnæ. Noſtros ait tota Bohemia quondam eſſe pulſos: id cur dicat, non uideo, niſi ut per exemplum oſtendat, ipſis quoque licere, ſpoliare nos bonis, & exuere poſſeſſionibus. Nam eius temporis clades non ſolùm ad noſtrum ordinē peruénit, ſed omnem quoq; Bohemiam peruaſit, & in eos potiſſimum, qui priſcam religionē ſequerentur, exundauit, quando uidelicet ob Huſſicum dogma graues ibi fuerunt excitati motus. Bella quidē geſſit meus ordo cum Poloniæ regibus, fateor: quòd uerò cauſam ullius belli dederit, cōſtanter nego: nec enim unquam arma ſumpſit, niſi iuris uel defendendi uel repetendi ſui cauſa. Cum Tartaris ait nos iniſſe fœdus: hoc in ipſos uerè dici poteſt: cōſtat enim, quomodò ſint auxilijs illorum uſi contra Chriſtianæ profeſſionis homines: deinde, ſitus ipſe regionis facilè docere poteſt, utrū nobis an ipſis opportuni ſint magis atq; finitimi Tartari. Quod poſtremo loco dicit de Dantiſco & Eluinga, prorſus nulla ratione nititur: nam utraque ciuitas eſt noſtræ ditionis, & ad Imperium Germanicū pertinēt, nec aliud ibi ius habet Polonus, quàm quod ciuiū defectione atq; perfidia cōſecutus eſt, ſicut multis documentis oſtendi poteſt. Quę cum ità ſint, inuictiſſime Cęſar, potentiſſime rex, ampliſſimi ordines, ut quę iampridē eſt lata ſententia, in executionē ueniat, obteſtor. hoc enim à uobis impetrare debent & æquitas cauſæ, & Imperij dignitas, & ſtatus religionis, & Germanicæ nobilitatis honos pariter ac emolumentum. Poloniæ legatus aduerſarium quidem ſcriptum parauit, ſed non exhibuit: nam utriuſque rationibus auditis, delecti fuerunt ex omni numero qui cognoſcerent. horum ſumma deliberationis erat, ſententiam in Al-

bertum pronunciatam, esse tuendam: sed tamen, quoniam executionis permagnam esse difficultatem uidebant, ad Cæsarem omnia reiciunt. Sigismundus rex, aliquantò pòst, mortem obit, ætate grauis, quum regnasset annos XLII. patre fuit natus Casimiro, sicut dictum est. fratres habuit treis. ex ijs Ladislaus, Vngariæ rex fuit atque Bohemiæ, pater Ludouici regis & Annæ: Ioannes Albertus, & Alexander, quum ordine regnassent à patre Casimiro, nõ relictis liberis, ad natu minimum fratrem Sigismundum rei summam transmiserunt. huic successit eiusdẽ nominis filius, Ferdinandi Romanorum regis gener. De Mendoza diximus libro superiori, quemadmodũ Romæ sit de concilio protestatus. Ad hæc pontifex, calendis deinde Februarij, coacto senatu cardinalium illi respondens, quum iniunctum tibi diceres à Cæsare, ut de concilio protestationẽ interponeres, magnum, inquit, dolorem nobis omnibus attulisti, Mendoza: posteà uerò quàm mandati literas diligentius expendimus, denuò recreati sumus. & primò quidem de causa mœroris dicam. Nimirùm, protestãdi genus illud est mali res exempli, & ab ijs potissimùm usurpata, qui uel prorsus ab obedientia discesserunt, uel in ea cœperunt uacillare. Doluit ergò mihi cumprimis, qui paterno semper amore Cæsarem sum prosecutus, & ut ecclesiæ pastorem decet, concordiæ semper studui. tantò magis autem et mihi & collegio cardinaliũ doluit, quò minus in hoc tempore aliquid eiusmodi fuit expectatum. Bellũ enim Cæsar gessit cum suis & ecclesiæ hostibus, & gessit meis adiutus copijs. Et quanquàm tu leuiter hoc æstimare Mendoza uideris, tamen summi beneficij loco debet haberi. nam & permagna fuerunt auxilia, quæ dedi, sic ut etiam ærarij sacri facultates atque uires excesserint, & opportunissimo tempore collata fuerunt. quid igitur minus expectari potuit, quàm ut parta uictoria, & recenti quidem, talem fructum pietatis atque beneuolentiæ Cæsar mihi redderet? nempe, ut eius belli finis, initium esset aduersus me protestandi. Planè mihi usu uenit quod propheta queritur, ut collecturus uuas, inueniam labruscas. Inde à suscepto pontificatu, Cæsarem, ueluti nobilissimam aliquam plantam, summo studio colui, ut copiosam aliquandò uindemiam facerem: sed hoc eius institutum, omnem propè spem fructus mihi tollit. Habes causam mœroris: nunc accipe, quomodò simus eo leuati. Tu, quasi facultas tibi data esset, contra me & sacrum hoc collegium protestandi, sic usus es illa, nec honorifica nobis, neque sanè digna Cæsare; sed in literis mandati, nullum

nullum est uerbum, quod Cæsaris eam fuisse uoluntatem ostendat, ut ad hunc modum ageres: nullum inquam est uerbum, ut melius intelligas, quod eius rei potestatem tibi faciat. Suis Bononiæ procuratoribus mandat Cæsar, ut coram nostris ibi legatis, qui concilij locum mutarunt, ità protestentur: id ubi tu factum esse comperisti, prorsus eadem hic apud nos uti uoluisti protestandi formula: sed in eo fines prętergressus es mandati. Si quidem hoc antè non deprehendisti Mendoza, nunc tandem admonitus recognosce. Mandat enim Cæsar, non, ut aduersum nos, uerùm, ut coram hoc nostro cœtu, contra legatos, migrationis authores, contesteris. Itáque modestissimi principis officium Cæsar in eo fecit, qui intra fines illos atque cancellos constitit, & coram me testificationem illam fieri uoluit, quem totius negocij legitimum & unicum iudicem esse nouit. Etenim, si causæ cognitionē susciperе recusassem, tunc demum erat futurus ei protestationi locus. Tu uerò, non eam, quam oportuit, rationem ingressus, ut de causa cognoscerē, minimè petijsti, sed præiudicio quodam usus, ut decretum de transferendo concilio factum rescinderem, & ut patrum maximam partē cedere iuberem paucis aliquot, qui Tridenti manserunt, postulasti. qua quidem re quid magis authoritatem omnem eneruare concilij possit? An non multò fuisset æquius, ut, qui non magno sunt numero Tridenti, si quam habebant de reliquis, qui Bononiæ sunt, patribus, querimoniæ causam, eam ad me deferrent? equidem nec illorum tunc postulata repudiassem, & ne nunc quidem reijcere uelim. Cùm ergò Cæsaris uoluntatem minimè cum tuo facto congruere certum sit, est quod Deo gratias agamus, qui mentē illius ad hunc modum regit: est quod nobis gratulemur, est quod ipse principis tui causa tibi gaudeas. Et quanquam hocipso, quod iam explicauimus, actionis tuæ fundamentū corruit, ità quidem, ut ad contestationem tuam nihil sit opus respondere, tamen, ne silentio uidear agnoscere tuas criminationes, eáq; re multos offendam, imperitiores præsertim, refutabo singula. Et primò quidem, hunc tibi scopum proposuisse uideris, ut me negligentem esse, & tergiuersari, & afferre moram, ne concilium habeatur, Cæsarem uerò, de republica solicitum, & uigilantem & diligentem, & in hoc totum esse, ut concilīū cogatur, demonstres. Equidem laudibus Cæsaris nec inuideo, neque sanè debeo: & si quidem in eo constitisses, non erat quod responderem: sed quia sic illum extollis, ut me deprimas, ità celebras, ut me quodammodo contemptibilem facias, dum

illum non à me tantùm, sed à maioribus etiam meis, pōtificibus Romanis conciliū flagitasse dicis: ipsa res postulat, ut ad ea tibi respondeam. Itáque si Cæsaris ea semper mens fuit & hoc desiderium, ut perageretur cōcilium, fuit hoc mihi cum eo commune: deinde, sicut ætate præcedo, sic etiam ante ipsum, hoc expetiui, quod amplissimi cardinales docere possunt, illi, qui tum erant huius collegij. Creatus uerò pontifex, in eadem uoluntate permansi, & uel minimam adeptus occasionem, concilium indixi, Mantuæ primùm, postea Vicentiæ: sed illuc prope nulli, huc pauci quidam uenerunt: & legati, quos miseram, per semestre tempus ibi reliquos expectarunt episcopos, à me conuocatos, literis atque nuncijs in omneis partes dimissis. Eas autem urbes minimè aptas fuisse dicis, quò diuersarum nationum homines conuenirent, & Tridentum esse dicis idoneum. Atqui, nemo est, qui nesciat, non posse cum illis conferri Tridentum, siue magnitudo, siue rerum omnium spectetur copia. Non igitur incommoditas loci fuit impedimento, sed bella principum. Iam mihi uide, uter hac in parte fuerit ardentior: ipsé ne Cæsar, qui bellicis motibus concilium impediuit, an uerò pontifex, qui semper pacis author fuit & consiliarius, qui nulli principi suam operam addixit, præterquàm uni Cęsari, & quidē eo in bello, quod peragendo concilio uiam munire uidebatur? An coactus bella Cęsar gesserit, & inuitus eò sit pertractus, non disputo: sed bellis constat retardatum fuisse cōcilij progressum. Nō libenter ad hanc comparationē descendo, quia de laude pietatis est cōtentio. quæ quidē omnis est tribuenda Deo, sed tu causam dedisti Mendoza. Non agam autē pluribus, & te solùm monebo, ut singulos mei pontificatus annos tecum exigas, & quę nostra solicitudo, quod studiū interuenerit, animaduertas. Nimirùm hæc duo semper mihi proposita fuerunt, ut principes pacificarem & conciliū cogerem, in eóque nulli sumptui, nulli meo labori peperci, quantumuis ætate grauis. sed neque tu quicquam eorum reprehendis, quæ conciliū antecesserunt, & legatos tantùm incusas, quòd me nescio Bononiam commigrarint: deinde et illud te offendit, quòd patrū congregationem Bononiæ, conciliū uoco, & illis qui sunt Tridenti, putas hoc ipso fieri iniuriā. Sed quid in eo est mali? sic enim omnes loquuntur, conciliū esse Tridento translatum Bononiam. Quare, si iusti iudicis officium facere uelim, non possum non ità uocare, donec aliter mihi constiterit per cōtrarias probationes, præsertim, quum maxima pars episcoporū unà cum legatis nostris

ſtris eò ſe contulerit. nec enim minor pars, ut tu cõfirmas, ſed maior, in re dubia debet haberi ſanior. Et certum eſt, in poteſtate eſſe concilij, ut aliò migret: ſed an legitimè translatum ſit, quod quidẽ in controuerſiã uenit, eius rei iudiciũ ad me delatũ, mihi reſeruo, atq; interim cõcilij nomen illi cœtui tribuo. Sed eos, qui migrationis fuerunt authores, mihi eſſe deuinctos ais. túne hoc reprehenſione dignũ putas? Laudas igitur eos, qui Tridenti manſerũt, quòd à me ſint alieni. Quid autẽ in eo ſit periculi, conſidera. nam ſolent ex ea re naſci diſſidia & ſimultates, eccleſiæ ualde perniciosæ, quum à pontificis obſeruantia ſe ſubducunt epiſcopi. Quòd ſi per addictos uis intelligi factioſos, qui meas partes, quo iure quá ue iniuria defendant: equidem tales non agnoſco. Nec enim ullæ meæ ſunt priuatę partes aliæ, quàm quæ ſunt patris erga filios, & paſtoris erga gregem. neque uerò accidit adhuc in concilio talis cõtrouerſia, ut eiuſmodi deuotis & addictis opus haberem: ſed ab epiſcopis hoc inprimis requiro, ut conſcientiæ libertati conſulant, & diſcedentibus à me legatis ad ſynodum, inter alia diligenter hoc etiam atque etiam iniunxi, darent operam, ne patres ullam haberent cauſam, de adempta ſibi libertate in dicendis ſententijs, conquerendi. Crimini das etiam, quòd nullis neque Cæſaris neq; regis nec ordinum Imperij precibus mihi perſuaderi patiar, ut patres Tridentum redeant, ex eóque colligis, Germanię ſalutem mihi nequaquam eſſe curæ: præſertim, quum Cęſar maximo labore ac moleſtia perfecerit, ut qui iam pridem ab eccleſia diſceſſerant, concilij decreta non recuſent, modò Tridenti continuetur. Equidem definitis uerbis nunquam recuſaui, quò minus Tridentum redeatur, modò id legitimè fiat, & ſine reliquarum nationum offenſione. Quàm uerò ſim cupidus Germaniæ ſalutis, ex eo perſpicuum eſt, quòd iam bis eò concilium conuocaui, bis miſi legatos, qui cùm in prima legatione, per ſeptem menſes, Germanorum aduentum inprimis expectaſſent, Pariſius, Moronus, Polus, cardinales, ſcis ipſe tu, nullos tunc ueniſſe. Cæſaris quidem nomine uenit eò Granuellanus, & epiſcopus Atrebatenſis, & tute Mendoza, & teſtificari poteſtis, quanta fuerit noſtrorum hominum in expectando patientia. Quis autem fuit exitus? ne uos quidem ipſi manſiſtis: & quanquam legati mei uos orabant, ut ſaltem è tribus remaneret unus, quod ad exemplum ea res pertineret, tamen illata quadam excuſatione, non multos poſt dies abiiſtis. Biennio deinde pòſt, tempore uidelicet commodiori, rurſus ibi conuentum eſt,

& à nobis missi legati, Montanus, Cruceius, Polus, cardinales. Eò tu quoque uenisti, & Franciscus Toletanus. Recordaris autẽ, quàm lõga fuerit expectatio, quot menses penè fruſtrà cõsumpti sint, antequam actionis fieret initiũ. Vbi uerò iam ad rem uentũ esset, ac multa fierent, eáque salutaria decreta, scis, quàm pauci uenerint eorum, qui medicina cumprimis indigebant. Ex episcopis quidem nulli uenerunt: pauci quidam mittebant procuratores: breuiter, nulla prorsus apparebant signa, quæ spem facerent, fore, ut medicinam admitterent. & quum ex Hispanijs, Gallijs, Italia, & remotioribus prouincijs multi conflluerent, è sola Germania, quæ prorsus est finitima, uix ullus accessit. Sed alium nunc esse statum temporis, & Cæsarẽ, cuius aucta nunc potentia sit & authoritas, hoc in se recipere dicis, ut, si Tridentum redeatur, Germani omnes concilij decreta sequantur. Cedo, Mendoza, si uerum est quod ais, & si Germani sunt eius uoluntatis, cur non simpliciter concilio se submittunt, ubicunque sit illud? Nolim autem istud sic accipi, quasi magnopere laborem, quo loco peragatur synodus: uerùm tu Tridento sic inhæres, ut, nisi quo loco inchoatum est, eò perficiatur etiam, de salute Germaniæ actum esse dicas. Vide autem quid agas. nam dum ad unius oppidi mœnia nos astringis, iniuriã spiritui sancto facis. Hierosolymam Deus olim constituit, ueluti locum peculiarem, in quo coleretur: sic tunc ei uisum fuit: sublatis autem ceremonijs & umbra legis, posteaquam iustitiæ sol effulsit, seruator noster Christus, omnibus in locis uoluit adorari. seruitutem ergò nouam introducis, quandò locum tantopere urges. Atqui, cum Germania sananda sit, opus est, ut in ea conuentus fiat. Quid ergo, si Dani, si Gothi, si Britanni tenentur ijsdem morbis? an singulis generale concilium intra fines ipsorum dabitur? non ità res habet: & in cogendis concilijs, non eorum, quibus præscribuntur leges, habetur ratio, sed eorũ, qui decreta faciunt & præscribunt. hi uerò sunt episcopi, cæteríque patres, quorum commoditati maximè consulitur. Multis enim documentis ostendi potest, extra prouincias, ubi natæ fuerant hæreses, habita sæpe fuisse concilia. Quid? ualdé ne sit iniquum, si Germani hoc sibi sumant, ut quo uelint ipsi loco, publicè cõueniatur, & reliquis populis eripiatur eligendi ius atque libertas? hæc eò pertinent, ut illa tàm acri protestatione nihil opus fuisse uideas: sed nunc ad cętera decurro. Respondeo, quod Cæsari dedimus, ais esse illegitimum & plenum figmentis, nec ulla ratione uel iure subsistere. parùm quidem ista modestè:

& in-

& iniuriam facis, & quia rationem nullam adfers, non possum tibi distinctè respondere: uerúntamen, suspicor tibi esse molestũ, quòd postulamus, ut rata sint decreta, ut idoneè caueatur uenturis ad synodum, ut is agendi modus & ordo retineatur, qui iam inde ab apostolorum ætate ad hoc usque tempus in ecclesia permansit, ut denique commeatus sit expeditus. In his autem postulatis nihil est noui, nihil iniqui, & solent ista non tàm pontificum, quàm Cęsarũ legibus caueri. Iam, quòd ais, fore, ut quicquid deinceps incõmodi nascetur, id mihi Cæsar attribuat, & simul in hac mea negligentia, curam ecclesiæ suscipiat: equidẽ, quantum per Dei gratiam licebit, nõ committam, ut in rebus ecclesię negligẽs meritò uideri possim: uerúntamen, si ità contingat, quæ hominũ est imbecillitas, nõ ægrè feram, si mea negligentia, Cæsaris excitare possit & acuere diligentiam, ut ecclesiæ subueniat, modò tamen intra eos cancellos consistat, quos tu illi circundas, nimirùm, ut iuris formulã et sanctorum patrũ leges & orbis consensum in eo sequatur. quod si faciat, nihil dubito, quin utriusq; functio licet diuersa & distincta, sit ecclesiæ futura salutaris. Postremò, quod ad illud tuæ protestationis caput attinet, ubi migrationẽ concilij illegitimam esse contendis: quoniã in eo summa controuersiæ pẽdet, cognitionẽ eius, pro ea potestate, qua fungor, mihi uendico, eámq; uiris amplissimis, Parisio, Burgensi, Polo, Crescentio, cardinalibus cõmitto, & interea dum illi cognoscunt, ne quis omniũ in contrarium aliquid moliatur, edico, simul patribus, tam ijs, qui Bononiæ, quàm, qui sunt Tridenti, mãdo, ut si quid hac de re uelint in mediũ adferre, faciant hoc intra mensem. Et ne ulla ex parte uidear deesse Germanię, legatos eò mittere nõ recusò, qui eorũ populorum infirmitati medeantur, si quidem hoc ipsis atq; Cæsari nõ ingratum esse cognouero. Pręterea, si finito iudicio parebit, non rectè migratũ esse Bononiã, omni ratione curabo, ut Tridenti cõtinuetur synodus, & ut paucis dicã, nihil non faciã, quò tandem Germanię pristina religio restituatur. Cardinalis Tridentinus iam antè redierat Augustam, uti diximus: cùm ergò Cęsar eius audito sermone, & Mẽdozę quoq; literis acceptis, Romæ datis, ad exitũ Decembris, cõcilij spem exiguã esse uideret, XIIII Ianuarij die rem ad ordines defert, & quomodò se res habeat, exponit, séque legato suo Mendozæ nunciasse dicit, ut de concilij translatione Romæ contestetur: id ubi factum erit, se daturũ ipsis exemplum, ut exscribant: & quanquam concilij spes non planè sit abijcienda, tamen, quoniã aliquantò longior mora

interponatur, uideri ſibi neceſſe cumprimis, ut interim ratio quæpiam inueniatur, quæ ad Germaniæ pacem cõferat: ſibi quidem eſſe ab ipſis curã huius rei permiſſam, ſed utile ſibi uideri, ut ex omni numero pauci quidam deligantur uiri boni & docti, qui negociũ tractent: ſe quoque daturum eſſe nonnullos, qui ſimul conſulant: petere igitur, ut huc incumbant, et omni depoſito affectu cogitẽt, quantî & Reipublicę & cuiuſque priuatim interſit, aliquam fieri conciliationem: cogitent, ante diſſidiũ hoc, Germaniam fuiſſe regionum omnium longè florentiſſimã, & uelut exemplar, in quod omnes populi reſpicerent: cogitent præterea, quòd tantum ipſe laboris atque moleſtiæ ſumpſerit, ut Tridenti cõcilium continuetur, id officij cauſa & ſingulari charitate in patriam eſſe factum. Delecti ſunt igitur nonnulli, qui rem agerent: ſed quum inter hos minimè conueniret, Cæſari cauſa tota permittitur. Itaque negocium fuit datum nonnullis, ut & doctrinæ & ceremoniarum & emendationis eccleſiaſticæ capita conſcriberent. hi erant Iulius Pflugius, epiſcopus Numburgicus, Michael Sidonius, Ioannes Islebius Agricola, qui ante annos duodeuiginti, Saxonicæ doctrinę confeſſionem unà cum Melanchthone et Brentio defenderat, ſicut libro ſeptimo diximus. hi ergò de dogmatis librũ conſcribunt, ſed admodũ arcanè, & quum diu multúmq; tractaſſent, & crebrò ſub incudẽ reuocaſſent, Cæſari demùm exhibẽt, ut poſtea dicemus. Elector Brandeburgicus, Ioachimus, qui conciliationi ualde ſtudebat, communicato concilio cum Iacobo Sturmio, & datis ad ſenatum Argentinenſem literis, orabat, uti religionis gratia Bucerum ad ſe mitterent: nam detrectante concilium pontifice, Cæſarem aliã inſtituiſſe rationem, & magnam eſſe ſpem emendationis. Mittitur itáque Bucerus, qui ſub exitum Ianuarij ſilentio profectus, non procul ab Auguſta ſubſtitit, donec princeps accerſeret. Quomodò Britanni maximo prælio Scotos deuicerint, libro ſuperiori diximus: cùm autem de propoſito nihil Scoti remitterent, & Galliæ regis pollicitationibus niterentur, Angliæ protector Somerſetus, & reliqui conſiliarij, ſcripto ualde prolixo, quinta die Februarij, ad pacẽ illos hortati, quanquam, aiunt, res ipſa poſtulabat, ut à uobis, qui & cauſa & defenſione eſtis inferiores, initium fieret, etſi ueſtris in finibus & agris longè latéque rerum potimur, committere tamen non poſſumus, quin ueſtrę ſalutis uos commoneamus. Ante prælium anni ſuperioris, ad pacem & amicitiam uos inuitauimus, & quid noſtræ uoluntatis eſſet, oſtendimus, ſed

fuit

fuit illud ſcriptum à ueſtris ducibus & regni præfecto ſuppreſſum, neq; uobis redditū: nam hi, modò bene ſit ipſis, minimè ſoliciti ſunt quid uobis fiat. itáque, ſi nunc eadem utentur arte, neque uos de uoluntate conſilióque noſtro doceri patientur, palàm hoc ſcripto profitemur, nihil à nobis eſſe prætermiſſum officij. Multa ſæpe bella geſſerunt Angli cum Scotis, & aſperrima quidem: neque dubium eſt, qui legũt hiſtorias, uel de rebus geſtis audiunt, quin ualde mirẽtur, eiuſdẽ regionis & linguæ populos, tam atrociter inter ſe diſſidere, & optatiſſimũ eſſe ducant, ſi qua ratione inſula tota coaleſcat, & uno regatur imperio: ſed eius rei nullam inueniri poſſe uiam expeditiorẽ, quàm per matrimonium, fatentur omnes. Hanc uerò uiã, Deus, ueſtri miſertus, uobis oſtendit, & pulcherrimam occaſionem uelut in ſinum dedit. Rex ueſter, quum uiolata fide prælium aduerſum feciſſet, paulò pòſt è uita deceſſit, ſeu mœrore, ſeu quauis alia de cauſa. Tres huic erant liberi, duo mares atque filia: & illi quidem, quò minus coagmentatio fieret inter nos, poterant obſtare: ſed utrunq; ſuſtulit Deus eodẽ ferè die, quum eſſent infantes, & hęredẽ unicam uobis reliquit filiolam, natam paulò ante mortem parentis: nobis uerò ſummæ regem expectationis dedit, Eduardum, Henrici filiũ ac hæredem. Quid? an non paratum uidetis perpetuę & immortalis inter nos amicitię uinculum? ſępe quidem optata fuit, ſed octingentis abhinc annis nulla ſeſe talis obtulit occaſio. Ne illi quidem, qui pacem apud uos impediunt, hoc inficiari poſſunt: ſed hac ratione uelle nos aiunt comparare nobis dominatũ, uobis autem ſeruitutẽ: id autem ante annũ miſſis ad uos literis abundè refutauimus, & nunc Deum teſtificamur, regis hanc eſſe mentem, ut arctiſſima fiat inter nos neceſſitudo. Si recuſabitis, & nos ad arma rurſus excitabitis ueſtra pertinacia, cedo, in quem communium malorum cauſa conferetur? Hæredem regni ueſtri puellam, regi noſtro ſpopondiſtis, frequentiſſimo ſenatu: ſunt eius rei confecta literarũ monumenta, publico regni ſigillo confirmata: interuenerunt plurimę grauiſſimæq; cautiones, & placuit eſſe dandos obſides, donec ad iuſtam ætatem ambo peruenirent: hæ ueſtræ literæ ſunt in noſtris manibus, & teſtimonium perpetuum dicunt: hiſce rebus omnibus non interfuit modò, ſed pręfuit etiam Arraniæ Comes Hameltonius, regni ueſtri gubernator: ſed idem, poſteaquam cardinalis Andreanus & alij quidam eccleſiaſtici proceres terrorem illi atque metum adferrent, & ſpem magnam oſtenderẽt, diſceſſit à pactis, fidémq; uiolauit. In hunc ſanè,

quicquid interea uobis accidit malorum, omnis est deriuanda culpa: quòd tàm multæ sunt ablatæ uobis arces atq; castella, quòd commisso prælio tot millia desideratis, quòd eousque sumus in uestrum agrum progressi, huic est inprimis tribuendū. Sed quem finē demum expectatis huius & obstinationis & perfidiæ? Victores pacem uobis deferimus: bonam regni uestri partē tenemus, & Angliā uobis cōmunicamus: id quod uictis ignominię loco solet imponi, ut quum inseruntur populo uictori, suæ nationis nomen abijciant & amittant, id nos ultrò uobis largimur, nec antiquū illud recusamus & utriscq; cōmune nomen Britannorū recipere. Quid est per Deum immortalem, quod amplius à nobis præstari possit? nónne sic iudicabūt omnes, iustam nobis esse causam armorum, ubi tàm liberales, tàm æquas & honestas conditiones nullū apud uos locum habuisse cognoscent? patefacimus uobis omneis aditus ad nostram amicitiā, & reginam uestram non regno pellimus, sed Anglię uolumus illam cū filia præficere: deinde, nō cogitamus antiquare uestras leges: nam & Anglia & Gallia & Cæsaris quoq; prouinciæ diuersis utuntur legibus. Qui pacē impedire studeant, eiusmodi uobis terrores adferūt: sed hi suis tantùm commodis & cupiditati consulunt, non uestræ saluti. Vos autem oculos & animum ab illis auertite, & reipublicæ uestrę statum ipsi perpendite. puellam habetis, hæredē regni: huic certè nubendum erit aliquandò. Nubet igitur aut alicui uestræ gentis, aut externo cuipiam principi. sidomi, nihilo tamen secius integrum nobis ius nostrum manet, & ciuiles turbas ac inuidiam ea res excitabit: si foris aliquem assumetis, & nos habebitis hostes perpetuos, & alienæ nationi miserrimam seruietis seruitutem. Erunt uobis è longinquo petenda auxilia, & quæ mittentur copiæ, dici non potest, quantùm uobis damni dabunt, & quàm superbè uobiscū & insolenter agent. hoc enim erit eis persuasum, ipsorū pręsidio atq; tutela uestram salutē omnem contineri. Quid? reginā ipsam et principem uobis eripient, & quò uolent, transportabunt, & si bellū ipsis alicunde moueatur, quod fieri potest, in hoc erunt toti, ut se suáq; defendant, uos autē negligent, et nobis in prædā relinquent. Quòd si fortè non militē sed duces tantùm mittant: hi uobis pręscribent & imperabūt, & si quid rectè geretur, omnē sunt habituri gloriā: si qua uerò clades accipiatur, in uos omnis exundabit tempestas, qui uitā et sanguinem profunditis. Quid etiā periculi sit, externis auxilijs uti, domesticum exemplū docere uos potest. Huius insulæ populi, Britāni, quondam

euoca-

uocarunt Saxones in auxilium, & pòst ab ijſdem ſunt pulſi patria, & in montes atque paludes reiecti. Fuerunt aliquandò medij inter Anglos atque Scotos, Picti, genus hominum acre et bellicoſum. hos quũ aliquandiu Scoti defendiſſent ab hoſte, ſic tandẽ oppreſſerunt, ut ne nomen quidẽ hodie ſuperſit. An nõ idem accidit Gallis, quum Francorum, Græcis, non ità pridem & Pannonijs, hac noſtra memoria, quum Turcarum uterentur auxilijs? Nonne Gothi quondã hac ratione Italiam, & Langobardi totam occuparunt Inſubriam? Ne uobis adlubeat, ſi ſapitis, experiri militis peregrini faſtum & inſolentiam: ſed infinitam illam malorum turbam nuptijs et affinitate & honorifica pace componite, & finitimarum gentium morem atq; exempla uobis in eo proponite. Carolus Quintus Cæſar Hiſpaniã & Burgundiam hac ratione tenet: Britanniam minorẽ Galliæ rex hoc modo ſibi comparauit. Idem aliæ quoque gentes faciunt, nam duæ ſunt omninò uiæ, quibus bella finiuntur, per uim ſcilicet atque victoriã, aut per connubia. Si uim odiſtis, cur alterũ non admittitis, quod uobis offertur, & quod eſtis aliquando pacti? Nõ eſt nobis incompertum, qui uos à ſanis conſilijs abducant. hoc nimirùm agunt eccleſiaſtici quidam, et ipſe regni gubernator: ſed uidete, ne qui toties fidem uiolarunt, libertatem uobis omnem perdant, ne largitionibus corrupti, tanquam mercede proditionis, arces ueſtras & propugnacula tradant externis. Quòd cùm facient, uerbo quidẽ fieri ſimulabunt, ut has illi defendant à nobis, ſed reuera, ut illorum præſidio tuti, frenum ipſi uobis injiciant. quæ ſit interim ueſtra, quæ regni futura conditio, quis non uidet? O miſeram & calamitoſam pertinaciã. Oceano claudimur undique, tanquam mœnibus atque uallo firmiſſimo: ſi modò coniunctio eſſet inter nos animorum, nihil ad ſummam fœlicitatem deeſſet, & monarchiam poſſemus conſtituere florentiſſimam. Quòd ſi hæc ratio uos nihil mouet, ſaltem moueat & accepta pridem & iam imminens uobis calamitas: moueat numinis diuini metus. nam uiolatæ fidei & pactorum uindex eſt Deus, & belli cupiditatem omnem deteſtatur, grauibuſque pœnis affligit. Reginam ueſtram nobis pactam expetimus, & quam Deus pro infinita bonitate ſua pacis uiam nobis oſtendit, eam ſequimur, & ut uos etiam in ijſdem hæreatis ueſtigijs, petimus, et, ſi nihil impetramus, neceſſariò nobis bellum eſſe gerendum, profitemur, & auſpice Deo, cuius uerbum atque uocem uos contemnitis, ius noſtrum ferro perſequemur & igni. Quamobrem, qui ſunt ex uobis uiri boni, quibus patriæ ca-

lamitas dolet, qui fidem ſeruandam eſſe putant, licebit ut ad nos tran
ſeant, quicunque demum illi ſint: omnem eis fidem & amorem præ
ſtabimus. ut commercia quoque ſint inter nos mutua, rex non ità
pridem edicto cauit, quò ſuæ erga uos beneuolentię documentũ ali-
quod extaret. Et ſi rectè collocatum beneficium hoc eſſe uidebit, am
pliora ſtatuit in uos conferre, & hæc omnia ſuo nomine uobis nun-
ciari iuſſit. Proximè ſuperiori libro diximus de Sebaſtiano Vo-
gelsbergo, qui decem ſigna peditũ ad Gallię regem è Germania du
xerat: is autumni tempore domum redierat, dimiſſis copijs. Quòd
Gallo militaſſet, grauiter & acerbè Cæſar tulit, & occaſionem expe-
ctans, Lazaro Schuendio, dat negociũ eius comprehendendi. Venit
is Vuiſſeburgum, ubi domicilium ille habebat, et comprehenſum
Auguſtam abducit. Mox habetur quæſtio per tormenta, & de non-
nullis, qui iam antè uenerant in ſuſpitionem ſocietatis Gallicæ, in-
terrogatur: & quanquam magno quodam robore corporis ac ani-
mi, per cruciatum nihil dixerat, tamen, quòd in ſocietate rebellium
fuiſſe, quòd Cæſaris edicta uiolaſſe, quòd inſidioſa tractaſſe conſilia
diceretur, capitis damnatur, & cũ eo centuriones duo, Iacobus Man
tellus, Vuolffius Thomas. Itáq; productus fuit in forum, Februarij
die ſeptimo, quum ante quatriduum eò ueniſſet. Erant in armis ali-
quot ſigna peditum, & ingens hominum circumfuſa turba. Cùm in
ſupplicij locum editiorem ueniſſet, animo præſenti & intrepido cir-
cumſpiciens, quoniã ex feneſtris et ædibus undiq; ſpectabant omnis
ordinis uiri magnifici, honorificè illos affatur, & de ſuo uitæ genere
locutus, quomodò Cęſari iam antea militarit, exponit, & nullam ſuę
necis cauſam eſſe dicit aliam, quàm quòd ante annum Galliæ regi co
pias adduxerit, quum ille regni diadema de more ſuſciperet. Erat
Vogelsbergus egregia forma & ſtatura, quumq; adeò nullã daret
ſignificationem horroris atque metus, omnium oculos in ſe conuer-
tit. poſt eum capite mulctati ſunt hi, quos diximus, centuriones. Sen
tentiam tulerunt iudices duo, qui Cęſaris aulam atque caſtra ſequun
tur, Hiſpanus unus, Biruieſca, Germanus alter, Nicolaus Zinnerus,
ambo iureconſulti. Schuendiũ ille criminatus fuerat, quaſi circum-
uentus ab eo fuiſſet: hi uerò ſcriptum euulgant, & quamobrem in il
los uindicatum ſit, oſtendunt, & Schuendiũ purgant, & præter man
data Cæſaris nihil egiſſe dicunt, & falſam eſſe criminationem profi-
tentur. Hoc tempore, per Galliam, inprimis uerò Lutecię propter
Lutheraniſmum rurſus excitantur incendia & perſecutiones, quum

interim

interim in Anglia de missa pontificia prorsus abroganda deliberaretur. Mauricio, Cæsar, honorem septemuiratus, & Ioannis Friderici prouinciæ maximã partem, iam antè, sicut diximus, attribuerat in castris ante Vuittembergam: sed hoc in conuentu publica & solenni ceremonia, tanquam in possessionem illũ mittit, & in suam Imperijq; fidem accipit, quod tum ei promiserat. fuit hoc Februarij die uigesimo quarto, qui quidem dies est Cęsari natalis. Ea uerò ceremonia sic habet. In foro tabernaculum erat extructum è materia, patulum, in quod per gradus ascendebatur. eò Cęsar à meridie uenit sub horam tertiam, comitatus electoribus. pòst illinc in uicinam domũ transit, & uestem solennem induit, tum ipse, tum electores. Inde rursus prodit & in solio considet: idẽ illi faciunt, suo quisq; loco. à tergo, supra Cęsarem erant quodam in pegmate collocati tubicines. Ibi primum agmen Mauricij procedit, & incitatis equis tabernaculum petit, uti fieri consueuit. Interim Mauricius cum altero agmine consistit è regione, comitatus turba procerum, & proximè ante ipsum erant tubicines duodecim. Mox prodeunt ex illa caterua Henricus Brunsuicensis, Vuolfgangus, electoris Palatini frater, Albertus Bauarus, & ubi cursu peruenissent ad locum, descendunt ex equis, & Cæsarem adeunt, ac demissè rogant, ut Mauricio publicum Imperij beneficium & insignia principatus conferat. Cæsar, cum electoribus re communicata, per Moguntinum respondet. placere sibi, modò ille ueniat ipse & idem petat. Eo accepto responso, Mauricius cum toto agmine procurrit: præferebantur ei uexilla decem cum totidem insignibus regionum, pro quibus inaugurationẽ petebat. ubi conscendisset, in genua subsidet ante Cæsarem, & idem rogat. missus erat ab Augusto fratre Comes Mansfeldius Hoierus, qui flagitaret idem. Itáque Cæsar per Moguntinum respondet. quóniam uterq; fidelem operam sibi nauarint, uelle se Mauricio eiúsque liberis masculis, aut si nulli sint, Augusto fratri eiúsque liberis electoratum Saxoniæ & Ioannis Friderici possessiones omneis conferre, nisi quantum illius liberis iam antè sit concessum. Moguntinus deinde, iusiurandum, quo tenentur electores, recitat, & ubi Mauricius, illo præeunte uerbis, iurasset, Cæsar ensem ei tradit, & hac ceremonia uelut in possessionem mittit. ille gratias agit, & omnem fidẽ obsequentiámque pollicetur. pòst, illa, quæ diximus, uexilla, quum ea Mauricius accepisset à Cæsare, deijciuntur in promiscuam multitudinem, uti fieri solet. Hæc omnia poterat Ioannes Fridericus, ex

ædibus ubi diuersabatur, spectare: & quidem spectauit: nam erant in eodẽ foro. Bucerus, de quo diximus antè, uocatus demum Augustã uenit, & ad electorem Brandeburgicũ diuertit. Iam confectus erat ille, quem suprà diximus institutũ fuisse, de religione liber: eum, sic ut erat scriptus, Bucero tradit Brandeburgicus, & uti subscribat, petit. Ille, cùm euoluisset, quòd pontificiam doctrinam in eo constitui uideret, non se posse probare dicit. Tulit hoc iniquè Brandeburgicus, & grauiter ei succensuit, & esse scriptum moderatum iudicabat. sic enim ei persuaserat Islebius. Vrgebat quoque Bucerũ Granuellanus per internuncios, &, si probaret, amplissima dona promittebat: cùm autem pollicitationibus nihil efficeret, cœpit cõminari. sic ille non absque discrimine domum reuertit. nam per agrũ Vuirtembergicum erant passim Hispanorum præsidia, sicut antè dictum est. Aprili mense, Colonienſis archiepiscopus, nuper factus sacerdos, primam, uti uocãt, missam peragit. aderant Cæsar & Ferdinandus rex & reliqui principes, maximo numero. pòst, epulum datum magnificentissimum. His etiam diebus Augustam uenit, rex Tunetæ, Muleasses, quem Cæsar ante annum decimum tertium regno restituerat, eiecto Barbarossa, sicut libro nono diximus. hunc filius natu maximus exoculauerat, occupato regno: profugus igitur & miser ad Cæsarem ex Aphrica sese cõtulit: nec; multò pòst eò uenit etiam alter filius. Liber ille de religione conscriptus, primò tractat de cõditione hominis antè lapsum et post lapsum, de redemptione per Christum, de charitate & bonis operibus, de fiducia remissionis peccatorum, de ecclesia, de uotis, de potestate, de ministris ecclesiæ, de summo pontifice, de sacramentis, de sacrificio missæ, de memoria, inuocatione & intercessione sanctorum, de memoria eorum qui piè mortui sunt, de communione cum sacrificio iungenda, de ceremonijs & usu sacramentorum. Hæc autem inter alia docentur. opera illa, quæ præter mandatum Dei piè uel honestè suscipiuntur, & quæ uulgò dicuntur opera supererogationis, esse cõmendanda: nõ posse hominẽ sine dubitatione suæ imbecillitatis credere peccata sibi esse remissa: ecclesiam habere potestatem interpretandi scripturas, ex ijs eliciendi & explanandi dogmata, potestatem iuris dicundi, de rebus dubijs iudicandi per synodum, & condendi leges: unum esse, qui cæteris omnibus præsit, summum pontificẽ, ob prærogatiuam Petro concessam: huic uniuersæ ecclesiæ gubernationẽ esse demandatam à Christo, sic tamen, ut cæteri etiam episcopi partẽ

solici-

ſolicitudinis habeant in ſua quiſque eccleſia: confirmationi & chriſmate accipi ſpiritum ſanctū, ut inſidijs diaboli, carnis atque mundi reſiſtatur, & huius ſacramenti miniſtrum eſſe duntaxat epiſcopum: ſacerdoti enumeranda eſſe peccata, quæ ueniunt in mentem: ſatisfactione, quæ in pœnitentiæ fructibus conſiſtit, maximè in ieiunio, eleëmoſyna, precatione, peccatorum cauſas excindi, & temporalem pœnam uel tolli uel mitigari: unctionem ſacram inde ab apoſtolorū ætate nobis eſſe traditam, ut uel corpori ſubueniat, uel mentē ipſam aduerſus ignita tela diaboli muniat: adhibendam igitur eſſe tunc, quum uitæ finis imminere uidetur: matrimonium ſine parentum aſſenſu contractum, debere eſſe ratum, ſed liberos tamen pro concione monendos, ut parentes in conſilium adhibeant: Chriſtum in ultima cœna ſacramentum inſtituiſſe ſui corporis atque ſanguinis: primùm, ut à fidelibus illud ſumeretur, ueluti cibus animæ ſalutaris, deinde, ut in ipſius mortis memoriam offerretur: nam duo eſſe omninò ſacrificia Chriſti, unum, in cruce cruentum, alterum, quo ſub ſpecie panis atq; uini, corpus & ſanguinē ſuum ipſe patri obtulit, & poſt, apoſtolis eorúmq; ſucceſſoribus illud in ſui memoriā peragendum ad finem uſq; ſæculi, cōmendauit: illo quidem genus humanū fuiſſe reconciliatū patri, ſed hoc nō cruento, ſiſti Deo patri & repreſentari Chriſtum, non ut denuò peccatorum remiſſionē mereamur, ſed ut morte Chriſti paratam reconciliationem fide nobis applicemus: in hoc ſacrificio, quo mortem Chriſti recolimus, memoriā eſſe celebrandam ſanctorum, ut ad Deū patrem pro nobis intercedant, ſuiſq; nos meritis adiuuēt: complectendos etiā eſſe mortuos, Deóq; commendandos. Poſtea præcipitur, ut ceremoniæ ueteres, quæ baptiſmo ſolent adhiberi, retineantur omnes, exorciſmus, abrenunciatio, fidei profeſſio, chriſma, itē, ut in ceremonijs, quæ miſſę adhibentur, nihil mutetur: in ſingulis oppidis atque templis quotidie duæ miſſæ ad minimum peragantur, ruri autē & in uicis, una, præſertim, diebus feſtis: in canone miſſæ prorſus nihil immutetur, & reliqua omnia ſeruentur iuxta uetus præſcriptum: ſi quid tamen irrepſit, quod ſuperſtitioni cauſam dare poſſit, tollatur: ueſtes, ornamenta, uaſa, cruces, altaria, candelæ & imagines, ueluti monumenta quædam retineantur: preces ordinariæ & pia illa pſalmodia minimè tollantur, & ubi ſublata ſunt, reſtituantur: mortuorū exequię, de more ueteris eccleſię peragantur, diuorū quoq; dies feſti, ſed & illi, quibus decretæ ſunt ſupplicationes, colātur: pridie paſchatis et pentecoſtes,

aqua baptiſmi præparetur conſecratione ſolenni: luxus frenandi,& animi ad officia pietatis excitandi cauſa,certis diebus ab eſu carnium abſtineatur,& ieiunetur: poſtremò,licet optandum ſit,plurimos inueniri miniſtros eccleſiæ,qui caſtè uiuant,tamen,quòd multi paſſim uxores habeant, quas nolint repudiare, neque ſine graui turba mutari nunc iſtud poſſit,expectandum eſſe concilij decretum: idē quoque placere de ijs, qui cœnam domini ſub utraq; ſpecie percipiunt: ſic tamen,ne reprehendant eos qui diuerſum faciunt. nam ſub utralibet ſpecie, Chriſti corpus atque ſanguinem contineri totum. Ad hunc modum promulgatus quidē fuit liber,ut poſtea dicemus, ſed non ità conſcriptus initiò. nō ſemel enim,ut antea dictum eſt,ſub incudem reuocatus,& Bucero fuit exhibitus aliquantò purior. Cùm ergò diu multúmque iactatus eſſet inter ordines priuatim, Romam quoq; mittitur. nam etſi totus ferè papiſmus in eo ſtabilitur,tamen, quòd aduerſarijs eſſent conceſſa nonnulla, pontificem prius eſſe conſulendum placuit. Is deinde Cæſari per cardinalem Sfondratum has animaduerſiones aperit. ut presbyter ordinatus ducat uxorem,& ſacrum officium adminiſtret,eſſe inauditum: conſuetudinem illam ſumendi cœnam domini ſub utraque ſpecie, eſſe abrogatam, & in his duobus indulgendi facultatem nulli competere, præterquàm pontifici Romano & concilio: religionis antiquæ ſectatores non eſſe his dogmatis alligandos,uerùm,ſi qui Lutherani uelint ab incœpto deſiſtere,non eſſe repudiandos: illud de duabus miſſis,intelligi debere ſolùm de Lutheranis: pſalmodia oportere ubique reſtitui: diebus feſtis celebrandam eſſe cuiuſque eccleſiæ patroni memoriam: ijs,qui iam ſunt ſacerdotes,aut poſtea fient,abſtinendum eſſe à coniugio: ſacrorum bonorum & iuriſdictionis oportere fieri promptam reſtitutionem: cōſtare enim de ſpolio,nec utendum in eo forma iuris ordinaria, ſed de plano cognoſcendum, & manu regia conficiendū eſſe negocium. Hac illata cenſura, Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, quibus ea communicata fuit,eodem planè modo Cæſari reſpondent,et reſtitutionem inprimis urgent,eámque perneceſſariam eſſe docent,ſi quidem religio Chriſtiana conſeruari,& quibus in locis abolita eſt, recuperari debeat: paci quoque non aliter poſſe conſuli: prouidendum igitur inprimis,ut templa & monachorum collegia plenè reſtituantur: & quoniam de ui ſpolióque conſtet, agendum eſſe paucis,ut cultus diuinus quamprimùm recuperetur: orare autem,ut in bonam partem hæc accipiat,& eccleſiæ membra ſuo patrocinio

trocinio defendat. Reliqui tres electores, non quidem eius erant sententiæ, Palatinus inprimis & Mauricius, uerùm utercp causas habebant, cur Cęsari non admodũ reclamarent. Cæteri principes, qui maxima parte sunt episcopi, eodem modo sicut Moguntinus atcp collegæ, respondent: ciuitatum nõ ità magna fuit habita ratio. Cæsar igitur idibus Maij conuocat omneis ordines, & de sua in Germaniam charitate præfatus, perspicuis, inquit, argumentis & ipsa re manifestè deprehendi, neque pacem constitui, neque ius exerceri posse, nisi composita prius controuersia religionis, quę multis nunc annis complures in Imperio simultates, offensiones, odia, discordias atque bella suscitauit. hæc nimirùm causa fuit, quamobrem crebris conuentibus & per colloquia sępe medicinam quæsiui: sed interea non modò per Germaniam, sed per alios etiam nominis Christiani populos, ista labes atque contagio peruasit, ità quidem, ut præsentius nullum remedium appareret, quàm concilium publicum. Id demùm, uobis flagitantibus, ut Tridenti cogeretur, effeci, et simul uobis author fui sub initium huius conuentus, ut eius authoritati uos summitteretis, & mihi cura permitteretur excogitandi rationes pias, quibus interea tranquillè per Germaniam uiueretur. Quæ quidem obsequentia fiduciáque uestra & tunc mihi fuit & nunc etiam est pergrata. Cùm ergò totus in hanc solicitudinem incumberem, & sententias à uobis exquirerem, non sine magno animi dolore cognoui, discordiam religionis & anteactis malis omnibus dedisse causam, &, nisi prouideatur, in posterum esse daturam. Itaque sic iudicabam, nõ esse rem in eo statu ac perturbatione relinquendam, adusque concilij decretum, sed ad moderationem aliquã oportere deduci, præsertim, cùm subinde nouæ sectæ nascerentur. Hæc molienti mihi, quidam magni nominis atque loci, cupidi pacis & amantes reipublicæ, quæ ipsorũ esset de religione sententia, scripto comprehensum exhibent, & obseruantiam pollicentur. Equidem, ubi scriptum illud accepi, theologis quibusdam uiris bonis atque doctis, ut secum diligenter expenderent omnia, cõmisi: hi deinde referebant, modò rectè intelligatur, non illud repugnare catholicæ religioni neque doctrinæ, legibus & institutis ecclesiæ, duobus tantùm exceptis dogmatis, quorum unum est de cõiugio sacerdotum, alterum de cœna domini: sed & accommodatũ esse dicebant ad concordiam Germaniæ stabiliendam: id quod mihi sanè futurum sit longè optatissimum: quid enim iucundius accidere possit, quàm omneis ordines uidere consentien-

tes animis, eandem sequi formam religionis? Quod cùm ità sit, ab illis, qui ecclesiæ catholicæ leges atque morem adhuc magna cum laude seruarunt, peto, ut in eo permaneant, neque dimoueri sese patiantur, nec aliquid immutent. quod quidem antea mihi se facturos esse receperunt: ab ijs autem, qui religionem innouarunt, contendo, ut uel ad reliquos ordines transeant, & eandem cum ipsis religionem profiteantur, uel suam doctrinam ad huius libri præscriptum moderentur, & hæc omninò uestigia sequantur, nec præterea quicquam instituant, sed intra hos limites atque fines consistant, neque uel scripto uel concionibus cõtrà quid faciant, et concilij decretũ obsequenter expectent. quod quidẽ ut primo quoq; tempore cogatur, omnẽ sum daturus operam: nunc quidẽ etiam in hoc sum totus, ut formula cõcipiatur emendationis ecclesiasticæ. Quum sic per scribam esset locutus, uti fieri solet, librum recitari iubet. ibi Moguntinus, qui primùm inter electores locum obtinet, non exquisitis ordinum sententijs, cõsurgit, ac ueluti publico nomine, Cæsari, pro tanto labore, studio, cura, diligẽtia, charitate patriæ, maximas agit gratias: & quoniam antehac ipsius fidei rem permiserint, ac nunc in eo sit elaboratum, æquum esse dicit, ut gratissimis animis hoc ipsum agnoscant, & decreto pareant. Hanc gratiarum actionẽ Cæsar habuit pro communi assensu & approbatione, nec ullam pòst excusationẽ admisit, ut postea dicemus, & librũ typis euulgari iubet latino simul & popolari sermone. Quarto pòst die refert ad ordines, & quanto suo labore quantóque sumptu pax comparata sit Germaniæ, demonstrat, & quia res ipsa postulet, ut in futurum etiam caueatur, perutile sibi uideri dicit atq; necessariũ, ut magna quæpiam pecuniæ uis cõferatur, & certis locis in ærario publico conseruetur, ut si quis fortè motus intra uel extra Imperij fines aliquandò nascetur, paratum sit præsidium. Paucis deinde diebus interiectis, Ferdinandus rex commemorat, se grauibus de causis, quas & ipsi satis intelligant, & explicare nihil attineat, missâ legatione, cum Turca fecisse inducias annorum quinque, & ante annum esse factum initium: & quanquàm ille suis mandarit, ne quid contrà faciant, tamen petere, ut nihilo secius auxilia iam antè promissa contribuant, ut si forsan ille discedat à pactis, facilè resisti possit: deinde, quoniam ille loca finitima ualidis præsidijs muniat, sibi quoque nihil hic esse negligendum: itáque passim instituisse munitiones locorum, & alere præsidia: sed propter superiorum annorũ sumptus bellicos lõgè maximos, nõ se posse tantum

onus

onus diu ſuſtinere: orare igitur, ut in hos uſus pecuniam annuam dependant, donec inducię durabunt: hoc enim ad ipſorum omniũ pertinere quietem atque ſalutem. Interea Ferdinandi filius, Maximilianus, Auguſta profectus, in Hiſpaniam contendit, ut natu maiorem Cęſaris filiam, Mariam, conſobrinam ſuam, in matrimoniũ ducat. Attributus ei fuit cardinalis Tridentinus, & menſibus aliquot antea præceſſerat dux Albanus. Ad exitum Maij menſis, equites Neapolitani, qui per Norgouiam antè fuerant, in agrum Argentorato uicinum ueniunt, & ferè per trimeſtre tempus commorantur, & dici uix poteſt, quàm egerint inſolenter. ueniebant in urbem ſubinde, neque magna ſuſpitione res caruit. Mauricius non multò poſt editum à Cæſare decretum, abit: Ioannes uerò Brandeburgicus, electoris Ioachimi frater, Cæſarem adit, & Ferdinando rege præſente, petit, ut in eò ſibi parcat, & de ſuis in ipſum officijs quædã locutus, hac potiſſimùm fiducia ſe militaſſe ipſi proximo bello dicit, quòd de religione ſibi cauiſſet. Cæſar, ordinum Imperij conſenſum hunc eſſe, nec ab eo recedi oportere dicebat: ille contrà, non omneis aſſenſiſſe, neque ſe bona conſcientia decretum hoc laudare poſſe reſpondit, & pactum atque promiſſum urgebat. Cùm nihil Cæſar proficeret, iubet eum diſcedere. quod ideò factum eſſe putatur, ne ſuo uel exemplo uel ſermone aliorum animos ille confirmaret. Itáque ſub ueſperum eodem die domum uerſus proficiſcitur, neque per ſuam ditionem quicquam immutauit. frater eius elector, qui ſemper id operã dedit, ut Cæſari placeret, minimè reſtitit: ſed neq; Palatinus, quum Cæſarem alioqui non admodum haberet tunc propitium. Legati ciuitatum, hi qui ſunt Auguſtanæ cõfeſſionis, quum urgerentur, orabant, ut ſibi liceret ad ſuos referre, quò poſt ex eorum ſententia reſpondeant. permiſſum hoc eis fuit. Volfgangum Bipontinum principẽ ex familia Palatina, qui legatos ibi habebat, Cæſar iubet ipſum adeſſe: cúnq; ueniſſet, inſtat, ut ratum habeat decretum. Ille, religionem nullam aliam ſe nouiſſe dicit, præter eam, in qua ſit natus & ad hoc uſque tempus educatus: itáque, ut ſui rationem habeat, petit, & fe facturum in eo dicit, quantùm omninò poſſit ſalua conſcientia. Cęſar tunc quidem illum ſic dimittit, ſed poſtea per literas & internuncios acriter urgebat, ut ſuo loco dicemus. Auguſtano ſenatu conſultante, Cæſar militum ſtationes per urbem diſponit. erat ibi primi nominis eccleſiæ miniſter, Vuolfgangus Muſculus: is, nutantibus rebus, quum timidè ſenatum agere uideret, neq; librum approbare

posset, discedit, Bernam Heluetiorũ profectus. Halæ Sueuorũ erat Ioannes Brentius. hic & ante annum secundum in magno fuerat discrimine, quum Smalcaldicis domum reuersis, Halam Cæsar aduentaret, & nunc in multo uersabatur maiori. Tunc enim, paulò antè, quàm Cæsar accederet, quòd fuit initio Decembris, quidã Hispani satellites, cùm in oppidũ ueniissent, ad illius ædes rectà contendũt, & intromitti postulãt, alioqui minantur atrocia. Recepti, proteruè multa faciunt & insolenter. uxorem igitur atq; familiã iubet, cùm alibi locus non esset, in ciuitatis domum hospitalem sese recipere, paulóq; pòst ipse sequitur, domi relicto, qui uictum illis & necessaria submi-nistraret. Postridie uerò, quidam ex optimatibus, Hispanus, ordinis ecclesiastici, pulsis illis, domum totam occupat, & ingressus bibliothecam, omnia perquirit. ibi cùm literas aliquot reperisset amicorum, datas ad Brentium, & familiariter scriptas de communium temporum perturbatione, magnam ei conatur inuidiam conflare, cùm eas apud suos diuulgasset. Amicorum igitur secutus ille consilium, intempesta rigidáque nocte diuertit in uiciniam, ne sua præsentia ciuibus incommodaret. Vbi uerò Cæsar Halam uenisset, & clementer ageret, neque propter doctrinæ genus ibi celebratum offensionis ullam daret significationem, Brentius eò demùm reuertit, suámque functionem obijt, ad hoc usq; tempus, quandò de religione factum decretũ Cęsar ab omnibus recipi uolebat. Iussus enim ille, sicut alij plærique per Germaniam, uiri docti, quid eo de libello sentiret, explicare: licet periculum suum intelligeret, tamen, ut ecclesiæ suum præstaret officium, à sacris literis illud dissentire pronunciat, ídque scripto demonstrat. Quod cùm in pontificiorum manus uenisset, legatis Halensibus mandat Granuellanus, nomine Cæsaris, ut quidem aiebat, darent operam, ut Augustam ille pertraheretur uinctus. Admonitus autem ab amicis, in uicinum agrum secedit: neque multò pòst Halam uenit Hispanorum turmà. quorũ prefectus ilicò Brentij domum inuadit, et diligenter omnia peruestigat, si quid posset auferri prędę: sed suppellectilis potissima pars iam erat ab amicis atq; propinquis aliò translata. Sic igitur ille, quum annos ibi uiginti sex docuisset, profligatur: uxor eius autem, etsi graui detineretur morbo, quo paulò pòst etiã extincta fuit, exulare iubetur. itáq; misera cum sex liberis uagatur sedibus incertis, & quò se recipiat, uix ullum habet perfugium, Hispanorum formidine cõcussis omnium & occupatis animis: eúmq; dolorem & ægrimoniam augebat etiam,

quòd

quòd interea, quæ mariti esset fortuna, nesciret. Vbi uerò de Brentij calamitate dux Vuirtembergicus Vlrichus accepit, quanquam magnis ipse uersabatur in periculis, tamen hospitium occultũ ei prębuit atq; familiæ. Porro, Sueuiæ ciuitates plæræq; omnes, authoritatem secutæ Cæsaris, imperata se facturos promittebant. Itáque doctores passim multis ex locis migrabant, ne quid sua professione cõmitterent indignum. Andreas Osiander Noribergã ideò reliquit, inque Prussiã sese recepit: Spiræ & Vuormaciæ singuli tantùm erant, qui & ipsi fuga salutẽ petebant: Guliel mus Comes Nassouius Erasmũ Sarcerium idcirco discedere patiebatur: Vuirtembergicus etiam princeps, cuius in agro passim erant Hispanorum præsidia, sicut dictum est, quum à Cæsare mandatum ueniisset, librum iam editũ pro concione recitari iubet, & ne quis contrà faciat, edicit, & si quis in posterum missificare uelit, potestatem facit, & suis, ne quem sacrificum prohibeant, mandat, & ecclesiæ ministros, non approbantes decretum, ab se dimittit. in his erat Erardus Schneffius. Per Granuellanum & Atrebatensem episcopum Cęsar Saxonię ducem captiuum urgebat, ut decreto paréret, & editi libri doctrinam sequeretur: Etquanquàm pollicitationibus animũ eius tentabant, & spem aliquam libertatis ostendebant, constans ille tamen in sententia permansit, & superiori, inquit, anno, quandò conditiones mihi Cęsar tulit, hęc etiam perscripta fuit, ut & ipsius & concilij de religione decreta futura probarem: cùm autem intelligeret, me nullius periculi terrore uel metu posse induci, ut assentirer, conditionem illam remisit, neque de religione quicquam deinde mecum egit. Quod maximi certè beneficij loco tunc habui, & hoc uelut onere grauissimo subleuatus, reliquas omneis conditiones, quibus de mea persona, déque fortunis omnibus, pro suo arbitratu Cæsar statuebat, eò facilius & æquiori animo tuli, sperans futurum, ut religio mihi mea deinceps permitteretur libera: nunc autem, quandò rursus urget ac mandat, ut decreto facto subscribam, equidem profiteor me iam inde ab adolescentia sic institutum, ac deinde sacrorum librorum lectione sic esse confirmatum, ut hanc doctrinam planè conuenire cum prophetarum & apostolorũ scriptis, nec ullius erroris conuinci posse iudicẽ. hac nimirùm de causa & parens meus & ego, nonnullicq; alij principes, eius doctrinæ confessionẽ scripto comprehensam exhibuimus olim, & legitimo permisimus concilio. Cùm ergò hac sui uerbi cognitione me Deus illustrarit, non mihi licet ab agnita

ueritate discedere, nisi sempiternum exitium mihi conciliare uelim. Itaque si decretum hoc reciperem, quoniam multis in locis, & grauissimis quidē, illud à sacra scriptura dissidet, damnarem quam sum hucusque professus, Iesu Christi doctrinam, & uerbis atque sermone probarem quod uitiosum & impium esse scio. Hoc ipsum uerò quid aliud sit, quàm pictis atque fucatis uerbis ludificare diuinā maiestatem simul & Cæsarem? qua quidem re quid fieri possit flagitiosius? nam hoc illud est, de quo Christus tàm diligenter nos admonet, peccatum in spiritum sanctū, quod nullo unquam tempore condonatur. Quod cùm ità sit, & quoniam his uinculis est alligata conscientia mea, maiorem in modum, & per misericordiam Dei, quam humano generi per filij sui immolationem impertiuit, oro & obsecro, ne Cęsar hoc meum factum implacatè ferat. Quòd enim Augustanæ confessionis doctrinam retineo, salutis meæ causa facio, & rebus omnibus posthabitis, quomodò post hanc erumnosam uitam, sempiternæ uitæ lætitiæq; particeps fiam, cogito. Ad Cæsarem etiā à nonnullis audio deferri, quasi non religionem, sed gloriolam aliquam & nescio quid aliud in eo spectem: obsecro, quid omnium rerum humanarum optatius euenire mihi possit, præsertim mole corporis grauato, quàm libertas, quàm reditus ad uxorem & liberos, quàm ocium & quies domestica? Testificor autem Deum, & tunc, cùm à nobis omnibus factorum rationē ille poscet, testificabor, me nihil aliud spectasse, quàm ut uero ipsius cultu, regni cœlestis hæreditatem consequar. quod ut Cęsar certò credat, sibíque de me persuadeat, uehementer oro. Cæteris in rebus omnibus prompta semper mea fuit in illum uoluntas, & erit in perpetuum, & quam ei dedi fidem, eam uti uirum bonum & illustri genere natū decet, præstabo. Quod supereſt, ut offensionem omnem remittat, méque tandem ab hac diuturna captiuitate liberet, obsecro. ne uidelicet ego sim primus omnium principum, qui suam ætatem captiuus apud ipsum transegisse dicatur. Cùm in eo firmus & immotus persisteret, durius aliquantò tractari cœpit, & adempti fuerunt ei libri sacri, & iniunctum, ut diebus uetitis abstineret à carnibus: ille etiā, quo fuerat usus ad hoc usq; tempus, permissu Cęsaris, euangelij doctor, quum præsens imminere sibi periculum uideret, mutata ueste, clanculum se subducit. Peruulgatæ tum fuerunt, & ex aula Cęsaris emanarunt literæ, quas Lantgrauius ad Cæsarem scripsisse ferebatur, ijs in literis, uxori se mandasse dicit & consiliarijs, ut conditiones reliquas

omneis

omneis impleant, ut ijs, qui propter anteactum bellū querimoniam habent, satisfaciant: deinde librū de religione conscriptum sibi lectū esse dicit: & quanquàm in eo sint nonnulla, quæ non satis intelligat, & quę sacris literis confirmare non possit, tamen, quòd uetustate nitantur & sanctorū patrum authoritate, nō se plus uelle sapere quàm illos, & ratum habere scriptum illud, & curaturum etiam, ut à suis obseruetur. posthæc, fidem & operam suam ei defert, siue cum Turca, uel pontifice Romano, uel quibuscunq; regibus, uel Heluetijs bellum gerat, siue per Germaniam ipso uelit uti: sed orare per Christū & omneis diuos, ut offensionem omnē deponat, séq; liberum faciat: iam enim captiuum detineri per annum totum, & satis duram luisse pœnam, & in extremas redactum esse angustias: porrò, maioris cautionis loco daturum se filios duos obsides, donec ei plenè sit satisfactum, & quancunque rationem ipse præscripserit, ea se paratum esse cauere. Nihil autem his precibus effecit, & subinde, custodibus Hispanis, alió traductus fuit, Donauerda primùm Norlingam, deinde Hailbrunum, pòst, Halam Sueuicam. Dum hæc in Germania Cæsar molitur, publico decreto missa per Angliam abrogatur, neq; multò pòst captus fuit Stephanus episcopus Vintonienſis, qui cōtendebat, decreta, quæ fierent in hac ætate regis adolescentuli, nullius esse momenti. Iussus fuerat anno superiori continere sese domi, & abstinere à publico: nuper autem dimissus, quum sententiam mutasse putaretur, concionem habuit ad regem cæteróſque proceres, & quum in ea, quid suæ mentis esset, explicasset, custodiæ mandatur. Conscriptam reformationis, uti uocant, formulam, Cæsar Iunij die decimo quarto recitari iubet ecclesiasticis. in ea continentur hæc capita, de ordinatione, de ordinum ecclesiæ officijs, de monasterijs, de scholis, de locis hospitalibus, de dispensatione uerbi Dei, de administratione sacramentorum, de missæ ceremonijs, de ceremonijs ecclesiasticis, de disciplina cleri & populi, de multitudine beneficiorum, de uisitatione, de synodis, de excommunicatione. Hæc autem inter alia traduntur, ut qui sacros ordines petunt, diligenter examinentur de fide, de moribus, déque scientia, maximè uerò de hæresibus, hoc potissimùm tempore iactatis, & an idem credant, quod Romana, catholica & apostolica credit ecclesia: de moribus inquisitio fieri iubetur, iuxta præscriptum Pauli, quòd est capite tertio primæ epistolæ ad Timotheum: sed illud, quod Paulus inter alia monet, ut ecclesiæ minister sit unius uxoris maritus, qui domui suę bene prę sit,

& liberos habeat obsequentes, omittitur: ad episcopatum nemo recipiatur, nisi sit sacerdos, aut primo quoque tempore reliquos gradus recipiat: episcopi curam habeant suarum ouium, eásque doctrina pascant & sacramentis: ecclesias quoque subinde uisitent, dentq; operam, ut reliqui ministri suum munus faciant, ne lupi gregem inuadant: monastica uita rursus instituatur, ijs locis, ubi desijt: in scholis nihil doceatur, nisi quod cum ecclesia catholica congruit: in administrandis sacramentis & ceremonijs retineatur sermo Latinus, ne uilescant, si populus intelligat: is qui uulgò dicitur canon missæ, maneat integer, & silentio pronuncietur, ut tremendis illis mysterijs sua conseruetur dignitas: in ceremonijs usitatis nihil mutetur: sal, aqua, herbæ, agnus paschalis, noui fructus, item templa, calices, altaria, pallæ, uestes atque uasa consecrentur per orationem aduersus insidias diaboli & ueneficia: cerei quoque inflammentur, & adoleantur suffitus atque thura: supplicationes etiam fiant ad templa diuorum: clerus temperanter & sobriè uiuat, scortationem fugiant: concubinas ab se dimittant, aut mulctentur: magistratus ciuilis opem episcopis ferat, ut morum & disciplinæ fiat emendatio, & ut ecclesiarum libertas integra conseruetur: synodi diœcesanæ reuocentur in usum, & bis quotannis peragantur, in ijsque de singulorũ moribus atque uitijs inquiratur: qui alia ratione sanari non possunt, ab ecclesiæ communione pellantur: eorum aditũ atque sermonem omnes defugiant, neque prius illi recipiantur in gratiam, quàm supplices deprecẽtur, & emendationem promittant. Hanc formulam, eo, quem diximus, die recitatã, episcopi, quum deliberassent, comprobant, & non multò pòst, quàm domum redierint, synodos uelle se conuocare dicunt: in nonnullis autem rebus põtificem solicitari petunt, ut assentiatur. fuit & hic liber pòst euulgatus typis. De ciuitatum legatis antea diximus, quomodò decretum factum suis renunciarint: quum autem Argentinenses, qui facilè erant primi, serius aliquantò responderẽt, Cæsar illos per Granuellanum urget. Is, Iunij die uigesimo octauo, legatos, in quibus primum locũ habebat Iacobus Sturmius, accersit, & per Henricum Hasium quo utebatur interprete, scire ipsos dicit, quemadmodum ordines à Cæsare flagitarint, eiúsq; fidei permiserint, ut rationem aliquam constitueret, quæ seruetur adusque concilium: id illum fecisse, & formulam esse conscriptam à uiris doctis atque bonis, quam principes omnes, paucis quibusdam exceptis, & præcipuæ ciuitates approbarint: quum autem ipsi & quidam alij

Cæsarem

Cæsarem orarint, ut suis hoc renunciare liceret, assensisse illum, atque interea expectasse: uerùm, quòd nihil adhuc responderint, esse nonnihil ei molestum, ideóque sibi dedisse negocium, ut quæ sit ipsorum uoluntas, cognoscat. Illi, cùm silentij causam exposuissent, epistolam exhibent, de sententia senatus inscriptam Cæsari. nihil sibi magis esse in uotis, quàm ut in omnibus ei gratificari liceat: sed sibi suisque ciuibus ità esse persuasum, quòd si decretum hoc omninò recipiant, fore, ut & conscientiam suam ipsi lædant, & Deum grauiter offendant, & suæ saluti pessimè consulant: quum autem ipse pro sua prudentia satis intelligat, quàm sit istud graue, petere se per Christum, ut in re tam ardua, quæ non ad facultates atque bona, sed ad animæ salutem & ad uitam sempiternam pertinet, sui rationem habeat, & sicut alijs diuersæ partis, ità sibi quoque religionem permittat Augustanæ confessionis, aduslque concilij decretum, uti sæpe constitutum sit in comitijs, neque cogat, ut secus quàm sentiunt, ore profiteantur: se uicissim omni ratione curaturos, ne quid in sua ciuitate turbulenter aut irreligiosè fiat, néue praua dogmata locum habeant, & ne qua uicinis querimoniæ causa detur. Has literas ubi Granuellanus audiuit, Cæsarem præclarè semper de ipsorum ciuitate sensisse dicit: & quoniam plærique omnes decretum factum laudent ac ratum habeant, non esse quòd putent ipsos exemptum iri: nam habere se in mandatis, ne quod huius generis responsum admittant: itáque frustrà supplicari: planè igitur respondeant, quæ sit senatus uoluntas. Adhæc illi: quòd Cæsaris fidei commissa res fuerit, id se cæteróque legatos de rebus politicis, non autem de religione semper accepisse, quòd hanc ad concilium esse reiectam putarent, ut ibi partibus auditis fieret cognitio: sed hoc in libro definita esse omnia prope doctrinæ capita controuersa: quòd si nunc illa recipiant, nulla prius habita cognitione, neque suarum partium uiris doctis auditis, fore, ut non sint amplius controuersa, neque concilij authoritate indigeant: quòd uerò plærique principes ac ordines decretum factum approbent, non esse mirum: nam ipsorum hoc fieri commodo: illis enim omnia permitti salua & integra, sibi uerò modum præscribi religionis, & mandari, ut ab ijs dogmatis, quæ semper controuersiam habuerunt, discedant non auditi, quum tamen in comitijs omnibus ad concilium causa tota sit relegata: nimirùm, cogere aliquem, ut aduersus conscientiam aliquid faciat, etiam si uersetur in errore, uehementer esse graue, nisi primùm sit demon-

ſtratus error: exiſtimare ſe, multos utrinque uiros eſſe bonos, qui tamen opinione & ſententijs inter ſe diſſideant: ijs profecto uim nullam adhibendam, ſed ratione & ueritate et argumentis agendum eſſe: cùm ergò cæteris in rebus omnibus, extra religionem poſitis, omnia ſua Cæſari deferant, orare, ut ei ſenatus hæc poſtulata commendet: ſcire ſe, quanta ſit Cæſaris potentia, quantúmque periculum in ſe recipiant, ſi uiribus ille rem experiri uelit: niſi ergò perſuaſum haberent, hac illius decreti approbatione Deum grauiter offendi, maximam fore dementiam, ſi non ei morem gerant. Ibi Granuellanus, quum antè dicta repetiſſet, ipſos, quo tempore Cæſari fuerunt reconciliati, promiſiſſe ait obſeruantiam eorum, quæ pro Imperij ſalute ſtatueret: huius autem generis eſſe decretum hoc, de doctorum hominum conſilio factum, & à maiori parte comprobatum, non ergò poſſe recuſari, quoniam cum eccleſia conſentiat: an ſibi tantùm arrogent, ut plus uidere ſe putent, quàm uniuerſam eccleſiam? ut ſeceſſionem à reliquis faciant? non ipſis licuiſſe religionem mutare, niſi de communi totius orbis conſenſu: quamobrem, ſi nullum habeant aliud mandatum, cognoſcant è ſenatu, uelint ne obtemperare, an minus? quòd ſe tantùm de rebus politicis accepiſſe dicant, quum Cæſari cauſa permitteretur, non referre, quomodò ipſi acceperint, ſed quomodò maxima pars ordinum. Illi contrà, ſeſuíque ordinis reliquos legatos propè ab omni deliberatione remotos & excluſos, neque tunc etiam, quum ad Cæſarem cauſa reijceretur, fuiſſe conſultos: itáque non aliter accepiſſe, quàm dictum ſit: ſed & principes aliquot ſic illud accepiſſe: quo tempore cum Cæſare pacificarint, non ſe recepiſſe obſeruantiam, eò quòd metuerent, ne ad religionem illud aliquandò pertraheretur: hoc ipſius fidelio notum eſſe, epiſcopo Atrebatenſi, qui tunc etiam nomine Cæſaris promiſerit, fore, ut religionis cauſa tota concilio legitimo permitteretur: quòd uerò decretum hoc, ueluti publicum Imperij ſenatuſconſultum recipiendum eſſe dicat, non ſe recuſare ullum onus reipublicæ, ſed præſentem hanc cauſam ad animæ ſalutem & uitam æternam pertinere: deinde, decreti molem omnem recumbere in hominibus pios: nam reliquam turbam, quæ religionem contemnat, minimè ſolicitam eſſe, quid ſtatuatur: ad amplectendā uerò fidem neminem eſſe cogendum: de Cæſare non ſe dubitare, quin pacem & concordiam amet: ſed tamen, ſi hæc uia retineatur, & homines præter animi ſententiam loqui cogantur atq; ſentire, ualde metuendum

eſſe,

esse, ne talis tanq; subita mutatio magnos excitet motus: librum illū esse compositum à uiris aliquot doctis, è quibus aliqui ueritatis habeant cognitionem: id enim satis apparere: sed quosdam alios admiscuisse multa, quæ cùm sacris literis & patrum doctrina minimè congruant, ut quidem demonstrari possit, modò dicendi locus detur: secessionem nullam se fecisse à reliquis, uerùm in præcipuis dogmatis conuenire sibi cum uera ecclesia: petere ergò rursus, ut Cæsari detur epistola, quo senatui renuncient: nam aliud nihil habere se in mandatis. Tum ille cœpit aliquantò loqui stomachosius, & decretum urgebat, & ad alia quędam diuertit, & in Gallijs iactari dicebat à magnatibus, fore, ut Argentinenses decretum non admittant: eum rumorem ad Cæsarem esse delatum, neque nullam excitare suspitionem. Exitus erat, ut diceret Cæsarem expetere clarum & apertum responsum: neminem quidem esse cogendum, ut fidē aliquam profiteatur: sed id oportere accipi de his, qui non sunt nominis Christiani: nam eos, qui fidem semel acceptam abnegant, igni posse cogi. Ad ea legati, quid Galli spargant, non sibi constare, sed à senatu nullum adhuc factum decretum, nec aliud actum esse, quàm hoc ipsum, de quo nunc agant & solicitent: cùm ergò nolit ad Cæsarem ista referre, non esse quòd amplius instent, & relaturos ad senatum: igni quidem posse aliquem è medio tolli, sed ut aliter quis credat, cogi nō posse: & hic quidem fuit exitus orationis. Cum cæterarum ciuitatū legatis in eandem prope sententiam sigillatim actum antea fuit, & comminationes etiam additæ, & designatus dies, intra quem responderent, & iussi manere, donec à suis esset allatum responsum: Argentinensibus uerò nihil tale præscriptum fuit. Quod in futuros usus pecuniam conferri Cęsar postulauit, ordines, etsi graue sibi esse dicerent, approbarunt: Ferdinando quoque regi in singulos inducia-rum annos aureorum millia centena promittunt: sed à Cæsare petunt inuicem, ut præsidia deducat, & copias militum huc illuc dispositas, quæ passim per agros & oppida plurimùm damni dent, rebus iam pacatis dimittat, & miseros homines, quorum magnæ sint querimoniæ, reficiat. Cæsar causas ait subesse graues, quur in hoc tempore militem exauthorare non possit: ad damnum uerò datū quod attinet, illud, se quidem conscio, minimè fieri: cùm enim illis persoluat, æquum esse, ne cui faciant iniuriam, & hoc suæ esse uoluntatis: iam antea quoque delatum aliquid eius generis ad se fuisse, uerùm, inquisitione facta, propè nihil esse compertum: uerùntamen nihil se

prætermissurum, ut certò cognoscat: nec enim ulli futurum impunè, si quid deliquerit. Vt Cameram Cæsar hoc tempore pro suo arbitratu constituat, et supplementi loco iudices adiungat, ordines ei permittunt, & sumptum ipsi pollicentur. Eius actionis, quam de fœdere institutam fuisse diximus, hic fuit exitus, ut Cæsaris prouinciæ omnes, quas per Germaniam & Belgium habet, sint in tutela & patrocinio Imperij, & contribuant in usus publicos, ità tamen, ut suis utantur legibus atq; iurisdictione: Germania uicissim à Cæsaris prouincijs idem auxilium atque defensionem expectet.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,* *Liber XXI.*

VLTIMA DIE IVNII FIT COMITIORVM FINIS. Libro decimo nono diximus, quemadmodum Cæsar omnibus persuaserit, ut concilio se submitteret, idque sua fiducia, qui daturus esset operam, ut legitima sit actio: nunc ergò fit decretũ, Tridenti continuandum esse concilium, séq; curaturum Cæsar promittit, ut quamprimùm ibi redintegretur. quod cùm factum erit, postulat, ut omnes, ecclesiastici præsertim, & confessionis Augustanæ socij, publica fide, quam sit eis præstiturus, eò ueniant: futurũ enim, ut piè & Christianè, iuxta sacras literas & patrum doctrinam, res agatur omnis & definiatur, depositis affectibus, & ut ipsi, quantùm satis est, audiantur. Pòst, alia recitantur decreta, sicuti fieri solet, inprimis illud de religione, grauibúsq; uerbis mandatur, ut omnes obtemperent, sicut idibus Maij pronunciatum fuisse diximus. Authores libri treis antea nominauimus: ex ijs Ioannes Islebius, libere donum à Cæsare simul & Ferdinando rege tulit, ob nauatam operam: Michael uerò Sidonius episcopatum Merseburgensem in Saxonia deinde est consecutus. hinc iocus illorum, qui chrisma dicebant ab eis et oleum põtificium inter alia defendi, ueluti rem sacram & saluti necessariã, ut ipsi nimirùm discederent unctiores. Non multò pòst, ad principes absentes, eos inprimis, ubi maximè opus esse uidebatur, dat literas Cæsar, & mandat ut huic decreto statim obtemperent:

perent: & decimo quidem die Iulij scribit ad Argentinensem episcopum, Erasmum, det operam, ut illud, quod labore suo maximo perfectum sit, in executionē ueniat, &, si destituatur hominibus idoneis, aliunde sumat. Facti decreti fama longè latéq; mox disseminata fuit, & Veneti quidem decimo nono die Iulij edicto cauent, ut qui libros habent, in quibus aliquid sit perscriptum contra fidem catholicam, intra diem octauum perferant ad certos homines: nam postea fore ut inquiratur, & in eos, qui meriti sint, uindicetur: delatoribus uerò silentium & donum pollicentur. Habet perpetuos ibi legatos pontifex, ut in regum aulis etiam: hi multorum oculis & auribus uident & audiunt, & sæpe sunt authores, ut eiusmodi decreta fiant: sed tamen hac utitur cautione senatus Venetus, ut episcopis aut inquisitoribus pontificijs minimè permittat iudicium, sed adhibeat semper locorū præfectos & iureconsultos, qui testimonia cognoscant, & prouideant, ne quid improbè uel auarè committatur in suæ ditionis homines. Legem hanc tulerunt anno M. D. XXI, cùm in agro Brixiano quæsitores illi ualde sæuirent in miseros homines, quasi ueneficos, & cum sathana commercium habentes: nunc autem, postquàm longè latéque radices egit Lutheri doctrina, ualet eadem lex, utcunq; pontifices fremant, eámque uelint abrogari. Hoc ferè tempore Galliæ rex copias auxiliares in Scotiam mittit aduersum Anglos, & in his, Germanos, ductore Ringrauio. Cæsar uerò Comitem Bichlingum Hubertū & Sebastianum Schertelinū ijsdem tabulis proscribit, necq; multò pòst, Ringrauiū, Hedeccum, Recrodū, Rifebergiū, & simul exteros omneis principes orat, ne tutelam illorū suscipiant, sed in eo sibi gratificentur, & cùm res ità feret, idē ab se iubet expectari. Nauarræ regis filiam, Ioannam, quę Cliuensi fuerat ante annum septimū desponsa & tradita, sicuti diximus, in matrimonium ducit Vendomensis, regiæ familiæ princeps. Eleonora, Cæsaris germana soror, uidua, relictis Gallijs, in Belgium sese confert. Guisij principis filius, Aumalius, quum Cæsaris è sorore neptem, Lotharingiæ dominam, multùm ambijsset, uxorem ducit, Herculis Ferrariæ ducis filiā.

Belli Germanici historiam, quod Cęsar gessit, in lucem ad hoc tempus emisit Ludouicus Auila, Hispanus, lingua populari conscriptā: Quo loco de Marchionis Alberti captiuitate loquitur, illecebris muliebribus detentū fuisse dicit, quò minus bene rem egerit ad Rochliciā. Idem liber pòst exijt Italicè, Latinè, Gallicè cōscriptus. Quanq; Cęsar acerrimis uerbis edixerat, ne quis editum de religione librum

ullo modo impugnaret, uaria tamen exierunt scripta, quę totam eius doctrinam damnabant, & homines, ut ab eo, tanquàm à præsentissima peste sibi cauerent, admonebãt. In his erat Caspar Aquila, Saluelden sis ecclesiæ minister in Turingia. Scribendi causam huic dederat Islebius, qui domum rediens Augusta, de libro ualde gloriatus erat in itinere, & aureum nunc instare sæculum, & Aquilam quoque dixerat assentiri: hoc ubi resciuit iste, uehementissimè respondet, & mendacij eum insimulat, & falsis dogmatis refertũ esse librum affirmat. In Gallijs autem Robertus Abrincensis episcopus cõtrà scripsit, uerùm diuersa ratione, & librum inprimis reiecit, quòd sacerdotibus coniugium, & cœnam domini totam uulgò permittat, & per occasionẽ atrocissimis uerbis in Bucerum debacchatur, ob alteram ductam uxorem. Romæ etiam ordinis Dominicani generalis, uti uocant, Romæus, in eandem sententiam contrà scripsit. In reprehensionem itáque libellus incurrit utrobique. Cæsar ad Noribergenses & quosdam alios miserat legatum, qui decretum factum eis persuaderet: cùm is in ea profectione uenisset ad Saxoniæ ducis captiui filios, idem egit: sed illi constanter negabant: ille ad Cæsarem reuersus, rem omnem exponit: itáque captiuum principem Cæsar denuò solicitat, déque filijs ipsius queritur, quòd & decretum nuper factũ repudient, & illud oppugnari tum scriptis tum concionibus permittant: petit igitur agat cum illis, ut de utroq; sibi satisfaciant. Adhæc ille, quamobrem editi libri doctrinam ipse non probet, nuper se demonstrasse Granuellano & Atrebatensi: quod cùm ità sit, nõ se posse filijs esse authorem, ut quod ipse pacata conscientia facere nequeat, hoc illi faciant: orare se plurimùm, ut boni consulat, & se suósque liberos tueatur. Hæc illius constantia, & in rebus aduersis animi fortitudo singularis, magnum ei conciliauit amorem passim apud omneis. Quemadmodum in Saxonia Bremenses & Magdeburgici, sic in Germania superiori, soli Constantienses, Heluetijs uicini, nondum erant reconciliati Cæsari: sed publica tandem accepta fide, legatos Augustam mittunt, pacificandi causa. Cæsar leges fert admodũ duras, & in his etiam, ut librum euulgatum recipiant, ex eóque religionem constituant. Legati conditiones sibi mitigari petunt: sed id frustrà fuit, & intra certum diem iubentur respondere. Senatus, eo cognito, Iulij die decimo tertio datis literis, admodũ demissis, orant, ne quid contra conscientiam & animæ salutem facere cogantur: uidere se periculum suum, & in maximis angustijs uersari: nisi enim pareant,

pareant, omneis suas fortunas atq; uitam in discrimen uocari: quòd si morem gerant, Dei uindictam atq; iudicium sibi subeundum esse: parcat igitur, nec in calamitosos atque desertos grauius aliquid statuat, præsertim, cùm ipsi non magis quam alij deliquerint, & Imperij ac domus Austriacæ causa, maximas olim sint perpessi calamitates, & ne nunc quidē ullum onus, quod ab ipsis pręstari possit atque debeat, recusent: ac licet pertenue sit ipsorum ærarium & facultates exiguæ, tamen in mulctam esse daturos aureorum millia octo, & tormenta magna quatuor: sed petere, ut religionem, in qua nunc annos uiginti permanserint, sibi permittat ad decretum usque legitimi concilij, neq; grauiora ciuitati, quàm ferre possit, imponat. Ipsorum episcopus, Ioannes Vesalius, qui & archiepiscopi Londensis nomen obtinebat, ut libro duodecimo dictū est, grauiter eis fuerat cōminatus Augustæ, post euulgatū à Cęsare librū: sed paucis à diebus, eodē morbo, quem illis erat imprecatus, interijt, apoplexia nimirùm. Quòd Austriacæ domus causa multum accepisse detrimenti sese dicunt, sic habet. Cæsar Maximilianus, auxilio Sueuici fœderis, de quo diximus libro quarto, bellū gessit cum Heluetijs: itaq; Constantienses, qui tum eius erant fœderis, planè finitimi, multis fuerūt affecti damnis. opem ferebāt Heluetijs Rhœti, Seduni, Veragri, nuper ipsorū facti socij, sed & Galliæ rex Ludouicus duodecimus. Intercessione demùm Ludouici Sfortiæ, Mediolani ducis, composita res fuit sub annum salutis millesimū quingentesimum. Sfortiæ sororem Mariā Blancam Maximilianus habebat in matrimonio. Augusti mensis die tertio, Cæsar, cōsules & omnē senatum Augustanū, & è pręcipuis ciuibus nōnullos ad se uocat, & per Seldum iureconsultum de sua suorúmq; maiorū erga ipsos uoluntate atq; studio multa locutus, turbulenter & seditiosè, plurimis nūc annis administratā ipsorū rempublicā, eiúsq; rei causam esse dicit, quòd in senatū allecti fuerint de media plebe homines imperiti & opifices, nullam ad rem minus quàm ad gubernationē idonei: se uerò, qui ciuitati benè consultū uelit, ut huic malo medicina fiat, exauthorare ipsos omneis, non quidē ignominiæ, sed cōmunis utilitatis causa. De scripto postea recitari iubet eorū nomina, quos in senatū allegebat. in his erāt Vuelseri, Relingeri, Buntgartneri, Fuggeri, Peutingeri: eos deinde iureiurando deuincit, & suā cuiq; functionē atq; munus distribuit, grauitérq; monet, ut rempublicā ament, & decreto religionis pareant, & obsequentiam ipsi præstent. Tribus etiā simul abrogat, & capite sancit,

ne qua ciuium deinceps conuenticula fiant atque ſocietates,& literas omneis, quibus tribuum iura continentur atque priuilegia nouo ſenatui mox exhiberi,& hanc reipublicæ formam, uoce præconis publicè pronunciari iubet,& ne quis eam impugnet, uitæ periculo denunciat. Senatus gratias agit,et officiũ omne pollicetur. Interea dum iſta fiunt, clauſæ erant omnes portæ,& militum diſpoſitæ ſtationes. Lis erat multis abhinc annis, Lantgrauio & Gulielmo Comiti Naſſouio, de ditione Chattorum: eam nunc demùm Cæſar his ipſis diebus decidit, aduerſus Lantgrauiũ lata ſententia. Legatis Conſtantienſiũ Cæſar huius menſis die quinta primùm reſpondet per Atrebatenſem epiſcopum,& infecta re dimittit,& quia de pace non magnopere ſolicitos eſſe uideat, rationem aliquam initurũ ſe dicit. Eodem die, Hiſpani, quos in oram illam commigraſſe diximus, ad tria millia peditum, Conſtantiam petunt;& Vberlinga de nocte profecti, pars per ſyluam iter faciunt, ut prima luce, quo tempore concionem in templis haberi ſciebant, urbem inuaderent, pars in ſylua remanſit, occaſionem expectans. Accidit autem, ut tres quidam excubitores, oppidani, quum in uicina ſylua fremitum exaudiſſent, progreſſi longius ſpeculandi cauſa, in ipſorum manus uenirent: hos illi comprehendunt,& necem minati, ſi quod ſignum darẽt, unà ſecum abducunt: deinde, quodam in fundo, prope lacum, magno ſilentio ſeſe componunt: ſed non fuit occultũ,& excubitores, qui tunc erant in ſuburbio trans Rhenum, præfecto ſuo renunciant, aliquid eſſe inſidiarum. Is è ueſtigio refert ad conſulem: fuit hoc poſt mediam noctem hora ſecunda. Conſul ilicò ſenatum conuocat, & ad arma conclamat, tametſi nemo, quid eſſet rei, compertum haberet. Albeſcente uerò die, paulatim ſeſe produnt Hiſpani, pauci tamen, ut de numero excubitorum cognoſcerent. Ibi denuò præfectus uigilum conſuli nunciat, ut maturè prouideat: nam ſubeſſe periculum. itáque re deliberata, ſub horam quartam emittuntur ex urbe circiter ducenti ciues in ſuburbium. Hi, poſtquàm egreſſi nihil ferè deprehenderent, aliquantò remiſſius agunt: ſed ecce, cùm iam luceret, Hiſpani, parietem conſtructum ex materia, qui mediã foſſam diuidebat, machinis proſternũt,& per foſſam tunc propè ſiccam, in oppidanos excubitores confertim irruunt: mox etiam illi, quos in ſylua remanſiſſe diximus, accurrunt,& ui magna portam unam refringunt, ſed fortiſſimè ciues dimicabãt,& tormentis rem agunt, interfecto duce, Alfonſo Viue, ſtatim in primo congreſſu. Cùm uerò tantæ multitudinis

impetum

impetum uix ęgrè ſuſtinerẽt, paulatim retrocedunt, & in ponte Rheni diu multúmque confligunt, & uix tandem in urbem recepti, quum hoſtes portam ualidè concuterent, tormentis maioribus eos petunt ex mœnibus atq; portis, et multos interficiunt: hos illi ſtatim ex ponte in Rhenum præcipitant, & quum fruſtrà ſeſe moliri conſpicerent, fuga ſuburbium petunt, & pontem extremũ incendunt, ne quam oppidani facerẽt eruptionem. Deinde, quum libidinoſè multa feciſſent, cadauera ſociorum accumulant, & unà cum ſuburbio exurunt, ut nè de numero cæſorum conſtaret. ex oppidanis deſiderati ſunt ad centum. Quum hoſtile ſignum daretur Conſtantiæ, ſicuti fieri ſolet, Helueti uicini ſumptis armis accurrebant, ſed præfectus regionis, qui tum erat Lucernenſis, maxima denunciata pœna reuocabat eos, nimirum odio religionis. De legatis Argentinenſibus antè diximus, quid egerint cum Granuellano: finitis comitijs domum reuerſi, rem omnem ad ſenatum referunt. A' deliberatione, ſenatus, datis literis ad Cæſarem, Gallicè ſcriptis, quoniam ea lingua magis afficitur, legati, inquiunt, noſtri, nuper è comitijs ad nos reuerſi, quid actum ſit, expoſuerunt, & iam antea librum de religione conſcriptum ad nos miſerant. cupiebant illi quidem, prius quàm Auguſta diſcederent, per epiſtolam tibi ſupplicare, potentiſſime Cæſar: ſed eam Granuellanus non recepit: hac igitur de cauſa nunc ad te ſcribimus. Et primò quidem, nihil omnium rerum magis optamus, quàm tibi per omnia gratificari: ſed ad decretum religionis quod attinet, ità res habet. Conuocatis & adhibitis noſtræ ciuitatis theologis, totum diligenter expendimus: & quanquam in eo ſunt, quæ non omninò diſſident à ſacris literis, tamen quoniam ita conſcripta ſunt, ut in pleriſque ſit opus explicatione maiori, perdifficile nobis eſt atque graue, ſic illa recipere. Nam perſuaſiſſimum nobis eſt, doctrinam noſtram atq; cęremonias cõgruere cum uerbo Dei, neq; poſſe à nobis, niſi cum offenſione Dei & uulnere conſcientiæ, uel deſeri uel immutari prius, quàm facta ſit cognitio, & noſtri etiam homines auditi. Hęc enim conſuetudo ſemper fuit inde à prima ætate eccleſiæ, ut legitimis conuentibus dubia & controuerſa definirentur. hæc quoque ratio ſemper omnium optima uiſa fuit in Imperij comitijs, ut pio concilio res tota permitteretur. Itáque per omnia ſacra, perque ſanguinem Chriſti rogamus, pro nobis effuſum, ut in eo ualeant Imperij decreta, nobíſque religionem hanc tueri liceat, donec legitimi concilij authoritas interuenerit. etenim neque melior, nec ad conſtituendam pacem utilior

inueniri uia possit, neque sanè diuturnior. Sin autem postulatum hoc nostrum reijcis, & à nobis obsequentiam requiris, etiam atque etiam rogamus, ut nostri theologi primùm audiantur, quò demõstrent, qui bus in locis decretum illud existimemus pugnare cum sacra scriptura. quod si fiat, omninò fore speramus, ut & causæ nostræ intelligas æquitatem, & decretum etiam illud mitiges. malignè profectò uel obstinatè nihil facimus, uerùm salutis nostræ ratio & metus diuini numinis impellit, ut ad hunc modum deprecemur. nam in cæteris rebus omnibus ità nos comparabimus, ut quantî sit apud nos tui nominis maiestas atq; splendor, uidere possis. Cum his literis alijsq; mandatis ad Cæsarem missus fuit Ludouicus Grempius iureconsultus: Cæsar autem eodem modo quo cæteris respondet, nec aliud decerni posse, neq; iam esse quæstionis tẽpus, & fore dicit, ut in concilio, quantum satis est, audiantur. itáq; mandat, ut intra mensem, apertè, quid sit ipsorum uoluntatis, exponant. Postquàm illa uia, quam diximus, non successit, Cæsar diuulgatis literis Constantienses proscribit. ibi cœptum est agi tumultuosius in urbe: nam & recentis periculi memoria, & futuræ calamitatis expectatio uehementer eos angebant, præsertim, quum nihil humani præsidij uel opis apparéret. Erant in numero ciuium nonnulli, qui uocibus odiosis hæc omnia exagitabant: senatus igitur horum importunitate coactus, principes aliquot & Heluetios quoque per literas orat, ut ad Cæsarem intercedant: Heluetij statim agunt conuentus & assentiuntur: sed, qui sunt pontificiæ religionis, ea lege promittunt, si quidem illi decretum Imperij de religione nuper factum recipiant, & clerum in urbem rursus admittant: cùm ergo ciues urgerent, senatus decretum illud promulgat: suffragijs deinde res agitur, & uicit eorum sententia, qui recipiendum esse dicebant. nam de suis omninò fortunis actum esse clamabant, si quidem in eo rerum statu sit ipsis permanendum diutius: ingentem ac propè inexhaustam esse Cæsaris potentiam, cui minimè resistere ipsi possint. Eo facto plebiscito, senatus, quid actum sit, Heluetijs renunciat. hi missa legatione, de Cæsaris animo perquirunt, ferré ne possit intercessionem: simul orant, ut clementer eos tractet: Cæsar autem sic illis respondet, ut facilè uiderent, non ei gratum fore. nam, quòd in proscriptorum gratiam aliquid facere uelint, ualde sibi mirum esse dicebat. itáque multi, qui religionis immutationem non probabant, aliò sese conferunt. in his erat Ambrosius Blaurerus, ecclesiæ præcipuus ibi minister. Lindauienses, qui sunt con-

tra

tra Constantiam, ad alteram partem lacus, masculè quidem antea Cæsari responderant: nunc autem uicino territi exemplo, decretum & ipsi recipiunt. Quum Augusta domum reuersus legatus Argentinensis, mandatum Cæsaris renunciaret, cogitur magnus, uti uocant, reipublicæ senatus. quod non nisi rebus difficillimis & maximi momenti fieri consueuit. hi sunt trecenti, è singulis tribubus, uiginti numero, delecti quindeni. Suffragijs exquisitis, plæriq; decretum minimè recipiendum, & fortiter agendum esse ducebant: interiectis aliquot diebus, rursus deliberatur: ibi remissiores aliquantò sententiæ dictæ fuerunt, & delectis aliquot è senatu permissum, ut in commune consulant. Erant non procul ab urbe, sicut antè diximus, equites Neapolitani: & quum Cæsar illo ipso tempore Augusta discederet, omninò putabatur uenturus Argentoratum, & terrorem multis adferebat quod Constantiæ nuper euenerat. itáq; ex nobilitate complures, & mercatores, & alij nonnulli, quòd suis fortunis metuerent, neq; Cæsarem uellent offendere, quum ius ciuitatis in senatu renunciassent, aliò migrant, non sine tacita multorum reprehensione. Cæsar Augusta profectus, relicto ibi præsidio, reipublicæ & mutatæ causa religionis, cum reliquis copijs Vlmam petit. eò cùm uenisset, senatum abrogat, & nouum instituit, & ecclesiæ ministros, in quibus erat Martinus Frechtus, eò quòd religionis decretum repudiarent, custodiæ mandari iubet. Senatus, per omnia Cæsari deuotus, decretum recipit. Durante comitio, rogatu Granuellani, petierant à Frechto, ut Augustam profectus, negocium religionis adiuuaret, & ad Pflugium aut Sidonium aut Islebium diuerteret: ille, quòd & suspectam rem haberet, & quòd è reliquis ciuitatibus nemo sui ordinis ibi esset, recusat. iussus deinde, quid de facto decreto sentiat, & quousq; probet, scripto complectitur. Vbi uerò Cæsar Vlmam uenit, senatus illum ac cæteros ecclesiæ ministros euocat, & per homines delectos eorum sententiam exquirit: respondent ut antea, & quid in decreto probent, quid improbent, ostendunt. Rogati, cùm Augustani doctores illud receperint per iusiurandum, ac nihilo secius euangelium doceant, cur non idem ipsi faciant: non sibi constare dicunt, quid illi fecerint, neq; suum esse, alieni facti rationem reddere: se quidem initio, cùm ad ecclesiæ ministerium adhiberentur, fide ipsis data promisisse, doctrinam euangelij purè ac incorruptè annunciare, sine traditionibus hominũ: si nunc senatus eam rationem non probet, petere, ut iusiurandum sibi remittat. Iussi domum abire, post meridiem reuocantur. ibi delecti

quidam ſenatus, captiuos, inquiunt, hodie uos Cæſar ſiſtit, ad eiuſque iam traducemini palatium: Deus uos ſpiritu ſuo gubernet. Illi, quoniam ità ſit uiſum Deo, non ſe recuſare dicunt ullum periculum, & ipſis inuicem bene precantur. ſic egreſſi, ſtatim per apparitores ad prętorium deducuntur, fore putantes, ut ſiſterentur Cæſari. Poſt multam expectationem, confluente iam illuc multitudine, traducuntur in Georgij Beſſereri domum, uiri conſularis, in qua Granuellanus & Atrebatenſis diuerſabantur. tandem intromiſſi, poſt multã diſceptationem, cùm Granuellanus urgeret, uti Cæſaris edicto parérent, illi uerò, quamobrem non poſſent, explicarent: acerbis fuerunt excepti conuicijs. deinde, reliquis egredi iuſſis, & paululum diuertere, Frechtum humanioribus uerbis pertentant: & cùm is in ſententia perſiſteret, reliquos etiam ſigillatim appellant. ex ijs quatuor fuere conſtantes, duo deſciuerunt. Granuellano & Atrebatenſi aderant Haſius & Seldus. mox impediti catenis, in carcerem publicum ducuntur. Hiſpanorum & Germanorum pręſidio, quibus pręerat Ioannes Comes Naſſouius. cúnctq; domum Frechti præterirent, frater eius Georgius fortè proſpicit è feneſtra, & appellatus ab eo, ut uxorem ac familiam curaret, ſalutem ei ſocijſque precatur, ac ſimul bono animo eſſe iubet. Ob hanc uocem & ipſe ducitur in carcerẽ. fuit hoc Auguſti die XVI. detenti per quatriduum in urbe, quinto die, cùm Cæſar illinc abiret, reuincti catenis, uti diximus, & impoſiti currui, deuehuntur Kirchenum, ſtipati circiter ducentis Hiſpanis. ibi cùm ad dies octo fuiſſent in poteſtate Germanorum ducis Alteſtegij, dati ſunt in cuſtodiam, Hiſpanorum centurioni Madronio. Vlma Spiram Cęſar uenit, ad exitum Auguſti menſis. ibi cùm eſſet, uenit Argentoratum ab eo, qui XII illa tormenta, quę dare promiſerant anno ſuperiori, abduceret. Prid̃ie calendas Septembres, pontifex, rogatu Cæſaris, treis epiſcopos in Germaniam amandat, Fanenſem, Veronenſem, Ferentinum: horum quæ fuerint mandata, ſuo loco dicemus. Cæſar non diu Spiræ commoratus, quum Moguntiam ueniſſet, ſecundo flumine Rheno deſcendit in inferiorem Germaniam, & Saxonem atque Lantgrauium, qui Hala Sueuorum nuper adductus erat, quum eius uxor denuò eſſet deprecata, captiuos abducit, diuerſis nauibus impoſitos. Eſt ad Rhęnum, Lantgrauij quoddam oppidum, Sanguerum, & arx ſuperimpoſita monti prærupto: cum huc Cæſar ueniſſet, impeditus nocte, ſubſtitit in anchoris, & excubitoribus tantùm expoſitis, in nauibus commorari iubet omneis. Senatus Argentinenſis erat iuſſus, uti

pau-

paulò ſuprà diximus, intra menſem reſpondere: cum ergò Spiram Cæſar ueniſſet, legati mittuntur ad eum, altera die Septembris, Iacobus Sturmius, Mathæus Gigerus, Ludouicus Grempius: hi, quum Spiræ non reperirent, Moguntiam uſq; ſequuntur: quumque de ſua præſentia Cęſari nunciaſſent, abeſſent uerò conſiliarij Germani, quorum opera Cæſar uti conſueuit, Coloniam Agrippinam uſque ſequi iubentur. Interim epiſcopus Argentinenſis, ad clerum in urbe commorantem datis literis, quarta die Septembris, poſtulat, ut Imperij decreto pareant, & ad præſcriptam formulam rem inſtituant: ſimul mittit literas ea de re Cæſaris, quas decima die Iulij ſcriptas fuiſſe diximus: adhæc, ſenatui quoque ſcribit, ne illis impedimentum inferant.

Legati Argentinenſes, ubi Coloniam uenerũt, octaua die Septembris, alteram epiſtolam, Gallicè conſcriptam, Cæſari, nomine ſenatus tradunt, in hanc ſententiam. licet, quo tempore tibi reconciliati fuimus, inuictiſſime Cæſar, non promiſimus obſeruantiam eorum quæ decernerentur: etſi non ſumus unquam aſſenſi, ut ad eum modum de cauſa religionis ageretur, tamen, quantum omninò fieri poteſt, parati ſumus tibi gratificari non ſolùm in ciuilibus, uerumetiam in rebus ſacris: intelligimus quidem ſatis, te, cæteróſq; principes nolle noſtras actiones conſiderare, & æquum eſſe, ut nos tua ueſtigia obſeruemus: uerúmtamen oramus inuicem, ut cogites, quoniam ſui facti rationem oportet unumquenq; Deo reddere, meritò nos de ſalute noſtra ſolicitos eſſe, & prouidere, ne quid contra conſcientiã à nobis fiat. quę cauſa fuit etiam, quòd in ſpem uenimus, fore, ut noſtris theologis auditis, decretum mitigares. Quia uerò nos ad concilium reijcis, & fore dicis, ut ibi res iuxta ſacras literas tractetur, cõditionem accipimus: & ne uideamur eſſe contentioſi uel obſtinati, quò minus noſtræ ciuitatis epiſcopus, formulam illam tuam, certis in templis apud nos, per ſui ordinis homines inſtituat, nõ recuſamus: de templis cum eo tranſigemus, nec ullum inferemus impedimẽtum, neq; ciues ab illis arcebimus, & cuiq; liberum erit, quam uolet, & quam rectam eſſe putabit, religionem ſectari: ſed ea lege tamen, ut nobis inuicem habere liceat aliquot templa, in quibus uerbum Dei purè doceatur, & adminiſtrentur ſacramenta, ſicut decet, & lingua populari. Curabimus etiam, ut populus in diſciplina cõtineatur, & ne quid præter decorum fiat: deinde dies feſtos, & quod reliquum eſt de ieiunijs & interdicto eſu carniũ, obſeruari mandabimus, neq; patiemur, ut pro concione uel alijs in locis aliquid fiat, quod offenſioni cauſam præbere poſſit. Et quoniam hæc doctrina

multis nunc annis ità radices egit in animis hominũ, ut, nisi cum uul-
nere conscientiæ, tàm subitò tolli non possit: deinde, quoniam hac ra-
tione, quam ostendimus, decretum tuum, Cæsar, locum apud nos ha-
bebit, oramus, quàm possumus uehementer, ut nostris precibus acqui
escas, & adusque concilij tempus religionem hanc nobis permittas:
hoc & Deo gratissimum erit officium, & ad ciuitatis nostræ totiusq;
prouinciæ pacem inprimis pertinebit. Hanc epistolam ubi Cæsar
audiuit, & simul ea quæ Iacobus Sturmius, pro sua facundia copio-
sius explicabat: per Seldium de sua in Germaniam uoluntate multa
locutus, sic tandem eos dimittit post multam actionem, ut cum episco
po transigant, ea lege tamen, ut si non conueniat, penes ipsum sit arbi-
trium. Quum in Belgium Cæsar uenisset, Saxonem quidem secum
esse uoluit, Lantgrauium uerò misit Audenardam, Flandriæ oppidũ.
Ad Brabantiæ fines, copias omneis, quas Augusta secum adduxerat,
dimittit. De Cameræ iudicio suprà diximus, quemadmodum Cæ-
sari permiserint ordines, ut illud constitueret: ad calendas igitur O-
ctobreis, ut decretum antè fuit, inchoatur, & aduocati treis, ob suspi-
tionem Lutheranismi remouentur, cæteris autem omnibus inter a-
lias leges præscribitur, ut ecclesiæ catholicæ dogmatis insistant, aut
loco submoueantur. Ibi Smalcaldicis litem mouere cœpit Henricus
Brunsuicensis, ob anteactum bellum, quandò pulsus fuit. pactus qui-
dem erat, quum è carcere dimitteretur, etiam iuratus, nihil se tenta-
turum esse: uerùm ab ea transactione discessit, & non ipse modò, sed et
Moguntinus, & Prussiæ magister, & Nassouius, & Renardus Sol-
mensis, & alij litem aduersus Lantgrauiũ instituebant. Constan-
tienses, nuper proscripti, quum in magnis essent angustijs, neq; salutis
uiam ullam uiderent, ad extremum perfugium decurrunt, & Austria
cę domui sese dedunt in perpetuum. Ferdinandus igitur in suam tu-
telam eos recipit, & mox præfectum eò mittit ex nobilitate quendam.
Is idibus Octobris has eis conditiones proponit. Ferdinandum eius-
que liberos & hæredes, pro suis dominis in posterum agnoscant, eis-
que fidem omnem & obedientiam præstent, nec ab eis ullo tempore
deficiant, neque fœdus ullum ineant: decretis, quę Ferdinandus eius-
que præfecti de religione cæterisque rebus facturi sunt, omninò pa-
reant: in bellicis alijsque negocijs, Ferdinando eiusq; liberis & hære-
dibus præsto sint, & imperata faciant, sicut reliqui prouinciales. Eas
deinde conditiones per iusiurandum accipiunt. Biduo pòst, prefectus
conuocat senatum, ab ijsq; postulat, ut quantæ sint ærarij facultates,

pro-

profiteantur, ut tormenta cum omni instrumento referantur in rationes: mandat etiam, ne quis oppidanus longiorem ensem ferat, ne quis ad munitiones & uigilias accedat, ut eorum nomina, qui durante bello, periculi ciuitatem admonuerunt, edantur: ut absentium & eorum bona, qui migrarunt, scribantur in libellis & detineantur: ut literæ omnes publicæ exhibeantur, & quò quæque pertineant, per aliquem eius rei peritum demõstretur. posthæc, ministris ecclesię mandatur omnibus, ut intra diem octauum urbe excedant. Hoc mense, Mauricij Saxoniæ ducis frater Augustus in matrimoniũ ducit Christiani Danię regis filiã, Annam. In pactis dotalibus conuénit, ne quid bonorum Ioannis Friderici, uerùm ex patrijs bonis, Mauricius hęreditatem ei daret. Erat id temporis magna seditio per Aquitaniam, propter salinas & uectigalia. Totius autem regionis principatũ obtinet Burdegala, urbs ampla & copiosa & maritima, quæ ditionis Anglorum aliquando fuit. hi cumprimis etiam rebellabant, & præfectum regium trucidauerant. Cùm igitur ad exemplum & ad magnum periculum ea res pertineret, Galliæ rex, Connestablio & Aumalio Duce, copias eò mittit, peditum signa XXXI, & in his Germanorũ signa XI, & equitatum mediocrem. Eo cognito, Burdegalenses Cõnestablium solicitant, neq; se recusare dicunt, quò minus ingrediatur armatus: uerùm, ne Germanũ militem ingredi patiatur, orant. ille, non esse quòd sibi præscribant, ait: Germanos æquè ut cæteros militare regi: facturum in eo se pro suo iudicio: quòd etiamsi non patefaciant urbem, habere se tamen claues, quibus eam referare possit. Sic igitur ingressus est Octobris die XIX, & copijs huc illuc dispositis in ordinẽ, tormentis etiam suo loco collocatis, primùm arma ciuium & machinas omneis iubet comportari & in arcem deferri: sic biduum est consumptum. Tertio die cœptum est inquiri per singulas ædes, & comprehenduntur seditiosi, magno numero. pòst ad horrendam lanienam uentum est: nec enim uno supplicij genere sublati fuerunt. Ex nobilitate quoq; producuntur XIIII, laqueis obuincti collum: ex ijs unus & alter capite mulctantur: pro cęteris Germani duces intercedunt, & Connestablium exorant. huic tam tristi tánque funesto spectaculo dati sunt dies XII. Præter eos, qui capitis pœnam subierunt, ad triremes etiam plurimi damnantur. ademptæ quoq; sunt illis omnes campanę, nõ in urbe tantùm, sed per agros etiã, ne quod excitandi motus, ut antea, signum dari posset. deinde, literę omnes, quibus reipublicę immunitates atq; priuilegia cõtinebantur, exustæ sunt omnes, ipsismet ignẽ

inflammantibus. Et quia regium præfectum interfecerant, Conne-
ſtablius eos adigit, ut terram, qua tectus erat & humatus, nullo cum
inſtrumento, ſed unguibus atq; digitis reuellerent. ſic inuentum ac re-
ſtitutum cadauer, maxima deinde pompa monachorum & ſacrifico-
rum terræ mandatur. Ponè ſequebantur ciues omnes, ad quinq; cir-
citer millia cum ſingulis cæreis: & cùm ad Conneſtablij diuerſorium
ueniſſent, ſiſtitur funus per interualla paſſuum aliquot. ibi tum illi in
genua prolapſi, lamentabili clamore miſericordiã implorant, & ſuum
ipſi delictum execrantur, & regi, quòd non atrocius in ſe uindicarit,
gratias agunt. his omnibus peractis, Nouembris die nono diſcedi-
tur illinc, relicto preſidio. Per Italiam hoc tempore mirabile quid-
dam accidit. Eſt in agro Patauino, Venetorum ditionis oppidũ, Cita-
della. hic erat ciuis quidam, homo forenſis et cauſidicus ualde exercita
tus, Franciſcus Spiera. Is incredibili quodam ardore cœpit complecti
puriorem doctrinã: & quum indies magis atq; magis proficeret, non
domi tantùm apud amicos, quid ſentiret de ſingulis dogmatis, uerùm
etiam paſſim apud omneis, explicabat. Ea res non diu potuit eſſe oc-
culta, & tandem ad legatum põtificium, qui tum erat Venetijs, Ioan-
nem Caſum, archiepiſcopum Beneuentanũ, delata fuit. Vbi hoc Spie-
ra cognouit, facile ſuum intellexit periculũ: cùm ergò diu multúmque
in omnem partem deliberaſſet, tandem ſtatuit uocatus conuenire le-
gatum. Itáque profectus Venetias, & errorem ſuum, uti putabat, uel
metus cauſa dicebat, confeſſus, ueniam poſcit, & obſequentiam in po-
ſterum pollicetur. Legatus, tametſi propter ſpontaneam confeſſio-
nem gaudebat, tamen exempli cauſa iubet, ut domum reuerſus, antè
dicta publicè reuocet. Accipit ille conditionem: & licet iam tum inci-
peret ipſum pœnitere facti, tamen urgentibus amicis, qui non ipſius
modò, ſed coniugis etiam & liberorum & facultatum ipſius ſpem to-
tam in eo poſitam eſſe dicerent, obtẽperauit. Verum non multò pòſt
in ægritudinem incidit tum animi tum corporis, decq; miſericordia
Dei cœpit deſperare. de conſilio igitur amicorum Citadella defertur
Patauium, ut & medicorum operam, & doctorum hominum habe-
ret paratam conſolationem. Medici, Ioannes Paulus Craſſus, Bella-
cata, Friſimelega, ſtatim ubi uidiſſent, ex uehementiori cogitatione na
tum morbum, nec ullum eſſe remedium preſtantius iudicabãt, quàm
animi conſolationes. frequentes igitur ad ipſum quotidie ueniebant
homines docti, & ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, quę ſummam Dei mi-
ſericordiam nobis explicant, mentẽ illius ſanare ſtudebant: ipſe uerò,

non

non inficiari quidem ista, sed ad se nihil pertinere, & quòd agnitam ueritatem abiurasset metu periculi, destinatũ se cruciatibus æternis, & illos iam animo sese persentiscere atque uidere, neque Deum amare posse, uerùm horribiliter odisse dicebat, in eóque perstitit. neque iam cibum amplius capere uolebat, & quum per uim ingereretur, subinde respuit. Longum esset omnia referre, quæ uel ipse dixit, uel alij, ut ei desperationem eriperent, in medium attulerunt, è sacris petita literis. Quum ergò frustrà consumerentur omnia consilia, & ipsius tùm infirmitas corporis tum angor mentis, indies magis atq; magis augescceret, domum relatus fuit, atque ibi miser in eo statu ac desperatione uitam finijt. Decumbenti Patauij, frequens assedit consolator inter alios, Petrus Paulus Vergerius, episcopus Iustinopolitanus, quod est in Istria, Venetorum ditionis oppidum. Quomodò Clemens atq; Paulus pontifices, opera Vergerij sint usi per Germaniam, superioribus libris demonstratum est. Ferdinando quidẽ regi ualde charus fuit, dum in Pannonijs ageret. cui cùm esset nata filia Catharina, Vergerius, unà cum Georgio Marchione Brandeburgico & Ioanne archiepiscopo Lundensi, in baptismo pro ea fideiussit. Verùm à pontificatu Romano postea defecit, mirabili quadam occasione. Cùm à colloquio Vuormaciensi, quod fuit initio anni M. D. XLI, sicut diximus, Romam uocatus redijsset, pontifex, creaturus nouos cardinales, ipsum quoque designabat inter alios: erant autem qui clanculum insusurrarent, illum multa iam consuetudine Germanorum esse factum Lutheranum. Hoc ubi Vergerius ex cardinali Ginucio, cui pontifex dixerat, audisset, ualde fuit attonitus, & ut sese purgaret, in patriam secedit, atq; librum orditur, cui titulum dedit, Aduersus apostatas Germaniæ. Dum autem confutandi causa, libros aduersariorum diligenter excutit, & attentè considerat argumenta, captum sese uictúmque sentit, & abiecta spe cardinalatus, ad fratrem suum Germanũ, Ioannem Baptistam, Polæ ciuitatis episcopum abit, & re tota commemorata, cõsilium exquirit. Frater, initiò territus, conditionem hominis deplorat: sed quum illius precibus inductus ad scripturæ peruestigationẽ sese applicasset, inprimis autem illud doctrinæ caput, quod est de iustificatione, diligenter expendisset, facta sententiarum collatione, cedit, & falsam esse pontificiam doctrinam iudicat. Itáque mutuò sibi gratulantes, quod proprium est episcoporum munus, populum erudire cœperunt per Istriam, & Christi beneficium humano generi collatum diligenter

inculcant,& cuiuſmodi opera Deus à nobis requirat, oſtendunt, ut ad purũ cultum homines reuocarẽt. Sed exorti ſunt aduerſarij multi, monachi præſertim, hi qui dicuntur obſeruantes, qui rem ad inquiſitores deferebant, in quibus facilè primus erat Annibal Griſonius, & huic adiunctus Hieronymus Mutius, qui & Vergerianam ſcripſit inuectiuã poſtea, nec id modò, ſed etiam vulgato quoq; libello, Germaniam, odio religionis, maledicentiſſimè traducit. Griſonius ubi Polam ac Iuſtinopolim ueniſſet, in ciuium ædes irruit, &, ſi quos haberent libros prohibitos, inueſtigabat: deinde, cùm pro concione multa diſſeruiſſet, pontificiũ fulmen emiſit in eos, qui de Lutheraniſmo ſuſpectos non accuſarent: ijs tamen, qui redirent ad ſanitatem, & ultrò ueniam ab ipſo peterent, leuiorem pœnã promittebat: qui uerò non ſponte patefacto crimine, pòſt ab alijs accuſarentur, in eos ignis ſeſe uindicaturum affirmabat, & ſingulas domos ingreſſus, territabat omneis. Itaque reperti ſunt nonnulli, qui ſe accuſarent ipſi, ac pleni formidinis nihil detrectarent: ex ijs, qui lautiores erant, priuatim, humiliores autem publicè coacti ſunt errorem ſuum teſtificari: qui nouum teſtamentum, lingua populari ſcriptum, ab ſe lectum eſſe fatebantur, eos grauiſſimis uerbis, ut in poſterum abſtinerent, deterrebat: deinde promiſcua multitudo, timore perculſis animis, deferebant quoſque certatim, nulla neq; propinquitatis neque neceſſitudinis aut beneficiorum habita ratione: non parenti filius, non uxor marito, non cliens patrono parcebat. Delationes autem erant plærunq; de rebus friuolis, ut quiſq; fortè aliquid ob ſuperſtitionẽ in aliquo reprehenderat. Hiſce rebus addebantur conciones, Vergerij dogmatis aduerſariæ: certóq; die, cùm in æde primaria populus admodũ frequens Iuſtinopoli conueniſſet, Griſonius, qui tum cõſul tò miſſificabat, ſplendidè exornatus, inter alia, ut aculeum defigeret, hoc, inquit, tempore & hiſce aliquot annis multæ uos premunt calamitates, quæ nunc oleas, nunc ſegetes, modò uineas, modò pecudes aliáſq; facultates grauiter affligunt: his uerò malis cauſam præbet epiſcopus ueſter et hæreticorũ turba reliqua: nec eſt quòd leuationẽ ullam ſperetis, niſi coherceantur: proximum autem eſt, ut impetu facto lapidentur. Hac illorum uiolentia coactus Vergerius, Mantuam diuertit ad cardinalem Gonzagam Herculem, cui notus erat familiariter. Cùm autem & Romæ quidã, & pontificis ad Venetos legatus, Ioannes Caſus, Gonzagam per literas & internuncios urgerent, ne talem hominem foueret amplius, ille Tridentum, ubi tum

agebatur concilium, purgandi sui causa proficiscitur. Pontifex, ubi resciuit, etsi captiuum fieri maluisset, tamen, ne qua suspitio nascere-tur, in Germania præsertim, quasi minus esset liberum concilium, suis ibi legatis rescribit, ne locum ei tribuant in consessu, uerùm aliò discedere iubeant. Ad hunc modum eliminatus, Venetias iuit: hîc ille, quem dixi, Casus legatus, eum, uti Romã peteret, modis omnibus hortatur: ille uerò, qui periculum suũ intelligeret, recusat. Tùm alter, post aliquot dies nomine põtificis ei mandat, ne Iustinopolim reuertatur: itáque Patauium sese cõfert. Ibi cùm esset, spectator fuit huius tam miserabilis exempli, quod diximus: eo permotus, cùm iram Dei, qua miser ille perculsus fuit propter abnegatam ueritatẽ, coràm ipse uidisset, magis magísque confirmari cœpit, & tunc planè constituit, relicta patria, posthabitísque rebus omnibus, in uoluntarium exilium abire potius, & eò proficiscí, ubi Christum liberè profiteri posset. quod paucos deinde post menses fecit, & ex agro Bergomati profectus, ad uicinos Rhœtos peruénit: & cùm ibi atq; etiã in ualle Telina, quæ proximè spectat Italiam, annis aliquot docuisset euangelium, à Vuirtembergico principe Christophoro Tubingã fuit accersitus. Antequàm ex Italia decederet, iam erat mortuus eius frater episcopus Polæ, suspitióque fuit ueneno sublatum esse. Multi prẹterea Spieram in eo statu uiderunt, magni nominis uiri, & in his, Mathæus Gribaldus, iureconsultus Patauinus, qui & rem omnem, quam ipse coràm uidit & audiuit, scripto complexus, in lucem edidit, uti Vergerius etiam, & Sigismundus Gelous, Polonus, & Henricus Scotus. Ille, quem diximus, archiepiscopus Beneuentanus, libellum conscripsit, planè cinædum, & quo nihil fœdius excogitari possit. nec enim puduit eum, scelus omnium longè turpissimũ, sed per Italiam nimis notum atque Græciam, celebrare laudibus. Interim archiepiscopi Germani, Moguntinus inprimis & Colonien-sis & Treuericus, per suam quisque diœcesim, uti uocant, conuentus agunt, ut ad formulam, à Cæsare præscriptam, ecclesias emendarent: nam hoc ei promiserant. Per ditionem Colonienſem Bucerus antè docuerat, ut libro decimo quinto diximus, & erant ecclesiæ ministri nonnulli, qui duxerant uxores. Quanq; uerò Cæsaris decreto permissum erat sacerdotibus maritis coniugiũ, donec concilium de eo statueret, Colonienſis tamẽ hoc ad Lutheranos tantùm pertinere dicebat, non autem ad ecclesiæ Romanæ sectatores. itáque facto decreto matrimonia contracta rescindit, & incesta pronunciat, & liberos

ex ijs procreatos, illegitimos esse iubet. Treuirensis non ità magnam obtinet prouinciam, & treis tantùm habet suæ ditionis episcopos, Metensem, Tullensem, Virodunum. Ibi nihil opus erat eiusmodi lege: nam qui sunt ijs locis ecclesiastici, cõcubinas habere malunt quàm uxores: per archiepiscopatum autem, ubi periculi plus esse uidebatur, idem sanxit quod collegæ. Moguntini ditio longissimè patet. nam duodecim ei subsunt episcopi, & Hessia quoque ferè tota ad ipsius iurisdictionem ecclesiasticam pertinet. Cœpit igitur urgere & instare, ut Cæsaris decreto parérent, & doctrinam libro comprehensam sequerentur. idem agebat Treuericus, qui & ipse aliquid ibi iuris habet: sed filij Lantgrauij cæteríque præfecti & consiliarij surdis auribus hæc accipiebant. Francofurtum quoque Moguntinus uicarium suum episcopum Michaelem Sidonium misit. is expiatis primùm ibi templis, more suo concionatur atque docet. Episcopus Augustanus, sacrificos aliquot minus cõstantes, ut doctrinam suam abiurarent, adegit. De Gallis antè diximus, qui per æstatem Scotis auxilio profecti fuerunt: hi tandem mortui regis filiolam Mariã, unicam hæredem, sex annorũ puellam, in Galliam abducunt, ut eius consequendæ spem omnẽ Anglis adimerent. Cardinalem hoc anno creauit pontifex Carolum Vendomensem, Gallum. Posteaquàm in Hispaniã uenit Maximilianus Austriacus, in matrimoniũ ducta Cæsaris filia, Maria, Philippus Cęsaris filius, tunc XXI annorũ iuuenis, euocatus à patre, ad iter sese comparat, & relicto ibi patruele sororio, qui per suam absentiam reipublicę præesset, quum uentis uela dedisset, Nouembris die uigesimo quinto, cum triremibus quinquaginta, totidémq; ferè nauibus onerarijs, Andrea Auria, qui Maximilianum transportauerat, ductore, Genuam appellit, magna comitatus procerũ turba, & in his, Albano duce et cardinali Tridentino. primis aliquot diebus, extra muros commoratur in ædibus Auriæ prętecti classis, interea dum & naues exonerantur, et apparatus in urbe perficitur. Altera die Decembris ingressus, magnificentissimè excipitur, & tum pecunia tum rebus alijs ad profectionem terrestrem necessarijs & idoneis cohonestatus, octauo pòst die discedit, & per Alexandriam atque Papiam facto itinere, Mediolanum petit. Erãt Papiæ tormenta, quæ Cæsar erepta Saxoniæ duci Ioanni Friderico, sicut diximus, eò miserat: hæc etiam spectauit. Mediolani, quo decimo nono Decembris die uenit, passim erant ei positi triumphales arcus atq; statuæ, cum honorificis inscriptionibus. Ingredienti prętto

fuerunt

fuerunt Sabaudiæ dux, Veneti, Florentini, Ferrarienſes, Senenſes legati. Sub hoc tempus è uita deceſſit Bruxellæ, ubi tum Cæſar erat, Comes Burenſis, Maximilianus, mortuus angina, quum ipſam propè mortis horã, ut aiunt, medicus ei prædixiſſet, ubi uidit, Andreas Veſalius. De Mauricio diximus, quemadmodũ poſt recitatũ religionis decretum, Auguſta diſceſſit: ubi domum rediit, nobilitatẽ & reliquos ordines conſcribit, & Miſeni rem omnem proponit, & quæ ſit Cęſaris uoluntas, oſtendit. Illi promiſſum & Cęſaris & ipſius etiam urgent, & ut Auguſtanæ confeſſionis religio ipſis permittatur, inſtant: placuit pòſt, ut theologi Vuittembergici ſimul & Lipſenſes adhiberentur: itáque conuentum eſt, primùm Begæ, deinde Cellæ, pòſt, Iuterboci: uenit huc etiam à Brandeburgico miſſus electore, Ioannes Islebius. Hic fuit decretum de rebus mediis, & ijs quę dicuntur adiaphora. poſtremus erat conuentus Lipſiæ: conſcripta fuit hic formula religionis, quam per Mauricij fines ſequerẽtur omnes. hic uerò libellus maximas deinde peperit offenſiones, ut ſuo loco dicetur. Interea filius Cæſaris progreditur, & per Mantuã atque Tridentũ facto itinere, Auguſtam, deinde Spiram uenit, poſtea per Luceburgicum agrum ad Cæſarem parentem contendit, cardinali Tridentino comitatus inter alios. Aduentanti Cæſar obuiã miſit inſignem equitatum in Germaniã uſque, ductore Areſcoto principe. Mauricius obuiam ei profectus Tridentum uſque, Mantuam & Venetias, uiſendi cauſa, paruo cum comitatu excurrit, & honorificentiſſimè fuit habitus à ſenatu. Pro Lantgrauio ſocero diligenter Philippũ orabat, ut ad parentem intercedat, ídque pòſt ei nunciat, & quòd liberaliter ille ſibi promiſiſſet, bene ſperare iubet, monens tamen, ut diſſimulet, neque ſignificationem ullam oſtendat. Hoc tempore motus fuerunt per Aphricam. nam Zeriphius quidam, à paruis, ut aiunt, initijs auctus, & regnum adeptus, uicinum regem Feſanum, finibus expulit, qui pòſt ad Cæſarem uenit Auguſtam, de ſua fortuna conquerens, & opem implorans. Epiſcopus Metenſis, Nicolaus, Antonij Lotharingiæ ducis filius, & nepotis ex fratre tutor, ut libro decimo ſexto diximus, ordine eccleſiaſtico abdicato, in matrimonium ducit quandã Ecmondanæ familiæ, quæ per Brabantiam poſſeſſiones habet. ſic epiſcopatus ad Lotharingiæ cardinalem rediit. Quid Argentinenſes legati Coloniæ tractarint cum Cæſare, ſuprà dictum eſt: ubi domum reuertiſſent, aliquantò pòſt cœptum eſt agi cum epiſcopo, qui conuocata nobilitate, quid M. D. XLIX.

Cæsar fieri uelit, ostendit, & mandat omnibus, uti pareant: clerum etiam Argentinensem obtemperare iubet: cúnque duriora proponeret, senatus duodecimo die Februarij, misso legato, Hērico Copo iureconsulto, & datis ad Cæsarem literis, diligenter quidem egisse cum episcopo, sed tales ait ab eo proponi cōditiones, ut si recipiant, retinere non possint ea, quæ decretum nuper Augustæ factum ipsis largitur atque concedit. post multam enim actionem, ostendimus, inquiunt, ei, uelle nos mandare ciuibus, ut dies festos colant, ut certis diebus abstineant à carnibus: adhæc, cum ecclesiæ ministris egimus, & ex ijs quosdam ultrò discessuros à munere docendi putamus: per nos igitur ei licet & est integrum, ut iuxta formulam Augustæ præscriptam, instituat religionem: nec enim ullum dabimus impedimentum, & ciuibus etiam, ne quid contrà faciant, mandabimus: quod cùm ità sit, petimus inuictissime Cæsar, ut ecclesiæ ministros nobis permittas, etiam eos qui sunt mariti, nec ad grauiora cogas, præsertim cùm & modestiam omnem simus præstituri, nec offensionis ullam daturi causam. De Magdeburgicis antè diximus, quomodò Cæsar eos proscripserit: cùm autem decretum religionis nuper euulgatū repudiarent, aucta fuit offensio: sic ergò nouis edictis Cæsar in eos agit, & in prædam omnibus obijcit, & uicinos principes ac ordines grauiter monet, ut bellum eis faciant, & quacunque ratione possint, noceant. Dictum est antea, quomodò Cæsar cōciona tores Vlmenses comprehendi iussit: hi septimo tandē mense, Martij die tertio liberi facti sunt atque dimissi, cùm pro uictu soluissent.

Angliæ status in hoc tempore, cœpit esse turbulentus. Is, quem diximus, regis auunculus & regni protector, Eduardus Somersetus, fratrem habebat germanum, Amiralium, de quo suspitionē concepit, aut sibi persuaderi passus est, quasi regnum affectaret, et regem uellet in suam redigere potestatem. itáque comprehendi iubet, & habita quæstione, capitis ille damnatur, & Martij die uigesimo securi percutitur. Habebat in matrimonio regis Henrici uiduam uxorem, Catharinam Parram, idque suspitionem nonnihil etiam auxit: sed æmulatio muliebris & inuidia plurimùm huc attulisse momenti putatur. Episcopus Argentinensis iterùm monet clerum, ut edicto Cęsaris pareant. Est ibi diui Thomæ templum, eius annui prouentus conferuntur omnes, de uoluntate senatus, in ecclesię ministros & uiros doctos, qui docendæ iuuentuti præsunt. hos inprimis urgebat, & intra quod tempus decreto Cęsaris & expectationi satisfacere uelint,

lint, deinde, quos haberent ad institutum illud idoneos homines, & cuiusmodi supereſſent adhuc ornamenta, ſibi nunciari petebat. Illi ſpacium deliberandi ſumunt. Archiepiſcopus Cãtuarienſis, Thomas Cranmerus, Anglię primas, uir excellenti doctrina, totus in hoc erat, ut ſtudia literarum atque pietatis excitaret: cùm ergò ſtatum Germaniæ & doctorum hominum ibi periculum uideret, crebris literis Bucerum inprimis & Paulum Fagium, Hebraicæ linguæ peritiſſimum ſolicitabat, ut in Angliam uenirent, omnem amorem atque fidem eis pollicitus. Itáque, de aſſenſu & uoluntate ſenatus, calendis Aprilis, iter ingrediuntur, ut ibi ſementem puræ doctrinæ facerent. Aduentus eorum & regi fuit & toti propè nobilitati atque populo gratiſſimus: & quum apud Cantuarienſem aliquándiu ſubſtitiſſent, Cantabrigiam mittuntur ambo, docendi cauſa. Calendis Aprilis, Philippus Auſtriacus, ampliſſima cum pompa Bruxellam, ubi pater erat, ingreditur. aderant Mauriciani & Brandeburgici legati, de interceſſione miſſi ad Philippum & cardinalem Tridentinum, quo Mauricius utebatur amico. Et licet hi Lantgrauio, qui tum erat Audenardæ, bonam ſpem facerent, nihil tamen effectum fuit, & paulò pòſt, cùm Lantgrauius, per cauſam ualetudinis uellet ueſci carnibus, die quodam uetito, cuſtodiæ præfectus interueniens, allatum cibum in terram effundit & diſſĳcit. Ad hoc ipſum tempus, epiſcopus Argentinenſis, octauo demùm anno, ſacris, uti uocant, inauguratur, & miſſificat, & uniuerſi cleri conuentus agit Tabernis, & decreta facit, ad ipſorũ inſtitutum accommodata. Deinde per internuncios, à ſenatu Argentinenſi poſtulat, ut reædificent aras, ut eccleſię miniſtros conſtituendi facultatem ſibi reddant, ut clero iuſiurandum remittant, & immunitatem omnem reſtituant, ut ędium ſacrarũ ornamenta redhibeant: Thomenſibus uerò mandat, ut apertè reſpondeant, parére ne uelint edicto Cęſaris, an minus? Illi, primò de ſua in Cæſarem obſeruantia, pòſt, de ſuis officĳs atque functione prolixè locuti, quid quiſque doceat & agat, oſtendunt, theologi nimirùm & philoſophi, & dialectici & rhetores, ac id genus alĳ, tum eccleſiæ tum ſcholæ ſeu iuuentuti non utiles tantùm omnes, uerumetiam neceſſarĳ: deinde, per quos in collegium adoptati ſint, approbante ſenatu, demonſtrant, & poſt multam explicationem demiſſè admodum & amanter orant, ne rationem hanc tam bene conſtitutam perturbet, nec ipſos alĳs rebus minus neceſſarĳs occupari uelit. Legati contrà. collegium iſtud ob id genus officia ſcholaſtica

non inſtitutum eſſe, neque rationem antiquam oportere mutari: ſi qui ſint inter ipſos, qui grauari ſeſe, neq; bona conſcientia morē gerere poſſe putent, epiſcopū certè non eū eſſe, qui uelit ipſis inuitis aliquid perſuadere, ſed ijs, ut loco decedant, licére, & ſicut prouerbio dici ſolet, aut bibant aut abeant: etenim, ſi literarum & artium profeſſores in urbe ſenatus habere uelit, æquū eſſe, ut non ex collegij fructibus, qui ſint antiquitùs aliò deſtinati, ſed ex ærario publico ſumptus fiat: epiſcopum, & eius anteceſſorem, multis nunc annis impeditos in ſuo iure fuiſſe, uerùm diutius hoc tolerari non poſſe. Multis inter eos commutatis uerbis, infecta re diſceditur: & ſenatus, ubi cognouit, ad epiſcopum intercedit, amantiſſimiſque literis eum orat & obſecrat, ut ſaltem iuuentutis rationem habeat, quæ magnam ingenij culturam ex ea ſchola ſeu literarum ludo percipiat. Ad hunc modū, ſcriptis & internuncijs uariè res & diu multúmque fuit agitata, donec per interceſſores tandē componeretur, ut infrà dicemus.

Epiſcopus, qui ſemper habitus eſt ingenio leni & ocij cupido, nō tàm ſua ſponte putatur hoc feciſſe, quàm ſuorum impulſu, qui & occaſionem hanc recuperandæ iuriſdictionis, minimè negligendā, & niſi urgeat, Cæſaris quoque metuendam dicebant offenſionem. In his autē actionibus uſus eſt adminiſtro potiſſimùm Chriſtophoro Vuelſingero iureconſulto, qui literis aliquandò dedit operā Vuitembergæ: clerus primarij templi Argentinenſis Ioannem Tiſchelium iuriſperitum adhibebat. De principe Vuolfgango Bipontino, ſuperiori libro diximus, quomodò poſt promulgatum decretū religionis, Auguſtam fuerit accerſitus: hunc Cæſar non unis literis urgebat, ut decreto paréret: & quoniam ille rem ad epiſcopos reiecerat, Cæſar ex eo rogat, num & ipſe decretum habeat ratum: & an uelit eccleſiæ miniſtros, qui non parébunt, remouere loco: Datis igitur ad Cæſarem literis, gallica lingua conſcriptis, quid Auguſtæ ſit actū, ęſtate ſuperiori, paucis repetit: cúnq; domū reuerſus eſſet, illam decreti partem, quæ pertinet ad dies feſtos & eſum carnium, populo ſe propoſuiſſe dicit & obſeruari mandaſſe: decretum etiam religionis non ſemel, & diligenter quidem, legiſſe totum, & fateri, multa eſſe in eo, quæ cum ſua fide, per quam ſalutem expectet æternam, conſentiant: multa etiam eſſe, quæ diſcrepent: uerúntamen eccleſiæ miniſtris mandaſſe, ut ſingula diligenter expendant, ſibíque poſtea renuncient, quomodò rem inſtitui poſſe putent: cùm autem uno ſimul ore confirment omnes, nō ſe poſſe illud pacata conſcientia probare

bare per omnia, non sibi fuisse integrum, illos adigere, ut secus facerent: episcopos ergò rogasse, ut ipsi rationem aliquam inirent: illi uerò quid responderint, iam antea se nunciasse, bona quadam spe, futurum, ut nihil ab se requireretur amplius: nunc autem, quoniam apertè tibi uis, inquit, responderi, potentissime Cæsar, quæ mea sit sententia, dicam. Et primò quidem, quod ad religionem, ad ritus atque ceremonias attinet, quæ nunc annis aliquot per meam ditionem seruantur, equidem sum natus in illis & educatus, ut antehac quoque tibi demonstraui Cæsar, adhoc usque tempus, nec aliud uncp doctrinę genus audiui, simul studium & operā aliquam in eo collocaui, & quantū ingenio percipere potui, planè mihi uidetur consentire uerbo Dei. Nam hoc mihi profitendum est, quandoquidem interrogor, ne conscientiam ipse meam uulnerem, néue saluti meę pessimè consulam: hæc etiam est ratio, cur decretum approbare non possim, alioqui paratissimus, more & exemplo maiorum, tui causa nihil non facere: tibi uerò Cęsar, qui summus es magistratus, licet in eo statuere, quod uidebitur: equidem non sum is, qui possim aut uelim aut debeam repugnare: tuo sit hoc totum in arbitrio: solùm deprecor, ne quid ipse cogar pręter animi sententiam facere, néue populus meæ ditionis etiam. ad ecclesiæ ministros quod attinet, proximis literis orabam, ut tuo permissu liceret ijs manere, baptisandi pueros & ægrotos uisendi causa potissimùm, donec essent eis alij summissi: uerùm, si iubes ut ilicò discedant, & solum uertant, non expectatis alijs, etsi magno futurum est istud populi cum dolore & detrimento, tamen obtemperabitur. nam & iam ex ipsis multi abierunt, & in ijs quæ præstari possunt atcp debent, omnem obsequentiam tibi pręstandam esse scio. Quum per fines Mauricij, res ad mutationem uideretur spectare religionis, Lubecenses, Luneburgenses, Hamburgenses ecclesiæ ministri, euulgato scripto, librum & decretum Augustanum prolixè confutant: eius uerò scripti potissimus erat author, Ioannes Epinus. deinde, doctores Magdeburgici, Nicolaus Amstorffius, & inprimis Mathias Flacius Illyricus, Albona urbe natus, & Nicolaus Gallus, grauiter sese Vuittembergicis atque Lipsensibus opponunt, & multis editis libellis eos incusant, quasi dissimulanter agant, & per adiaphora, seu res medias, pontificiæ religioni uiam aperiant. hanc denique regulam ponunt. omneis ceremonias atque ritus, quantumuis natura sint indifferentes, non amplius esse adiaphora, cum uis, & opinio cultus, & necessitas accedit, & quum impietatis datur occasio. Illyricus aliquot annis fuerat

auditor atq; discipulus Melanchthonis: uerùm in actione ista Magdeburgum se receperat, edito pòst libello, quo sui facti rationem explicat. Hamburgici præterea datis literis ad Vuittembergenses, inprimis ad Philippum, quid ipsi uocent adiaphora seu res medias, enumerant, & cuiusmodi possint admitti, demonstrant, simul rogant, ut ipsi uicissim apertè scribant, quid eo nomine comprehendi uelint, ut uidelicet certi quid habeant homines, quod sequantur, nec animis fluctuent, néue nomen illud adiaphoricum, multis alijs erroribus, qui sensim insinuare sese possint, occasionem præbeat. Ad eam epistolam Melanchthon respondet, & inter alia seruitutem aliquam ferendam esse dicit, non coniunctam cum impietate. Archiepiscopus Moguntinus initio Maij synodum habet prouincialem: eius decreta pòst euulgat, edito libro. faciunt idem Treuericus & Coloniensis, qui & ipse latè dominatur. Liber ille sancit inter alia de confessione, ne quis ad cœnam domini recipiatur, nisi confessus peccata: de consecratione salis, aquæ & aliarum rerum, quæ per exorcismos & precationes ad usum fidelium præparantur, ut aiunt: de reliquijs, de inuocatione & ueneratione diuorum, de peregrinationibus, de precibus pro uita defunctis, de purgatorio, de ieiunio & delectu ciborum, de horis, uti uocant, canonicis, de tremendis missæ mysterijs. Hanc ad synodum uenit episcopus Eistetensis Mauricius: reliqui miserant uicarios. Porrò, quod de consecrationibus & exorcismis constituit, latè patet. Septimo quoque die sacrò, quem uocamus dominicum, ubi populus in templum frequens conuénit, sacrificus, multis precationibus primò salem, dehinc aquam exorcisat, uti uocant: cunq; deinde salem immisit in aquam, populum ea conspergit. Hæc autem aspersio creditur ad mentis atq; corporis conferre sanitatem, & insidias abigere diaboli, & expurgare non solùm homines, uerùmetiam res inanimes. nam in solum atque saxa & mortuorum sepulchra conijcitur, & sacrificus Deum precatur, ut hanc ei uim & efficaciam indat. Eodem quoq; modo sal tractatur in baptismo, & consecratum sacrificus in os infantis imponit, & satanam emigrare iubet, & in aquam ter immergit infantem, & oleo, cui pollicem intingit, pectus & humeros illius illinit. Mulieres etiam, à puerperio, cùm ad templum redeunt, in primo statim aditu lustrantur hac aqua: denique, multiplex est illius usus, maximè uerò, cùm aduersus nocturna spectra dimicatur, & agitur exorcismis. Consecratur autem certis precibus, quicquid ad apparatum pertinet sacrificorum: adhæc aqua baptismi, cerei, palmę,

paschæ

paſchalis,uti uocant,agnus,è cera confectus, oua, carnes, caſeus, lari-
dum, flores, herbæ, fructus arborum, & his omnibus adhibetur ea,
quam diximus,aqua. Cùm eſt extruendum templum,epiſcopus aut
uicarius primum lapidem fundamenti collocat, & aqua ſalſa reſper-
git: extructum uerò, ter obit, & primò quidem,ſuperiores,inde me-
dios & inferiores parietes aſpergit, & baculo ſuo paſtorali formam
crucis deſignat ad ſuperiores ualuas,ne ſatanas appropinquet: poſtea
templum ingreſſus, & cantionibus aliquot expeditis, miniſter cine-
rem diſpergit ad ſimilitudinem crucis:eo facto, græcas literas baculo
ſuo deſcribit epiſcopus in cinerem,ad ſiniſtram crucis alam, latinas au
tem ad dextram,& alteram pòſt adhibet aquam,è ſale, uino, cinereq;
confectam, qua templum denuò conſpergit, & populum ad munifi-
centiam atq; liberalitatem hortatur. Conſimili ratione tractãtur cam
panæ, & primò quidem ſic eas pendére oportet, ut circùm ire poſſit
epiſcopus.qui cum pſalmos aliquot demurmurauit, aquam & ſalem
conſecrat,ſimulq; miſcet,eaq; foris & intus campanam diligenter la-
uat,pòſt extergit,& oleo ſacro formam crucis in ea deſcribit,Deúm-
que precatur,ut cum impellitur & inſonat campana, fides & charitas
in animis hominum augeatur, faceſſant omnes inſidiæ diaboli,gran-
do,fulmina, uenti, tempeſtates, & omnis intemperies mitigetur. ubi
crucem illam oleatam linteo deterſit, ſeptem alias cruces in ea format,
intus uerò ſolùm unam: poſtea pſalmos aliquot recitans, campanæ
thuribulum ſubdit, & ſuffitum facit,eiq; bene precatur.pleriſq; in lo
cis epulum dari conſueuit & peragi conuiuium,non ſecus atq; in nu-
ptijs. Aras autem ità conſecrant.adhibetur oleum,chriſma,thuris li-
bra una,ſartago cum igni, ſal, aqua, uinum, cinis, hyſſopus, linteum
unum canabinum,ad extergendum,alterum uerò mollius, ad tegen-
dum,quinq; cruces è cera factæ,calix,cementum, binæ faces, poſtre-
mò,quicquid ad ornatũ altaris pertinet. Interim epiſcopus unà cum
ſacrificis,aliquot pſalmos & precationes expedit, & quinque diuerſis
locis aram reſpergit, ſic diſtribuens aquam, ut crucis formam repræ-
ſentet:inde ſepties aram obit, & aquam uino temperatam & hyſſopo
& cinere, in illam conijcit: abhoc, cementum aqua miſcet, & quod
reliquum eſt,circum aram diffundit: mox,non ſine pompa deferun-
tur reliquiæ diuorum, & adhibito thymiamate,ſuo loco reponun-
tur: aram poſtea ter circumluſtrat thuribulo, quod ſacrifico deinde
tradit, qui ſuffitum continenter faciat,donec peracta ſit conſecratio.
ubi uerò crucibus ex oleo, diuerſis locis aram ſignauit, oleum effun-

dit & inuergit, & thuris particulas quinque, totidémque cruces è cera formatas, huc illuc disponit, eásque pòst incendit: cineres inde collecti sacris in rebus habentur. Postremò, quatuor margines altaris & frontem inungit, & missam decantat. Oleum autem atq; chrisma, quod uocant, conficitur ubique die Iouis, qui paschæ diem antecedit. Ista magno quondam in honore fuerunt apud omneis et admiratione: cùm autem Lutherus, & post eum alij docerent, omneis planè creaturas uoce Dei consecratas esse, quo tempore terrarũ orbem condidit, in contemptum atq; ludibrium uenit omnis hic apparatus, tanquam præstigiosus & iocularis. Nunc ergò secundam nacti tempestatem episcopi Germani, restituunt, ac ueluti postliminiò domum illa reducunt. De aqua sale conspergenda, sicut ipsi loquuntur, in iure pontificio decretum extat, quod Alexandro põtifici, quinto post Petrum, attribuunt, ut uetustatis opinio fidem & authoritatm addat.

De pontifice, qui treis episcopos in Germaniam amandauerat, suprà dictum est: hi quum ad Cæsarem in Belgium uenissent, Maij die XXV sua mandata primùm exponunt. Initiò pontifex commemorat, in quanta solicitudine uersetur, propter eos, qui tunicam domini dilacerant: duo tamen inprimis adferre sibi cõsolationem: primum, quòd Christus ipse fore prædixit, ut satanas ecclesiam oppugnet, sed frustrà: deinde, quòd concilio generali facilè possint omnia tolli, quę per peram irrepserint: & quoniam concilij fructus iam ad reliquas nationes peruenerit, apud Germanos autem, ob uarias ibi de religione dissensiones, nihil sit adhuc profectum, idcircò se, partim sua sponte & ex officio pastorali, partim etiam rogatu Cæsaris, de uoluntate senatus cardinalium, emisisse quosdam episcopos, qui potestatem habeant, eos, qui ad gremium ecclesiæ redire uolent, in gratiam recipiendi, & ipsis omnia læta pollicendi de sua clementia & benignitate, modò leges accipiant, non autem præscribant: hoc uidelicet tantum beneficium impertiri se omnibus in uniuersum, nullo prorsus ordine, nullo etiam eius generis excepto crimine, per quamlibet multos annos continuato, sic tamen, ut qui sunt eiusmodi, suos errores atque delicta sacerdoti cuipiam orthodoxo confiteantur, & mandatam eo nomine pœnitentiæ formulam sequantur: publicam uerò confessionem, abiurationem & satisfactionem, legibus præfinitam, sese ipsis omninò remittere atq; condonare: potestatem se quoq; fecisse legatis episcopis, ut eos, qui pacto uel fide & iureiurando sunt obstricti Lutheranis, liberẽt ab ijs uinculis, ut monachos in hæresim lapsos, & extra

tra domicilia ſua uagantes abſoluant, eiſq; permittant, mutato genere ueſtitus aliam eccleſiæ obire functionem: ut eſum lactis, caſei, butyri, carnium & ouorum cõcedant, habita ratione locorum & hominum: ut cœnam domini totam permittant illis, qui cæteris omnibus errori bus depoſitis, concilij Conſtantienſis decretum probauerint, qui ſub una ſpecie tantũ ſumi, quantum ſub utraq;, qui eccleſiam non erraſſe, propter factum de una ſolum ſpecie decretũ, palàm profeſſi fuerint: hoc autem illis concedi poſſe, certum ad tempus, prout uiſum fuerit, ſic tamen, ut illi ipſi faciant hoc ſeparatim alio tempore & loco, neque tunc, quum reliquis cõmunicatur cœna ſub una tantùm ſpecie. poteſtatem etiam illos habere, ut de fructibus perceptis atque conſumptis tranſigant cum poſſeſſoribus bonorũ ſacrorum, modò à reliqua poſſeſſione diſcedatur: item ut cenſuris eccleſiaſticis obſtinatos coherceãt, & auxilia magiſtratus implorent: adhæc, ut per Germaniam delegent & ſubſtituant epiſcopos, qui rem executioni mandent. Hoc ſecuti mandatũ, ij, quos diximus, legati Romani, quibus locis maximè opus eſſe intelligebant, epiſcopos ſubdelegant. in his erat etiam Argentinenſis, eicq; mandant, ut ea quæ cõmemorata ſunt, exequatur, & eccleſiaſticę profeſſionis homines ità demum recipiat in gratiã, ſi prius ab ſe reiiciant & expellant uxores. Aiunt autem ad Cæſarem ſe fuiſſe profectos, ut de ratione modóque executionis cum eo conſilia conferrent: poſtea uerò, quàm intellexerint, fieri non poſſe, ut loca omnia, quæ remedijs indigent, ipſimet accedãt, neceſſariò ſummiſiſſe alios. Hanc pontificis largitionem uel indultum, ut ipſi uocant, Cæſar ilicò mittit ad epiſcopos Germanos, & ut leniter atque placidè rem agant, utque blanditijs, exhortationibus, precibus omnia prius quàm execrationibus atque minis, experiantur, pro ſe quenque, ſeparatim omneis monet. Moguntinus ergò, cùm ad alios, tum ad Lantgrauianos præfectos & conſiliarios dat literas, & de ſua ſolicitudine paſtorali, déque Cæſaris fide & diligentia multa locutus, petit, ut eccleſiæ miniſtris formulam iſtam, à pontifice miſſam, exhibeant, eique iubeant parére. Concionatores, interpellati, doctrinam ſuam cum prophetarum & apoſtolorum doctrina conuenire, uitam quidem ipſam non reſpondere profeſſioni, ſed tamen doctrinæ nullum ſe dicunt errorẽ agnoſcere: quamobrem nihil opus habere indultu pontificis: coniugium ſeſe prętuliſſe impuro cœlibatui, iuxta uerbum Dei, neque poſſe liberos & uxores deſerere, quos Chriſtus ipſe iubeat omni amore, fide ac beneuolentia complecti: quòd ipſorum eccleſiæ

cœnam domini percipiant integram, id fieri iuxta Christi manda/
tum & ueteris ecclesiæ morem: nec esse, quòd in eo mutationem ul/
lam admittant. Maio mense disputarunt Oxoniæ palàm, Petrus
Martyr, & eius academiæ theologi, de cœna domini, déque præsen/
tia corporis Christi. Martyr hæc themata proposuit & defendit. non
mutari substantiam panis & uini: corpus & sanguinem Christi non es
se carnaliter seu corporaliter in pane & uino, sed ijs uniri sacramenta/
liter. pòst, editus fuit eius rei liber, in quo præfecti disputationis, man
datu regis adhibiti, non obscurè significant, Martyrem in eo certami/
ne superiorem extitisse. Iunij mensis die decimo, Galliæ regina dia
demate insignitur, Sandenisij oppido, sicuti fieri consueuit, admini/
strantibus Bolonico, Guisio, Castilionæo, Vendomensi, Borbonio,
cardinalibus. nam cæteri erant Romæ. Sexto pòst die, rex, incredibili
cum apparatu atq; splẽdore, Luteciam Parisiorum, regni primariam
urbem, ubi nondum uisus erat publicè, post mortem patris, ingredi/
tur, & biduo post eum, regina. Dum ibi commoratur, ad supplicia
nonnulli rapiuntur ob Lutheranismum, & spectator ipse fuisse di/
citur. deinde, quarta die Iulij supplicationes facit ad templa diuorum:
postridie scriptum euulgat, typis excusum, & supplicationis causam
fuisse dicit, ut Deo gratias ageret, pro tam multis in se collatis benefi/
cijs, ut pro sua suæq; coniugis & liberorum & totius regni salute, pró
que republica Deum oraret, & piorum animas ei commendaret, in/
primis autem Galliæ reges, maiores suos, & nuper uita defunctum pa
rentem, cuius ad exemplum statuisset omninò, suscipere fidei catholi/
cæ, religionis, authoritatis & libertatis apostolicæ, & ministrorum ec
clesiæ patrocinium atq; tutelam: inter causas, hanc etiam esse præci/
puam, ut publicè constaret, quantópere detestetur eos, qui contra prę
scriptum Christi, contra formulam & traditiones apostolorũ, contra
totius antiquitatis consensum negant præsentiam corporis & sangui/
nis Christi, qui baptismo & pœnitentiæ & bonis operibus, & sacra/
mentis uim omnem detrahunt, qui authoritatem ecclesiasticam & or
dinem hierarchicum planè contemnunt, qui cultum & ueneration em
& reliquias diuorũ reijciunt: deinde per eam supplicationem testifica/
ri se uoluisse, quæ sua sit sententia, quæ uoluntas, nimirũ, quòd exem/
plo maiorum, & imitatione quadam hæreditaria, de dogmatis omni/
bus ita sentiat & credat, sicut ecclesia catholica, symbolum apostolo/
rum, concilium primum Nicenum, & alia multa concilia patrũ: item,
quòd hæreses, iam olim damnatas, hoc uerò tẽpore partim resuscita/

tas,

tas,partim inuentas à Luthero,Caroloſtadio,Zuinglio, Oecolampa dio,Melanchthone,Bucero,Caluino,& id genus alijs hęreſiarchis,ho minibus monſtroſis & peſtiferis,planè decreuerit è ſuis finibus exter minare, & in eos, qui meriti ſint,grauiſſimè uindicare. hoc ſcriptum, lingua populari compoſitum,per totam Galliam dimittit, & ut facta ſupplicatione, populo denuncietur,mandat. Aliquantò pòſt capitis ſupplicium ſumit de Veruino,quòd arcis & oppidi Boloniæ deditio rem feciſſet, ut libro XV dictum eſt: eius uerò ſocerum, Vbianum, grandi ætate uirum, qui totius oræ Bolonienſis præfectus, & è qua tuor Galliæ Mareſcallis,uti uocant, unus erat, perpetuis uinculis ad dicit. Multis iam menſibus,de fœdere ſolicitauerat Heluetios,quod cum ipſius fecerant parente,renouando. Et quanquam Cæſar literis ac internuncijs admodum dehortabatur, illi tamen, quòd ſuis rebus ità magis conuenire putarent, aſſentiuntur, primò quidem,qui ſunt pontificiæ religionis,& Lepontij & Valeſij,pòſt etiam, Baſilienſes & Schafuſiani, non ſine multorum admiratione, propter illa quæ dixi mus,edicta & ſupplicia. plæricę enim ſic exiſtimabant,cum eo,qui pu ram religionem tàm infeſtè perſequeretur,& ipſorum eccleſias atque doctores nominatim damnaret, nullam debere ſocietatem iniri. Ber nates autem atque Tigurini, ſecuti monita Zuinglij,ſicut libro tertio demonſtrauimus atcę ſexto,fœdus hoc recuſarunt. De conuentu Li pſenſi dictum eſt antea:quum uerò pontificiam religionem nonnulli dicerẽt et quererẽtur,paulatim inſtaurari,Mauricius,die quarta Iulij, datis literis ad ſuos præfectos, audire ſe dicit, eſſe multos,qui partim nimia quadã ſolicitudine,partim ab alijs ità perſuaſi,metuant,ne uete res errores pedetentim reſtituantur:ab hac autẽ criminatione non eſſe prorſus alienos aliquot eccleſię miniſtros,et quoſdam alios,rerũ noua rum cupidos,& irrequietę mẽtis homines:ſe quidem ante hac non ſe mel,quid ſuæ ſit uoluntatis atcę conſilij,publicis declaraſſe literis,nũc uerò propter calumnias illas idem repetere, ut oſtendat religionẽ ſibi cumprimis eſſe curę:petere igitur ab ijs,qui uel credulitate quadã,uel aliorum perſuaſu mutationem uerentur, ut metũ deponant omnem, & his ſuis literis atcę teſtimonio fidem habeant:ad eos uerò, qui talia ſpargunt, quod attinet,non eſſe,quòd hi ſibi promittant impunitatẽ, ſi quidem ità pergant:cæterùm,ex decreto nuper facto Lipſiæ,contra cta quædam eſſe capita, ſuo iuſſu, quæ doceantur: cognoſcant igitur & inquirant, utrum eccleſiæ miniſtri formulam hanc ſequantur, an uerò pro concione reprehendant: quicquid erit, ſibi referri, & ſi qua naſcẽtur dubia, theologos Vuittembergicos atcę Lipſenſes adi

ri,& hæc populo denunciari iubet. Hiſce diebus è uita decedit uxor Lantgrauij captiui,ſocrus Mauricij,multis afflicta curis atq; mœrore. Per Angliam hoc tempore fuit orta duplici nomine ſeditio popularis:una,propter rem agrariã:querebantur enim uulgò,nobilitatem occupaſſe magnam agrorum partẽ,qui promiſcuę multitudinis antea fuiſſent,& ad ferarum ſaltus accommodaſſe priuatos:alteri, per Deuouiam idem petebant, ſed inprimis offenſi mutatione religionis, uolebant ſex illa regis Henrici de religione decreta, de quibus libro XII diximus,reſtitui. Quum igitur ad arma concurrerẽt,& magni res eſſet periculi,nec admonitiones locum haberent ullum,rex & conſilia rij, licet inuitiſſimi, copias in illos emittunt, & diuerſis locis profligant, millibus aliquot trucidatis. Hanc ſpeculatus occaſionem Galliæ rex,qui iampridem inhiabat amiſſæ Boloniæ, caſtella quædam & arces, ad oram illam maritimam inter Boloniam atq; Caletum, partim ui partim deditione capit, eáq; ratione milites præſidiarios Boloniæ, in maximas difficultates & anguſtias conijcit. Grauiſſimè tulerunt hunc caſum Angliæ proceres: & quia ſummam rerũ obtinebat protector regis auunculus,in ipſum deriuata fuit omnis culpa,quòd non in tempore muniſſet loca rebus neceſſarijs. hac indies augeſcente criminatione & inuidia,protector initio menſis Octobris, de cõmuni conſilio procerum, Vindeſoræ captus,ubi tum rex erat, Londinum in carcerem abducitur,proceres deinde populo cauſas recitãt, & malè adminiſtratæ reipublicæ accuſant, & ſcriptum eius rei typis excuſum euulgant,eiq; nomen quiſq; ſuum,teſtimonij loco ſubiunguntin his erat facilè primus Ioannes Comes Beruicenſis. Interea dum Gallus hæc molitur in Anglos, Cęſar per Flandriam & Hannoniam & Atrebates filium circunducit,in eiuſq; fidem populum adigit per iuſiurandum.pòſt,Antuerpiam ſimul ambo redeunt ſub idus Septembris.ibi magnificentiſſimo apparatu filius Cæſaris, non ab oppidanis modò, ſed ab exteris etiam mercatoribus,Hiſpanis,Italis, Germanis, Anglis excipitur.pòſt,amita Maria comitãte,reliquas etiam prouincias adit, ab ijſq; fidem accipit. De ſenatu Argentinenſi diximus antea,quomodo legatum miſerint ad Cæſarem, controuerſiæ cauſa minuendæ cum epiſcopo:permittente ergò Cæſare,deligũtur ſinguli arbitri, qui intercedant. Quum Octobri menſe conuentum eſſet, à multa diſceptatione,ſenatus epiſcopo tria templa permittit, ut in ijs, iuxta decretum nuper factũ,religionem inſtituat:deinde,clerum omnem in ſuam fidem atq; tutelam recipit. epiſcopus inuicem in uſum ſcholæ, Thomenſe

menſe collegium, & ſenatui reliqua templa concedit: clerus etiã annuum uectigal atque pecuniam ſenatui dependit, in reliquis immunitatem obtinet. Cæſar in Magdeburgicos agebat edictis, ut antè docuimus, & de auxilijs per Saxoniam ſolicitabat ordines: plærique non recuſabant, modò reliqui etiam, non Saxoniæ tantùm ſed Imperij quoq; ordines idem facerent. Lubecenſes autẽ & Lunebur gici, permiſſu legatorum Cæſaris, Magdeburgũ profecti, tentabant conciliationem, ſed fruſtrà. Publicè quidẽ nemo tum illos oppugnabat: ſed quoniam erant proſcripti, uerſabantur in quotidianis periculis, neque ſine uitæ & fortunarum diſcrimine poterant urbe excedere: nam unicuique licebat fortunam in eos experiri. Senatus igitur, cum antea publicis literis de ui & iniuria uicinorum eſſet conqueſtus, nunc alterum ſcriptum edit ad omneis in uniuerſum, maximè autem ad finitimos, & criminationes de ſe ſpargi dicit, quaſi in Cæſarem & Imperium pertinaciter ac ſuperbè agant, & pacem repudient, & contumelioſè multa ſcribant: ſed iniuriam ſibi fieri: Carolum enim Cæſarem habere ſe pro ſummo magiſtratu, & edixiſſe palàm, ne quid in ipſum aut ullum ordinem grauius dicatur: offenſionis quoque nullam ſubeſſe cauſam aliam, quàm quod euangeliũ Dei profiteantur: reliquas autẽ calumnias ab inimicis iactari: quantopere ſint ipſi cupidi pacis, ijs eſſe non ignotum, qui conuentibus iam aliquot interfuerunt: etenim intelligere ſe non ſolùm, ſed etiam experiri, quàm ſit dulce nomen pacis, & res ipſa ſalutaris: contrà quid malorum adferat bellum: graue quoque ſibi futurum & acerbum, ſi quidẽ ſui cauſa uicini periclitentur & detrimentũ accipiant: agnoſcere præterea, neque ſibi licere, neque ſanè in ſuis eſſe uiribus, ut obſtinatè Cæſari & Imperio reſiſtant, uerùm neceſſitate ſumma coactos, ut ab iniuria ſe ſuóſque defenderent, ædificia quædam diruiſſe, caſtella uerò & oppidula & uicos aliquot belli tempore occupaſſe, non quidem ut ea ſibi ſeruarent, ſed ne in poteſtatem exterarum gentium uenirent: neque uerò recuſare, quò minus illa reddant, ſi modò finitimi nihil moueant: duas autem eſſe cauſas potiſſimùm, cur pacem impetrare non poſſint: primùm, quòd euangelij doctrinam retineant, & pontificium idolum recuſent: deinde, quòd reliquæ conditiones propoſitæ, non modò ſibi ſint graues, uerumetiam intolerabiles, & omninò tales, quæ præſtari non poſſint: nam ut libertatem ſuam prodant, qua donati ſint olim ab Ottone magno Cæſare, eius nominis primo, quanq; per manus acce-

ptam à maioribus, ad hoc usq; tempus deduxerint, nulla ratione posse defendi, uel ad posteros excusari: nunc etiam apparere, & manifestè conspici, quid spectarint, & quorsum exierint authores libri Augustani: nam conatos esse præcipuũ doctrinæ iustificationis caput hominibus eripere, nempe firmamentum ipsum salutis: in dubium quoque uocare usum cœnę domini, & coniugium sacerdotũ: adhęc, docere inuocationẽ hominum mortuorũ, & quicquid ab ea dependet: breuiter, uniuersum recuperare pontificatũ, ut à multis excellenti doctrina uiris demonstratũ sit: certè, hanc tantam impietatem minimè dissimulandam, aut silentio prætereundã, & magnis precibus solicitandum esse Deũ, ne sui nominis gloriam ità pollui sinat: triste nimirùm & luctuosum esse spectaculũ, homines ad falsam religionẽ & idola uiolenter cogi, ministros ecclesiarum in uincula conijci, cum uxoribus atque liberis in exilium extrudi, quosdam etiam trucidari: sed uehementer acerbum esse, quanquàm hæc palàm conspiciantur, præsertim in Germania superiori, tamen reperiri qui audeant dicere, non peti religionem: uerúntamen, non esse noui rem exempli: nam inde ab orbe cõdito, piorum & innocentum hominũ hanc fuisse conditionẽ, ut affligerentur: deinde, multa extare testamenti tum ueteris tum noui documenta, quæ piorum hominum constantiam ostendunt, qua sint usi, quum reges atq; principes edicta proponerent uerbo dei contraria: nam ibi semper illud ualuisse, quod est in sacris literis, deo plus obediendum esse, quàm hominibus: hoc non docuisse modò, Chrysostomũ, Augustinum, Ambrosiũ & alios, uerùm ipsa quoq; re præstitisse, cùm quid aduersus præcepta dei Cęsares mandarent: cõsimilem nunc suam esse fortunã: uidere se periculum, in quo uersentur, neq; tamen aliter posse facere: nã quiduis potius ferendũ sibi, quàm ut manifestos errores laudent atq; recipiant: memoriæ proditum esse de Gordio martyre, qui rogatus ab amicis, quum duceretur ad supplicium, ut uitæ seruandæ causa desisteret à sententia, respondit, nõ oportere linguam, in contumeliã eius qui creasset eam, aliquid pronunciare: hoc uidelicet ad omneis pariter homines pertinere: nam & ueterem ecclesiã & primos aliquot pontifices ità sentire, ueritatem prodi non ab ijs tantùm, qui falsa docent, uerumetiam qui ueritatem agnitam non audent profiteri palàm atque defendere: cõmittendam igitur esse Deo rem omnẽ, nec in gratiã ullius hominis aut metu periculi deflectendũ à ueri professione, sed ob oculos ponendũ esse Danielis exemplũ, qui cõtra Darij regis edictũ,

apertis

apertis undique feneſtris Deum adorabat: potuiſſe quidem illum idem facere priuatim atque tacitè, nullo cum periculo, ſed quod ad fidei ſuæ confeſſionem ea res pertineret & ad nominis diuini gloriã, magno & conſtanti animo palàm inuocaſſe Deum, nec ullius habuiſſe rationem periculi, quod ei conflatum ab aduerſarijs, in ipſorum poſtea caput reciderit: quamobrem orare, ne contra ſe, qui ſint ueræ eccleſiæ membra, uim & arma parent, in eóque ſequantur ueſtigia Chriſtianorum militum ſuperioris ætatis, qui minimè dicto fuerint audientes, cùm Cæſares ipſorum operã in bellis aduerſum Chriſtianæ profeſſionis homines requirerent, ſicut exemplo diui Mauricij martyris doceri poſſit: quàm grauiter etiam fuerit offenſus Deus Iſraëlitis, quòd territi multitudine hoſtium, ſocijs infirmioribus opem nõ tulerint, in libris Iudicum extare, ut ſit omnibus documento, non ſolùm non eſſe deſerendos in neceſſitate fratres atque ſocios religionis, uerumetiam ope ſubleuandos: de uiris bonis nihil ſe dubitare, quin his rebus moueantur: etenim uiuere & immortalem eſſe Deum, qui ſuæ dextræ potentiã & ſæpe demonſtrarit olim, & nunc quoque demonſtrare poſſit: orare autem uehementer, ut hæc ad Cęſarem, ad Ferdinandum regem alióſque principes ac ordines perferri curent, & ſimul intercedant, ne quid cõtra ſe decernatur grauius: nihil enim ſe recuſare, quod modò piè præſtari poſſit & honeſtè: petere etiam, ut ſe precibus ſuis Deo commendent, quò uidelicet exemplo Niniuitarum, totis animi uiribus peccata ſua deplorent, & ad Deum ingemiſcant, & hanc euangelij doctrinam, nunc totos annos triginta celebratam, intrepidè profiteantur, & uitæ pietate conueſtiant, & charitatis officia præſtent omnibus, inprimis autem eccleſiæ miniſtris iam profugis & eiectis, eorúmque liberis, uxoribus, & id genus alijs hominibus calamitoſis, utq; doctrinam hanc ſalutarem retinere liceat puram & ſaluam à technis illorum, qui nunc, dum ceremonias reſtaurare uideri uolunt, colluuiem totam doctrinæ pontificiæ rurſus introducunt. Octobri menſe, Franciſcus Mantuæ dux, Friderici filius, in matrimonium ducit Catharinam Ferdinandi Romanorum regis filiam. Decima pòſt die Nouembris è uita decedit Paulus tertius pontifex, cùm ageret annum LXXXII. pridie quàm obiret mortem, aboleuit uectigalia, quæ ſalinis & plæriſque rebus alijs impoſuerat, non ſine gemitu populi. Menſibus aliquot antè ſolicitauerat Cæſarem de reſtitutione Placentiæ: ſed id fruſtrà fuit: &, ſi longior uita contigiſſet, omninò putatur in Galliæ regis

partes fuisse transiturus. nam inde à cæde filij Petri Aloisij, uindictã animo creditur agitasse. Corpus in sacellum Sixti pontificis delatum, in tertium usque diem ibi permansit: populus eò frequens accurrit, eiúsque pedes, qui per cancellos ferreos expositi erant, uti fieri solet, deosculãtur. Prius, quàm decederet, libellus exijt Italicus, uehemens in illum atque grauis, titulo quidem Bernardini Ochini, sed ab alijs, uti creditur, compositus, cum præfatione ad Ascanium Columnam, quem ille profligarat. Libellus hic, inter alia multa, quæ nimis longum esset recitare, sermonem ad eum conuertit, & antichristum appellans, Innocentio, pontifice, coniectus, inquit, in uincula fuisti, præsul iniquissime, propter homicidia duo, & cõmissum parricidium, matre nimirum & nepote tuo quodam ueneno sublatis, ut omnis ad te confluueret hæreditas. cúnque deinde liber factus, non dubitares ambire galerum purpureum, & ter esses à collegio repudiatus, germana tua soror, Iulia Farnesia, tandem peruicit. cùm enim copiam sui non se facturam esse deinceps minaretur, Alexander sextus pontifex, offensionem ueritus & iram illius, in cardinalium te cœtum allegit. Alteram deinde sororem tuam, pro familiæ tuæ consuetudine parum pudicam, interemisti quoque ueneno. Per Anconitanam prouinciam cùm esses legatus, Iulio secundo, pontifice, puellam eius ciuitatis nefariè circumueniisti, quandò dissimulans quis esses, téque pro nobili quopiam gerens ex legati familiaribus, illam uitiasti: quod quidem facinus, puellæ patruus, cardinalis Anconitanus, urbe capta, coram Clemente pontifice captiuo, tibi grauissimis uerbis obiecit. Nicolaus Quercæus, cum Laura Farnesia, tua nepte, coniuge sua te congredientẽ deprehendit, & pugione tibi uulnus incussit, cuius etiámnum cicatrix apparet. De filia tua Constantia, quicum toties rem habuisti, quid dicam? etenim, ut ea liberius potiri posses, maritum eius Bosium Sfortiam sustulisti ueneno, qui cùm nequitiam uestram animaduertisset, incredibilem animo dolorem concepit, nec unquam postea uisus est hilaris. Libidine profectò Commodum & Heliogabalum longè superas: ídq; tot spurijs tuis doceri potest. Filias suas Loth uitiauit, ignarus, & ebrius: tu uerò sobrius, non modò cum nepte, sed etiam cum sorore congressus es atque filia. Iam illud, quod in Fanensem episcopum admisit sceleratus ille tuus filius Petrus Aloisius, quàm est dictu fœdum & horrendũ facinus? Cùm in Adriani mole captiuus detineretur Clemens pontifex, téque legaret ad Cæsarem, libertatis recuperandæ causa,

non

non prius iter uolebas ingredi, quàm ille Parmensem episcopatum, nepoti tuo Farnesio, tunc decem annorum adolescenti, permitteret. eo facto, ludificasti nihilominus illum, & Genuam ubi peruenisses, morbo te detineri simulabas. Quam uerò nundinationem in sacris bonis non exercuisti cardinalis? &, postquam factus es pontifex, Deum immortalem, quàm turpiter ecclesiæ Romanæ facultates dilapidasti? Non te pudet, summam præfecturã atq; munus contulisse nefario tuo filio, cum aureorum millibus annuis quadraginta, totidémque ferè nepoti Octauio? ne quid interim dicam, quæ, quantáq; bona profuderis in tuæ familię fœminas omneis, & Sanflorianas neptes. Turcarũ postea mentionẽ audes inferre, qui miseræ iam incumbant Italię. quod eò facis, ut expilandi populi causam aliquã habeas & occasionẽ, qui sub te domino grauissimũ onus et intolerabile profectò sustinet. Duci Ferrariensi Mutinam atq; Rhegium uendidisti: Parmam & Placentiam, quas ecclesiæ Romanę minimè acquisieras, alienasti, quod Clementem certè pontificem facere puduit. ut familiam domúmq; tuam locupletares, præter fas & æquum alios exagitasti, & eos qui seruitutem illam ferre non poterant aut recusabant, bello es persecutus: id Perusini docent inter alios & Ascanius Columna. Qui subsidij loco suis imperat quotannis extra ordinem aureorum millia trecenta, qui nouum subinde uectigal imponit, modò salis, modò cæterarũ rerum, qui nunc decumas, nunc dimidiam fructuum partem exigit, ille sanè pro Christiani sanguinis hoste, meritò debet haberi. Turcica classis, te pontifice, per ecclesiæ Romanæ fines nauigauit incolumis, non ità pridem, quandò Barbarossa mare nostrum fuit ingressus. Occultum igitur illud, quod cum barbaris habes commercium, ansam tibi præscindit, quò minus Turcici belli nomen in posterum obducas. atq; interim tamen ausus es Gallię regem taxare, quòd cum protestantibus, Cæsarem uerò, quod cum Anglię rege coleret amicitiã. An nõ turpissimum est, te pendére totũ ab astrologis & necromanticis? negari factũ non potest: nam & honoribus illos & facultatibus atque donis amplificasti, Cecium, Marcellum, Gauricum Lusitanum, & alios. quæ sanè res impietatis te manifestè redarguit, & satis est grauis, quamobrem à põtificatu debeas remoueri. Multa id genus alia continentur in eo, quem diximus, libello, qui typis procusus extat: nunc ad mortuũ reuertamur. Nono pòst die cœptum est fieri funus per dies nouem continuos. Interea cardinales absentes undiq; ad urbem conuolant, Tridentinus, Saluiatus,

Mantuanus,Cibo,Montanus, Augustanus,Auria, Vrbinas,& hi quidem exequijs interfuerunt. primus autem omnium eò uenit Tridentinus. nam is tùm erat Mantuę,in ijs,quas dixi,nuptijs,cùm de morte pontificis adferretur nuncius.Sumptus funeris æstimatur ad aureorum millia quinquaginta. Nouembris die uigesimo octauo,peracta missa,itum est in conclaue,quod uocant, noui pontificis creandi causa. Decembris die quarta,Paciecus cardinalis Hispanus, Tridento,duodecima,Bellaius, Vendomensis,Castilionæus, Guisius, Turnonius,& ad exitum eius mensis,Bolonicus,Amboisius, Lotharingus,pòst etiam Borbonius, ætate grauis, eò uenerunt, Galli omnes, & iam antè nonnulli erāt Romę,quos ante biennium rex eò miserat,uti libro decimo nono diximus. Quoniā ad hunc locū peruentum est, non erit alienum, explicare nonnulla. Romæ palatium est in monte Vaticano,quod templo diui Petri coniunctum pontifices inhabitant,in eóq; senatum habent cardinaliū,cùm res ità poscit. Hoc in palatio sunt inter alias structuras aulæ quinq;, & deambulachrum,longum passus ad septuaginta,& sacella duo. hæc simul efficiunt illud,quod dicitur conclaue. alterum sacellum est designatum peragendæ missæ,& colligendis suffragijs: alterum,quod Sixti uocatur sacellum,& hæ,quas diximus,aulæ, domicilium præbent cardinalibus. Et hoc quidem tempore, post mortem Pauli, quoniam cardinales erant numero quinquaginta quatuor, cubicula fuerunt constructa totidem.Habuit aliquandò cōclaue plures portas: nunc autem obstructis omnibus,unicus tantùm est aditus. fenestræ quoque uitreæ nullæ sunt, præterquàm in sacellis, & hæ quidem eius altitudinis,ut attingi non possint. Itáque nullus aër, nullum lumen eò penetrat, & dies atque noctes uruntur cærei. Iam, illa, quæ diximus, cubicula, sunt lata pedes quatuordecim, longa sexdecim, alta duodecim,structa,non ex lateribus aut saxis aut materia, sed ex panno uiolacei coloris aut uiridis. Et quoniam alia sunt alijs cōmodiora,sorte res agitur,offensionis & inuidiæ causa uitandæ: singulæ aulæ binos habent cubiculorum ordines. eo spacio & his finibus oportet ut sese contineant cardinales, cum familia & supellectile. habent autem singuli quaternos apud se ministros, qui dormiunt intus, & semper comitantur,interea dum reliqui lectos parant & cętera procurant. Deinde, sunt in uniuersum designati duodecim,uulgò scoparios uocant, qui totius conclauis immundiciem atque sordes repurgant, & ad certum locum deferunt. Qui sunt intus, coguntur

manere,

manere, nisi forsan ægrotent, & ubi semel excesserint, non recipiuntur, nisi cardinales. Cùm in conclaue uentum est, electionis causa, statim deliguntur cardinales tres aut quatuor, qui res omneis necessarias procurent, qui regum atque principum legatis respondeant. hi clauem unam habent, eius, quam diximus, portæ, alteram habet nobilitas Romana, tertiam, episcopi, quartam, ceremoniarum magistri. Non referatur ea porta, posteaquàm semel in conclaue uentum est, nisi cùm cardinales aliqui superueniunt. est autem ostiolum in ea porta, cuius habent clauem magistri ceremoniarum, & prandij atq; cœnæ tempore solùm aperitur. Tunc enim per illud infertur cibus ex culinis, quæ sunt foris, & adsunt episcopi quidam ad eam rem delecti, qui cibum omnem diligenter perquirunt, ne quid fortè literarum lateat. Ab ijs accepta fercula magistri ceremoniarum tradunt famulis cardinalium, per illud ostiolum: nec enim ullis alijs licet appropinquare. Cibus defertur in patinis fictilibus, uinum in lagenis uitreis, & quotidie inferuntur noua. nam quæ uasa semel illata sunt, antiqua consuetudine cedunt ceremoniarum magistris, qui diligenter ea colligunt. sunt enim exquisita, tam opere quàm materia, & carè uenduntur. Foris excubabãt hoc tempore, prope portam palatij, pedites quingenti, Itali, ductore Comite Petiliano, deinde, satellites Heluetij, quibus erat usus Paulus tertius, & equites leuis armaturæ, postea, nobilitas Romana, deinde, regum & principum legati, postremò & proximè ad portam, hi quos diximus, episcopi, ali moniæ præfecti. Ad urbis præsidium erant disposita peditum millia quatuor, Oracio Farnesio ductore, deinde priuatim in ædibus cardinalium atque nobilium erant homines armati. Nunc de suffragijs dicemus. Quanquam antiquitûs decimo die post decessum pontificis, in cõclaue solitum est iri, nunc tamen à morte Pauli dilata res fuit in diem decimum nonum. fuit is uigesimus nonus dies Nouembris, ut suprà docuimus. Eo die sub uesperum ingressi conclaue cardinales, nobilitatem Romanã, et duces atq; centuriones, ad tutelam urbis designatos, iureiurando sibi deuinciunt, pòst, in suum quisque cubiculum sese conferunt cum familia, reliquis omnibus exire iussis è conclaui. Cardinales alij sunt episcopi, alij presbyteri, alij diaconi. Priusquàm suffragia perquiruntur, quædam recitantur leges, quas ipsi pro temporis cõditione condunt. hæ pertinent ad cardinalium immunitates atque priuilegia. primùm ergò singuli iurant, si forte res in eum casum deueniat, ut pontificatum obtineant, exactè

omnia ſeruare, deinde, quem eccleſiæ putabunt inprimis & reipubli
cæ fore ſalutarem, uelle eligere. pòſt ad actionem uenitur. fuit hoc
altera die Decembris. Ibi ceremoniarum magiſter, tribus circiter ho
ris ante meridiem, campanula dat ſignum per cõclaue, & ad miſſam
illos cõuocat. ea peracta, defertur ad ſingulos cardinales pulpitum,
in eóque, charta, quæ cardinalium omnium nomina continet. pòſt,
ante aram ſacelli collocatur menſa, panno purpureo tecta, huic ſu-
perimponitur calix & campanula argentea, & circa menſem, ſca-
bella ſex. Cardinales autem ſinguli ſuffragia ſua ſcribunt in chartu-
lam, & poſtea ſic complicant & obſignant, ut ipſorum nomina tan-
tùm, qui eliguntur, extent. Inde, ſuo quiſque ordine, conſurgunt, &
incuruatis genibus ad aram, precati, chartulam demittũt in calicem,
ſuóque rurſus loco conſident. Eo facto, bini epiſcopi, totidémque
presbyteri & diaconi totidem, in ſex illis ſcamnis locum occupant.
Epiſcoporum primus, chartulas omneis ordine ſumit ex calice, &
primo diacono tradit. is explicat, & clara uoce recitat nomen electi,
non etiam electoris. Ibi mox cardinales, qui ſinguli chartas habent,
uti diximus, in quibus deſcripta ſunt omnium nomina, numerum
ſuffragiorum, ad cuiuſque nomen, quod exĳt ac recitatũ fuit, ponit.
Collectis ad hunc modũ calculis, primus presbyter, qui & ipſe char
tam habet cũ nominibus cardinaliũ, pronunciat, quot habeat quiſq;
ſuffragia. ſi non ſit numerus, qualis requiritur, chartulæ reĳciuntur
in calicem: deinde ex diaconis alter, nola dat ſignum: mox adeſt ce-
remoniarũ magiſter, qui foris expectat, & ingreſſus cum igni, quem
in ſartagine ſecum defert, chartulas illas omneis exurit. Licet autem
ſingulis cardinalibus, eodem tempore, quatuor diuerſis dare ſuffra-
gia, ſed id rarò contingit. Et hæc quidem eſt eligendi ratio: nunc ad
inſtitutũ reuertamur. Cardinales ad hunc modum incluſi, altera die
Decembris, uti diximus, rem inchoarunt, ſed aliquantò remiſſius
agebatur, quòd Galli cardinales dicerentur aduentare. plærique fo
re putabant, ut ante Chriſti diem natalem, nouũ haberet Roma pon
tificem: ſed uana fuit expectatio. Erant omninò tres factiones cardi
nalium, una Cæſaris, altera, regis Galliæ, tertia, Farneſiorum. Galli,
Tranenſem, Saluiatum, Rudolphum, Lotharingum, Theatinum:
Cæſariani uerò, Polum, Burgenſem, Carpum, Cruceium, Moronũ,
Sfondratum poſcebant. Et de Polo quidem atq; Saluiato frequens
fuit per urbem excitata fama. nam etſi magno ſilentio rem tegi uole-
bant, ut ſuprà diximus, tamen, quia ſubinde multi prodibant è con-

claui,

clauí, per cauſam aut ſimulationem ægritudinis, non potuit eſſe clam, & ad Cęſarem atq; Galliæ regem enunciatum fuiſſe dicitur, quicquid ageretur. Quò minus uerò Polus rem obtineret, Theatinum cardinalem obſtitiſſe ferunt, quòd diceret eum redolere Lutheraniſmum. nam de uera doctrina rectè illũ ſenſiſſe, multi per Italiam & alij quoque teſtantur, ut libro decimo dictum eſt. Erant id temporis plurimi Romæ, peregrini, qui diuerſis ex locis atque nationibus eò uenerant, ut ad noui anni principiũ, qui tunc erat, ut uulgò nominant, Iubilęus, delictorum expiationem atq; ueniam conſequerentur. hi omnes prídie natalis Chriſti, ſub ueſperum, maximo numero confluxerunt in porticum baſilicæ diui Petri, fore ſperantes, ut illa, quę dicitur, aurea porta, per nouum pontificem aperiretur. Et quanquam grauis erat illis diuturnior mora, tamen minimè ſibi diſcedendum eſſe putabant. Res autem ſic habet. Bonifacius octauus pontifex Romanus, anno ſalutis humanæ M. CC. XCV, Iubilæum annum inſtituit omnium primus, & centeſimo quoq; anno renouari iuſſit, & illis qui Romam uenirent, & ſuas ibi preces effunderent ad diui Petri atque Pauli ſepulchra, peccatorũ omnium plenam condonationem promiſit. Ab eius morte, quum nimis lõgum hoc eſſe temporis interuallum uideretur, Clemens ſextus illud ad annos quinquaginta redegit. huius etiam extat edictum, quo mandat angelis, ut eos, qui peregrinationis huius tempore moriuntur, in regnum cœleſte tranſportent. Sixtus uerò quartus, ut XXV quoque anno beneficium hoc hominibus conferretur, ſanxit. Cùm ergo ſupra milleſimum quingenteſimũ humanę ſalutis annum, quinquageſimus nunc inſtaret, Paulus Tertius, menſibus aliquot antè, diuulgatis literis ad omneis populos, hortatus fuerat maiorem in modum, ne tàm præclaram occaſionem exonerandi peccata & conſequendi regni cœlorum prætermitterent. Ipſe quoque magna fuit affectus lætitia, quòd eouſque perduxiſſet ætatem, & iucundiſſimum ſibi diem illum fore dicebat, quo de genere humano tàm bene meriturus eſſet: ſed non fuit ei ſolidum hoc gaudiũ. nam hebdomadis aliquot ante diem illum, quem tanto deſiderio expectabat, è uita deceſſit, uti docuimus. Paulus Fagius, qui cum Bucero fuerat profectus in Angliam, ſub finem Nouembris quartana febri periit Cãtabrigię.

Quomodo per arbitros fuerit tranſactum inter epiſcopum Argentinenſem atq; ſenatum, ſuprà diximus: decreuerat quidem epiſcopus rem inchoare ſuis in templis ad Chriſti diem natalem, & rationem dicro pręſcripſerat, quam ſequerentur: ſed quia non ſatis erant inſtructi,

M. D. L. distulit in calendas usque Februarij. Tunc in tribus illis templis, quæ senatus ei per transactionem concesserat, sacrifici cantiones suas atque preces uespertinas, & postridie missam rursus inchoant, totos iam XXI annos intermissam. Ingens autem erat hominum concursus, maximè iuuētutis. nam his omnibus nouum erat spectaculum & inauditum, multos ibi, raso uertice, nouo genere uestitus, cātare simul quæ nemo intelligat, cereos atque lampades ardere in ipsa, quod dicitur, meridie, fumigationes atque suffitus excitari thuribulis, sacrificum astare cum ministris ad aram, pronunciare omnia sermone peregrino, uarijs uti geniculationibus atque gestibus, inclinari strictis manibus, modò distendere, modò reducere brachia, subinde sese conuertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quędam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, cōsistere non uno loco, nunc in dextram nunc in læuam partem altaris commigrare, micare digitis, inhalare in calicem, eúmque tollere in sublime, postea reponere, certis locis nominare, nunc uiuos, nunc mortuos, panem azymum frangere & in calicem immittere, pectus ferire pugno, suspirare, clausis oculis repræsentare somnum, rursus expergisci, manducare partem unam panis, alteram haurire cum uino totam, ne qua guttula remaneat, abluere manus, patellam deauratam, auersum, extenso brachio, demonstrare populo, admouere eandem fronti atque pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam, materiæ uel metallo inclusam: hæc inquam, & id genus alia, iuuentus non sine admiratione & stupore, neque sanè sine risu spectabat, & uix cohiberi potuit. Post meridiem, sacrificus quidam, accersitus aliunde, concionem habet in ęde primaria, non ità frequenti auditorio, tametsi nonnulli, uelut in re noua, conuenerant. Ibi strepitum nescio quem adolescens aliquis excitabat: hunc ex apparitoribus quidam obiurgat, & quasi comprehensurus, instat. mox tota iuuentus accurrit, & ut fieri solet, subitus oritur fremitus atque tumultus, dum, quid rei sit, omnes inquirunt, & huc illuc per templum discurrunt. Concionator autem, qui seditionem ortam esse putaret, de suo periculo solicitus, magna trepidatione, subitò descendit è cathedra, & in interiorem templi partem, ferreis ianuis munitam, à socijs recipitur. nam aderant plærique omnes, & in his aliquot eius templi proceres, illustribus nati familijs, qui de superiori loco auscultabant, & mox introrsum sese recipiunt, ignari, quis esset futurus exitus. Res omnis è uestigio defertur ad consulem atque prætorem, qui cum reliquo senatu, sacras conciones alijs in tem-

templis tùm audiebant. Hi ſtatim accurrunt, ſedandi cauſa motus: uerum ille iam conquieuerat. nam præter adoleſcentes aliquot nemo ſe ſe commouit. Itáque ſenatus Iacobum Sturmium inter alios mittit ad eos, de quibus dixi, proceres, & dolere ſibi turbam hanc oſtendit, & quæ fuerit eius occaſio, demonſtrat, & ciuem nullum in ea fuiſſe docet, & quoniam ſe minimè conſcijs factum ſit, orat, ne moleſtè ferant, ſeque daturos operam, ne quid eiuſmodi poſt hac fiat, pollicetur. Illi uerò ſatisfactionem hanc minimè recipiunt, neque ſe uitam ſuam uelle deinceps exponere tanto periculo dicunt, & irati poſtridie diſcedunt, & opus inchoatum intermittunt, & ad epiſcopum profecti Tabernas, quæ ſit ipſorũ fortuna, queruntur. Sic ergò per aliquot menſes deinde ceſſatum fuit. interea res ad Cæſarem defertur, ut ſuo loco dicemus. Multi putant illos tacitè fuiſſe gauiſos, quòd hæc ipſis in ſinum eſſet delata ceſſationis cauſa. Quandiu enim ſenatus interdicto fuit ſublata miſſa, liberrimè uixerant, & nulla cum moleſtia prouentus annuos perceperãt integros: nunc uerò, cum rurſus ad laborem aliquem aſtringebantur, ſi tamen labor hic eſt dicendus, non illis ingrata fuiſſe putatur occaſio, iugum hoc excutiendi: præſertim, quum ſuas actiones uulgò rideri & contemni, ſecꝫ digitis commonſtrari, & uehementer inuiſos eſſe multitudini uiderent. Senatus, inquiſitione facta, nihil culpæ ullo in ciue deprehendit. Sub initium Februarij̃ menſis, Anglici Gallicíqꝫ legati conueniunt, pacis tractandæ cauſa. nam amiſſis aliquot caſtellis, ut antè diximus, Angli erant in anguſtias coniecti. Per hos etiam dies è carcere liberatus fuit regis auunculus protector, quum id regi pergratum eſſe uiderent conſiliarij̃: & quoniam Beruicenſis Comitis impulſu potiſſimùm captus fuerat, inita fuit hęc ratio, ut per affinitatem inter eos redintegraretur amicitia. protectoris itáqꝫ filiam, Comitis Beruicenſis filius in matrimonium ducit: deinde Beruicenſis à rege donatus eſt ducatu Northumbriæ: ſed non fuit hæc diuturna neceſſitudo, ſicut infrà dicetur. Romæ interim feruebant omnia ſtudijs diuerſis atqꝫ factionibus, ut antè docuimus: Farneſij̃ inprimis toti in hoc erant, ut ſuarum partium aliquis crearetur, & initiò quidem, Cæſarianis cardinalibus, ut aiunt, ſeſe coniunxit Alexander, Pauli nepos, eiuſque clientes aliquot cardinales, Pauli pontificis beneficiarij̃: cum autem Gallicani ſua ſuffragia darent Saluiato Florentino, ueritus ille, ne proximis comitijs renunciaretur Saluiatus pontifex, ad ipſorum partes acceſſit, primum ſtipulatus ab eis, quemadmodum pro certo dicitur, ut Saluiatum præteri-

rent. Hac demum ratione, Ioannes Maria Montanus, quem Tridenti atq; Bononiæ præfectum fuisse concilio diximus, Februarij die septimo creatur pontifex. Is autem semper & Gallicarū partium, & Farnesiæ domus fuerat habitus studiosissimus. Causa, quamobrē Saluiato minus bene uellet Farnesius, hæc esse ferebatur, quòd metueret, ne ille, pontificatum adeptus, ipsi, fratribus atque propinquis, qui maximas opes per fas atque nefas cumulassent, neruos incideret, & iniuriam à Farnesijs atq; Paulo pontifice factam ipsius familiæ, uindicaret. Montano autem, quem Paulus tertius ad cardinalatum perduxerat, de sua suorumq; uoluntate non antè promisisse dicitur Farnesius, quàm is fidem daret, se liberè permissurum esse Parmam Octauio fratri. Pontifex, pro ueteri consuetudine, mutato nomine, Iulium se uocabat, eius nominis tertium. Eodem tempore Galliæ regis prodijt edictum in Lutheranos: pœna quoque decernitur in iudices, qui remissius in illos inquirerent ac uindicarent. Prius quàm pontifex crearetur, decesserant è uita Verulanus & Rudolphus cardinales: itáq; supererant in conclaui LII, & in his, Galli XIIII, Germani duo, Hispani quatuor, Lusitani duo, Anglus unus, reliqui omnes, Itali, & Romani quidem, XI. Februarij die XXII, Iulius inauguratur à cardinali Cibone: biduo pòst, auream, uti uocant, portam aperit, ad quam infinita erat hominum turba, consequendæ peccatorum remissionis causa, sicut antè diximus. Malleolo pontifex aureo portam ferit: sic enim habet ceremonia, quem deinde honoris causa largiri solet alicui. sunt enim qui se beatos hoc nomine putant: & hoc quidem tempore cardinalis Augustanus precibus eum obtinuit, & secum in Germaniam detulit. dum portam pontifex malleo percutit, opifices illam uectibus effringunt: ibi populus, qui certatim irrumpit, eius ruinæ calcem atque rudera studiosè colligit, & in rebus chariſſimis habet. In illud Augustani cardinalis factum, nonnulli, cùm audissent, sic iocabantur, ut hoc malleo dicerent eum cogitare Lutheranis contundere capita. Venerunt deinde Romam salutandi & officij causa, dux Vrbinas, Ferrariæ dux, legati Veneti, Sabaudiæ, Florentiæ ducis, Genuates, Senenses, Scotiæ, Galliæ regis, pòst etiam Cæsaris. Farnesio Octauio pontifex non modò Parmam restituit, sed summam etiam attribuit præfecturam, Confalonierum ipsi uocant: Ascanium quoque Columnam restituit, profligatum à Paulo. Nouus pontifex, galerum suum cardinalitium, cui uult, largitur antiqua consuetudine: Iulius autem, quo tempore Bononiæ fuerat legatus,

in

in delitijs habuerat adoleſcentē quendam, Innocentium: hunc, tametſi reliqui minus probarent, imò reclamarent, in cardinalium adoptauit collegium, & in domeſticam conſuetudinem rurſus admiſit, eique cognomen ſuum & inſignia quoque attribuit. Romæ fama erat, & libellis quoque perſcriptum fuit, à Ioue Ganymedem foueri, licet deformem: ſed nec ipſe pontifex hoc ad reliquos cardinales diſſimulare, & per iocum fertur aliquando commemorare, quàm ſit laſciuus adoleſcens & importunus. Dum in conclaui res agitur, interceptæ fuerunt literæ, quas ex cardinalis Mantuani familiaribus quidam, Camillus Oliuus, ad quendam ſuum Annibalem Continum, Ianuarij die XXVI, ſcripſiſſe ferebatur, & ſimul carmen lingua populari ſcriptū, ubi de ſua locutus affectione, & abſentis deſiderio, tàm pudendis utitur uerbis, ut ſine flagitio uix ea recitare liceat. hinc iocus illorum, qui pontificem dicebant aliquem obſcœnum prænunciari, qui proditurus eſſet ex eo conclaui, quod eiuſmodi literas daret. Martij die XIII, Cæſar ſcribit ad ordines Imperij. poſt Auguſtana comitia ſe rediiſſe in Belgium, ut filio ſuo, quem ab Hiſpanijs idcircò uocaſſet, ſuę ditionis populum deuinciret: fuiſſe quidem ſuæ uoluntatis, ea re confecta, ſtatim in Germaniam redire, ſed quia non ſemper idonea ſit ad nauigandum tempeſtas, & quia longiſſimum ſit interuallum, aliquantò longiorem interueniſſe moram prius, quàm ab Hiſpanijs ille ueniret: ab eius autem aduentu, totam æſtatem & bonam autumni partem fuiſſe conſumptam rebus neceſſarijs peragendis: ac licet hyems tunc ſuberat, ſe tamen omninò conſtituiſſe in Germaniam proficiſci, uerùm illo ipſo tempore in morbum articularem incidiſſe, necę multò poſt allatum fuiſſe nuncium de Pauli pontificis morte: mutaſſe ergò propoſitum, & noui pontificis electionem expectaſſe: Iulium deinde III, & de ſua creatione ſibi nunciaſſe, & liberaliter admodum atque prolixè, de ſua in rempublicam atcę religionem uoluntate pollicitum eſſe: eo cognito, ſibi uiſum fuiſſe, tantam & tam optatam rei gerendæ occaſionem non eſſe prætermittendam, preſertim, cùm in eo ſalus tota Germaniæ cōſiſtat: ineundam igitur eſſe rationem, ut ea, quæ ſuperiori comitio decreta ſunt & inchoata, perficiantur: deinde prouidendum eſſe, ut & diſſidiorum cauſę tollantur, & obſtinati quidam atque rebelles coherceantur: his adeò de cauſis uelle ſe conuentus agere ordinum Imperij: quamobrem mandare, ut ad XXV Iunij diem, Auguſtę Vindelicorum ſibi preſto ſint omnes, nec ulla re, quò minus ipſi ueniant, impediri ſe patiantur, niſi ualetudine, cuius tamen rei

fidem facere debeant iurati: legatos uerò mittant cum plenis & amplis mandatis agendi de rebus omnibus, quæ ad rempublicam pertinebunt, ut ne qua mora deliberationibus uel impedimentum inferatur.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber XXII.

AD HOC TEMPVS ANGLICI GALLICIQVE LEgati, quum diu rem disceptassent, pacem faciunt. Id autem eò procliuius fuit, quòd utrique uiderent, non esse nullos, quibus hæc ipsorum simultas aliquando foret utilis atque compendiosa. Boloniam igitur Angli, totos ferè sex annos iam occupatam, Gallis restituunt, non sine plurimorū admiratione, Galli uerò pecuniam illis dependunt: in ea pace comprehensi fuerunt etiam Scoti. Missis deinde legatis utrobique, noua necessitudine pacem ambo reges confirmant. Gallus enim Anglici ordinis factus est eques, Anglus contrà, Gallici. quod quidem est inter uiros principes arctissimæ coniunctionis uelu ti symbolum. Magdeburgici, quum crebris edictis peterentur à Cæsare, Martij die XXIIII rursus aliud scriptum, ad uicinos potissimum, euulgant. primò docent, neque diuino nec humano iure se posse conuinci rebellionis: postea demonstrant, eos, qui contra se sumunt arma, bellum ipsi Christo facere: tertio loco refutant obiecta crimina, et calumnias esse docent aduersariorum. Et licet horum, inquiunt, impulsu, Cæsar nos proscripsit, tamen uerè possumus affirmare, nullam nos æquam adhuc repudiasse conditionem, modò Augustanæ confessionis doctrina, simul & libertas à maioribus relicta, nobis permittatur: huius etiam nunc sumus propositi, nec ullum officij genus, quod Cæsari uel Imperio præstari debeat, recusamus, & Deum testificamur, nulli bello siue turbæ causam à nobis esse datam, sed cupere nos inprimis pacem colere cum omnibus, & ueri cultus atque religionis adminiculo uitam consequi sempiternam. & hæc quidem est totius odij, quod in nos concitatur, causa. Iam uerò, legibus ipsis cauetur, ne magistratus inferior interpellet ius superioris; deinde, si forte magi-

magiſtratus excedat ſuæ poteſtatis terminos, & impium quid præcipiat, ut non ſolùm ei non obtemperetur, uerùm etiam uim facienti reſiſtatur. Quin autem ſumma rerum omnium ab uno Deo pendeat, neminem negare putamus: hunc contra ſi quod prodeat edictum, ſi qua fiant decreta, dubitari non poteſt, quin ea reijci debeant atque poſtponi: ſed eius eſt generis decretum, de religione factum Auguſtæ: non ergo poſſumus ijs obtemperare, qui nobis illud obtrudunt, & euangelij lucem eripiunt, & idolum pontificium proponunt, ut in ſempiternum exitium pertrahant. Quod cum ità ſit, nulla nobis rebellio iure poteſt obijci: deinde, facilè quiuis intelligit, quàm non liceat, uim nobis inferre. nec enim nos tantùm petimur, ſed id agitur, ut ueræ doctrinæ profeſſores deleantur funditus, ut per noſtrum latus ipſe Chriſtus uulneretur & omnes pij. ſumus enim omnes membra Chriſti. quapropter, qui ſe tàm impio facinore contaminant, quid aliud quàm ultionem diuinam expectent? De caſtellis & uicis aliquot occupatis, anteriori ſcripto diximus, nec opus eſt ea repetere. nam ubi primum de pace nobis erit cautum, reſtituemus illa, quibus oportet. Quòd etiam aduerſarij ſpargunt, quaſi promiſcuæ ſint apud nos & uagæ libidines, impudentiſſimum eſt mendacium. itáq; per omnia ſacra petimus, ne uos innocenti ſanguine polluatis, & Deum oretis, ut impiorum conſilia ſanguinaria retundat, & ſi fortè bellum naſcetur, ne ueſtra nobis denegetis auxilia. Pòſt, eccleſiæ miniſtri, Aprili menſe ſcriptum edunt. in eo doctrinæ ſuæ confeſſionem recitant, & magiſtratui licere demonſtrant inferiori defendere ſe contra ſuperiorem, cogentem diſcedere à ueritate: atque hic Cæſarem interpellant & obteſtantur, ne fidem habeat ijs, qui ipſum ad iniuſtam & impiam crudelitatem exercendam inflammant, ſed ut uerè cauſam totam & exactè prius cognoſcat. Poſtremò, uim & arma deprecantur, & ſi res ità ferat, à finitimis auxilia quoq; petunt. De turba nuper excitata, ſicut diximus, Argentinæ, in æde primaria, querimoniam epiſcopus ad Cæſarem detulit: ſenatus autem miſſo legato, nullam in ſe reſidere culpam demonſtrat: itáque Cæſar datis ad epiſcopum literis, mandat, ut intermiſſum opus reſtauret, utque pergat. Epiſcopus uerò prius à ſenatu ſtipulatur, ne qua uis fiat, aut impedimentum inferatur actioni. Sic demum clerus ad Pentecoſten, qui tum erat Maij dies XXIIII, denuò rem inchoat. primis aliquot diebus aderant conſules ac ſenatores aliquot, in diuerſa parte templi primarij, ne quis motus excitaretur. clerus autem eius templi,

partem illam, quà peractis sacris egrediuntur in uestiariũ, ferreis cancellis obsepserant, ne quis propius accederet. Ad exitum Maij Cæsar unà cum filio, Bruxella discedit, & Augustam ad comitia contendit, adducto secum Saxoniæ duce captiuo, Lantgrauio autem relicto Mechliniæ. Non multò post eius abitionem, populari & Gallico sermone promulgatur edictum in Lutheranos, quod Aprilis die penultimo conscriptum fuerat. illud autem sic habet. Quanquam, inquit Cæsar, id operam dedi semper, ut meos intra fines antiqua & uera religio seruaretur, etsi totus in hoc semper fui, ut qui multis nunc annis per orbem Christianum dissemínati sunt errores, hæreses atq; sectæ, funditus tollerentur, licet hoc nomine uaria subinde proposui edicta, grauissimásque pœnas, tamen magno cum animi dolore accepi, non meæ solùm ditionis homines, uerùm exteros etiam, qui nostris in prouincijs habitant atque negociantur, huius mali contagionem, longè latéque in promiscuam multitudinem diffundere: sic ut planè sit opus, acrem aliquam adhibere medicinam, & in fontes diligenter inquirere, ut ea pestis extirpetur radicitûs, quemadmodum in postremis conuentibus prouinciarum præfectos & ordines admonui, ut, pro se quisque, diligenter in hanc curam incumberent, & in ueteri atque catholica religione permanerent. præsertim, cùm sit omnium oculis expositum, quas turbas atque seditiones in uicinis populis excitarit ea labes, ut interim de salutis & animarum dispendio nihil dicam. Itáque de consilio charissimæ sororis germanæ & reliquorum procerum, nouam hanc legem fero, & simul edico, primùm, ne quis omnium, quicunque sit ille demum, habeat, emat, aut distribuat Lutheri, Oecolampadij, Zuinglij, Buceri, Caluini, & quoscunque tandem libros, editos annis abhinc triginta, incertis authoribus, ut amplius in theologorum Louanienſium catalago continetur: item, ne quis ullam habeat picturam aut imaginem fictam in ludibrium atque contumeliam diuæ uirginis atque sanctorum, néue disijciat aut infringat ullam imaginem, in honorẽ alicuius diui depictam: ne quis domum suam conuentibus occultis aperiat, in quibus & dissẽminari solent errores, & homines rebaptisari, & conspirationes in ecclesiam atq; rempublicam fieri: ne quis de sacra scriptura, maximè, de rebus dubijs atq; difficilibus, priuatim aut publicè disputet, aut eius interpretationem sibi sumat, nisi sit theologus, qui probatæ alicuius academiæ testimonium habeat: qui secus fecerint, punientur ut seditiosi & publicæ tranquillitatis perturbatores, ac uiri quidem, gladio ferientur,

rientur, fœminæ autem in terram defodientur, si quidem ab errore desistent: si uerò pertinaces erunt, exurentur, publicatis ipsorum bonis, utrumcunq; luant supplicium: adhæc, testamenti faciendi potestatem nullam habebunt, & quicquid eius rei fecerint, à quo primùm tempore legem hanc nostrã uiolare cœperunt, irritum esse iubeo. præterea, ne quis hospitium præbeat aut ulla re subueniat ijs, quos de hæresi nouit suspectos, mando, uerùm denunciet statim inquisitori uel loci præfecto, subiturus pœnam, nisi faciat. Qui non malitia nec obstinatione, sed per infirmitatem lapsi fuerint in hæresim & errorem, neque tamen in hanc nostram legem commiserint, nec seditiosè quid fecerint, & sponte redierint ad sanitatem, & abiuratione facta recepti fuerint in gratiam, nullum posthac sermonem inter se cõferant de rebus ad fidem atque religionem pertinentibus: alioqui plectentur, ut in crimen relapsi. Qui, nõ conuictus quidem, sed admodũ suspectus de hæresi, damnatus fuerit, ut uel abiuret uel publicè satisfaciat, & idem pòst accusetur hæresis, mulctabitur ut in crimen relapsus. ijs, qui sunt hæreseos & id genus criminum macula polluti, licet in gratiam recepti fuerint, nullus honos, nullum munus publicum, nulla dignitas communicabitur. Nisi testimonium quis adferat ab ecclesiæ ministro eius loci, ubi postremò uixit, non permittatur ei domicilium uel habitatio. nam eiusmodi pro suspectis haberi debent. Præfecti locorum & reliqui nostri beneficiarij per suam quisq; prouinciam, diligenter inquirant, in eos, qui legem hanc uiolabũt, sed & inquisitoribus & iudicibus ecclesiasticis opem ferant, ut in quibus culpa residebit, comprehensi pœnam luant iuxta formulam, quam inquisitoribus præscripsi: nisi faciant, arbitrio nostro luent: procurator etiam publicus cognoscat, an suum illi munus faciant, & si negligentiam in eis deprehendet, in iudicium uenire iubeat, &, si deliquisse apparebit, aut magistratus illis abrogetur, aut alia, quæ uidebitur, pœna constituatur. Episcopi præterea & archidiaconi & abbates & id genus alij proceres inuestigent omni studio, si quis ordinis ecclesiastici sit infectus eo morbo, & seuerè uindicent. Qui contaminatum aliquem hac peste norunt, uel, quibus in locis commorentur & delitescant hæretici, compertum habent, ilicò deferant: nisi faciant, eandem quam illi pœnam luant. Delator, si modò non uana fuerit accusatio, dimidiam partem bonorum illius consequetur. quæ quidem bona sexcentos aureos nõ excedent. nam quicquid erit supra hanc summam, eius decima pars illi deci-

detur. Qui conuentus occultos inquisitori deteget, etiámsi consilia cum illis contulit,nõ plectetur,modò et de religione bene sentiat, & in posterum abstineat: sed qui remotus ab eorum societate deferet,præmium consequetur,ut suprà dictum est. pœnæ,quas constituimus, irrogentur omninò tales, neque sit in ullius potestate, illas uel mutare uel mitigare, quod sæpe factum esse intelligo. nam qui iudices in eo delinquent, non ferent impunè. Qui de hæresi accusati & in ius uocati profugerunt, ac postea proscripti sunt, ubi de sociis criminum iam mortuis acceperunt, supplicare solent ut ad purgationem admittantur, quandóquidem probari crimen amplius nõ posse putant,eóque fit,ut reuersi falsam doctrinam et errores iterùm diffundant: id uerò ne fiat,publicè interest. Itáque mando,ne locus ullus detur ipsorum postulatis, uerùm ut omnes,qui citati non comparuerunt, sed fuga salutem quæsiuerunt, habeantur pro conuictis atque damnatis. Qui pro suspectis & fugitiuis & proscriptis,et anabaptistis intercedunt,habeantur pro fautoribus hæreticorum. Iudices autem atque præfecti neminem ex illis in gratiam recipiant, nisi uel meo uel sororis germanæ permissu. qui secus agent,ijs abrogabitur præfectura. Librarij nihil excudant, nihil diuendant aut distrahant rei sacræ, nisi de uoluntate & consensu eorum, quibus hæc erit demandata cura: si quid etiam ipsorum operæ in eo deliquerint,ipsi præstabunt. Et quia catalogus extat librorum, quos academia Louaniensis reiecit, librarij suis in tabernis eum habeant suspensum, & ob oculos positum, ne pòst,ignorantiam obducant uel ipsi uel emptores: deinde alterum habeant omnium suorum librorum catalogum. qui non parebit, centum aureis mulctetur. Pueros etiam erudiendos nemo suscipiat,nisi permissu magistratus & præcipui ecclesiæ ministri, nihil autem doceat aut iuuentuti proponat, nisi iuxta formulam à theologis Louanienſibus cõscriptam. Eo decreto promulgato, uehementer attoniti fuerunt plærique, Germani præsertim & Angli mercatores,qui per Cæsaris prouincias & urbes, Antuerpiæ potissimùm, maximo numero negociantur. Itáque sic illi iudicabant, aut illud esse mitigandum, aut aliò commigrandum: imò, clausis tabernis multi cogitabant abire, uitandi causa periculi. Senatus etiam Antuerpianus, & priuatim ciues, qui maximo & incredibili suo dispendio futurum hoc esse uiderent, magnis erant in angustijs: & quum eo uenissent qui inquisitionem instituerent, omni studio & contentione repugnabant, & ad Mariam reginam

profecti,

profecti, quantî non ipsorum modò, sed totius quoque regionis interfit, ne fiat, demonstrant. Itáque res, ea quidẽ in ciuitate, cuius causa præcipuè factum erat decretum, ob diuersas ibi nationes atque populos, tunc conquieuit. Hoc edictum postea sermone Germanico redditum, Illyricus euulgat, & Islebium ac adiaphoristas, ut ipse uocat, grauissimè taxat, qui populo persuadere studeant, quasi religio non oppugnetur. Cæterùm, inquisitionis formula, quam uocant instructionem, amplissimam continet potestatem. Permittitur enim illis, non plebeios tantùm, sed magistratum etiã ad se conuocare, pérq; iusiurandũ adigere, ut ad interrogata respondeant, & comperta deferant. Quæstiones autem ad religionem pertinentes, de quibus interrogantur delati uel suspecti, numero sunt ad triginta octo, & in his, an credant sacrificium altaris, missam, prodesse mortuis, ut è pœnis purgatorij liberentur: an credant diuum Petrum fuisse principem apostolorum, Christíq; uicarium, & ecclesiæ Romanæ summũ pontificem, & pro talibus etiam habendos, qui legitimè succedunt in eius cathedram: an à pontificis obedientia discedi posse credant, modò ne sit hæreticus aut schismaticus: an matrimonium occultè contractum, credant esse legitimum: an Lutheranos, Buceranos, & id genus alios, credant esse ecclesiam. Galli cardinales Romæ commorati sunt aliquantò pòst, quàm electus fuit Iulius: domum deinde reuertuntur. In itinere uerò, quum iam in Galliam ueniisset, prius quàm regẽ adiret, uitam finijt Lotharingiæ cardinalis, Ioannes, qui Francisco regi per omnem uitam suauissimus fuerat conuiua. Per hanc occasionem, Robertus Lenoncurtus cardinalis, episcopatum Metensem est consecutus, qui deinde nõ minimum attulisse momentum putatur, quòd urbs Metensis, Imperij ditionis, in Galliæ regis Henrici potestatem uenit, ut infrà dicetur. In ultimo consessu Tridentino decretum inter alia fuit, ut qui plures haberent episcopatus, retinerent ex ijs quem uellent, cæteros abdicarent, ut libro decimo nono dictũ est: uerúntamen, quoad uixit Paulus, minimè res in executionem uenit: hoc autem pontifice, per Galliam cardinales parebant quidẽ in speciem, sed nullo suo cũ dispendio. Cùm enim ex ipsis plærique binos aut ternos haberent episcopatus, complures autem alij ad dignitatẽ hanc aspirarent, permutatione facta, permittebant istis alterum, & unius episcopatus loco, quem deserebant, multas inuicem Abbatias aut id genus alias præfecturas ab ijsdem consequebantur.

Iulio mense, Colonienſis episcopus Adolfus, transactione facta

cum ſenatu, Coloniam urbem, maxima pompa & ſplendore ingreditur, omnibus undique beneficiarijs & propinquis & agnatis conquiſitis, qui honoris cauſa ipſi pręſto eſſent ad eum diem. Comitatus fuiſſe dicitur duobus equitum millibus, & amplius eò. & Cliuenſis quidem princeps inſignem equitatum illi adduxerat. Huic erat nuper nata filiola è coniuge Maria, Ferdinandi regis filia. pro ea fideiuſſerant in baptiſmo ſorores ambæ Cæſaris, Eleonora & Maria, & Colonienſis: uerùm aliquantò pòſt ortum eſt inter eos graue diſſidium, ob iuriſdictionem eccleſiaſticam. Iulij die uigeſimo ſexto, Cęſar Auguſtæ facit initium Imperij cõuentus. in eo proponit de proſequendo concilio, de ſeruando religionis decreto, nuper Auguſtæ facto, de mulctandis rebellibus, de reſtitutione iuriſdictionis & bonorum ſacrorum. Erant & hæc armata comitia, tametſi tranquillior eſſet aliquantò rerũ ſtatus. principes aderant, Moguntinus & Treuirenſis: electores reliqui miſerunt legatos: aderãt prętereа Vuolfgangus Pruſſiæ magiſter, Vuirciburgicus, Eiſtetenſis, Conſtantienſis, Auguſtanus, Tridentinus, Cameracenſis, Merſeburgenſis, epiſcopi: cæterorũ principum nemo, præter Bauarũ, & tandem etiam, Henricũ Brunſuicenſem. Re deliberata, maiori parti placuit, proſequendũ eſſe conciliũ: Mauricius uerò per legatos non aliter ſe probare illud oſtendit, niſi ut res omnis ab initio retractetur, & Auguſtanę confeſſionis theologi nõ ſolùm audiantur, ſed decidendi quoq; poteſtatẽ habeant, ut pontifex concilio ſe ſubmittat, neq; præſidis locum obtineat, & iuſiurandum epiſcopis remittat, quò liberè ſententiam dicant. Hanc eius conteſtationem publicè recitatam, legatus pòſt in acta referri uoluit, ſicut fieri conſueuit, ſed denegatum hoc ei fuit. huius autem rei facultas eſt penes archiepiſcopum Moguntinum, Imperij, quod aiunt, cancellarium. Cæſar deinde pontificem de concilio interpellat. Auguſti die ſeptimo, cardinalis Auguſtanus, pro concione, grauiter admodum inſectatus eſt Lutheranos: & aliquot pòſt diebus, Hiſpani quidã in ludibrium atque contemptũ ciuium, qui concioni tum intererant euangelicę, quædam in templo faciebant, ità quidem, ut ad magnum aliquem motum res omninò ſpectare uideretur: ſed interueniente prætore ciuitatis, dexteritate quadam ſingulari ſopita res fuit atque ſedata. Sub exitum Auguſti menſis, Granuellanus, qui Veſontione, Sequanorum oppido, nuper uenerat Auguſtam, è uita decedit, nõ ſine magno Cęſaris mœrore, ſicuti ferunt. Mercurino Catinario cardinali ſucceſſerat, uti libro

ſeptimo

ſeptimo diximus, et totos nunc annos uiginti ſummum dignitatis lo cum obtinuerat, & ſolus ferè conſiliorum Cæſaris & arcanæ mentis erat conſcius. In ipſius locū atq; functionē ſucceſſit Antonius filius, epiſcopus Atrebatenſis, magnę uir eruditionis, qui iam antè, per abſentiam patris, rempublicam gerere conſueuit, Cæſari ualde familiaris. Henricus Brunſuicenſis interea Brunſuicū urbem, cui propter religionem & alia quædam, multis nunc annis admodum erat infeſtus, obſidet: & quum ipſorum agris multum damni dediſſet incendijs atque direptionibus, neque tamen urbem expugnare poſſet, interuentu quorundam Cęſar utriſque mandat, ut diſcedant ab armis, & apud ſe cauſam dicant. fuit hoc Septembri menſe. Cæſaris exercitus obſidebat tum Africam, urbem Aphricæ: Leptim aliqui eſſe putant, tametſi Liuius etiam meminit urbis Afrorum. eam urbem tenebat Dragutus, archipirata nobilis, qui Turcæ nuper ſeſe coniunxerat. Summæ rerum Cæſar pręfecerat Siciliæ proregem. Is, quum tormentis aliquandiu fulminaſſet, certior factus, imminere Dragutum, & adducere nouas copias, accelerandum ſibi eſſe uidebat. Itáque Septembris die decima, terra marique militem immittit, & aliquot horarum ſpacio ui capit. Equites Rhodij, qui rem mari gerebant, bonam operam eo die Cæſari nauarunt: ſed ad Hiſpanos, qui terra prælíabantur, & numero præſtabant, urbe capta, prædæ pars magna peruenit. Captiuorum ingens erat numerus, ad octo circiter millia. hi nauibus impoſiti, in Siciliam, Sardiniam & alia loca fuerunt abducti. Situs urbis dicitur eſſe peramœnus, ob uicina prata & colles, oleis atque palmis conſitos, & fontium ſcaturigines. Non procul inde fertur eſſe regio cum primis frumentaria, quæ maximo cum fœnore reddat aratoribus quod accepit. Militem Cæſari ſubminiſtrauit hoc in bello Florentiæ dux, Coſmus, Iordano Vrſino & Aſtore Balione ductoribus. Quia iam ſuberat hyems, neque commeatus poterat expediri, prorex, Hiſpanorum relicto ibi præſidio, in Siciliam reducit exercitum: Dragutus ad Turcam confugit, Byzantium profectus. ea res noui belli dedit occaſionem, quod Turca non in Cæſarem modò, ſed in Ferdinandum quoque regem deinde ſuſcepit. Cùm Cæſar Henrico duci & ſenatui Brunſuicenſi mandaſſet, ut arma deponerent, dimiſſæ fuerunt utrinque copiæ: ſed has omneis ad ſe poſtea traduxit Georgius, dux Megelburgius, Alberti filius, adoleſcens, qui Henrico militarat. Clerus Magdeburgicus, & primarij templi proceres, plærique genere nobiles,

qui ciuitati cum primis erant infesti, magnis præmijs & pollicitationibus eum conduxisse feruntur, ut ipso ductore sese ulciscerentur. sed hoc ipsi negant, ut infrà dicetur. Nuper autem è uita decesserat ipsorum archiepiscopus, Ioannes Albertus: quare totius prouinciæ dominium ei fuisse pacti, si quidem occuparet, & treis quasdam arces per literas oppignorasse dicuntur. Sic ille, primò per agrum Halberstatensem profectus, in Magdeburgicum postea peruenit, & cædibus, rapinis, incendijs grassatus, Vuancelebum oppidū inuadit, capit, diripit, incendit: & quum arcem ibi positam frustrà tentasset, nonnullis desideratis, progreditur, & quacunque iret, plurimùm damni dat. Quare promiscua multitudo per agros & oppidula, quū sua ferri uideret & agi, senatus Magdeburgici fidem & opem implorant, neq; se periculū ullum atq; sumptū in eo recusare demonstrāt. Senatus ergò diem illis constituit, quo sibi præsto sint omnes: is erat Septembris dies uigesimus primus. Tunc egressi Magdeburgo simul agricolis coniuncti ciues atque milites præsidiarij, cum tribus equitum turmis, cum tormentis & reliquo apparatu, duobus ab urbe milliaribus pernoctant. postridie antequàm lucéret, promotis castris, ad hostem rectà contendunt, & quum in eius conspectū uenissent, aciem instruunt. Primo loco stabant ciues atq; milites, qua parte maius fore periculum putabatur: post eos erat collocata reliqua turba. Megelburgius autem ea ratione perspecta, repente conuersis ordinibus, agricolas, genus hominum neque satis armatum, & minus expeditū, à tergo repente circumuenit, & adoritur prius quàm alij sese cum impedimentis obuertere, uel opem ferre possent. Sic igitur illi proiectis armis in fugam abeunt præcipites, & sociorum ordines perturbant, & ad uictoriam hosti uiam patefaciunt. Ex ipsis plærisq; omnes, & hoc facto impetu, & pòst in fuga conciſi fuerunt: ciuium atque militum non ità multi sunt desiderati, plurimi uerò capti. tormenta, currus, & quicquid erat instrumenti militaris, in hostium potestatem uenit. Cęsar interea multum instat, ut utrunq; decretum Augustæ factum seruetur, & de Magdeburgicis atque Bremensibus grauem habet querimoniam. nam hi soli restabant omniū ciuitatum, tametsi Bremenses non erant proscripti. Principes autem intercedunt, & actionem sibi permitti flagitant: cúnque Cæsar esset assensus, ad utramque ciuitatem dant literas uigesimo secundo die Septembris, eósque citant, ut ad alterum diem Nouembris, Augustæ sibi præsto sint, & fide publica sese actioni sistant, suósq; mittant

legatos

legatos cum plenis mandatis & decernendi facultate. Mulier quæ-piam erat Augustæ, ciuis, quę prętereunte forte sacrifico, & ad ægro tum quempiam deferente panem azymum, quem hostiam appellãt, accensis de more cæreis, perconctando mirabatur, quid ille claro die lucernam adhiberet. propter hoc dictum capta fuit, & in magno uer sabatur periculo, sed multis fœminarũ precibus, ac demùm intercessione sororis Cæsaris seruata, relegatur. Venerat autem eò regina Maria, cùm alijs, tum hac etiam de causa, ut edictum illud nuper in Belgio promulgatum, mitigaretur: nisi enim ità fieret, fore dicebat, ut quæ nunc sit totius orbis frequentissimum emporium, Antuerpia, splendorem suum amittat: seditionis quoq; passim permagnum esse periculum, si quidem in executionem res uenire debeat. Cæsar uix ægrè tandem assensit, & mutatis ijs, quæ pertinent ad exteros negociatores, nomen inquisitionis, inuisum omnibus tollit, cætera suo loco manere iubet atque seruari. Dum ad Bremenses atque Magdeburgicos perferuntur literæ, principes ac ordines è Cæsare perquirunt, quibus conditionibus uelit cum eis paciſci: Bremensibus igitur has proponit. ut ipsius potestati sese permittant, supplices deprecentur, ab omni fœdere discedant, nullum quoque fœdus faciant, in quo non ipse cum familia tota comprehendatur: Cameræ pareant, & sumptus in eam pro uirili parte contribuant: cum archiepiscopo suo transigant, si non possint, delectorum, quos ipse dabit, arbitrio rem permittant: cum uniuerso etiam clero paciscantur: tormenta erepta duci Erico restituant, & de damno dato illi satisfaciant: ipsorum ditionis nemo contra se militet: centum quinquaginta aureorum millia dependant, uiginti quatuor tormenta tradant instructa: pareant decreto superioris conuentus, & ijs quæ iam decernentur. Magdeburgicis autem easdem prope leges impo nit: hoc erat additum insuper, ut sese iudicio sistant omnibus, & sententiæ pareant: à tempore factæ rebellionis nullam habeant actionem in quenquam: munitiones atque propugnacula demoliantur, se suósque legatos, quocunque tempore, cum quantisuis copijs, nulla cũ pactione in urbem recipiant: aureorum millia ducenta pen dant: bonorum publicationes ratę sint, neq; turbentur possessores.

Prælij Magdeburgici fama, statim longè latéq; disseminata, & ad Cæsarem quidẽ intra diem sextum perlata fuit: & cùm plærique de illis propè nunc actum esse putarent, ecce, scriptũ euulgant calendis Octobris. In eo rem omnem commemorant, & suorũ ciuium atque

militum non supra ducentos occubuisse dicunt, &, qui uidebantur indigere consolationis, alios ipsi confirmant. Nam Deus, inquiunt, hac ratione uoluit pertentare nostram constantiam: de illius autem erga nos immensa bonitate nihil quicquam dubitamus: quòd etiámsi fortè uolet nos interire totos & opprimi, nihil tamen esse potest in eo mali: quantò enim satius est, extremum adire periculum, quàm à ueri professione deficere ad antichristum Romanum? Etenim, qui uel metu, uel cupiditate quadam & ambitione remollescũt, séque Tridentino concilio subijciunt, & impium illud decretũ, Augustæ factum recipiunt atque laudant, dubium non est, quin hi, tum in hac, tum in illa sempiterna uita grauissimas daturi sint pœnas, nisi redeant ad sanitatem: aduersarijs etiam nostris metam atq; limitem esse positum à Deo scimus, quem non excedent. Oramus igitur omneis, ut suas preces nostris coniungant, nec in nos arma capiant: nobis enim oppressis, eadem omninò calamitas, in uniuersam Germaniam, nullo discrimine redundabit. Quod cùm ità sit, ipsa profectò pietas & communis patriæ salus, hoc à uobis flagitant, ut nobis, qui propter euangelij doctrinam affligimur, uestra consocietis auxilia.

Re bene gesta in Magdeburgicos, continuò multi sese comparant ad militiam: in his erant Mauricius, & elector Brandeburgicus cum Alberto patruele, & Henricus Brunsuicensis: deinde nobilitas etiam omnis appellatur, ut equitatum adducant. plærique copias eò conscribi putabant, ut Megelburgius ejiceretur è finibus: & principio quidem nonnulli uolebant uideri eò sumpsisse arma, ne longius ille uagaretur: sed ubi conuenissent omnes, Octobris die quarta progressi, nõ procul ab urbe castra faciunt, & sexto pòst die, noctu, magno cum clamore procurrũt usque ad fossas atque portas, experiundi causa, quid oppidani uel possent uel auderent: sed reiecti tormentis, multos è suis desiderarunt: & cùm in castra pedem referrent irati, leprosorum hominum domicilium in itinere inflammant, planè contrà militiæ leges atque disciplinam. Postridie rursus dimicatum est leuiori prælio, quum oppidani fecissent eruptionem. erant enim alacres, & cùm alij multi, tum ex nobilitate complures, odio Brunsuicensis Henrici, confluxerant eò, uiri militares, & in armis multum exercitati. Octobris die duodecimo, pactæ fuerũt induciæ, & in urbem nonnulli uenerunt legati de pace: uerùm id frustrà fuit. Dum hæc geruntur, ordines archiepiscopatus Magdeburgici, quos inter facilè primum locum obtinebat clerus, Halæ conue-

niunt,

niunt, & Octobris die xv, legationem ad Cæsarem ac principes Imperij decernunt. hi quum Augustam uenissent decimo pòst die, se natum populúmque Magdeburgicum grauissimis uerbis accusant: & quandoquidem Megelburgij ducis copias ad se traduxerit Mauricius, ipsi quoq; supplementum ei miserint, neq; sit in ipsorum facultate, tantos sumptus tolerare diu, petunt, ut ad cõmune hoc restinguendum incendium, rationem ineant principes, & primo quidem tempore, quemadmodum & milites alantur, & facinorosi illi atq; proscripti mulctentur prius, quàm ex recenti clade uires & animum recipiant: nam alioqui futurum, ut ad hostem transeant milites: quod non ipsorum modò, qui sint uicini, sed omnium etiam ordinum præsentissimo sit futurum periculo: illos enim nihil aliud moliri, quàm summi magistratus internecionem, & in hoc esse totos, ut seditionem popularem per uniuersum Imperium excitent. in subsidium uerò petebant millia peditũ octo, mille ducentos equites. Eodem die, Bremensium & Magdeburgensium fuerunt recitata scripta, quibus principum ad se missis literis, ut antè diximus, respondent. Ac Bremenses quidem primò, quantópere pacem & Cęsaris amicitiam semper expetiuerint, demonstrant, & quomodo non per internuncios modò, sed per Daniæ regem atq; ciuitates etiam maritimas, de pace non semel solicitarint, & quàm durę sint propositæ conditiones, exponunt: & tamen, quò uideri possit, quantũ sit ipsis authoritas Cæsaris, non se recusare dicũt mittere legatos, &, si religio ipsis atq; libertas permittatur, nihil non facere pollicentur. Magdeburgici autem: in Imperij conuentu superiori, magnis precibus interpellasse Cęsarem de pace, uerùm intolerabiles fuisse latas conditiones, ab eóq; tempore magnum se detrimentum accepisse dicunt, & cùm nullus esset iniuriarum finis atque modus, uim ab se depulisse, moderatè tamen: totius autem odij causam esse, quòd ueram doctrinam retinere cupiant & idola fugiant: quòd ad præscriptum diem attinet, quia cum plenis mandatis mittere legatos iubeantur, non se posse reperire, qui hac ratione proficiscì uelint: adhæc, Georgium ducem Megelburgium nuper ipsis ex improuiso bellum intulisse, & profiteri palàm, Cæsaris hoc & Imperij mandatu fieri: nunc etiam proximè ad urbẽ esse copias hostiles: hæ si remoueantur, & si legatis ipsorum idoneè caueatur, & ad se referre postulata liceat, non recusare, quò minus aliqui mittantur. Sub initium Nouembris mortem obijt Vlrichus dux Vuirtembergicus, pendente lite, quam habebat cum Ferdinando rege, sicut antè

dictum est. Ei successit filius Christophorus. Cæsar postquam responsa duarum ciuitatum accepit, de Bremensibus quidem ait, expectandos esse, quia se uenturos dicant: ad Magdeburgicos uerò quod attinet, quoniam longè secus res habeat, quàm dicant, & quoniam alienè ac propè contemptim responderint, petit, ut deliberare pergant, quid statuendum sit in illos, inprimis autem, ut episcopatus ordinum postulata diligenter expendant, in eóque faciant quod sit ex usu simul & Imperij dignitate, monet. Videbant facilè principes ac ordines, fore ut his legibus nunquam pacificaretur: itáque mitiora proponi rogabant: Cæsar autem institutum urgebat. Sic illi demùm, tametsi plærique grauatè, ciuitates inprimis, assentiuntur, & auxilia pollicentur: sed Cæsarem inuicem orant, primùm, ut & ipse contribuat: deinde, si fortè huic bello præesse non possit, ut aliquem summæ rerum præficiat. Eam prouinciam deferunt Mauricio, si quidem ipsi uideatur, & in bellum hoc sumptus esse faciendos dicunt ex ea pecunia, quæ iam antè sit in futuros usus reipublicæ collecta. Cæsar inuicem, quantas ipse bello superiori fecerit impensas, ut Germaniæ pacem restitueret, exponit, utque rationem eius habeant, poscit: de Mauricio sibi placere, nec ullum se nouisse dicit, hoc quidem in tempore, qui magis ad eam prouinciam sit idoneus, idque uarijs de causis: ut autem ex ærario publico pecunia sumatur, ità probat & permittit, ut quod inde sumptum fuerit, intra certum tempus reponatur: nec enim in hunc usum eam fuisse conflatam pecuniam. Monet autem, totis uiribus huc incumbant, ut illi meritas pœnas luant, quod ità fieri posse demonstrat, si castellis ad urbem extructis perpetuetur obsidio, donec sint perdomiti: sed opus esse celeritate, propter anni tempus & rei gerendæ occasionem: nisi enim effrenis illa comprimatur & obstinata rebellio, facilè ipsos uidere, quanto sit hoc Imperij cum periculo futurum atque dedecore. Sic ergò Mauricius, qui iam antè sese huic rei, sicut diximus, immiscuerat, traductis ad se copijs, publico nomine belli summæ præficitur: in bellum uerò decernuntur aureorum millia LX menstrua, próque sumptibus iam factis persolui iubentur millia centum. De concilio Cæsar principibus confirmat, fore, ut ante pascha rursus continuetur Tridenti: nam ità sibi polliceri pontificem. Interea tamen urget decretum Augustanum, & causas demonstrari sibi iubet, quamobrem illæ & de religione & ordinis ecclesiastici emendatione conscriptæ ante biennium formulæ non seruentur? Electores archiepiscopi,

necp

necꝫ prætermisisse quicquam,& etiamnum in hoc sese totos esse:quò minus autem plenè satisfiat, obstare quorundam exemptiones atque priuilegia dicunt. Absentium electorum legati, diligentem ab se naua tam operam,sed obesse temporis longinquitatem aiunt: nec enim ità subitò religionem hanc ex animis hominum posse reuelli,et opus esse informatione,ut paulatim homines assuescant, quibus persuasum omninò sit,decretum illud discrepare multùm à sacris literis:uiolenter quidem nihil posse mutari sine turba & seditione:quòd si concionatores etiam aliquis huc adigat,fore solitudinem in templis:uix enim reperiri, qui se demittant eò, propter cœlibatus illam & cœnæ domini conditionem. Reliqui principes ac ordines pontificiæ religionis,has adferunt causas,gymnasia seu literarum ludos, in quibus non rectè iuuentus instituatur:ecclesiæ ministros,qui populum absterreant ab eo decreto:sacerdotū penuriam:magistratus negligentiam:obesse quoꝫ plurimum aiunt, quòd ordinis ecclesiastici nonnulli uiuant impurè: deinde, quòd decretum factum impunè multi contumelioſis libellis petant & insectentur. Iulius pontifex,crebrò solicitatus à Cæsare, sub idus Nouembris conscripto diplomate,bullam ipsi uocant, concilium decernit, suum esse confirmans, indicere & dirigere concilia: cupere etiam se Germaniæ tranquillitati consulere,quæ Romanæ ecclesiæ & pontificum,qui Christi sint in terris uicarij,semper fuerit obseruantissima: Tridentum igitur ad calendas Maij ueniant omnes,qui iure uel consuetudine sua quadam aut priuilegio debeant interesse,et quos Paulus tertius antè uocarit, cùm eodem in loco synodum indiceret: nam eo die continuatum iri concilium: &,si uel per ætatem aut ualetudinem aut occupationes reipublicæ,non possit ipse coràm, per legatos tamen in eo se uelle præsidere. Scriptum hoc ad Cæsarem deinde mittit. Mauricius,rei summæ præfectus, magnis uiribus rem agit,& constructis aliquot castellis,ut in ijs milites hyemarent,sub exitum Nouembris urbem aggreditur. Est autem urbs tripartita: eius unam partem,quę noua dicitur,noctu,magno silentio conscensis mœnibus atque portis,occupat,neque prius hostile signum dedit,quàm militem introduxisset. Excitati clamore ciues,quicunꝫ reperti sunt in armis,trucidantur:reliqui capti atque direpti pelluntur. Magdeburgenses igitur,ut hosti commoditatem hanc eriperent, emisso milite locum incendunt,ea parte,quæ ad ipsos pertinebat: alteram deinde partem, quæ Sudeburgum dicitur, exurunt etiam, receptis in urbem oppidanis. His ferè diebus in castra Mauricij uenit Lazarus

Schuendius, ut nomine Cæsaris in commune consuleret. Erat id temporis in Saxonia, Hedeccus, quem ante biennium Cæsar proscripserat, uti supra diximus. is, & Albertus Mansfeldius, apud uicinas ciuitates, quæ maritimæ dicuntur, copias conscribunt, ut Magdeburgicis essent auxilio: Mauricius ergò, Decembri mense, cum parte exercitus illos petit, & dissipat, ex ijsq; signa quatuor ad se traducit, pòst etiam Hedeccũ, ut infrà dicetur. Postridie iduum Decembris, edicto ualde prolixo, Cęsar, grauibúsq; uerbis insectatur Magdeburgicos, et ne quis opẽ ipsis ferat, iubet, et militibus atq; ducibus, qui sunt in urbe, mandat, ut intra diem XIIII, post allatas literas, urbe excedãt, eiusq; rei fidẽ faciant Mauricio, uel per eius absentiam, Lazaro Schuendio: si pareant, impunitatem proponit, sin autem, pœnam atrocem constituit. Erat in urbe Albertus Comes Mansfeldius, non quidem à Cæsare proscriptus, uerùm exutus facultatibus, cùm in Ioannis Friderici Saxonię ducis fide permãsisset & amicitia. Quomodo Lantgrauiũ Cæsar Mechlinię reliquerit, Augustam proficiscens è Belgio, dictum est antè. Mauricius quidem & Brandeburgicus, ut dimitteretur, instabant: sed responsum fuit, non illum modò, sed filios etiam & consiliarios ità se gerere, ut nondum liberari possit: custodes quoque dicebant ei, fore, ut in Hispaniam abduceretur. A filijs igitur opem implorat, & fidelitatis, quam sibi debeant, commonefacit, & Mauriciũ atq; Brandeburgicum citari iubet, ut se sistant iuxta formulam obligationis, & promissum impleant. filij morem gerunt, & per legatos, grauissimis uerbis non semel illos monent atq; citant: illi uerò, modo simul, modò pro se quisq; separatim, aliquandò per internuncios, aliquãdo coràm excusant, & quàm nec ipsis nec etiam parenti sit consultum, ut ità fiat, ostendunt, & subinde nouas adducunt rationes, quibus confidant eum sine ullo periculo posse liberari: deprecantur ergo & dilationem petunt. Cęsar autem, qui per Liranum solicitauerat antea Lantgrauium de reddendis literis obligationis, uti diximus, cùm amplius interpellaretur, Lazarum Schuendium ad eius filios mittit atque consiliarios, mandans, ut non modò non citent & urgeant Mauricium atq; Brandeburgicum deinceps, uerùm, ut eius generis literas etiam omneis ad se mittant, & actioni renuncient: nisi pareant, maximas pœnas comminatur. sed id frustra fuit. obligatos quoq; principes per epistolam absoluit, & liberos à nexu pronunciat. Cùm ergò spem nullam uideret Lantgrauius, constituit omninò profugere, si posset, & cum suis, quos euocauerat ex Hessia, partim genere nobiles, uarias

ratio-

rationes init: uerùm hi periculo deterriti, remissius agebant. duobus tandem persuadet, Conrado Bredesteno, Ioanni Rommelio. hi per totum iter, inde ab ipsius finibus, Mechliniam usq; celeres disponunt equos, quibus conscensis effugeret: sed per quendam ipsius famulum hoc tempore res emanauit, qui familiariter cuidam dixerat Mechliniæ, futurum, ut intra paucas horas liber esset: cùm id, ueluti per manus traditum, ad custodiæ præfectum, in ipso prope fugæ momento & articulo delatum esset, omnis illa ratio cõcidit, & ex ipsius ministris duo fuerunt subitò confossi, quidam comprehensi & capite mulctati, ipse uerò deductus in arctiorem custodiam. Cæsar, ubi resciuit, molestissimè tulit, & ad Mauricium atq; Brandeburgicum datis literis, facinus hoc tàm audax, ad suam, & suæ ditionis iniuriam pertinere, secq; grauiter uindicaturum in illos dicit, qui uel opem uel consilium in eo communicassent. earum literarum exemplum illi filio Lantgrauij Gulielmo mittunt, & inter alia, quòd si præterea quid eiusmodi fiat, nullo se dicunt ipsis uinculo teneri. Mauricius tamen separatim illos consolatus, ad liberandum parentem, non fortunas modò, sed uitam atq; sanguinem etiam pollicetur, & ut se sistat, tunc demum fore tempus idoneũ dicit, cum is fuerit status rerum, ut minus metuendæ sint quorundam offensiones. Decembris die XIX, pedites ac equites Magdeburgici omnes, qui non erant destinati uigilijs, post mediã noctem urbe excedunt, ut equitatũ hostilem, quodam in uico, non procul, opprimerẽt. Magni quidem res erat periculi, quòd inter hostium castra faciundum erat iter: sed tamen fœliciter cessit. nam prius quàm hostis armari posset, uicum occupant, & diuersis locis incendunt. armis omnes superinduxerant lineas interulas. hostium, quicunq; resisterent, interfecti fuerunt, plærique genere nobiles: multi pugnabant ex ædibus, uerùm ijs inflammatis, conflagrarunt. ex nobilitate plurimi capti, statim in urbem adducti fuerunt, unà cum equis circiter ducentis LX. Postridie, prima luce domum illi repetunt, & turmam equestrem habent obuiam, ductore Georgio Megelburgio, qui tandem conserta manu, cùm à fronte premerent equites, à tergo pedites instarent, captus & in urbem adductus fuit, ille ipse, qui belli fecerat initium. His etiam diebus ex Hispanijs Augustam uenit Maximilianus Austriacus, gener Cęsaris, Bohemiæ rex designatus per absentiam, reuocatus à patre Ferdinando rege, quem inter atque Cæsarem actio tunc erat ardua, de Imperij successione, cuius etiam rei causa Mariam sororem, quæ Ianuario mense illuc redijt, Cæsar euocasse

dicebatur, ut interueniret, quum superiori Septembri illinc abīsset. Cæsar enim, qui sciret, quanti esset momenti, Germaniæ coniunctio, filium hęredem, qui tàm latis & diuersis finibus esset regnaturus, hoc ueluti firmamento stabiliri cupiebat. Ferdinandus autem rex, qui spectaret idem, neq; suam, neq; sanè filiorum expectationē atq; commoda deminui oportere iudicabat. porrò, Maximilianus, qui egregiam indolem præ se ferret, & multas calleret linguas, Germanicam inprimis, & morum elegantia polleret, admodū erat gratiosus atq; popularis. Literas illas, quibus concilium denunciatur, ut antè diximus, pontifex ad exitum Decembris Romæ promulgat. Sunt in ijs, quæ multorum possent animos offendere, cuiusmodi est, quòd suum esse dicit gubernare concilia, quòd se Christi uicarium uocat, quòd continuari uult actionem, non autem ab initio repeti, quòd præsidis locū & authoritatē sibi uendicat, quòd sui tantùm ordinis homines eò uocare uidetur. Hæc etiam Cæsar, quum ei literæ redderentur, animaduertisse, & ab illo contendisse dicitur, ut quę paulò erant asperiora, mutarentur. ueritus enim fuisse putatur, ne his tanquam scopulis deterriti Germani, uel repudiarent denunciationem, uel moram & impedimentum aliquod inferrent huic operi, quod ipse tanto labore perfeciſſet. Nolim istud quidem pro uero ponere, & solent eiusmodi consilia tegi: sed si uerum est, nihil eum impetrasse constat. nam illam, de qua dixi, formulam, pontifex euulgauit, nullo immutato uerbo. neq; desunt, qui consultò hoc illum fecisse putant, ut à cōcilio Germanos absterreret, ne uenirent, aut si uenirent, præiudicijs teneret illaqueatos. Paulus quidem tertius hanc artem adhibuisse fertur, sicut libro nono diximus, ut, posteaquam per suos emissarios accepe-rat, quid ferre possent, quid recusarent protestantes, indicto deinde concilio, illa ipsa, quibus offendi sciret eorum animos, inprimis urgeret atque proponeret, sicut in hoc etiam Iulij diplomate uidere licet, quod est ad Paulinū illud conformatum. Per hosce dies Mauricius & Brandeburgicus elector pacis conditiones Magdeburgicis proponunt, &, ut se dedant fidemq; præstent ipsis & archiepiscopo, petunt: id si faciant, fore, ut religio & Augustæ quondam exhibita doctrina ipsis permittatur, ut de ipsorum priuilegijs, iure ac libertate nihil decedat, munitiones etiam urbis atque facultates permaneant saluæ, nulla cuiquam uis intentetur: adhæc, intercessionem promittunt, ut proscriptionem Cæsar aboleat, his nimirum conditionibus. ut sicut alij principes atque ciuitates, ità ipsi quoq; supplices deprecentur, eique

tra-

tradant tormẽta ſexdecim,& aureorum millia centum,quò nimirum ipſis relinquantur bona iam publicata: eam uerò pecuniæ ſummam ipſis uelle ſe prærogare dicunt: clero ſuas facultates reddant: de damno utrinque dato, deque habitatione cleri & ceremonijs primarij templi ſe facturos eſſe iudicium: & quò facilius Cæſari perſuaderi poſſit, in urbem eſſe recipiendum præſidium, donec tranſactionem Cæſar habeat ratam, & reliquæ conditiones etiam fuerint impletæ: ne uerò præſidiarij milites ullam iniuriam ipſis faciant, ſe curaturos: quòd ſi Cæſar iſta repudiet, tum ſe quamprimum educturos eſſe præſidium, & urbem ipſis uelle reſtituere ſaluam, & omninò qualem acceperint. Senatus uerò deditionem facere, & præſidium recuſabat admittere. Decembri menſe, ordines epiſcopatus Magdeburgici, maximè uerò clerus, lingua populari ſcriptum edunt in ſenatum populúmq; Magdeburgenſem, eoſque dicunt, antiquitûs & iure, ad ſuam & archiepiſcopi ditionem pertinere, idque doceri poſſe literis Ottonis primi, Cæſaris: & multa quidem, inquiunt, inſolẽter ac proteruè ſæpe fecerunt, cumprimis in Burcartum & Guntherum archiepiſcopos, uerùm ad officiũ reducti, pœnam luerunt, ſicut hiſtorijs demonſtrari poteſt. Erneſto autẽ Saxone, ac deinde Alberto Brandeburgico, epiſcopis, tranſactum fuit de controuerſijs, uerùm illi non ſtetẽrunt pactis: & quoties epiſcopi de communi conſilio reliquorum ordinum, aliquid ad uſum reipublicæ ſtatuerent, detrectarunt ſemper, ac eò ſpectarunt, quemadmodum ipſi reliquis imperarent. Et quum Alberto cardinali eſſet adiũctus coadiutor, Ioannes Albertus, patruelis, non modò non approbarũt, uerumetiam cognomen & honorem ei debitum detraxerunt, licet eo nomine non ſemel eſſent appellati: quumq; deinde Alberto uita defuncto ſucceſſerat, nec pro epiſcopo recipere, neq; fidẽ ei dare uoluerunt, in eóq; permanſerunt, quoad ille uixit, tametſi magni ſæpe uiri interceſſerint. hoc autem eo conſilio fecerunt, ut ſummam ipſi rerum occuparent. quod facilè cuiuis apparebit, ipſorum actiones conſideranti. Et quanquam ſcriptis in lucem editis, excitandi cauſa tumultus, populo perſuadere conantur, quaſi nihil deliquerint, quaſi planè ſint innoxij, quaſi ueritatis tantùm atque religionis cauſa periclitentur, tamen longè res aliter habet. nec enim ipſorum eſt ullum illatum impedimentum religioni, tametſi noſtræ ditionis templa tenerent: & quoniam in legitimo concilio ſe reſponſuros aiebant, patienter omnia tulimus: uerùm eo non contenti, facta coniuratione, & fœdere inito, quod ipſum tamen eis, niſi

de noſtro & archiepiſcopi conſenſu, per pacta non licuit, ad ſuam religionem nos cogere uoluerunt. Ex quo ſatis apparet, non religionem, ſed eccleſiarum bona fuiſſe ab illis quæſita, & hoc eſſe actum, quomodo ſuam perfidiam atq; rebellionem aliqua honeſti ſpecie tegerent atque ueſtirent. Multa quidem illi contra Cæſarem & ordines Imperij ſeditioſè fecerunt, neque commemorari poſſunt omnia, ſed percurremus ea quę propriè ad nos pertinent. Et primò quidem, ante annum quartum uiolatis pactis atq; fide, qua ſunt deuincti, renuncia runt nobis amicitiam, & occupatis noſtris bonis atque domicilijs, nos profligarunt, quoſdam etiam in uincula coniecerunt, ex ijſq; non nulli detinentur adhuc captiui, quidam exceſſerunt è uita: deinde, domos noſtras ad ſolum uſq; ſunt demoliti: noſtræ ditionis oppida: facultates atq; præfecturas in ſuam poteſtatem perduxerũt, & inſtituta urbis munitione, quò tutius rebellarent, mẽſtruam pecuniam & alia quædam onera multitudini imperarunt, templa paſſim & monachorum collegia partim diruerunt, partim labefactarunt, campanas è turribus deiectas conuerterunt in tormenta, mortuorũ corpora, non modò ſacerdotum atq; monachorũ, uerumetiam nobilium, effoſſa et conculſa, in aggeres atq; ualla ſua congeſſerunt: ſtatuas, aras, & ſepulchrorum ſaxa coaptarunt in ſuos muros: in templis, quæ permanſerunt integra, cultũ omnem diuinum extinxerunt: quicquid eſſet ornatus & rei præcioſæ, quicquid literarum atq; monumentorum in templis, diſpoliarunt, ſacerdotes ac reliquos eccleſiæ miniſtros, pugnis & uerberibus mulctatos, ex ædibus ſacris & ab ipſis altaribus eiecerunt: uectigalia noua diuerſis locis impoſuerunt, planè contra regionis morem: ſed & Ottonis magni Cęſaris, authoris noſtri ſepulchrũ, tumultuoſè refregerunt. Et hæc quidem ſunt domeſtica: ſed eo minimè contenti, proruperunt in epiſcopatum Halberſtatenſem, & ibi direpto collegio Hamerslebio, ſacerdotes iam ſacrificantes, ab ipſis aris depulſos, partim uulnerarunt, partim occiderunt, & ſacris omnibus pollutis, panem azymum conſecratũ pedibus conculcarunt: deinde, monachorũ induti ueſtibus, quum proteruè & per ludibrium multa feciſſent, exuuijs atq; ſpolijs onuſti domũ redierunt: aggerem uerò quendam eius regionis, maximo ſumptu conſtructũ, & perutilem ijs locis, nulla de cauſa diſiecerũt, exuſtis pontibus atq; reſciſſis, ne cui tranſitus pateret: uitæ quoq; noſtræ ſunt inſidiati, quod etiamnunc faciunt, ità quidem, ut ne in ędibus quidẽ noſtris, nec apud amicos abſq; periculo uerſemur: & quos nobis præbere hoſpitium ſuſpicabantur, eorum

domos

domos noctu sunt aggressi, & direptis bonis, ex nobilitate multos abduxerunt captiuos, quosdam etiã subiecerunt tormentis: matronas autẽ nobiles atque uirgines, omni spoliatas ornatu & male mulctatas, in mortis adduxerunt periculum: sed nec à pueris etiam abstinuerunt manus: breuiter, uix apud Turcas extare simile putamus exemplum immanitatis: & si quis æstimet tàm ea, quæ cõsecuti sunt ex nostris bonis, quàm damnum datũ, reperiet ad minimum supra octies centena aureorũ millia: ne quid interim dicamus de contumeliis, cõuicijs, libellis famosis atq; picturis, quas euulgarunt in Cęsaris et ordinum Imperij contemptũ atq; ludibrium, de iniurijs etiã, quas nunc totos ferè uiginti septem annos patimur. Nam & lapides et sordes uiarum in nos coniecerunt, & euntes per urbem, insano clamore sæpe sunt adorti, & per diuersa loca fugarunt, ædes etiam nostras atq; portas, de nocte, frequenter inflammarunt, & saxis perfregerũt fenestras uitreas: denique nullum est ab eis prætermissum insolentię genus: ante annum uerò quartum, Iulij die uigesimo sexto, quum rogatu consulum conuenissemus in collegio nostro, postulabant à nobis, primùm, ut eandem, quam ipsi, religionem profiteremur: deinde, ut ad bellicum apparatum ipsis intra diem octauum penderemus aureorum millia uiginti: pòst, in templum ingressi, confluentibus eò ciuibus, per tumultũ sacerdotes eijciunt, & templa claudunt, & inferioris ordinis sacrificos magnam pecuniæ summam poscunt, & cùm persoluere non possent, urbe pulsos in exilium ire cogunt. Eodem planè modo reliquos etiã tractarunt ecclesiasticos, occupatis ipsorum bonis & facultatibus omnibus. qua quidem re, non modò leges atque ius omne tàm diuinum quàm humanum, sed transactiones etiam & fidem datam uiolarunt. Sumus enim ipsorum magistratus, & fortunam suam omnem atq; facultatũ amplificationem nobis potissimùm debẽt. Cùm autem nuper Georgius dux Megelburgius, copias illas, quæ Brunsuicum urbem defenderant simul & oppugnauerãt, ad se traduxisset, ad tria circiter millia, et nobis insciis per agrũ Magdeburgicũ & Halberstatensem iter susciperet: illi magna quadam arrogantia sunt urbẽ egressi, eo consilio, ut hoste profligato, belli molem totam & impetũ in nos omnem cõuerterent, imò, ut nos è medio tollerent. nam & uasa duo, plena laqueis, et carnifices aliquot cum gladijs conduxerant, ut alijs gulam frangerent, alijs uerò ceruices ferirent: sed beneficio Dei longè secus accidit. Quum enim essent ad octo circiter hominum millia, profligati sunt, & cæsi

ſuprà duo millia, & in his multi homines innoxij, quos illi partim ui, partim blanditijs ad ſe perduxerant, capta ſigna octo, & machinę omnes cum inſtrumento. Cauſam quidem eius belli conantur in nos deriuare, & impulſu noſtro Megelburgium ad arma ueniſſe dicunt: ſed id falſum eſt. Nam & antea ſæpe, & poſt factum prælium, de pace legatos miſimus, & ne hoc quidē tempore aliud optamus, quàm ut reconciliati Cæſari, priſtinam tranquillitatem nobis reſtituant. quia uerò pacis conſilia repudiant, & arces noſtras, uicos & oppida, per uim ac iniuriam detinent, cogimur rationem inire, quemadmodum ea recuperentur. Iam, illa, quæ ſui purgandi cauſa in medium adferunt, conficta ſunt omnia, ſicut uulgò conſtat. nam & ipſorum religioni nullum dedimus impedimentum: & quum nuper illuſtriſſimi principes Mauricius atque Brandeburgicus Ioachimus, ęquas conditiones proponerent, ſuperbè reiecerunt, & per inducias eruptione facta, nocturno tempore, ex nobilitate quendā, ętate grandi, cùm nihil intercederet offenſionis, domi ſuę, cubantē adorti ſunt, & quum ille uix ægrè ſeminudus euaſiſſet, direptis bonis atque diſperditis, uxorem atque liberos omni ueſtitu ſpoliarunt, & mortem ſæpe minati, nudos reliquerunt, ità quidem, ut ex nobilitate quiſpiam fortè ſuperueniens, mulierem ueſte ſua contegeret. certè, quantus ipſorum fuerit ea nocte furor, paucis explicari non poteſt. Non obſcurè iactarunt etiam, fruſtrà nos reſtitutionem expectare. noſtris enim aucti facultatibus atque copijs, lautiori uitæ iam aſſueuerunt, neque facilè poſſunt adduci, ut aliena reddant. Quod cùm ità ſit, & quia ſuperiorum annorum iniurijs contemptum etiam addunt, & prorſus in noſtram perniciem incumbunt, non potuimus ipſorum illa præclara facinora non commemorare, licet breuiter. Itáque, ſi nunc rationes ineuntur, quemadmodum reducantur ad officium, nemini debet hoc uideri mirum: etenim quicunque ciuilem hanc & communem hominum ſocietatem amant, non poſſunt non alieno in ipſos eſſe animo: tantum abeſt, ut fauere quis illis debeat & auxiliari. Ad eundem modum illos accuſauerant paulò antè, Torgam miſſis legatis, ubi tunc huius belli cauſa conuentus agebat Mauricius. Non multis uerò pòſt diebus, eodem menſe, reſpondet ſenatus, edito ſcripto. putare ſe, nō omneis ordines epiſcopatus hanc de ſe querimoniam habere, ſed à clero totum iſtud emanaſſe. nam his, inquiunt, uehementer dolet, quòd apud nos purè docetur euangeliū, quòd ipſorū eſt detecta nequitia & labefactata dignitas.

hoc

hoc omnis est odij caput: his agitati stimulis falsò nos detulerunt ad Cęsarem, ut ab illo proscripti, tantò essemus opportuniores iniurię. Cæsarem profectò nulla re uiolauimus, & incolumi religione atque libertate, nihil est quod à nobis nõ expectare possit. Archiepiscopis huius urbis deuincti quidem sumus, uerùm certis legibus, ne uidelicet in nostro iure nos impediant: in has leges nihil commisimus: aduersarij uerò Ioanni Alberto antistiti fuerũt authores, ut noua quędam & inusitata postularet: itáque recusauimus ei dare fidem: nec est quòd hunc magnopere obducant: nec enim fideles ei fuerunt, & doluit ipsis, cùm ad episcopatum ei superioribus annis reditum esse patefactum uiderent. nam excludi maluissent: ipsis uerò minimè subiecti sumus, nec ullo uinculo tenemur: quoad superioris ætatis pacta seruata sunt, nullum officij genus recusauimus: posteaquàm autem ab illis recessum fuit, restitimus, ex eóque non semel natæ sunt offensiones: & his quidem proximis annis, cùm nouæ subinde rationes inuenirentur exigendæ pecuniæ per hanc prouinciam, in publicis conuentibus reclamauimus, & ab episcopis anterioris temporis non hoc usurpatum fuisse demonstrauimus, tametsi frustrà: nam inter ordines nonnulli, maximè uerò clerus, non minimam eius prędæ partem auferebant: hæc est illa, quam nobis obijciunt, peruicacia. Migrarunt ex urbe, sed sponte sua & superbia quadam incitati, cùm Saxoniæ ducem atque Lantgrauium uiderent esse debellatos: cogitabant enim uenisse iam tempus, quo possent animum explere, & inuadere dominatum, & impurum illud suum uitæ genus recuperare. Nos quidem illos minimè profligauimus: & quanquàm ecclesiæ ministri nõnunquam eos ob uitę turpitudinem pro concione reprehenderunt, tamen multis annis apud nos tutò commorati sunt, & non ità nuper quidam ex ipsis urbem inhabitarunt. Quod si uim illis facere, nobis libitum fuisset, erat id factu non difficile: sed nihil tentauimus, & cum is esset rerum nostrarum status, ut uim hostilem metuere cogeremur, primi templi collegas conuocauimus, & quoniam Euangelij lux esset patefacta, Deus etiam professionem illius requireret, diligenter eos rogauimus, quod antea sæpe factum erat, ut peritum aliquem theologum ipsi deligerent, qui uerbum Dei doceret in æde primaria: hoc enim & per se cumprimis esse pium, & ad mutuam beneuolentiam inter ipsos atque ciues plurimùm conferre: cùm autem illi recusarent, ipsi rem procurauimus, & quòd hostis impenderet, incę fines nostros iam esset ingressus, postulauimus ab eis,

ut certam pecuniæ ſummam nobis dependerent, nihil ex urbe litera-
rum darent, manerent nobiſcum, & ſuis uterentur fruerentur poſſeſ
ſionibus: illi uerò non longo poſt tempore migrarunt, & à nobis
deindè ſolicitati, ut ad certum diem Salſij ſuos haberent legatos, qui-
buſcum ageremus, contemptim reiecerunt colloquium. Itáque cùm
odium & animū hoſtilem in nos ad hunc modum proderent, coacti
ſumus & ipſi referre paria: quòd ſi nobiſcum permanſiſſent, omnis
hęc potuiſſet euitari turba: ſed ardebant odio noſtri, & in perniciem
noſtram noua ſubinde cudebant conſilia: ſic neceſſariò nobis ad ar-
ma ueniendum fuit atque defenſionem. Niſi enim ipſorum occupaſ-
ſemus uicos & oppida, locus ibi fuiſſet hoſti relictus atque perfugi-
um. Et cùm facultates illæ ſint eccleſiæ Magdeburgicæ, non eorum,
qui perſequuntur eccleſiā, rectè poſſunt ad religionis tutelam accom
modari contrà falſam doctrinam & idolatriam: neque res etiam ca-
ret ſuperiorum temporum exemplis. Proſcripti quidē ſumus à Cæ
ſare, ſed nullo noſtro merito, ſicut antehac non ſemel docuimus: hæc
autem fortuna ſeu conditio nobis eſt cōmunis cum prophetis, cum
apoſtolis, cum ipſo denicq; Chriſto, qui propter ueritatis profeſſio-
nem afflicti fuerunt, tanquam ſeditioſi, rebelles, & omnium hominū
nocentiſſimi. De religione décq; libertate noſtra Cęſarē orauimus, ut
ea nobis permitteret, ſed fruſtrà in hunc uſque diem agimus, & quò
ſpectent omnia conſilia, ſatis eſt à nobis explicatū ſuperioribus ſcri-
ptis: nimirùm ipſa res loquitur, hoc agi ſolùm, ut impius pontifica-
tus reſtituatur. Ad colloquium introducta quidem controuerſia nō
ſemel fuit, & conuentus aliquot habiti ſunt hac de cauſa, uerùm de
rebus præcipuis non fuit nobis ſatisfactum, quandóquidem legati
non ſe poteſtatem eius rei habere dicebant. Dolet certè nobis, & ue-
hementer ſanè, ſi quis noſtri cauſa detrimentum ullum accipiat: ſed
tamen qui ſunt homines pij, non dubitamus quin ij nobiſcum ſen-
tiant, & omnia ducant eſſe perferenda potius, quàm deſerendam
ueri confeſſionem. Cùm enim Chriſtus & incōmoda, quæ profeſſio
nem hanc ſequuntur, tanto antè tempore prænunciarit, et ſimul ęter
na præmia conſtituerit illis, qui liberos, uxores atque poſſeſſiones
propter ipſum reliquunt, cur his tam certis & amplis promiſſioni-
bus non confidamus? profectò, qui ſui periculi cauſa remolleſcunt,
& offenſiones defugiunt, hi ſempiternū exitium ſibi conciliant ipſi,
niſi reſipiſcāt. Quod nobis obijciunt aduerſarij, uerè poteſt in ipſos
retorqueri: nam & turpem & infamem & planè pecuinam uitam

agunt,

agunt,& quibus in locis dominantur, ibi uix ægrè ſuarum coniugũ atque filiarum pudicitiam ciues ab illis tueri poſſunt. Pecuniam uulgò modicam imperauimus, nec ea ſeueritate, ſicut illi fingunt. Ad illud quod de uectigali dicunt, reſponderi poterat, ſi clarius locuti fuiſſent: aggerem illum, cuius mentionem faciunt, qui tamen ad ipſos minimè pertinet, publici commodi cauſa reſcidimus: nam illo ueluti compendio ſæpe damnum eſt datum noſtris finibus, & facta præda raptores illac euadere, ſéque in tutum recipere ſolebant. nobilitatem uicinam hoſtiliter à nobis tractatam eſſe clamant: quicquid autẽ eius rei fecimus, coacti fecimus, cùm per annũ & amplius eo, multorum eſſemus iniuriã perpeſſi. De mulieribus atque puellis quod aiunt, inficiamur: ex nobilibus qui capti fuerunt, abſque mulcta ſunt à nobis dimiſſi cum famulis, & tranſactione res inter nos eſt conſopita. Damni accepti rationes admodum amplificant, & octingenta millia ponunt: quid ſi nos inuicem oſtenderemus, in quantam nos coniecerint calamitatem? Picturæ & id genus alia, clanculum, non uno ex loco prodierunt, & in nos omnis deriuatur inuidia: ſed certè grauiter ediximus, palàm affixis literis, ne quis in Cæſarem aut quemuis alium principẽ aliquid proteruè faceret: in nonnullos etiam eſt idcircò uindicatum. Editi ſunt autem apud nos alij quidam libri, neque diffitemur, quibus & oppugnatur idolatria & multorum eriguntur conſcientiæ. Cladem nos accepiſſe, fatemur, ità uolente nimirùm Deo, non ut perdat, ſed ut ad uitę nos trahat emendationem. Occubuerũt illi uidelicet honeſtè ac piè, pro gloria nominis diuini, próq; ſalute patriæ: neque dubitamus, quin ſuo tempore Deus & benignè nos reſpiciet, & in aduerſarios etiã animaduertet. Non autẽ fortuitò iſtud accidit, uti præſe ferunt. nam donis & pollicitationibus Megelburgiũ ducem Georgium huc inuitarunt: atq; interim ſingulari quadam aſtutia, reliquos ordines epiſcopatus conuocabant Stasfurtum, quaſi deliberaturi, quemadmodũ latrones illos, ut ipſi tum eos uocabãt, è finibus profligare poſſent. Nam quòd militem conduxerint, ipſorum quoq; literis doceri poteſt, imò gloriantur ſe non magnopere moueri publicis incommodis: nam etiam ut diſpendium aliquod faciant atque iacturam, agros tamen atq; fundos ipſorum permanere ditionis aiunt. Cùm igitur ad nos perlatus eſſet nuncius, Vuanslebum oppidum ab eis ex improuiſo captum, direptum & incenſum eſſe, uicos etiam magno numero uaſtatos, ac ſimul ex agris ad nos confluerent homines ruſticani, mulieres atque

uirgines, multis cum lachrymis opem à nobis flagitantes, non illis deesse profectò potuimus. Et quanquàm minus fœliciter res acta fuit, tamen gratum nos officium feciſſe Deo, nihil dubitamus. Iam uerò, quòd gratiæ comparandæ cauſa dicunt, noſtri fuiſſe conſilij, nobilitatem atque ſocios huius epiſcopatus opprimere, uaniſſimum eſt, neque doceri poteſt. nam in honore ſemper à nobis habita fuit nobilitas: illos uerò, qui noſtris huc illuc commeantibus uim fecerunt, ſi fortè uiolauimus, quis tàm eſt iniquus, qui nobis id crimini dare poſſit? De gladijs quod aiunt, repertis à prælio, confictum eſt: de funibus non diffitemur atque laqueis: nam ad currus & impedimenta reliqua neceſſarius eſt horum uſus, uti conſtat. Pacis leges, à Mauricio ſimul & Brandeburgenſi propoſitas, grauiſſimis de cauſis non admiſimus: etenim, facta deditione, ac recepto præſidio, facilè eſt intelligere, quis & religionis & reipublicæ noſtræ ſtatus fuerit futurus. Euangelij ſui cognitionẽ Deus pro immenſa miſericordia ſua nobis patefecit: eum precamur, ut hoc tantum beneficium nobis uelit eſſe perpetuum. qui uerò patrocinium nobis in eo promittũt, quomodò credibile eſt, illos hoc poſſe uel etiam uelle præſtare, cùm ipſimet in religione fluctuent animis, & placere ſtudeant hominibus? Vt bona ſua recuperent aduerſarij, & damnum utrobique datum, ex æquo toleretur, non recuſamus: uerùm ut in urbem illi redeant, & idolatriam ſuam rurſus inſtituant, id minimè omnium ferre poſſumus. Aiunt ſe nullum nobis intuliſſe religionis impedimentum: ſed per ipſos hercle non ſtetit: quò minus autem, quod uellẽt, perfecerint, eſt quod immortali Deo gratias agamus. Mortuorum corpora non ſunt ad eum modum, ut aiunt, tractata: ſed cùm ad defenſionem noſtri, templa quædam urbi uicina demoliremur, quæcunque reperta ſunt corpora, nondum planè conſumpta, translata fuerunt aliò, profundiúſque defoſſa: deinde permiſſum fuit omnibus, ut ſuos quicq; propinquos ibi repertos, quò uellent, tranſportarent. Illud, de Ottone primo, Cæſare, falſiſſimum eſt, & impudenter ab eis excogitatum mendacium: nec enim neſcimus, quis honos huic omnium principi magiſtratui debeatur, inprimis autẽ ei, de quo loquuntur, Ottoni Cęſari, qui & pręclarè multa fecit, & libertatis Germanicæ defenſor fuit atque uindex acerrimus. Cultus ille, quem ſacrum & diuinum ipſi uocant, quem ſuis in templis queruntur à nobis eſſe turbatum, nihil minus eſt quàm ſacer, uerùm ad ſummã Dei contumeliam pertinet. Veſtes, calices, & ornamenta reliqua ſunt ab

ipſis

ipſis multò antè extra urbem aſportata: literæ uerò & monumenta publica ſeruantur à nobis, neque ſunt abolita, ſicuti falſò criminantur. ſacrifici quoque non ſunt affecti uerberibus, uerùm ipſimet templa diſpoliarunt, & prædam aliò contulerunt. Collegium Hamerslebium, quod tamen ad ipſos minimè pertinet, ideò ſumus aggreſſi tandẽ, quòd hoſtes in eo perfugium haberent, & nobis atque ſocijs ereptã prædam ibi diuiderent. Quod inſuper addunt, noſtros ibi multa feciſſe proteruè ac inſolenter, id à monachis eſt cõflictum. Ad iniurias illas quod attinet, quas in urbe ſibi factas eſſe dicunt, ità res habet. ante annos circiter uiginti quinque, quum illi die octauo ante paſcha, qui palmarum dies dicitur, ſuas illas ioculares atq; ridiculas ceremonias tractarent, confluente illuc multitudine, deriſi fuerunt ab illis: quorum uerò temeritas & audacia longius proceſſit, & qui feneſtras perfregerunt, hi ſanè mulctati ſunt à nobis atq; relegati: cæteras iniurias nec agnoſcimus, nec eas unquàm ad nos illi detulerunt. nihil ergò præter fidem datam aut tranſactiones egimus, neque cauſam ullam belli dedimus aduerſarijs. Quod cùm ità ſit, precamur omnes, ne calumnijs illorum fidem habeant, & noſtrã uicem doleant, qui bellum illatum defendere cogimur, ut & puram euangelij doctrinam, & libertatẽ à maioribus acceptam, nobis conſeruare liceat, pro quibus & ſuperiorum temporum pij reges atque magiſtratus, & Machabæi fortiſſimi uiri nullum non ſibi duxerunt ſubeundum eſſe diſcrimen. Pacem omnium rerum maximè optamus: uerùm ea nobis denegatur: itáque finitimorum incurſionibus diu multúmque uexati, non poſſumus uim iniuſtam à nobis non propulſare. quò magis etiam confidimus, futurum, ut qui nulla ſunt à nobis iniuriam laceſſiti, bellũ hoc nihil ad ſe pertinere ducãt & Deum, iniuſtitiæ uindicem, reuereantur. Etenim, quæ cauſa turbam hanc aduerſum nos excitauit, eadẽ ſummis difficultatibus atq; periculis inuoluet non multò pòſt etiã ipſos, quicunq; purã doctrinam retinere uolent atq; tueri. Literas, quibus conciliũ pontifex indicit, Cæſar, Ianuarij die quinto recitari iubet in ſenatu principum & ordinũ, eoſq; monet, ut ſeſe comparent. Eodem die Ferdinandus rex ad ordines refert, quomodò per inducias, Turcę in Vngaria res nouas moliantur, & ſuis in finibus arcẽ ædificent, & Zolnocũ, ſuę ditionis arcẽ, conati ſint occupare, præſidióq; munire, quomodò etiã in Tranſſyluaniam impetum fecerint: ſe quidẽ eius rei cauſam dediſſe nullã, & in hoc eſſe totũ, ut pactæ ſeruentur inducię, uerùm, ſi Turca M. D. LI.

recuſet,auxilia ſibi dari petit. De Stephano Vintonienſi epiſcopo diximus libro uigeſimo, quamobrem captus in Anglia fuerit: cùm autem in ſententia perſiſteret,neque decreta iam facta,quæque deinceps fierent in hac ætate regis,de religione,uellet approbare, epiſcopatu fuit exutus huius anni menſe Ianuario,et in carcerem reductus. Andreas Oſiander,quem in Pruſſiã iuiſſe diximus, nouum hoc tempore dogma proponit, & hominem iuſtificari, non fide, ſed iuſtitia Chriſti in nobis inhabitantis, affirmat, ſuæq; ſententiæ Lutherum etiã fuiſſe dicit. Reliqui uerò theologi collegæ fortiter oppugnant, déque Luthero falſum eſſe dicunt, qui non ità multis menſibus antè mortem,de libro Philippi Melanchthonis,quo ſacræ ſcripturæ loci tractantur cõmunes, præclarum & amplum reliquiſſet in primi tomi præfatione,teſtimonium: cùm ergò Philippum inuadat,Lutherum quoque ſibi facere aduerſarium,quòd idem ambo ſentiant. deinde, facta collatione, planè diuerſum ab ipſo,Lutherum hac de re docuiſſe,demonſtrant,& peſtiferum aiunt ipſius eſſe dogma,qui dicat in Chriſti ſanguine atque morte nõ conſiſtere iuſtitiam fidei,qua redempti ſumus atque iuſtificati. res autem acta fuit ſumma contentione. Prę ſe ferebat ille quidem, ut diximus, quaſi Lutherus idem quod ipſe, ſenſiſſet: uerùm interim apud ſuos iactabat, uti ſcribitur,illum & Melanchthonem confeciſſe theologiam quandam Ariſtotelicam, quæ carnem potius quàm ſpiritum redoleat. Albertus princeps,initiò,per interceſſores componi cauſam cupiebat:ſed perſuaſus ab Oſiandro,poſt multam actionem, in ſententiam eius accedit, & aduerſarios è ſuis finibus exire iubet. in his erat Ioachimus Merlinus,cui migrandum etiam fuit,licet non modò ciues, uerumetiam mulieres atque pueri, ne tali paſtore deſtituerentur, principi ſupplicarent. Porrò,docuit Oſiander Noribergæ,multis annis, & cum laude quidem, nec aliquid mouit, & per omnia ſequi uiſus eſt Lutheri doctrinam, quoad ille uixit: cùm autem poſt edictum Cæſaris de religione, Noriberga relicta, Pruſſiam adiiſſet, quæſtionem hanc excitauit. quod uiuo Luthero plærique putant nõ temerè fuiſſe facturum. Vuittembergicos maximè laceſſit, ut iſta refutent, ſi poſſint, & ſe defenſurum ſua dicit, quicunque tandem oppugnent, & Philippum acerbè perſtringit. Sententiam eius plærique uiri docti per Saxoniam inprimis, reprehendebant, editis libris, & quòd alieniſſimo tempore turbaret eccleſiam, taxabant: quòd uerò Melanchthonem, tantæ manſuetudinis atque doctrinæ uirum, tàm in-

dignè

dignè tractaret, id fremebant omnes. Alio quodã libello contendit, etiãsi per Adami peccatum nõ fuisset perditum genus humanum, tamen nasciturũ fuisse Christũ. Idibus Februarij dimittitur Imperij conuentus. ibi decretũ Cęsar facit, & quia religionis, inquit, hoc tam graue dissidium, nulla ratione melius quàm per generale, pium, liberúmque concilium sedari potest: deinde, quia superiori in conuentu concilio se submiserunt ordines, in eóq; permanent, fixum hoc erit atque ratum. quod etiam ipse tum promisi, studio & diligentia omni curabo, ut ordine & rectè omnia fiant. Et cùm ad omneis orbis Christiani prouincias pontificiũ hoc diploma pertineat, equidẽ futurũ arbitror, ut omnes reges atque dynastæ, sui memores officij, morem gerãt, próq; sua uirili parte tam pium opus adiuuent. Quicquid etiam in eo me facere conuenit, ut ecclesiæ aduocatum & conciliorum defensorem, id præstabo: & quicunque uenturi sunt ad concilium, siue religionem mutarint, siue non, ijs eorúmque legatis publica fide cauebo, ut ibi commorari, & quicquid ad eorum conscientiæ quietem pertinere putabunt, in medium adducere, ac deinde tutò ipsis domum redire comitatu publico liceat: adhæc, operam dabo, ut res tota, piè & Christianè, semotis affectibus, iuxta sacram scripturam & patrum doctrinam tractetur & definiatur, ut tàm politicus quàm ecclesiasticus ordo reformetur, sublatis erroribus atq; falsis dogmatis. Intra fines etiam Imperij, uel in propinquo saltem permanere, & tueri cõcilium cogito, ut ad optatũ finem decurrat, eiúsq; fructus ad omneis perueniat, & sit inprimis Germaniæ salutaris. Principes igitur omneis & ordines, præcipuè tamen ecclesiasticos, & eos qui religionem mutarunt, quiq; coniuncti sunt Augustanæ confessioni, deposco & adhortor, ut pontificium diploma secuti sese comparent, & instructi ueniant, ne pòst aut acceleratione nimia circumuentos, aut ad suæ causę iustã explicationẽ non se fuisse querantur admissos. nam ut dixi, fidẽ eis præstabo, & ut quantum satis est, audiantur, efficiam. Porrò, quia diuersas rationes adduxerunt ordines, quamobrem superioris Augustani conuentus de religione & reformatione facta decreta non seruentur, totum hoc ad meam solicitudinem reuoco, & seperatim è singulis, quid impedimenti sit, cognoscam: dent igitur operam, pro se quisque, ut in actionem res deducatur. Decretum fuit etiam, ut ad calendas Aprileis Noribergæ conueniant electorum & sex reliquorum principum legati, qui deliberent, quemadmodum ea pecunia, quæ ex ærario publico sumpta

fuerit in bellum Magdeburgicum, debeat reponi: quicquid hi ſtatuerint, ratum eſſe iubetur, non minus, quàm ſi frequentibus in comitijs decretum eſſet: & quoniam ad uniuerſæ Germaniæ ſalutem, bellum hoc pertineret, magiſtratui permittitur, ut ſuo quiſque populo tributum hoc nomine imponat. deinde, ſi fortè quis uel Imperij ciuis uel externus auxilia Magdeburgicis ferat, ſumptum quoque tunc Cæſar pollicetur. Ad iuriſdictionē & bona ſacra quod attinet, curaturum ſe dicit Cæſar, ut appellatus ab ijs, quorum intereſt, ius ipſis dicat, quò ſuum quiſque recuperet & conſequatur. Ferdinando regi decernuntur in Turcam auxilia, tametſi grauatè, quæ ſuperiori conuentu fuerant ei promiſſa. poſtremò, quia Manſfeldius & Hedeccus, hyeme ſuperiori, conductis copijs conſtituerāt Magdeburgicis opem ferre, ſicut dictum eſt, Cæſar edicit, ſi poſthac in aliqua Germaniæ parte milites confluant, ut è ueſtigio uicini principes ac ordines, conſociatis uiribus illos opprimant, & incendium illud, prius quàm uires accipiat, reſtinguant. Hoc ipſo tempore, Galliæ rex, Henricus, in ſuam fidem atque clientelam accipit Octauium Farneſium, qui & priuatim erat inimiciſſimus Ferrando Gonzagæ, Cæſaris per Inſubriam præfecto, propter cædem patris, & in ea uicinitate Placentiæ, quam Cæſar tenebat, ueritus, ut Parmam ſuis ipſe uiribus retinere poſſet, opem aliunde petiuit, & Gallicum præſidium urbi impoſuit. Eam rem permoleſtè Cæſar tulit, & Iulius inprimis, ut infrà dicetur. Sententiam Cæſar his diebus tulit in Lantgrauium, de Comitatu ſeu ditione Diecia. nam fuit damnatus contumaciæ, quòd non reſponderet: ille uerò non ſibi eſſe integrum reſpondere dixit, eò quòd liberè cum ſuis cōſiliarijs colloqui non poſſet, obſeruantibus ipſum & auſcultantibus ijs, quorum eſſet in cuſtodia. nam poſt patefacta nuper fugæ conſilia, ſicut diximus, nemo illum adire, nemo ſermonem conferre potuit, ſine teſte. Februarij die penultimo, Bucerus, Cantabrigiæ uitā finit, honorificè admodū ſepultus, & doctorū hominum celebratus epitaphijs, inter quos etiam erant adoleſcentes duo, fratres, è familia Suffolcia, quorum mater & antea ſemper, & ægrotanti Bucero fidē omnem et beneuolentiam præſtitit, fœmina religionis amantiſſima. Per hos dies epiſcopus Argentinenſis grauem habet querimoniā per literas ad ſenatum, de concionatoribus, quaſi populum accendant, & clerū magnis obijciant periculis: ut igitur iſta corrigantur, petit: alioqui ſe capturum ex tempore conſiliū. Martij die x, Ferdinandus rex &

filius

filius Maximilianus abeunt Augusta. nã ad hoc usq; tempus actio fuit eis cum Cæsare & sorore Maria. Bremenses quoque legati re infecta tandem discedunt. Ad Magdeburgum res agebatur leuioribus prælijs, & crebris eruptionibus: & cùm Albis exundasset, oppidani, fabricatis nauibus, aduerso & secundo flumine commeatum importabant. Varia subinde cõspiciebantur id temporis prodigia, per Saxoniã, & in his, terni soles, totidémq; lunæ, modò pallidi, modò sanguinei coloris. Magdeburgici de auxilijs appellabant urbes maritimas per Volratum & Ioannem Mansfeldium, Alberti Comitis filios: uerùm id frustrà fuit. Castella deinde constituunt hostes ad Albim, infra & supra urbem, ac dispositis utrinque nauigijs, impositisque præsidijs, nauigandi facultatem oppidanis eripiunt. Sæpe etiã dimicatum fuit, quum pecus illi uellẽt abigere, quod oppidani quotidie in pascua circum urbem emittebant. Tertio idus Aprileis, pontifex, edito scripto, Farnesium Octauium grauiter incusat, &, quo tempore, Parmam, inquit, à me simul & summam præfecturam accepit, fide data promisit, nulli principi suã operam addicere, nec alienum præsidium Parmæ uelle imponere, nisi meo permissu: cùm autem ad noua consilia spectare uideretur, amicè non semel, per internuncios, pérque fratrem Alexandrum cardinalem, officij illum admonui: & quia paulò tum respondebat alienius, missis literis, grauissimas ei pœnas denunciabam, si secus faceret: certior deinde factus, illum non stare pactis, ualde sanè pro eo ac decet, commotus fui, talem iniuriam ab eo mihi fieri, quem tantis honoribus locupletassem & beneficijs: nunc ergò, quanquam in re tàm aperta statim decernere mihi liceat, tamen, ut humanitatem nostrã intelligat, edico, ut intra diem trigesimum sese Romę sistat, & accusationibus respondeat, & idoneè nobis in posterũ caueat. nam si negligat, iam ipsum & læsæ maiestatis, & perfidiæ, & grauissimorũ criminum damnatũ esse uolo: simul quicquid habet bonorũ, publicum esse iubeo, & Cęsaris fidẽ, ut in eo plectendo mihi ferat opem, imploro, & ne quis omniũ ulla re ipsum iuuet, mando. Cùm calendæ Maij uenissent, inchoata quidem fuit actio concilij: sed quia perpauci tum adhuc aderant, & Parmense bellum interuenerat, in calendas usque Septembris producta res fuit. Qui Noribergæ conuenerant principum legati, mense Aprili, statuerunt, in obsidionẽ Magdeburgicam rursus esse contribuendam pecuniam. Et quanquam Cæsar edicto post idem mandabat, permagna tamen fuit in eo difficultas, & inuiti omnes conse-

rebant, quòd diuturnior esset obsidio, neque finis appareret. Quapropter etiam de pace Mauricius crebrò cum oppidanis agebat, & quinta die Maij, cùm illi fide publica uenissent in castra, diu multúmque disceptata res fuit, ipso præsente. Superioribus aliquot mensibus in suam familiam Mauricius asscripserat Hedeccum, à Cæsare proscriptum, & Lipsiæ præfecerat. is, propter religionem, & odio Cæsaris, benè cupiebat Magdeburgicis, & pacis erat consiliarius, ut eo confecto bello, Mauricius tentaret maiora. Iam tum enim inita fuerunt eius belli consilia, quòd in Cæsarem postea susceptum est, ut suo loco dicetur: uerúntamen de pace tum cõuenire nõ potuit, quòd duriora proponerentur, ídque studio, sicut multi putant, dum tempus duceret Mauricius, & occasionem expectaret agendi, quæ tunc data fuit, postquàm Galliæ rex bellum Cæsari fecit, ut infrà dicetur. Atq; interim in castris ante urbem grauis fuit orta seditio, propter nõ soluta mensium aliquot stipendia. Farnesius neq; Romam uenit citatus, & Galliæ regis confirmatus præsidijs, Parmam suscipit defendendam. Itáque Cæsar, Maij die decimotertio, literis editis, quia pro meo, inquit, erga pontificem & ecclesiam Romanam officio & uoluntate, cupio ea præstare quæ debeo, & prouidere, ne per hanc occasionem, maiores in Italia motus, & pòst alijs in locis, oriantur: deinde, dum considero, quàm iustis de causis pontifex moueatur, & quàm nihil ab eo sit prætermissum, ut Octauius in officio permaneret, Ferdinandum Gonzagam ad hanc prouinciam delegi, quoniam ipse coràm adesse non possum, ut pontifici meo nomine ferat opem. Quapropter mando, qui sunt nostræ ditionis per Insubriã, ut dicto sint illi audientes hoc in bello, non secus atq; mihi ipsi, déntq; operã, ut hosti quàmplurimùm noceatur. Sic igitur Gonzaga, belli facit initium, & populatus agros, Parmam, pontifex uerò Mirandulam obsidet. nam & Gallicarum erat partium Mirandulanus, &, nisi distineretur, Octauio plurimùm poterat & Parmensibus cõmodare.

Ad Maij diem uigesimum secundum, Heluetijs pontifex amanter admodũ scribit. sicut Iulij secundi, qui magna charitate sit ipsos complexus, nomen sibi sumpserit, ità etiã in ipsis diligendis exemplum illius atq; uestigia sibi ad imitandum proposuisse: adhuc quidem uarijs atq; grauissimis reipublicæ distento negocijs non sibi licuisse studium animi sui declarare, sed tamen ipsorum retinuisse memoriam constantẽ: ídq; duabus potissimùm rebus apparere: primùm, quòd ad sui corporis custodiam ex ea gente satellitium in urbe delegerit,

deinde,

deinde, quòd idem quoq; fecerit Bononiæ, confisus ipsorum & industriæ & fidelitati: nunc autem, quandò sit indictum, & nuper ad Maij calendas inchoatum Tridenti concilium, scribendi datam ad ipsos occasionem esse: cùm igitur ad tam pium opus atq; necessariũ adiuuandum, magni sit ipsorum futura momenti coniunctio, plurimùm hortari, ut qui sunt per ipsorum fines atq; ditionem proceres ecclesiastici, ne desint, sed ad alterum ibi consessum, calendis Septembris adsint: reliqua fore, ut ex Hieronymo Francho, Equite, legato suo, cuius & fides & diligentia sit ipsis à multis nunc annis explorata, cognoscant: deinde, quia sibi negocium hoc magnopere sit cordi, non multo pòst tempore se missurum aliquem è suis intimis episcopis, qui de concilio cum ipsis agat prolixius. Sub exitũ Maij, Cæsaris filius, Augusta discedens, per Italiam redit in Hispaniam. cum eo proficiscitur Maximilianus patruelis & sororius, ut uxorem educeret, duorum liberorũ matrem. Galliæ rex interim, leniendi pontificis & cardinalium senatus causa, per oratorem suum, Paulũ Thermum, Romæ demonstrat, quòd Octauium in suam fidem acceperit, nullam reprehensionem mereri: nam hoc esse propriè regum, ut subueniant afflictis: deinde, nullum se quæsiuisse priuatum in ea re compendium, sed quicquid fecerit, ecclesiæ Romanæ causa fecisse, maiorum exemplo, qui & facultatibus illam præ cæteris amplificarint, & armis quoque non semel protexerint: quum enim ecclesiæ sit patrimonium, Parma, se hoc unum solicitè uoluisse cauere, ne in manus ueniret alienas, eóque nomine sumptus facere quotidianos, ac sustinere maximos: orare itáque, & uehementer quidẽ, ut in eam partem interpretetur, & quam de se conceperit opinionem, deponat: id enim summo cum reipublicæ commodo futurum: si uerò satisfactione repudiata, paci bellum præferat, uidere ipsum, quanto id fiat & Italiæ totius & Europæ detrimento atque periculo, quàm etiam de religione nulla possit actio firma institui uel diuturna: quòd ergò grauissimus nascetur ex eo motus, quòd concilium iam indictum coire non poterit, aut si coeat, necessariò dissipabitur, quòd in eo rerum statu neminem ipse possit episcoporum sui regni, Tridentum mittere, harum rerum culpam in se nullam esse transferendam, qui pacis conditiones uelit non ferre tantum, sed etiam accipere, & hoc quidem ità se contestari palàm. Iulius autem ope Cæsaris confisus & pollicitationibus, nihilo fuit ea legatione factus mitior. Iunij mensis die decimo septimo, Mauricius fidẽ

publica rursus cauet Magdeburgicis, ut de pace legatos ad se mittant. profecti, & ab Alberto Brandeburgico deducti, Pirnæ, quod est oppidũ Misniæ, Mauricium offendunt. nam domum redierat, et remissius agere uidebatur. Vbi uenissent, nomine Cęsaris has proponit conditiones. dedant sese, nulla conditione, ac supplices deprecentur: fœdus nullum in Cæsarem, Ferdinandum regem, Austriã, Belgium faciant: Imperij decreta omnia seruent: iuri se sistant, & clero de damno dato satisfaciant, munitiones atque ualla demoliantur, præsidium mille ducentorum militum admittant, Cæsarem, Ferdinandum, ipsiusque legatos, cum quantisuis copijs, quocunq; tempore recipiant, duodecim magna tormenta tradant, centum aureorum millia dependant, has conditiones omneis iureiurando confirment. Ista, quanquam ab eis præstari nõ poterant, tamen nõ fuerunt prorsus repudiata, et intercedente Hedecco, sensim aliquid remittebatur. Cæsar, antea missis in Germaniam literis, præsertim ad Augustanæ confessionis ordines, idoneè ipsis cauerat, hortatus, ut ad calendas Maias adessent Tridenti: sed quia propter bellum Parmense reiectus fuit concilij dies ad initium Septembris, ut antè docuimus, iterum monet, ut omninò ueniant, æquitatem omnem atq; fidem pollicitus. Quanquam uerò plurimi erãt eius professionis, tamen, quod inprimis erat necesse, non communicabant inter se consilia, uel, quòd de summa rei desperarent, uel quòd Cæsaris metuerent offensionẽ, uel quòd in ipso iam uelut aditu periculi remollescerent. Ciuitatibus autem soli Argentinenses, quid uicini, quid etiam longinquiores in eo facere constituissent, missis internuncijs, exquirebant. Et Mauricius quidem, Philippo Melanchthoni mandarat, ut doctrinæ capita conscriberet, quę pòst exhiberentur publicè. eo confecto libro, cùm ad octauum Iulij diem Lipsiæ conuenissent omnes theologi & ecclesiæ ministri, iussu principis, recitatur scriptum, & omnium assensu comprobatur. eandem quoque rationem princeps Christophorus Vuirtembergicus instituit, & authore Brentio, conscribitur eiusdem generis libellus. Et licet eadem erat utriusque scripti sententia, separatim tamen suum uolebat exhiberi Mauricius, ne, si plures idem communi nomine simul proposuissent, Cæsar, factæ cuiusdam societatis conciperet suspitionem: uerúntamen, missis utrobique libellis, & Saxonicum Vuirtembergenses, & Vuirtembergicum Saxones, & utrunque pariter Argentinenses theologi, cùm legissent, approbarunt: atq; ità conuénit, ut suo tempore mitterentur

in

in concilium, qui hæc proponerent atque defenderent. Dux Vuirtembergicus, patris exemplo, Ioannem Brentium, ob insignẽ eruditionem fouit, ad piæ doctrinæ restaurationem usus illius opera, pòst etiã ecclesię ministerio restituit atq; præfecit Stutgardiæ. Iulij die uigesimo quinto, Brandeburgicus Albertus, absente Mauricio, per præconem reiicit ea, quæ Magdeburgici responderant ad pacis conditiones, Pirnæ propositas à Mauricio. Pridie eius diei mediocrem cladem acceperat: nam utrinq; maioribus, quàm unquàm antea, uiribus, dimicatũ fuerat. Ad idus Augusti, parum à seditione res abfuit in urbe. nam ad milites delatæ fuerunt literæ, quibus hoc inerat, esse in senatu, qui uellent urbẽ hosti prodere, & in his quidẽ, Henricus Almanus. quare facto concursu milites illũ deposcunt: ubi uenit, iniuriam sibi fieri, neq; recusare pœnam, si demonstretur, & ab hoste confictum esse dicit, ut quod uiribus & aperto Marte non possint, insidijs & astu perficiant: cùm deinde senatus uniuersus fidem pro eo dedisset, sedata res fuit, & è ciuibus atque milite delecti fuerunt nonnulli, qui cognoscerent, cuiusmodi literæ deinceps ultrò citróque mitterentur. Octauo pòst die, Mauricius, datis ad Cæsarem literis, nunciat, se quidem ea fide, quam dedisset, fore contentum, neque magnopere quicquàm in eo desiderare: sed audire concilio Constantiensi decretum esse factum, ut in hæreticos aut alioqui suspectos inquisitio fieret, si fortè ad concilium uocati uenissent, déque ipsorum crimine pronunciaretur, etiamsi Cæsar ipsis idoneè cauisset: hoc decretum in publicis extare monumentis, & quod ità statuissent, ipsa re comprobasse, necato Ioanne Husso, qui Sigismundi Cæsaris fidem secutus eò uenisset: quod cùm ità sit, non se posse quenquàm è suis mittere Tridentum, nisi qui sunt ibi proceres ecclesiastici, fidem quoque suam, communi concilij nomine interponant, sicut in concilio quondam Basilienſi factum sit, quod proximum ab illo fuerit: Bohemos enim, exemplo superiori commotos, noluisse tum eò uenire, nisi prius accepta fide publica totius concilij: petere igitur, ut ipse pro sua uel authoritate uel gratia hoc apud illos efficiat: nisi enim ad eandem formam, ut olim Basileæ, caueatur, non debere sibi uel etiam alijs eiusdem professionis esse fraudi, si neminem è suis eò proficisci patiantur. Cæterùm, de Bohemis & Ioanne Husso Constantiæ cremato, déque bello, quod inde secutum est, libro tertio diximus. Et quoniam Constantiæ factum erat decretum, ut proximum ab eo concilium haberetur,

post annum quintum, alterum post annos septem, & deinceps decimo quoque anno, Basileæ rursus conueniunt patres. Et quia nondũ erãt reconciliati Bohemi, res acta fuit inter eos literis & internuncijs, & Egræ oppido cõcepta fuit fidei publicæ formula, quam si patres admitterent, non se recusare dicebant Bohemi, quò minus uenirent. Vbi legationem, qui fuerant missi, renunciassent, patres approbant, & formulam illam sigillis obsignatam mittunt, & datis ad eos literis amicissimis, hortantur, ut sese comparẽt, ut, quum Sigismundi quoque Cæsaris allata cautio fuerit, iter ingrediantur. fuit hoc in quarto consessu, anno salutis M.CCCC.XXXII. Cuiusmodi uerò sit illa patrũ cautio, sequenti libro docebitur. Mauricius ergò, quũ hac de re monitus esset à suis, interpellat Cæsarem, & præscriptum urget Basilien se, ueluti postremum, & huic ætati maximè cõueniens. Nam & protestantes erant ea ferè conditione, qua Bohemi quondam, & ijsdem propè de causis erat indictum Tridenti concilium, quibus olim Basileæ, nimirùm, ut extirparentur hereses, ut reipublicæ pax & ocium restitueretur, ut ecclesia sublatis uitijs, emẽdaretur. Augusti die uigesimo sexto, mane, post concionem, ecclesiæ Augustanæ doctores atque ministri, numero decem, accersiti fuerunt cum ludimagistris in ædes Atrebatensis episcopi, pro se quisque: cùm eò uenissent, alij post alios, ignari quid esset, iubentur consistere separatim neque colloqui: pòst, in aulam, ubi cum Hasio, Seldo, Maluenda & quibusdã alijs consederat Atrebatensis, uocantur ordine singuli. Verba facit Seldus & quæstiones proponit, an in cœna domini, tantùm sub una specie, quantum sub utraq; contineri: deinde, quàm multa credant esse sacramenta? postremò, cur non doceant iuxta formulã ante annum tertium à Cæsare præscriptam, cùm tamen id se facturos receperint, non minus quàm senatus ipse ac uniuersi ordines? Respondent, pro se quisque separatim. Christum instituisse cœnam integrã, & sequendum illius esse præscriptum: in sacris literis duo tantùm reperiri sacramenta, baptismum atque cœnam domini: formulam illam doctrinæ minimè se recepisse, quòd à sacra scriptura dissentiat. Hîc Atrebatensis admodum stomachosè, putatis ergò non licere Cæsari, sicut de politicis, ità quoque de rebus sacris ferre leges, ac certam rationem præscribere? Quid Cæsari liceat, non iam disputamus, aiunt illi, sed, uti iam diximus, formulam istam neque recepimus, neque sanè possumus approbare. tum ille magis etiã excanduit, & ira tumidus, eos acri conuicio reijcit. Cùm etiam de sacramentis illud

dicerent,

dicerent, Seldus iureconsultus eos increpabat acerbè. Sic ab illis dimissi, foris expectare iubentur, & per satellitem deducti, suo quisque loco, constituuntur, ne congredi possent. Mox è præcipuo senatu rei publicæ nonnulli uocantur: cùm hi uenissent, illi simul omnes introducuntur, ijsq; mãdatur, ut intra diem tertium, ante solis occasum, ex urbe decedant: ne posthac intra fines Imperij, & quàm latè Cęsaris patet iurisdictio, concionem ullam habeant: ne quem ex propinquis aut amicis conueniant, neque sui discessus causam ulli dicant, ne cui pòst in urbe scribant, aut quid cum ipsis actum sit, exponant. Hęc, sublatis digitis, ut habet ceremonia, per iusiurandum polliceri, quantumuis inuiti, coguntur: senatui deinde mandatur, ut quibus in templis religio Lutherana doceretur, cessatio fiat, donec Cæsar aliud iniungat. Ad eundem modum fuit actum etiam cum Memingensibus, & alijs per Sueuiam, qui & ipsi uocati eò uenerant: etenim & docẽdi munere & reditu ad suos illis interdicitur. Cunq; ex ipsis quidam partui iam esse uicinam uxorem suam diceret, ideóq; maiorem in modũ oraret, ut eam sibi reuisere tantùm liceret: Atrebatensis, ad suos cõuersus, uxorem, inquit, uocat, quæ scortum est. Sic ergò discedere coacti, magnum in urbe luctum excitarunt: ciues autem quo poterant officij genere prosequebantur illos, & donis atq; liberalitate. Saxoniæ quoq; dux captiuus, ubi cognouit, per internuncios & consolatus est, & pecunia quoq; iuuit discedentes. Cur ad hunc modũ Cæsar ageret, causa fuisse putatur, primùm, quòd à nõnullis incitaretur: deinde, quòd inquisitione facta reperit, cõcionatores obstare, quò minus decretum ipsius de religione ualeret: postremò, quòd de Saxonũ & Sueuorum & Argentinensium theologorum consensu, per indicium acceperat. Expeditissima uidebatur autem esse ratio, si pellerentur, ut Tridentinis patribus tantò esset actio facilior, & paratior uictoria, si quidem aduersarij, quos mitterent, uix essent ullos habituri. Pulsi & eiecti, partim ad Heluetios, partim aliò confugerunt. Eius rei fama cùm increbuisset, multos perterrefecit. nam, quod ibi contigisset, quin idem alijs etiam in locis fieret, nemo dubitabat: sed ecce, dum in eo metu sunt omnes, bellum Cæsari Galliæ rex facit, & simul naues aliquot Belgicas inuadit, captásq; trahit in portũ, & diripit, & per Pedemontium atq; Taurinos oppida multa capit, & in his, Cherium atq; Sandamianum, ductore Brissaco. De nauibus interceptis, edito scripto, Cæsariani ferunt, cùm nihil minus quàm bellum Cęsar expectaret, ac suis, ut essent pacati, mandasset, Gallicum ducem Polinũ in has inci-

disse, & quasi reginam Scotiæ ueheret, nũciasse illis, ut honoris causa, pro more antiquo atq; recepto, ponerent antennas, uela demitterent, eamq; tormentorum tonitru salutarent: id cùm fecissent, inermes fuisse per fraudem circunuẽtas & abductas. Mirum plærisq; uisum fuit, regem in hac tanta fortuna Cæsaris atque splendore, ausum fuisse amicitiam ei renunciare: sed & Cæsari præter opinionem accidisse fertur. Nam etsi Farnesium oppugnabat, Gallorum tamen, quibuscum pacem ante septimum annum fecisset, hostis idcircò uideri nolebat. Rex autem, quòd per latus Octauij se quoq; uulnerari diceret, quòd de Turcis iam mare nauigantibus compertum haberet, deinde, quòd de Mauricij uoluntate per internuncios accepisset, & quòd in ea corporis imbecillitate, ac subinde recurrente morbo, non diu posse Cæsar uiuere putaretur, magno rem animo fuit aggressus. Eodem prope tẽpore, Turcica classis, cùm arcem Melitę frustrà tentasset, Tripolim Aphricæ capit. eius autem rei culpam Cæsar in Galliæ regem conferens, ipsius dolo factum hoc esse dicebat, ad Germaniæ principes atq; ciuitates missa legatione. Rex uerò, simul ac resciuit, excusat, & Turcici belli causam esse dicit, quòd Africam urbem Cęsar ipsis non restituat ex promisso, quòd Zolnocum arcem, ad Vngarię fines positam, Turcicę ditionis, Ferdinandus rex occuparit & muniat, quòd tributum annuũ ei persoluere recuset, ac per Transsyluaniam res nouas moliatur. deinde, narrationem Cęsaris, qua demõstratur, quomodo Gallici legati Aremontij perfidia sit amissa Tripolis, contraria narratione refutat, eámq; Turcarum Cęsaris epistola confirmat. Dum hęc geruntur, uenit concilij dies, calendæ Septembris. eum ad diem præsto fuerunt præter Italos & Hispanos episcopos, Moguntinus & Treuirensis, magna omnium, ut quidem apparebat, lætitia & congratulatione, neq; multò pòst, etiam Coloniẽsis. Nam & coràm in Augustæ comitijs, & deinde literis atque nuncijs ualde solicitauerat eos Cæsar, ut adessent. Dignitate enim atque splendore & potentia cæteros antecedunt, & ipsorũ ditione plærięq; Germaniæ continentur episcopi. Quum ergò diutius permanendum sibi putarent, paucis tantùm seruatis, reliquos omneis uendebant equos, & in longum tempus rei domesticæ prouidebant. Venit etiam eò Argentinensis & Viennensis et Constantiensis & Curiensis & Numburgicus: alij, uel occupationibus, uel ætate, uel ualetudine detenti, cum ueniam impetrassent, uicarios mittebant. Pontificis nomine præerat cardinalis Crescentius: huic erant adiuncti archiepiscopus Sipontinus, episcopus Veronensis.

nenſis. Cæſar eò miſerat Franciſcum Toletanum, Hugonem Comitem Monfortum, Gulielmum Pictauium. Ferdinandi quoq; regis & Vngariæ loco nonnulli aderant. Facto igitur in æde primaria conuentu, ſeſſionem ipſi uocant, prima die Septembris, & peracta miſſa, reliquiſq; ceremonijs, quæ ſolent initiò fieri, confectis, aderat ex improuiſo Galliæ regis orator, abbas Loſanus, cum literis, quæ ad conuentum Tridentinum erant inſcriptæ. Eas ubi reddidit legato pontificis, inſcriptione lecta, cœptum eſt diſceptari, cur conuentum potius quàm concilium appellet: non eſſe recipiendas eas literas, neq; legendas, niſi mandatum habere ſe demonſtret. Cúnq; tumultuoſus admodum eſſet excitatus clamor, ab Hiſpanis præſertim epiſcopis, ac ille diceret, literis comprehendi mandatum, legatus pontificius conſurgit, & in ſacrarium templi ſeuocat patres. Re diſputata, quòd in bonam partem accipi poſſet inſcriptio, placuit illum eſſe audiendum. Lectis itáq; literis priuatim, quibus & dolorẽ ſuum rex, & iniuriam ſibi factam breuiter ſignificabat, & fidem haberi legato poſtulabat, denuò conſederunt omnes, et tum palàm recitatis literis, reſpondent. Quòd conuentus nomine, conciliũ denotet rex, in bonam ab ipſis accipi partem: neque uelle ſiniſtri quicquam de tanto rege, qui chriſtianiſſimi cognomen obtineat, ſuſpicari: ſin autem alia ſit ipſius mens atque uoluntas, tum literas illas habere ſe pro non ſcriptis. deinde iuſſus eſt exponere mãdata. Tum ille prolixam orationem de ſcripto recitat, & principio, quid per oratorem ſuum Paulũ Thermum egerit cum pontifice & cardinalium ſenatu, rex commemorat: ijs rebus omnibus, cùm tamen ad pacem aditus omneis aperuiſſet, nihil quicquam profeciſſe: & Iulium pontificem, qui maiorum exemplo controuerſias principum minuere debebat, longè maximum excitaſſe dicit incendium, quo minimè omnium oportuit tempore, quandò uidelicet reipublicæ Chriſtianæ ſtatus uehementer ſit afflictus: quòd cùm ità ſit, & quoniam ille tàm aſperè tanq; implacatè ſecum agat, qui ſit natu maximus eccleſiæ filius, proteſtatur, ſicut Romæ quoq; factum eſſe dicit, primùm, ob grauiſſimos bellorum motus non ſibi licere nec integrum eſſe, ſuæ ditionis epiſcopos mittere Tridentum: deinde, non habere ſe concilium hoc pro publico ſeu generali, ſed magis pro conuentu quodam priuato, qui ſit non reipublicæ, ſed paucorum aliquot compendij & utilitatis cauſa inſtitutus: denicq;, decretis illius neque ſe neque ſui regni quenquam poſſe teneri: quinetiam adhibiturum ea ſe remedia demonſtrat, ſi res ità ferat, quibus in con-

ſimili cauſa, ſui maiores uti conſueuerint: animo quidem ſe futurum ſemper erga religionem & eccleſiam Romanam integro atque ſyncero, neq; commiſſurum aliquid iuſta reprehenſione dignum: ſed quoniam iniurijs & odio quorundam, nullo ſuo merito grauetur, non poſſe aliud in hoc tempore præſtare: conteſtationem igitur hanc boni conſulant, & huius actionis documentum ſibi communicent, quò reliquos orbis Chriſtiani principes atq; populos de re tota certiores faciat. Porrò, quòd ille remedijs uſurũ ſe dicit eſſe maiorũ ſuorum, ſic habet. Sicut per omneis alias prouincias, ità per Galliam quoq;, ſi quis uacaret epiſcopatus aut abbatia, quam uocant, eligendi liberam habebant facultatem hi qui dicuntur canonici & monachi, minora uerò ſacerdotia, quæ non ſunt electiua, ſicut aiunt, epiſcopi conferebant & patroni: deinde, lites omnes de rebus ſacris aut beneficijs, in ſua quæq; prouincia, diſceptabantur. Pontifices autem Romani, creſcente cupiditate, cœperunt electiones illas euertere, & per reſeruationes, atque gratias expectatiuas, uti uocant, emolumentum omne Romã & ad ſe deriuabant, & lites omneis, etiam primę, ſicut loquuntur, inſtantiæ, Romam euocabant. Huius uerò mutationis factum eſt initium in Gallijs, Ludouico nono, rege: uerùm is animoſè reſtitit, & anno ſalutis humanę M.CC.LXVII legem tulit, ut mos antiquus retineretur, nec ullum eo nomine tributum Romano põtifici perſolueretur. Iſta quidem lex multis annis ualuit, ſed peruicit tãdem uis põtificum, & quàm latè nomen Chriſtianum patet, ſuas illas, de quibus dixi, gratias & reſeruationes euulgabant, & omnibus erant uehementer graues: donec ſynodus Baſilienſis aucupium iſtud & expilandi rationem ſuſtulit, ueteréſque leges de collationibus & electionibus reſtituit, & annatas exigi prohibuit. Decretum hoc concilij, rex Galliæ, Carolus ſeptimus, re cum ſuis deliberata, ratũ habuit, & anno M. CCCC. XXXVIII confirmauit edicto, quod uulgò pragmaticam uocant ſanctionem. Eugenius uerò quartus cõcilium hoc irritum pronunciauit, uti libro primo diximus, & qui ſecuti ſunt eum pontifices, decretum iſtud repudiarunt, & ſciſmaticum eſſe dixerũt: & Pius quidem ſecundus Ludouicum undecimũ Caroli ſeptimi filium, miſſo legato, magnopere ſolicitabat, ut ſanctionem illam aboleret: rex autẽ, à ſenatu Pariſienſi, totius Galliæ celeberrimo, qui totus ferè conſtat è iureconſultis, conſilium exquirit. Hi, multis ex uetuſtate repetitis, quid ſuperiorũ temporum pontifices, quid ſynodi, quid ipſius denique maiores, Clodoueus, Carolus magnus, Philippus Deodatus, Ludouicus nonus, Philip-

lippus Pulcher, Ludouicus Hutinus, Ioannes primus, quid ipsius deniq; pater & auus in eo statuerint, quàm florens eo tẽpore Gallia fuerit, & quàm nunc sit adflicta, demõstrant: & nisi leges antiquæ seruentur, futurum est, inquiunt, ut ecclesiasticus ordo conturbetur totus, ut et infrequentior sit Gallia, plerisq; Romam transcurrentibus, & facultatibus exhauriatur, ut templa & id genus alia sumptuosissima plurimáq; per Galliam ædificia, negligãtur & corruant. Et ad rem nummariam quod attinet, nisi patris tui sanctio ualeat, efferentur è Gallijs Romam, aureorum millia decies centena, quotannis. Etenim, ut reliqua taceamus, Pio secundo, iam pontifice, uacarũt episcopatus ad minimũ uiginti, qui singuli tàm pro annatis quàm pro reliquo sumptu dependerunt millia sena: uacarunt abbatiæ circiter LX, singulæque soluerunt millia bina: uacarunt ex reliquis beneficijs plus quàm ducenta, quæ singula numerarunt aureos quingẽtos: deinde, sunt in tuo regno paroeciarum millia centum et amplius, è quibus infinita uis auri, per inuentum illud pontificium conflata fuit. Patris igitur insiste uestigijs, nec à Basilienſi decreto discedas. Hoc quidem erat senatus consilium: sed rex, pontificis uel authoritate uel arte uictus, aboleri sanctionem uoluit, eiusque rei fuit administer cardinalis Baluensis, regi multùm familiaris, quem sibi pontifex deuinxerat: uerùm & procurator regius & schola Parisina, cuius permultum intererat, magnis animis obsistebant, & à pontifice prouocabant ad concilium. Ludouicus deinde duodecimus graues exercuit hoc nomine cum Iulio secundo inimicitias, & in Lateranense concilium illata res fuit, & qui successit Ludouico Franciscus primus, cum Leone decimo certis demùm transegit conditionibus, Bononiæ, post captam Insubriam: nimirum, ut episcopatu uacante uel abbatia, non quidem eligendi facultatem haberent collegia, sed regis tamen esset, intra sextum mensem nominare quempiam Romano pontifici, quem eo munere dignũ esse putaret. Hoc igitur illud est inter alia, quod rex Henricus iam per suum legatũ eis de remedio significabat. nam reges hoc ueluti freno cohercẽt pontifices, cùm dissidẽt ab illis, & pragmaticam sanctionem urgent, hoc præsertim tẽpore, quandò fulmen Romanũ, nõ sic, ut olim, metuitur. Et quoniã est amplissima simulq; locupletissima Gallia, nõ absq; summo dispẽdio Roma copijs illius carere potest. Quod autẽ se facturũ hîc significat, id nõ multò pòst fecit, ut infrà dicetur. Eodẽ etiam remedio quondã est usus Galliæ rex, Philippus Pulcher, aduersus Bonifaciũ octauũ. Etenim, cùm is militiã imperaret ei

transmarinam, contra Saracenos, & excusatione repudiata mandaret, ne quam in suo regno pecuniam ab ecclesijs exigeret, quod belli necessitate coactus rex fecerat, &, nisi pareat, sacris interdiceret: ille proceres omneis ac ordines Luteciam Parisiorum conuocat, & Bonifacij commemoratis iniurijs, cùm & episcopi & principes omnes atque nobilitas interrogati, facultates omneis ipsius beneficio, & liberalitate sese tenere profiterentur, mandat, ne qua deinceps pecunia Romam eferatur, simul aditus omneis atque uias diligenter obseruari iubet.

Cæterùm, ubi rationem subducit senatus Parisinus, quantum episcopatus & abbatiæ uacantes persoluant, ut antè dictum est, hoc intelligendum esse dicunt de superiori tempore: nunc enim duplicatum esse censum, & excedere prouentus annuos, ità quidem, ut nonnulli beneficiarij, propter nimiam exactionem relinquant diplomata mẽsarijs. Sunt autem in Gallijs archiepiscopatus XII, Aquensis, Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis, Tholosanus, Burdegalicus, Auxitanus, Bituricensis, Turonicus, Rothomagensis, Rhemensis, Senonensis: episcopatus autem circiter nonaginta sex, è quorum uacantijs uti uocant, Romam perfertur ingens auri uis, & ex archiepiscopatibus quidem circiter aureorum millia sexaginta, trecenti, quemadmodum Ludouici duodecimi tempore subducta ratio fuit. His literis perlectis, patres fore dicunt, ut in proximo consessu respondeatur, si quidem concilium esse Tridenti rex agnoscet: quæ uerò nunc acta sint, non admittere se, nisi quantum iure liceat: ideóq; ne testimonium quidem aut documentum ullum huius actionis ei communicari posse. Quum deinde proximo consessui dies constitutus esset, Octobris dies undecimus, domum quisque redit, quod fuit sub horam secundam à meridie. Hic autem explicandum uidetur, quæ sit forma, quis ordo publici consessus. Vbi dies ille uenit, patres, ut ipsi loquuntur, in ædibus legati pontificij conueniunt: & inde à templo primario usque ad eius domicilium constant bipartitò milites, circiter CCCC, & equites quinquaginta, uel eò plures. Ad horam nonam prodit legatus, præeunte crucifero: siniſtrum latus ei claudit cardinalis Tridentinus: pòst eius collegę sequuntur, & electores archiepiscopi, tum Cęsaris ac Ferdinandi regis oratores unà permixti, deinde, reliqui episcopi, suo quisque ordine. Cùm ex his postremi ad ædem sacram uenerunt, milites è uestigio sua tormenta displodunt, excitato tonitru: postea forum occupant, & ibi circaq; templum in statione cõsistunt, donec dimittitur conuentus. hi omnes magna ex parte conuocantur

ex

ex agris, ut præsto sint ad eum diem & expediti: sed & ipsum oppidū multos etiam subministrat. Vbi uentum est in templum, fit sacrū. eo finito, recitantur concilij decreta, & simul proximè futuro consessui dies dicitur. tum etiam si qui legati uolunt aliquid in medium proponere, audiuntur. Propter uarias autem & multiplices & operosas admodum ceremonias, quæ singulis rebus adhibentur, in multū ferè diem extrahitur actio: qua tandem finita, legatus eadem pompa domum reducitur. In consessu primum locum obtinet legatus pontificius, ab eo Tridentinus, inde legati collegæ, pòst, archiepiscopi electores: ad læuam sunt Cæsaris & aliorum principum oratores. intermedia scamna tenent archiepiscopi, episcopi, reliquiq; proceres, ut quisque susceptι ordinis tempore præcedit. Altera die Septembris data sunt theologis themata, quæ discutiant, & suam quisq; sententiam de singulis dicant, ut in futuro consessu definiantur. In pronunciandis autem sententijs hic fuit præscriptus modus, ut sacræ scripturæ, traditionibus apostolorum, receptis & approbatis concilijs, & sanctorum patrum authoritatibus insistant, ut breuitatem adhibeant, ut à superfluis & inutilibus abstineant quæstionibus, ut proteruiam & contentionem omnem fugiant. Ad ordinem uerò quantū pertinet, placuit, ut primo loco dicerent, quos pontifex Romanus misit, theologi, deinde, quos Cęsar, atq; ità deinceps. Legatus quoq; pōtificius, indagandæ ueritatis, & ut aiunt, falsas opiniones confutandi causa, permisit, ut cuiusque modi libros euoluerent. Aderant autem magno numero theologi, Hispani, Itali, Germani, quos & pontifex & Cęsar, eiusq; soror Maria, miserant, quos etiam Colonienſis & Treuirenſis, & Hispani atq; Itali episcopi secum adduxerant. Ad hos deferebatur summa cognitionis, nec alijs, qui non essent eius professionis, & qui titulum, ut aiunt doctoris non haberent, pronunciare quicq; licebat. In gratiam tamen Colonienſis & Treuirenſis episcopi fuit admissus Ioannes Gropperus iureconsultus, & Ioannes Delphius, theologus quidem, sed gradu doctoris inferior. Et quia superioribus aliquot consessibus anni M. D. XLVI & sequentis, de peccato originis, de iustificatione, de libero arbitrio, de septem sacramentis, nouæ legis, ut uocant, in genere, sed & de baptismo & confirmatione speciatim definitum erat, placuit, ut illis omnibus, decreti uim obtinentibus, ad alia fieret progressus, & primò quidem, ad eucharistiæ sacramentum. proinde, themata quædam theologis tradita fuerunt, his omninò uerbis, ut dispicerent & inuestigarēt, an sint hęretica, & per sacram

ſynodum damnanda: ex Lutheri autem & Zuinglij & Buceri & aliorum libris ea themata collegerant. Theologi autem ità rem agunt. In ædes legati pontificij conueniunt omnes quotidie, multis horis, & eo, quem diximus, ordine ſeruato, ſinguli, de quibuſq; thematis, nulla cum interpellatione differunt, ſic tamen, ut eccleſiæ Romanæ iudicio ſua ſubmittant omnia. nam proteſtantium nulli aderant. Locus hic patet omnibus promiſcuè: legatus autem pontificius & reliqui patres omnes plærúnque adſunt: ſoli uerò theologi loquuntur, & à ſcribis excipiuntur dicta ſententiæq; ſingulorum. Vbi diſſeruerunt omnes, quod tunc ad ſummum xxx dierum ſpatio fieri conſueuit, epiſcopi ad legatum pontificium congregantur, & theologorum ſententias, à ſcribis annotatas, exquirũt: deinde, ex omni numero, ſinguliſq; nationibus, quæ tunc adſunt, quidam deliguntur, qui peruestigatis omnium ſententijs, dogmata conficere uidentur: doctrinam ipſi uocant: quid de quaq; re ſtatuendum ſit & credendum: poſtea, contrariam doctrinam & errores, ut ipſi dicunt, graui cenſura, non multis tamen uerbis, damnant: hæc omnia demum ad uniuerſum cœtũ referuntur: ubi planè conſentiunt, fit confeſſus publicus, uti ſuprà diximus, & palàm recitantur decreta: eo facto, rogantur epiſcopi, num approbent. ij placere ſibi ſinguli reſpondẽt. Atq; ità theologi quidem, quid ſit ipſorum ſententię de ſingulis rebus, demonſtrant: epiſcopi uerò ſoli, cúnque his pauci quidam alij mitrati, definiendi poteſtatem obtinent: quòd ità decretũ fuerit, ſacroſanctum eſſe iubent, & canones uocant. Hæc ità quidem publicè fiunt, ſed qui res Romanas familiarius nouerũt, aiunt omnia dogmata Romæ iam antè conſcripta iuſſu pontificis, ad legatum, ſuo tempore mitti, ut præſcriptum illud atque formulam, in differendo, theologi ſequantur. Nam ex ijs complures, ac epiſcopos quoq; multos alit ibi pontifex, & ridiculo prouerbio dici ſolet, ſpiritum ſanctum Roma ſubinde Tridentum uenire incluſum manticæ. propterea nimirũ, quòd crebrò pontifex & celeribus equis, quid fieri uelit, per literas atque mandata ſuis ibi legatis nunciat. Septembris die quarta, Magdeburgũ uenit Hedeccus: per eum Mauricius antea propoſitas conditiones ità mitigabat, ut illi pergendum eſſe in actione ſtatuerent. Interim erant induciæ, quæ pòſt etiam in plures dies extractæ fuerunt, ut infrà dicemus. Galliæ rex, alienato ab ſe pontifice, ſcriptum edit, & de iniuria ſibi ab illo facta, déque cauſa belli Parmenſis, & cur Octauium in ſuam fidem ſuſceperit, multa locutus, edicit, graui conſtituta pœna, ne qua pecunia Romã deinceps

ceps deferatur: cùm enim gerendi belli neruus in pecunia consistat, cuius hoc sit dementiæ, suis atque suorũ copijs, aduersarij uires alere ac potentiam confirmare? pontificum esse proprium munus, ut regum dissidia componant: hoc adeò fecisse Paulum tertium, qui iam propè confectus ætate, Niceam Liguriæ uenerit, sui parentis atque Cæsaris conciliandi causa: Iulium uerò longè aliam rationem sequi, & indicto nuper concilio, ualde quidem reipublicæ necessario, bellum in se concitasse, nimirùm consultò, ut Gallicanam ecclesiam, quæ sit ex præcipuis una, totam excludat, ne uidelicet concilium haberi possit legitimum, in quo tum procerum tum administrorum ecclesiæ corrigantur errores, ac emendentur uitia. Fuit hoc regis edictum publicè recitatũ Lutetiæ, septima die Septembris, cùm paucis antè diebus aliud fuisset illius euulgatum in Lutheranos decretum, longè grauissimum, quod superiorum annorum eius generis decreta partim confirmat, partim, ubi non satis accuratè scripta uidentur, exacuit, & ad summam seueritatem nihil reliqui facit, & qui denunciarint aliquid, magnis propositis præmijs atque pollicitationibus inuitat. Quod quidem eo consilio rex fecisse putatur, ut ijs, qui per Galliam, doctrinæ cupiunt fieri mutationem, ueluti frenum injceret, ne propter suum hoc cum pontifice dissidium, liberius agerent: deinde, ne, qui Romanam ecclesiam ueneran tur, ullam de se conciperent opinionem mutati erga religionem animi: postremò, ut tùm pontifex tum cardinalium senatus uiderent, ad suam amicitiam habere ipsos, cùm uellent, receptum. Ex aula deinde Cæsaris prodijt scriptum, quo belli Parmensis commemoratur origo, quánque iustam habeat pontifex causam offensionis in Octauium & Mirandulæ dominum, quánque sit irrequieta mente Galliæ rex, qui omneis undequaque captet occasiones, eóque totis uiribus incumbat, ut Cæsaris honestissimos conatus impediat & euertat: Cæsarem uerò, nihil his rebus omnibus permotum, eò fortius & animosius esse progressurum. Octauius præ se ferebat, quasi necessariò uenisset in fidem atque clientelam Galliæ regis, ob iniurias simul & insidias Ferdinandi Gonzagæ: sed hoc scripto refutatur illud: nam si qua metus causa fuit, occasionem esse datam ab ipso, qui uitæ capitique Gonzagæ sit non semel insidiatus. postea recitatur, quomodò in Cęsaris potestatem Placentia uenerit: pontificis nempe filium spurium, Petrum Aloisium, ubi Parmam adeptus fuit atque Placentiam, crudeliter administrasse rempublicam, & Nero-

nicè, ac non in fœminas tantùm, sed in mares etiam exercuisse nefarias libidines, pro sua consuetudine: domi ergò confossum & trucidatum à ciuibus esse, qui tantam immanitatem diutius ferre non possent: oppidanos deinde, quòd præsens periculum sibi paratum esse uiderent, si quidem in pontificis & ecclesiæ Romanæ ditionem redirent, unicum hoc habuisse perfugium salutis, ut Cæsari sese darent, præsertim, cùm olim etiam Imperij fuissent municipes: Itáque solicitasse Gonzagam, & orasse, ut in Cæsaris fidem reciperentur: nam alioqui futurum, ut aliunde sibi præsidium ac patrocinium pararent: uanum igitur esse, quòd metum ille sibi fingat: in Farnesios enim plurima Cæsarem contulisse beneficia: generum sibi delegisse Octauium, eiúsque parentem Aloisium urbe Nouaria in perpetuum donasse, & Marchionis cohonestasse dignitate: sed illorum fuisse permagnam ingratitudinem: & cùm aliâs, tùm eo ipso tempore, quo per simulationem amicitiæ opem ei ferebant, oppugnanti quosdam Germaniæ rebelles, in hoc fuisse totos, ut & Insubriam & Genuam ipsi eriperent: nimirùm in eo tumultu nefariè trucidatum fuisse inter alios, maxima & singulari uirtute uirum, Ioannum Doriam, dum & Cæsari fidelem operam præstaret, & à patria periculum depelleret. Galliæ regis nomine postea responsum ad ista prodit. in eo commemoratur, quomodò Cæsar, ut Paulum tertium sibi coniungeret, ipsius filio Petro Aloisio, Marchionis cognomen atque gradum attribuerit, quomodò Petri filium Octauium sibi generum assumpserit, quomodò alterum filium Alexandrum, ecclesiæ prefecturis multis amplificarit, quomodò deinde fœdus cum pontifice fecerit, in quo cautū fuisse dicitur, ut decretum senatus cardinalium, factū de principatu Parmæ & Placentiæ, Farnesiorum familiæ Cæsar confirmaret: cùm autem Cæsar bellum in Germania gereret, ac præ se ferret, quasi non propter religionem, sed rebellionis quorundam uindicandæ causa ueniſſet ad arma, pontifici permolestum hoc fuisse commentum, quòd uideret illum hac ratione suum agere priuatum negocium, & dominatum sibi comparare: neque sanè falsum eius fuisse iudicium: etenim confecto iam ferè bello, quum Farnesiorum opera Cæsar non admodum egeret, non obscurè suam erga pontificem alienationem declarasse: iam tùm enim eius per Italiam præfectos, ad occupandam Placentiam, animū & oculum adieciſſe, neq; multò pòst fuisse quosdam summissos percussores, qui Petrum Aloisium in cubiculo trucidarint, &,

priusquàm

priusquàm de cæde facta ciues audirent, introductũ fuisse militem, qui nomine Cæsaris arcem occuparint: quòd si huius facti Cæsar conscius non fuit, æquum sanè fuisse, ut à morte Pauli pontificis, urbem ecclesiæ Romanę restitueret: sed non modò non reddidisse, uerumetiam genero suo conatum esse Parmam eripere, & tum etiam, cùm Paulus adhuc uiueret, eius rei tractasse consilia, sic quidem, ut Paulus, quum ea cogitatione uehementius perturbaretur, è uita decesserit: postea comprehensos fuisse Parmæ sicarios, qui sponte dixerint, à Ferdinando Gonzaga datum ipsis fuisse negocium Octauij trucidandi: cùm igitur his in angustijs ille positus esset, cùm ab ijs, unde salutem expectabat, & à socero quoque, nõ fortunis modò, sed uitæ quoque suæ uideret insidias fieri, fidem opémque suam imploraſse, quam ei non potuerit denegare supplicanti.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber XXIII.

PACIFICATIONIS CAVSA, SVAE DITIONIS ORdines conscribit Mauricius, & sub finem Septembris Vuittembergam uenire iubet. eò quoque legatos, uti conuenerat, Magdeburgici mittunt, qui decimo pòst die domũ redeunt, ab Alberto Brandeburgico deducti. Suprà diximus, quemadmodum Mauricius, datis ad Cæsarem literis, flagitarit, ut nomine concilij theologis idoneè caueretur: Cæsar itáque suis oratoribus mandat, ut rem ad patres deferant & perficiant. Cùm ergò dies Octobris undecimus uenisset, fit consessus. in eo primùm recitata fuit explicatio doctrinæ, de corporali præsentia Christi in sacramento eucharistiæ, de ratione institutionis, de transsubstantiatione, quam uocant, de cultu & ueneratione huius sacramenti, de asseruanda hostia & ad ægrotos deferenda, de præparatione, ut dignè quis eam percipiat. Pòst, omnibus Christiani nominis interdicitur, ne secus aut credant aut doceant, quàm hic decretum sit: deinde recitati fuerunt canones. ijs omnia themata damnantur, quę suprà diximus ex Luthe-

ri libris & aliorum excerpta fuisse: uerúntamen, ut Cæsari morem gerant, ex ijs quatuor relinquunt indefinita. Sit ne ad salutem necessarium, & iure diuino præceptum, ut speciem utrámque sacramenti omnes percipiant: an qui solùm alteram percipit, minus eo sumat, qui simul utramq; : an errauerit ecclesia, cùm instituit, ut soli sacerdotes utramq; sumant, reliqui non item: an paruulis quoque sit eucharistia cõmunicanda. De his thematis aiebant protestantes cupere, prius quàm synodus aliquid definiat, audiri, & publica fide sibi caueri: cùm igitur ipsorum aduentum hucusque uehementer expetiuerint, & in spem ueniant, fore, ut ad pristinam ecclesiæ concordiã illi redeant, largiri ipsis tutum itum & reditum: & eorum thematũ definitionẽ in uigesimum quintum Ianuarij diem producere, ut ante eum diem adesse, ac sua in medium proferre possint: tunc etiam de sacrificio missæ, propter utriusque argumenti connexionem ac affinitatem agendum esse. Hæc illi quidem ità publicè recitarunt, quasi de his tantùm rebus audiri uellent ipsorum aduersarij, cùm eius rei nihil unquàm illi cogitassent. Præter Mauricium enim nemo Cæsarem interpellauit, atque id ipsum fecit in eam, ut suprà docui, sententiam, & erant multò maiora, quæ proponerentur ab illis. Quónam autem consilio sic pronunciatum fuerit, coniecturam quidem facere licet, nihil autem affirmari potest. quanquàm, ut ex duobus alterum sit, oportet. aut enim frigidè fuit & perperam ad eos delatum Mauricij postulatum, aut ipsi callidè sunt & negligenter in eo uersati. cuius quidem rei maiorem fidem facit ea, quam dederunt, publicæ fidei formula. Cùm enim Mauricius eodem planè modo suis uellet caueri, quo Bohemis olim cautum fuisset: hi, paucissimis uerbis, & admodum neglectè formulam conscripserunt, nullo adhibito signo uel testimonio publico. licere uidelicet omnibus Germanis indifferenter, ut ad concilium accedant, déque rebus ibi tractandis, aut in pleno conuentu, uel cum delectis aliquot, liberè, quæ uidebuntur, uel sermone uel scripto, sine conuitijs & contumelijs proponant, conferant, agãt, ac deinde, cùm uolent, discedant, domúmq; reuertantur: hoc nomine synodũ ipsis cauere fide publicã, quantùm quidem ad ipsam pertinet: licere etiam, ut & pro commissis & committendis delictis, etiámsi grauissima sint & hæresim redoleant, pro suo arbitratu sibi iudices deligant ipsi. Eodẽ, quem diximus, Octobris die undecimo, leges aliquot tulerunt, titulo reformationis, quæ ad iurisdictionẽ ipsorum pertinent. postea decre-

tus

tus fuit alter confessus ad uigesimum quintũ Nouembris diem, quo de pœnitentia & extrema unctione tractetur. Brandeburgicus etiã elector, Ioachimus, misso legato, Christophoro Strasio, iureconsulto, suum officium & obsequentiam tunc deferebat. & legatus quidem de præclara illius uoluntate prolixè cõmemorabat: illi, magna se cum uoluptate sermonem ipsius omnem audisse respondent, præsertim illud, quod synodo se princeps omninò submittat, eiúsque decreta seruaturum se dicat: sperare autem, quod coràm ipse iam dixerit, hoc illum ipsa re præstiturum. A' morte Ioannis Alberti, qui Magdeburgensem archiepiscopatum habuit, locupletem & amplũ, sicut diximus, rei summa deferebatur ad electoris Brandeburgici filium Fridericum, quem collegium postulauerat: res autem erat impedita, neque Romæ poterat confici, &, quòd Saxonicæ religionis antea fuisset elector Ioachimus, uti publicè cõstabat, magno erat impedimento. Suspitionis ergò tollendæ causa, legatus, quem dixi, missus fuit, qui prensando proceres, ad summam diligentiam nihil reliqui faciebat. Vuittembergæ transactũ de bello fuit: & quanquàm non statim soluebatur obsidio, tamen amici fuerunt inter eos cõgressus, Octobris die duodecimo. Et hoc ipso tempore, Mauricius, Hessicæ ditionis populũ, Chattos, ante annum tertiũ, Lantgrauio captiuo, sententia Cæsaris ademptũ, uti suprà docuimus, in suam fidẽ per iusiurandũ adigit, de uoluntatè filiorũ Lantgrauij, ratione fœderis, ut ait, quod Hessicæ familiæ cum Saxonica intercedit hęreditarium: ità quidẽ, ut si nulli sint mares, altera domus inuicem alteri succedat. Quin hoc ad Cæsaris iniuriam, qui sententiam tulisset, & ad nouum aliquem motum spectaret, nemo dubitabat, & mirabantur omnes, quorsum exiret: sed in aula Cæsaris nihil propè iactatum de eo fuit, & summa dissimulatione res agebatur. In hoc tempore Somersetus, Angliæ regis auunculus, denuò capitur, & cum eo Pagetus atque Greius & alij quidã. Erat tunc summa rerũ penes Northumbriæ ducem Ioannẽ: cur caperetur, causam fuisse dicunt, quòd Northumbrius illum uitæ suę dicebat insidiatũ esse: nam hoc lege nuper lata capitale ipsis erat. Sub idus Octobreis cardinalem creat pontifex, Georgium Martinusium Dalmatam, episcopũ Varadiensem, maximæ per Vngariã authoritatis: monachum uulgò nominabant, quòd esset ordinis Pauli, primi eremitæ. Quomodò Gallicus legatus fuerit iussus ad undecimũ Octobris diem adesse, responsi ferendi causa, modò concilium rex agnosceret, suprà diximus: ille quidem

non uenit, ſed tamen concilij nomine fuit euulgatum ſcriptum ad re
gem. Initiò commemorant, ampliſſima ſe quæque de ipſo ſperaſſe, ua
rijs de cauſis: uerùm eius aduentu nuncij, & recitatis literis, magnum
cepiſſe dolorem, quòd expectatione ſua caderent: & tamen, quòd re-
ctè ſibi conſcij ſint, nec offenſionis cauſam ullam dederint, ſpem de
ipſo priſtinam nondum depoſuiſſe: quam ergò conceperit opinio-
nem, quaſi paucorum utilitatis cauſa priuatæ, ſit hoc indictum conci
lium, minimè omnium habere locum in tanto conſeſſu: cauſas enim
indicti concilij, non ab hoc modò pontifice, uerùm à Paulo quoque
tertio fuiſſe propoſitas, nimirùm, ut extirpentur hæreſes, ut emende
tur diſciplina, ut eccleſiæ pax reſtituatur: an non ſatis apertum hoc?
an magis pium aut Chriſtianum quid fieri poſſit? uagari nunc hæ-
reſes, non modò per Germaniã, ſed per omneis ferè prouincias: huic
tantæ calamitati cõcilium uelle mederi: hanc eſſe cauſam, hunc quo-
que finem omnis actionis, & eò cuncta referri: permittat ergò ſuæ
ditionis epiſcopis, ut hoc tam ſanctum opus adiuuent: nec eſſe quod
uereatur, ut, quod ſentiunt, liberè ipſis pronunciare non liceat: atten
tè nimirùm & patienter ipſius nuper auditum fuiſſe nunciũ, etſi mi-
nus iucunda referret: cúnque ſit auditus ea lenitate homo priuatus,
cur hoc publicis perſonis, & ijs quidem tali dignitate præditis, dene
gari quis credat? uerúntamen, etiámſi neminẽ mittat, concilio tamen
nihilo ſecius cõſtare ſuam tum dignitatem tum authoritatem, quòd
& legitimè ſit indictum, & iuſtis de cauſis iam reſtitutum: quòd au
tem ſignificarit, uſurum ſe remedijs, quibus antea ſint ipſius uſi ma-
iores, exiſtimare ſe, non eò progreſſurum unquam, ut quæ magno
Galliæ regum emolumento ſublata ſint & abrogata quondam reuo
care uelit: cúnq; tantis adeò ſit ornatus & amplificatus beneficijs, om
ninò ſperare ſe, nihil eſſe facturum, quo uel in Deum, uel in commu-
nem omnium parentem eccleſiam, uideatur eſſe ingratus: reſpiciat
ſolùm ad maiores, ad ſuum illud Chriſtianiſſimi regis cognomen, ad
parentem denique Franciſcum, qui ſuperiorem ſynodum, miſſis &
epiſcopis & legatis, uiris doctiſſimis cohoneſtarit: huic inſiſtendum
ueſtigio recenti & domeſtico, & hoc imitandum exemplum, ac pri-
uatas offenſiones, reipublicæ condonandas eſſe. Cæſar & pontifex
hortati fuerant Heluetios, ut intereſſent concilio: ſed id fruſtrà fuit.
Et pontifex quidem per Hieronymum Francum agebat, ſicut antè
dictum eſt, uerùm Galliæ rex, legato, quem habebat ijs locis, Mor-
leto, mandabat, daret operã, eíſque perſuaderet omnibus, ne quem

eò

eò mittant. Morletus, cùm difficultatem in eo reperiret, Vergeriũ, in eiuſmodi rebus exercitatum, è Rhœtis accerſit, & conſilium exquirit. Is & argumẽta ſubminiſtrat, & aliquantò pòſt libellum emittit, de fugiendo concilio. Sic inſtructus Morletus, ad cõuentum Badenſem uenit, & adductis in medium rationibus, non ijs modò, qui pontificatum iam olim repudiarant, ſed reliquis etiam pagis omnibus, quod uoluit, perſuadet. itáq; nemo quiſquam ab illis Tridentum uenit. Ex Rhœtis eò uenerat, iuſſu pontificis, Thomas Planta, Curienſium epiſcopus: cùm autem intelligerent Rhœti, monitu Vergerij, quid pontifex moliretur, & quomodò per illum, authoritatẽ apud ipſos recuperare uellet, reuocatus fuit. Hiſpani, qui per agrum Vuirtembergicũ erãt, ſub hoc tempus euocati ſunt à Cęſare, ac in Italiam miſſi, belli Parmenſis cauſa. Eorũ diſceſſu prouincia tota liberata fuit à duriſſima ſeruitute, qua totos iam ferè quinq; annos fuerat oppreſſa: ſolùm Aſpergum arcem, impoſito Germanorũ pręſidio, Cæſar ſibi ſeruabat. His etiã diebus, Henricus Haſius, mandatu Cæſaris per Sueuiam profectus, paſſim reipublicæ ſtatum mutat, & nouos inſtituit ſenatores, ut ante annum tertium Auguſtæ factũ fuiſſe docuimus: concionatores etiã & ludimagiſtros, niſi decreto religionis parérent, abrogat, ut nuper Auguſtæ. Quomodò Mauricius & Vuirtembergicus, doctrinæ capita iuſſerint conſcribi, quæ pòſt exhiberentur: quemadmodum etiã ſenatus Argentinenſis huic eorũ inſtituto ſeſe coniunxerit, dictum eſt antea. Vuirtembergicus ergò, miſſis duobus legatis, Ioanne Theodorico Pleningero, Ioanne Heclino, mãdabat, ut et illã doctrinę confeſſionẽ, ſcripto cõprehenſam, publicè exhiberẽt, & uenturos dicerẽt theologos, qui copioſius omnia tractẽt atq; defendãt, modò iuxta Baſilienſis decreti formulã ipſis caueatur. Hi, ſimul ac Tridentũ uenerunt, quod fuit ad exitũ ferè Octobris, Monfortũ Comitem adeunt, ſuæq; legationis fidẽ, exhibito diplomate, faciunt, ac ſui principis nomine uelle quædã in cõcilio proponere demonſtrant. Ille, per colloquiũ eò ſpectabat, ut legatũ pontificiũ putaret conueniendũ: ipſi uerò, ſi quid cum eo cõmunicaſſent, eò pertinere uidebãt, quaſi cognoſcẽdi ius & authoritatẽ ei pręcipuã tribuerent, in quo pręiudiciũ atq; diſpendiũ ineſſe uidebãt. abſtinẽt igitur, & datis ad principẽ literis, quid in eo fieri uellet, expectãt. Interea theologi, propoſitis, ut ſuprà dixi, thematis, de pœnitentia & unctione, ſuo more diſſerũt. Nouembris die tertia, Hedeccus, à Mauricio miſſus, uenit Magdeburgũ, et eductis militũ pręfectis in uicinũ

caſtellum, planè tranſigit, confectis & obſignatis ea de re literis. Et militi quidem fide publica fuit cautum, ut tutò liceat abire. fuit hoc eius menſis die octauo. ſed mox, cùm eſſent exauthorati, tacitè retenti fuerunt & rurſus conducti, Megelburgio, ductore, per pacificationem iam dimiſſo: Mauricius enim conſultò nomen ſuum obduci nolebat. pacis autem hæ ferebantur conditiones. ut ſupplices deprecentur Cæſarem: ne quid in Auſtriacam & Burgundicam familiam faciant: Cameræ ſe ſubmittant: Auguſtano decreto poſtremo pareant: iuri ſeſe ſiſtant omnibus: urbis munitiones ad Cæſaris arbitrium diruant: Cæſaris præſidia quouis tempore admittant, eíq; patefaciant urbẽ: aureorum millia quinquaginta dependãt in uſum fiſci: pro belli ſumptu tormenta maiora duodecim Cæſari tradant: Megelburgium ducem & captiuos alios dimittant. Egreſſis eodem die militibus præſidiarijs, qui erant ad duo millia peditum, equites ad centum, triginta, Mauricius quinque ſigna peditum introire iubet, et poſtridie obuiam eunte ſenatu, urbem ingreditur cum uniuerſis copijs, & in Cæſaris, Imperij, ſuámq; fidem, qui dux belli fuiſſet, omneis adigit, pòſt, relicto præſidio, cæteros educit. Concionatores deinde conuocari iubet, ac per conſiliarios, Faccium, Carlebicium, Mortiſiũ de iniuria ſibi facta queritur, propter editos ab ipſis libellos atque picturas, quaſi deſciuerit ab euangelij doctrina, quaſi bellum ciuitati fecerit, ob conſtantem ueræ doctrinæ profeſſionem: itáque iuſtam habere ſe quidẽ offenſionis cauſam, ſi uelit affectibus indulgere, ſed hæ omnia condonare ſe reipublicæ, & petere, ut populum deinceps ad uitæ emendationem & ad magiſtratus obſeruantiam hortentur: preces quoq; publicè fieri mandat pro Cæſare, pro ſe, pro reliquo omni magiſtratu: ſed & concilium Tridenti iam haberi dicit, in quo piæ doctrinæ confeſſionem, tàm ſuo quàm aliorũ principum & ordinum nomine ſit exhibiturus: orent igitur Deum, ut actionem concilij fortunet ac bene uertat, neq; conuicijs illud exagitent, ut facere conſueuerint. Illi, re deliberata, picturas illas non ſe quidem euulgaſſe, uerùm, nec reprehenſione dignas iudicare: quin ab euangelij pura doctrina quidam per ipſius fines, hoc triennio deſciuerint, negari non poſſe: nam extare libros atque monumenta: quòd euangelij cauſa fuerit urbs obſeſſa, facilè poſſe demonſtrari, ſi quis ad belli tantùm authores reſpiciat: in admonendo populo nihil eſſe prætermiſſum, idem quoque facturos in poſterum: pro concilio, quod delendæ cauſa ueritatis conuenerit, in quo Romanus antichriſtus

christus principem locum obtineat, non aliter orare sibi licere, quàm ut illorum conatus atq; consilia Deus retundat, frangat & dissipet: nihil enim ab ipsis esse non expectandum incõmodi. Leges quidem pacis eiusmodi disseminatæ fuerunt: certum est autem, illis & de libertate & religione diligenter fuisse cautum. maluit quoq; sibi Mauricius urbem patére, quàm Cæsari, quod ipse pòst euentus docuit. Ad hunc modum liberati Magdeburgici, pręter multorum expectationem, summam nominis gloriam adepti sunt apud exteras nationes, quòd propè soli per omnem Germaniam exẽplo suo docuissent, quid possit constantia. Porrò, qui fuit illis ærumnarum finis, hic belli fuit aditus atq; principium in eos ipsos, quorũ ope consilióq; fuerant afflicti, sicut postea dicetur. Per eos dies, quibus erat in urbe Mauricius, non obscurè significabat, quid suæ esset animi, uelle se nimirum etiam sui capitis periculo, liberare socerum: nec id postridie dissimulauit, interpellatus à quodam. Legatos iam antea miserat ad Cæsarem, Lantgrauij causa liberãdi: Daniæ quoq; regem & multos Germanię principes in eo sibi coniunxerat, sicut infrà dicemus: & nisi impetraret, planè constituerat rem tentare uiribus, déque eo cum Gallię rege pactus iam erat, qui Baionensem episcopum, Ioannem Fraxineum, et miserat occultè, hominem iam antea diu uersatum in Germania, nec imperitum linguę. Cęsar autem his omnibus nihil commoueri uidebatur, & in Parmense bellum ac Tridentinam actionem totus erat intẽtus. His ferè diebus, ab Hispanijs Genuã appulit cum liberis & uxore, Maximilianus, gener Cęsaris. Galli, Massilia profecti, & quasdam eius naues adorti, prædam fecerunt. cuius rei causa ferebatur, quòd equites illi, quos Ferdinandus rex miserat, in Italiam, ut filium ex Hispania redeuntem exciperent ac deducerent, Ferdinando Gonzagæ, quadam in expeditione militari suam operam commodassent. Verùm antea quoq; Galli, per simulationem amicitiæ, in Barcinonæ portum usq; prouecti, triremem unam & sex naues onerarias, rebus omnibus instructas, in usum et nauigationem Maximiliani, abduxerant, ut quidem Cęsariani quadam in inuectiua recitant, de Gallorum iniurijs & uiolata pace conquesti. In Augustę conuentu Cæsarem orauerant principes, ut, si non adesse coràm, saltem non procul à loco uellet abesse concilij. quod quidem eis confirmauit, secq; mansurum ad fines Imperij dixerat, ut suprà docuimus. Proinde digressus Augusta, Nouembris initio uenit Oenipontẽ, quod tridui uia Tridento distat. hoc & concilij & belli Parmensis causa fecisse putatur, ut in ea

sua propinquitate diligentius administrarẽtur omnia. Paulò pòst, ad XXI Nouembris diem, Tridentum uenit Argentinensium legatus, Ioannes Sleidanus, ut cum Mauricianis & Vuirtembergicis communem causam ageret. huic autem ciuitati sese coniunxerant Eslinga, Rauesburgum, Rutelinga, Biberacum, Lindauia, & ut ipsorum nomine simul ageretur, potestatem fecerant. Francofurtenses autem, & Noribergici cumprimis, quamobrem non miserint, dubitari potest: Vlmenses, religionem ad præscriptum Cæsaris iam antea mutauerant: Augustanis erant & alijs quibusdam nuper adempti doctores omnes, ut suprà diximus: itáque, facultas erat eis ablata mittendi. quanquam etiam senatus alioqui nihil in eo, nisi de uoluntate Cæsaris, erat facturus. Nouembri mense, pontifex, uno eodémq; die tredecim creat cardinales, Italos omneis. hæc enim ueluti præsidia sibi, muniendi sui causa comparare solent. Cum XXV Nouembris dies uenisset, facto de more confessu publico, recitantur decreta. pœnitentiam esse institutum à Christo sacramentũ, et necessarium, ijs qui pòst baptismum in peccata recidunt: esse etiam diuersum à baptismo sacramentum, & uelut alteram tabulam salutis, post factũ naufragium: illa Christi uerba, quibus dat spiritum sanctum apostolis, intelligi debere de potestate remittendi peccata per hoc sacramentum: ut peccata condonentur, tria requiri, contritionem, confessionem, satisfactionem: & contritionem quidem, esse uerum ac utilem dolorem, qui præparet hominem ad gratiam: cõfessionem, aut morem secretò recitandi peccata sacerdoti, iure diuino institutum, & ad salutem esse necessarium: peccata omnia, quæ quidem in mentẽ ueniant, eorumq; circunstantias enumerandas: annuam debere esse confessionem ad minimum, idq; potissimùm eo, quod quadragesimam uocant, tẽpore: absolutionem non esse nudum ministerium, quo peccatorũ remissio denuncietur, sed actũ iudicialem: solos sacerdotes, quantumuis etiam impuros, habere potestatem absoluendi: quòd episcopi certos casus atq; delicta sibi reseruent, de quibus reliqui sacerdotes absoluere non possint, rectè fieri: etiamsi culpa remittitur, non tamen idcircò pœnam remitti, & in opere, non autem in fide positam esse satisfactionẽ: pœnis illis, quas uel Deus infligit, uel sacerdos iniungit, uel ipsi sponte nobis deligimus, expiari peccata, quantum quidem ad pœnam temporalem: satisfactiones, quibus peccata redimuntur, esse cultum Dei: sacerdotem habere potestatem ligandi & soluendi, atq; ideò pœnã posse confitenti peccata, imponere. Et hęc quidẽ de pœnitentia.

Supre-

Supremam unctionem decernunt esse institutũ à Christó sacramentum, quod & gratiam conferat, & peccata remittat, & recreet ægrotantem: usum huius sacramenti esse eundem, de quo Iacobus apostolus dixerit: presbyteros etiam, quorum ille mentionem faciat, non esse ætate seniores, uerùm sacerdotes, & eos quidem solos, huius uidelicet sacramenti ministros. Hanc doctrinam celebrari iubent ac retineri: qui secus doceant aut credant, uti pestilentes atq; nefarios pronunciant & execrantur. Altero post confessum die, literæ sunt allatæ Vuirtembergici principis ad suos. ijs mandabat, uti pergant, & in confessu, ad XXV diem Nouembris, descriptam doctrinæ confessionem exhibeant. Cùm ergò tãtulo tempore serius hæ uenissent literæ, & longum supereset interuallum ad alterum cõsessum, abesset etiam Monfortus, cardinalem Tridentinũ adeunt, & habere se dicunt, quæ sui principis nomine in concilio proponant: id proximo iam consessu debuisse fieri, uerùm tardius allatis literis præterijsse nunc occasionem: orare igitur, ut ipse, qui sit homo Germanus, & patriæ charitate quadam, & principis quoq; causa, quem nouisset, ipsis in eo non desit, hocq; efficiat, ut patribus conuocatis mandata sua in medium adducant. Ille multam beneuolentiam uerbis amplissimis pollicetur. uelle se rem ad pontificium legatum referre: sed inter patres ità conueniisse, ne cui publicè quid proponere liceat, nisi cuiusmodi sit illud, prius constet: ei decreto causam dedisse Gallicum oratorem, cùm excitatus nuper esset in publico motus indecorus, & clamor ualde turbulentus: proinde, quæ sit ipsorum summa petitionis, inquirit. Illi, studio promouendi negocij, literas exhibent mandati: cùm ex ijs literis deprehenderet, doctrinæ scriptum aliquod ab ipsis oblatum iri, sic eos dimittit, ut spem faceret, paucos intra dies rem posse confici. Postridie reuocat, déque re tota communicasse cum legato dicit, literas etiam exhibuisse mandati, fidei faciendæ causa: ipsum uerò indignari, quòd scriptum offerre cogitent, atque ità sentire, eos, qui doctrinæ regulam atque modum reuerenter accipere, & obtemperare debeant, suis maioribus uelle præscribere, perquàm hoc esse tum absurdum, tum indecorum: aliud quidem in hoc tempore non potuisse impetrare, sed uelle tamen iterum urgere: simul iubet eos bono esse animo. Diebus aliquot interiectis, cùm iam Maximilianus Austriacus aduentaret, cardinalis, obuiam ei profecturus Mantuam usque, monet Vuirtembergicos, quia sibi necessariò sit abeundum, ut Cęsaris oratorem, Toletanum, adeant: hunc & pro suo munere & au-

thoritate plurimùm eis commodare posse, ac libenter quidem factu-
rum, uel sui gratia, qui negocium ei commendarit. Hoc secuti consi-
lium, hominem compellant: is benignè multa pollicitus, eos ab se di-
mittit. Cùm autem secũdò redissent, cœpit excusare, propter futuras
iam theologorum disputationes, quibus interesse patres oporteret: ijs
finitis, non se neglecturum occasionem. Verisimile est, eum ab legato
consimile tulisse responsum, uti cardinalis antea: sed, ne spem tolleret
omnem actionis futuræ, causam hanc obduxisse, præsertim, cùm &
Cæsarem urgere concilium, & publico Imperij decreto permissum es
se sciret, ut, quibus de rebus quicq; uellent, liberè proponerent. In-
terim Argentinensis oratorem Cæsaris adit, Gulielmum Pictauium,
absente Monforto. & quoniam eadem erant omnes cõditione paríq;
facultate præditi, suæ legationis fidem ei facit, uti fieri consueuit, secq;
missum eò dicebat, ut unà cum reliquis Augustanæ confessionis so-
cijs ea caperet atq; tractaret consilia, quibus hoc religionis atque do-
ctrinæ dissidium rectè cõponi, & publica tranquillitas constitui pos-
set. Ille, sumpto eius diplomatis exemplo, quod Cæsari se missurum
dicebat, & de doctrina, déque concilij dignitate multa locutus, ut est
uir doctus atq; forensis, operam studiúmq; suum deferebat. fuit hoc
ultima die Nouembris. Et hoc quidem tempore data fuerunt theo
logis themata de sacrificio, quod aiunt, Missæ, quò suam ex more sen
tentiam dicerent, ut suprà demõstrauimus. Quomodo suos ad Cæ-
sarem legarit dux Mauricius pro Lantgrauio, dictũ est paulò suprà.
ijs autẽ erant coniuncti Brandeburgensis electoris legati. Sub initium
igitur Decembris admissi, quum suorum principũ nomine multam
ei salutem essent precati, scis, inquiunt, clementissime Cæsar, quibus
in difficultatibus uersentur, ob Lantgrauij detentionem, illustrissimi
principes electores, Mauricius atq; Brandeburgicus, in quas coniecti
sunt præter omnem expectationem, dum singulari quodam studio
facilem tibi uictoriam & illustrem comparare, bellíq; sumptum de-
minuere, & cõmuni patriæ quietem ac ocium recuperare uoluerunt.
quæ fuit etiam causa, quamobrem, cùm per legatos, tum ipsi coràm,
te sæpe rogarint, ut sui rationem haberes, illúmq; missum faceres. quo
quidem tempore hoc etiam addebant, quòd si fortè præter fideiussio
nem, qua tibi sunt ambo deuincti cum Vuolfgango Palatino, cúnq;
totius Hessiæ populo, cautionẽ ampliorem requireres, non se recusa-
re. Ad hæc ipsorũ postulata, Christophoro Carlebicio, Iacobo Schil
lingo, quos ad te postremos miserunt, respondebas, ut illũ antè dimit

tas,

tas,quàm appareat,cuiusmodi sit comitiorum Imperij,quæ tum imminebant, actio futura,non tibi esse integrum: deinde,nihil amplius te promisisse, quàm fore,ut si pacta seruet, non detineatur perpetuò captiuus. Cùm autem rebus alijs occupati, non ipsi possent ad comitia uenire,per consiliarios & epistolas denuò te solicitarunt Augustę: tu uerò,quamobrem in eum esses commotior,neque liberare posses, rescribens,à nexu,quo captiui filijs deuincti sunt, liberos pronunciasti. Quapropter denuò te statuerunt interpellãdum: & erant quidem ipsimet uenturi,sed nosti,quemadmodum utércp bello Magdeburgico fuerit,& Brandeburgicus quidem etiam ualetudine detentus:itácp per nos illud confici uoluerunt. Et primò quidem,cùm uelles,ut sine conditione sese tibi permitteret Lantgrauius, illi per Atrebatensem episcopum, quid tuæ esset mentis, acceperunt, hoc nimirum, ut conditiones abs te propositas, & ipsis communicatas reciperet atque seruaret. Iam,si persuadendum erat,ut ad hunc modum sese dederet, necesse profectò fuit illi ostendere,futurum,ut neque sisteretur captiuus,nec amplius,quàm in pacis formula perscriptum erat, grauaretur. Sic igitur ei cauerunt principes. quod etiam consiliarij tui satis intellexerunt: & cùm ille quædam eius formulæ capita sibi declarari, simúlque, ne supra diem sextũ retineretur in eo negocio, peteret, & ad Atrebatensem, hoc esset perlatum, non ei denegatum fuit, & in cæteris etiam, principes, magna ex parte, quod uolebant, impetrarunt. Et quanquam in hac ipsa tractatione non eodem modo res intellecta fuit,ità quidẽ,ut ille,cùm uenisset,præter fidem ab ipsis datam,custodiq traderetur,te tamen Cæsar nunquam illi hoc nomine incusarunt,neque super eo tecum etiam disceptarunt,eò quòd cum tuis consiliarijs tantùm egerant, tecùm uerò nihil, nisi tunc, cùm Lantgrauius aduentaret,& ipsis,ut Numburgũ ad se uenirent,nunciasset. Tunc enim te conuenerunt ipsum,& propositas cõditiones ei persuasisse,iámcp illum abesse non procul,seque obuiam ituros ei, si modò ferre posses,dicebãt:& quoniam ipsorum secutus fidem eò ueniret,ne præter formulam trãsactionis ullo modo grauaretur,orabant.quod quidem cùm ipse tu liberaliter eis reciperes, profecti, Halam illum adduxerunt. In actione uerò postrema, detentionis atque custodiæ nulla fuit facta mentio.quod tuos etiam homines posse testificari putant,nimirum, Atrebatensem episcopum, qui cum solo res ipsis fuit, & Seldum,quem ille nonnuncp adhibuit.Etenim,post admissas conditiones,& supplicem deprecationem, omninò fore credebant prin-

cipes, ut ſtatim ille dimitteretur, idque multis de cauſis ità putabant. primùm, quia detentionis, quod eſt præcipuum eius formulæ caput, & à Lantgrauio diligenter hauddubiè præ cæteris animaduerſum atque ponderatum, conſiliarij tui non meminerunt: deinde, quòd in formula pacis multa continẽtur, quæ non poſſint à principe captiuo, ſed à libero ſolùm prẹſtari: poſtea, quòd cum factus eſſet ſupplex, culpam ei condonabas, & proſcriptionem aboliturum, ac reconciliationis diploma te daturum ei promittebas: adhæc, quòd fideiuſſionem illorum habebas ratam, qua cautum eſt, ut ſi pacta non ſeruet, populus eum tibi captiuum ſiſtat, & fideiuſſores armis ad officium cogant. Hæc omnia certè nullius erant uſus, & omninò ſuperflua, ſi quidem corpore ſuo daturũ illum eſſe pœnam exiſtimaſſent. Cùm autem eius rei nulla ipſis incideret cogitatio, nec tui etiam cõſiliarij meminiſſent, hac fiducia illum accerſiuerunt, &, ſi quid ei præterea contingeret, ſiſtere ſe filijs ipſius, & eandem uelle ſubire, quam ipſe, fortunam, ſpondebant. Hæc ipſorum fuit mens atque ſententia, quæ confirmata fuit etiam, cùm poſt deprecationem dux Albanus ipſos atque Lantgrauium ad cœnam inuitaret. hanc nimirum inuitationem & hoſpitalitatem, illi, pro more principũ & Germaniæ conſuetudine, non ſic interpretari potuerunt, ut ille, in ædes Albani, tanquàm in carcerem iret, ipſi uerò comitarentur eum illucatque deducerent. etenim, ſi uel minima fuiſſet eius rei ſuſpitio, quis credat hoc fuiſſe facturos? Cùm enim ſint Imperij principes, & quidem electores, honeſtiſsimis procreati familijs, minimè ſuam operam huc erant commodaturi, uidelicet, ut illuſtri loco natum principem, eúmq; cognatũ ac neceſſarium ſuum, in eiuſmodi prolectarent anguſtias, & ipſimet ueluti captiuum ſiſterent. Sed neq; reſciuerunt ea de re quicquam, niſi poſt cœnam: tunc primùm enim dicebat eis Albanus, in arce, tanquam in cuſtodia, illi manendũ eſſe. Verùm utcunq; ſit, optimo animo rem egerunt, ut initiò quoq; diximus: & quia fidem ei ſuam obſtrinxerunt, intelligis facilè, ſi quidem poſt tam crebram interpellationẽ, adhibitámq; cautionem diutius ille detineatur, quàm hoc ſit ipſis & eorum quoq; liberis atq; propinquis graue futurum & incommodum: uides etiam potentiſſime Cęſar, cùm ſis editus Germano ſanguine, quia captiui principis filij ſuum ius urgent, & illis, ut ſe ſiſtant iuxta formulam obligationis, inſtant, quid ipſos honoris & exiſtimationis tuendæ cauſa facere conueniat, pro uetuſto & recepto Germanicæ nobilitatis more, quánque nullam ſint ad reliquos principes habituri excuſationem,

etiamſi

etiamsi uel citandi facultas,ijs,uel obligationis diploma,quod habẽt, eripiatur. Quòd si fortè Lantgrauius,qui neq; pacto neq; fide data, sed ea, quàm diximus, occasione captiuus detinetur,tædio quodam & impatientia tam diuturnæ custodiç, rationem aliquam consequendæ libertatis iniit, & si quid eius,administri fortè tentarunt in custodes,orant principes,ne sit hoc ipsis fraudi: uerùm, quia propter obligationem in summis positi sunt angustijs,è quibus tu solus,post immortalem Deum,ipsos eripere potes,quia tibi constat, quomodo in hos scopulos impegerint,quia de ipsorũ erga te studio,fidelitate atq; officio compertum habes,quando nimirum rebus tuis aduersis,fortunas omneis,uitam atq; sanguinem pro tuis cõmodis impenderunt, maiorum secuti uestigia, summopere & uehementer obtestantur, ut ipsis,dimisso captiuo, subuenias, in eóq;, non tam ad Lantgrauij factũ,quàm ad ipsos,qui te maximopere colũt,respicias.prçsertim,cùm ex eorũ familijs non pauci, pro tuis maioribus,& Austriaca Burgundicáque domo, nulli suo uel sumptui uel periculo pepercerint. Et si fortè metuis,ne liber factus,à cõuentione discedat,non te latet Cçsar, cùm in eum casum res deuenerit,quid nobilitas & populus Hessicus, per iusiurandum, quid principes tibi per fideiussionem promiserint. Quòd si uerò cautionem ampliorem requiris, & iam antea tibi non semel eam detulerunt,& nunc quoq; deferunt,& nobis agendi super eo potestatem fecerunt.In conditionibus etiam, quæ quidem impleri statim potuerunt,nihil esse putant quod desideretur:quò minus autẽ arces non ità repente dirutæ sint, si causam rectè scias, non dubitant, quin hoc nomine captiui filios sis habiturus purgatos:deinde,si quid præterea desit,operam omnem daturi sunt,ut tibi satisfiat.Quapropter,si quid unquam uel ipsi uel patres ipsorum & aui fecerunt,quod uel tibi, uel Maximiliano Cæsari,cæterisque tuis maioribus gratum fuit, aut si quid in posterum ab illis effici posse putas atque præstari, quod tibi gratum sit atque iucundum,etiam atq; etiam orant,ut eius rei fructum aliquem ipsos iam percipere patiaris,& spem illam atque pollicitationem,quæ primùm Halæ,postea Numburgi,tandẽ etiam Augustę illis abs te facta fuit,apparere facias,quò te uidelicet tãtò maiori studio deinceps et alacritate colant,suámq; fidem & operã,quam tibi impenderũt, bene collocatam & amplè remuneratã esse, gloriari possint.Etenim,si secus fiat,& si iam nihil impetrent,æstimare potes, maxime Cçsar,quæ secutura sint incõmoda,cùm illi sistere se,suámq; demonstrare cogentur innocẽtiam.Sed omninò sperant futurum,ut

ſuis precibus locum relinquas.id certè pro ſummo ſunt habituri beneficio,& tum ipſi tum Lãtgrauius unà cum filijs & propinquis omnibus,ut gratiam tibi referre poſſint,ſemper elaborabũt.Et quoniam ad eorum exiſtimationem ea res tantopere pertinet,alios quoq; principes, ut unà ſecum intercedant, ſolicitarunt, quorum hic uides legatos:hoc autem eò fecerunt,ut quod ipſi nondum apud te precibus,internuncijs atque ſcriptis efficere potuerunt, hoc iſti ſua quadam commendatione atque gratia perficerent, & ut in eam partem accipias,orant. Cùm hæc eſſent locuti,Ferdinandi Romanorum regis, Alberti Bauarię ducis, & Luneburgenſium fratrum literas, pro Lantgrauio ſcriptas,ei tradunt. Qui uerò per legatos intercedebant,hi erant principes,Fridericus Palatinus elector, Vuolfgangus Bipontinus, Ioannes Marchio Brandeburgicus, Henricus & Ioannes Albertus, Megelburgij duces,Erneſtus Marchio Badẽſis,Chriſtophorus dux Vuirtembergicus. horum legati, ſtatim ab ea,quam recitauimus, oratione,cùm ſuæ miſsionis exhibuiſſent teſtimoniũ,Mauricius, inquiunt, & Brandeburgicus,electores,cùm propter Lantgrauij detentionem, in magnis eſſe difficultatibus, & pro illo ſeſe tibi uelle ſupplicare, dicerent, clementiſſime Cæſar, principes noſtros orarunt, ut unà ſecum intercederent, quò plus & commendationis & ponderis haberet actio.quod quidem officium, illis, in re tam æqua, propter ſummam inter ipſos neceſſitudinem atq; coniunctionem, non potuerunt denegare. Cùm ergò ſic res habeat,ut ex utriuſque legatis abunde ſatis iam auditum eſt:& quia ſi diutius ille detineatur, ſummo ſit hoc ipſorum,qui fidem ei ſuam interpoſuerunt,incõmodo futurum et obtrectatione:principes,à quibus legati ſumus,ut hęc omnia diligenter expendas,orant & obſecrant. Etenim,ut illorum dignitas,honos,fama deniq; conſeruetur,ſua quoq; plurimùm intereſſe putant: neque grauius quid eis accidere poſsit, quàm illorũ exiſtimationi maculam aliquam aſpergi.quod quidem omninò futurum eſt, niſi captiuus liberetur. Vt igitur hæ preces ac interceſsiones apud te ualeant, & ille quàmprimùm dimittatur,uehementer orant,præſertim,cum & culpam agnouerit,& ſupplex etiam ſit deprecatus, & multo iam tẽpore captiuus detineatur,inprimis uerò, quia duorum electorum ſumma neceſſitas ità poſtulat. qui quum optima fide rem agerẽt,tibiq; gratificari uellent,in has deuenerunt anguſtias. Quòd etiamſi fortè in ipſa tractatione commiſſus eſt aliquis error,neq; rectè quædam intellecta fuerunt,tuę tamen clementię congruum eſt atq; decorum, ut ęquitatem

tem ſummo iuri præferas, neque tam ad captiuum, quàm ad electorum ineuitabilem neceſſitatem reſpicias, et liberaliter cum ipſis agas, maiorum tuorum exemplo, quibus principum Imperij dignitas curę ſemper magnopere fuit. hoc uidelicet & tibi glorioſum erit apud omneis, & ipſos etiam, ut ſummam fidem & amorem tibi præſtent, & omnia tui cauſa uelint, magis excitabit. Daniæ quoque rex, miſſis legatis, in eandē ferè ſententiam intercedit. Cæſar, interiectis aliquot diebus reſpondet. quia negocium ſit arduum, & deliberationem poſtulet, decę Mauricio ſit interim apud ſe facta mētio, quaſi grauibus alijs de cauſis breui ſit ad ſe uenturus, ità quidē, ut datis ad eū literis, illum indies expectet, ideò ſe, quòd illo præſente rem commodiſſimè tractari poſſe putet, eouſque uelle differre: ad ipſos uerò quod attinet, licere, domum, & ad ſuos reuertantur principes, eiſque ſuo nomine dicant, interceſſionis futurum ſeſe memorem, & ità rem acturum, ut intelligere poſſint, ipſorum commendationem non paruum apud ſe pondus habuiſſe. Non multò pòſt, uenit ad Mauriciū, Lantgrauij filius, natu maximus, Gulielmus: & quoniam interceſſionis futuræ ſpem ſibi fecerit, & uerò menſes nunc aliquot exierint, poſtquàm legati ſint iter ingreſſi, quid actū ſit, exquirit. Ille, quòd legati Danici paulò ſerius, & tunc primùm aduenerint, cum Auguſta Cæſar Oenipontē peteret, moram interueniſſe, deinde, quid Cæſar reſponderit, oſtendit: & quia colloquium ſuum expetat, eóque rem differat, etſi graue ſibi ſit excedere finibus hoc in tempore, tamē, quòd iſta cauſa uehementer & inprimis afficiatur, conſtituiſſe proficiſci dicit, acceptis primùm ab eo literis. Tum alter. incertum ac dubium eſſe reſponſum: neque ſe uidere quid ſit expectandum: parentis interea miſerabilem eſſe fortunam, qui mœrore contabeſcat, & ſqualore carceris: ei nulla ſe poſſe ratione deeſſe, tum ex officio, tum etiam promiſſo: det igitur operam & efficiat, ut intra definitū tempus, & breue quidem, apertè reſpondeatur: id ſi non fiat, non eſſe, quòd uel ipſe uel Brandeburgicus moleſtè ferant, ſi citentur, & ſiſtere ſeſe iubeantur: quod de ſua profectione dixerit, uelle ſe cogitare amplius: nec enim ſcire, quàm ſit ei conſultum. Agebantur hęc autem ad ſpeciem, conſiliarijs nonnullis adhibitis, quos inſtituti conſilijq; ſui minimè conſcios eſſe uolebat Mauricius. nam à quo primùm tempore cum Hedecco rem tractare cœpit, quod fuit, quum eius copiarum partem aliquam ad ſe traduceret, ſicut libro ſuperiori docuimus, uix ulli ſuorū aliquid eius rei communicabat, ità quidē,

ut quid Gallicus legatus Fraxineus eò ueniſſet aut ageret, ex ipſis nemo compertũ haberet. hoc igitur Cæſaris accepto reſponſo, ſtatim ad gerendum bellum animũ adiecit, & anni ſolùm tempus expectabat idoneũ. De thematis illis cœptum eſt diſputari Decembris die ſeptimo. Maximilianus uerò ſexta pòſt die, qui ſolſtitij dies erat hyberni, Tridentũ ingreſſus cum uxore ac liberis, à legato pontificio, ab Hiſpanis, Italis, ac nonnullis etiam Germanis epiſcopis, nõ tamen electoribus, excipitur. Elephantum adducebat ex Hiſpanijs, Indicum, Luſitaniæ regis donum, animal, non ſæpe uiſum in Germania. Poſtridie quàm uenit, fortè diſſerebat is, quem ſuprà dixi, Ioannes Gropperus, & cùm incaluiſſet, grauiter in Melanchthonem atq; Bucerum, licet mortuum, inuectus, acerbiſſimum utrique conuicium fecit, homo uidelicet Germanus, cùm Hiſpani multò eſſent et Itali temperantiores. quod ipſum contra decretum erat Imperij, contráq; legem ab ipſiſmet latam, ut uidelicet omni ſemoto affectu, & ſine conuicio res ageretur. Proinde, diebus aliquot pòſt, Argentinenſis, per occaſionem colloquij meminit eius apud Pictauium, & tantùm illis licere atq; permitti, queritur. Ille, inuitiſſimis ipſis atque patribus ea fieri, grauiſſiméque monitos eſſe dicebat, ut abſtineant: & quanquam aduerſariorum exemplo laceſſiti forſan iſtud faciant, qui multis nunc annis in hoc genere dominentur, ſe tamen daturos operam, ne poſthac fiat: Cæſarem etiã nolle cuiquam offenſionis ullam præberi cauſam: idem quoq; iudicium atque uoluntatem eſſe patrum. Ad decimũ octauum Decembris diem, epiſcopus Varadienſis, Dalmata, nuper factus cardinalis, è medio tollitur, ob ſuſpitionem ſocietatis Turcicæ, domi ſuæ confoſſus. Eius cædis author fuit Ioannes Baptiſta Caſtaldus, Italus, quem Cæſar iam ante in Vngariam miſerat, ut Ferdinandum regem ope conſilióque iuuaret: aderat quoque Sfortia Palauicinus. Vbi de cæde pontifex accepit, negociũ dat nonnullis, qui rem cognoſcant, ſimul ijs, quos dixi, ſacris interdicit. Vxor uidua Ioannis Vayuodæ, cùm Tranſſyluaniam ægrè ſe poſſe tueri uideret, pacta cum Ferdinando rege, ſummam adminiſtrationis ei permiſerat, & traditis ornamentis inſignibúſque regni, in Poloniam redierat. hac ergò ratione totam penè Tranſſyluaniam Ferdinandus occupat, adiutore Varadienſi: ſed quia pòſt ille noua conſilia moliri uiſus eſt, & dominatum affectare, capitis adijt diſcrimen. De miniſtris eccleſiæ pulſis Auguſta, libro ſuperiori diximus: erant ergò plæraque templa deſerta, non abſque magna

ciuium

ciuium offensione, qui senatũ eius rei putabant authorẽ fuisse Cæsari. Cùm ergò metus esset, ne quandò prorumperet hic æstus, tandẽ, ubi diũ multúmq; perquisiuissent, inuentus est Caspar Huberinus, qui doctrinæ formulam, à Cæsare præscriptam profiteretur. huius extant aliquot de religione libelli, ualde quidem probati semper, & à Luthero etiam commendati: cur autem mutata uoluntate deflexerit, affirmare non possum. Is, cùm uenisset Augustam, non quidem statim cœpit docere, quòd populi fremitum metueret, sed ad natalẽ Christi deinde fecit initium, obstupescentibus multis, qui libros eius antè legerant. Milites, tam illi, qui Magdeburgum oppugnarant, quàm qui defenderant, hyemabant per Turingiam & loca uicina, multúmq; damni dabant, præsertim ecclesiasticis, & in his quoque, Moguntino, cuius fines ad ea loca pertingunt. Eo cõmoti Moguntinus, Treuirensis, Colonienſis, & ille quidem, ob acceptũ detrimentum, hi uerò, quòd eum casum ad se quoque recidere posse uidebãt, statuerunt redire domum, missis ad Cæsarem ea de re literis & internuncijs. Cæsar autem, qui magnopere uellet continuari concilium, Ianuarij die tertio respondens, uestrę, inquit, literæ, scriptę uigesimo primo die Decembris, redditæ mihi sunt: & quia Francisco Toletano mandaueram, ut ijs de rebus, quas ad me perscribitis, uobiscum ageret, deinde, quòd Atrebatensis episcopus uestro hic procuratori quædam eius generis meo nomine explicasset, satisfactum uobis esse putabam: sed quoniam te Moguntine, audio, téq;, Treuerice, propter excitatum rumorem minus iucundum, constituisse redire domum, scripto uos commonendos esse duxi, ne per omnia fidem habeatis ijs, quæ fortè nunciantur. Nam etsi de nouis & occultis consilijs per Hessiam, rumor iam aliquandiu fuit, quasi uerendum sit, ne quis ibi fiat militum concursus, tamen ad me defertur, si quid sit, paucorum hunc esse conatum, quem maior etiam pars improbet: quò magis credendũ est, fore, ut illi ipsi sint memores nõ iurisiurandi solùm atque fidei, qua sunt mihi deuincti, uerumetiã officij, quod tum mihi tùm reipublicæ debent, neque rebus incertis confisi, tantum in se periculum recipiant. Ad hæc, missis internuncijs ad finitimos omneis principes, ordines atque ciuitates, diligenter inuestigaui, quid rei sit, & quid singuli moliantur: sed officiosos omneis & obsequentes reperi. nam sanè causam nullam offensionis cuiquam dedi. De Mauricio quidem multa fuit etiam fama nunc aliquándiu, quæ fortassis originem inde habet, quòd earum copiarum, quę post deditio- M. D. LII.

nem Magdeburgicam collectę, damnum alicubi dederunt, dux ipſe fuerit antea: ſed ille, miſſis ad me literis non ità pridem, & legatis etiam, omne ſtudium pollicetur: & hoc ipſo tempore, duo quidã eius legati cras hinc Tridentum ibunt, concilij cauſa. nunciauit prętera, ſe grauibus & neceſſarijs quibuſdam de rebus ad me uenturum, & certis indicijs cognoui, fore, ut hodie uel cras ad ſummum Magdeburgo profectus, iter ſuſcipiat: denique, tàm prolixè & amplè de ſuis officijs mihi pollicetur, ut nihil ab eo, niſi præclarum expectare debeam, ſi modò fides ulla ſupereſt adhuc in rebus humanis. Et quum genere ſit atque origine Germanus, adduci non poſſum, ut tàm ſiniſtra eum agitare conſilia credam. Ad copias autẽ illas quod attinet, delatæ mihi ſunt quidem multorum querimoniæ, ac ſolicitati ſunt ordines quidam, ne promotis caſtris maiorem illæ calamitatem faciant: ſed poſtea quàm intellexi, propter non ſoluta ſtipendia, concurſum atque uim ab illis fieri, miſſis legatis atcꝫ præfectis mandaui, darent operam, ut quocunque modo conflata pecunia, illis perſolueretur: nec id modò, ſed ad Mauricium quoque datis literis, pro ea pecunia, quæ deberetur, fidem ei meam obſtrinxi, modò miles dimitteretur. & id quidem feci, non quòd tenerer, ſed quia Germaniæ tranquillitatem inprimis amo. Nunc igitur ſingulis ferè momentis expecto, dum id fiat, & planè futurum puto, ut ſine cuiuſquam detrimento dilapſis illis, motus hic atque turba ſedetur. Si uerò, ſolutione facta, copiæ non dimittentur, tùm facilè intelligi poterit, aliud ſubeſſe conſilium: tunc etiam aliæ nobis erunt ineundæ rationes, de quibus & hoc tempore cogito. Iam, ad cæteros rumores quod attinet, qui crebri quidem, ſed dubij tamen & penè contrarij ad me deferuntur, eos omneis magna ſui parte ab aduerſarijs noſtris fingi, & pro ipſorum antiqua conſuetudine atque leuitate diſſeminari puto, concilij & pacis Germaniæ turbandæ cauſa: ſed beneficio Dei futurum eſſe confido, ut hæc clandeſtina conſilia tandem & patefiant, & eum habeant, quem merentur, exitum. Etenim, poſt deditum Magdeburgum pacata ſunt omnia per Germaniam, & ità beneuolè ſeſe gerunt ac obſequenter erga me principes omnes ac ordines, ut planè non reperiam, quæ poſſit aut debeat ullius noui motus excogitari uel obduci cauſa. Non ſum equidem ignarus, uigilandum, & hoc præſertim tempore, atcꝫ in his exterarũ gentium motibus, nullam eſſe, uel minimi periculi ſuſpitionem, negligendam: deinde, non ſum ità uel incogitans uel indiligens, ut aure

ſurda

surda prætermittam ea quæ deferuntur. nam omnibus penè locis habeo, qui de singulis rebus inquirant, in eóque nulli neque sumptui neque labori parco: ueruntamen, ut ad leuem quanque auditionem de summa rei statim decernatur, intelligitis ipsi pro uestra prudẽtia, quàm id non sit consultum. Vt autem concilium deseratis, nisi maxima quæpiam urgeat necessitas, minimè omnium committendũ esse uidetur. Cùm enim in uestra præsentia permagnum sit positum momentum, metus est, ne uestra discessione non modò dissipetur concilium, sed ipsa quoq; religio prorsus intereat, in qua nimirùm & communis hominũ salus, & uestra priuatim est omnis collocata fortuna. Quod cùm ità sit, abs te Moguntine atq; etiã Treuerice, maiorem in modum peto, ut mutato cõsilio nondum suscipiatis iter: te uerò, Colonienſis archiepiscope, qui profectionem non sic urges, ut in eo permaneas, etiã atq; etiam moneo: cõmuniter autem uos adhortor omneis, ut qui præcipuum inter ordines Imperij locum obtinetis, ope consilióque iuuetis alter alterum, & fraternum inuicem amorem atque beneuolentiam præstetis. Interim ego pro republica diligenter excubabo, & quantum ingenio possum atq; facultatibus, conabor, quod erit fortè natum incendium, tempestiuè restinguere, ut ciuilibus malis oppressis, & auctis uiribus, externum bellum eò facilius defendi possit, utque uobis liceat, finibus uestris pacatis, & recuperata tranquillitate, reipublicæ Christianæ negocijs omninò uacare. Nihilo secius tamen author uobis esse uelim, ut, quos domi reliquistis, consiliarij atq; prefecti, rebus omnibus prouideant, ne quid prẽter expectationem accidat, utq; cum finitimis, de quorum fide non dubitabunt, consilia conferant. In eo, si quid etiam ego uobis commodare possim, libenter faciam: ut si quis fortè motus erit, quod minimè tamen arbitror, tantò sitis in omnem casum paratiores. Et quia non ità longum est inter nos interuallum, erit pergratũ, si, quibus de rebus ad uos in posterum deferetur, eas res mihi perscripseritis. idem ego faciam, & quicquid ad uos atq; rempublicam pertinere putabo, uobis impertiar, &, quod sæpe sum aliâs pollicitus, omnem tutelam atq; patrocinium præstabo. Paucis antè diebus, Tridentum redierat Monfortus: adeunt igitur eũ Vuirtembergici, & quemadmodũ per cardinalẽ atq; Toletanum nihil adhuc effecerint, demonstrãt: & quoniã ipse cũ collegis uicẽ ibi Cęsaris gerat, sui principis postulata petunt audiri. Cùm autẽ ne tunc quidẽ satis cõmodè responderetur, illi, re propè despetata, domũ cogitabãt, quod quidẽ

princeps nuper iusserat, si fortè longius ducerentur. Argentinensis quoq; Mõforto suę legationis causam exposuit, ut antea Pictauio, atque is etiam diplomatis exemplum sibi sumpsit. Iam autem desierant theologorum disputationes, & conueniebant quotidie patres, ut peruestigatis omnium sententijs, decreta conficerent, sicut antè docuimus. Et nationis quidem Germanicæ tres ad eam rem delecti fuerunt, Colonienſis, Viennenſis, Numburgicus. is est Iulius Pflugius. Dúmq; his illi rebus occupantur, & ad futurum cõsessum omnia comparant, septimo Ianuarij die ueniunt eò legati Mauricíani, de quibus paulò antè Cęsar perscripserat, Vuolfius Colerus, Leonardus Badehornus, iureconsultus. Eorum aduentu recreati fuerunt ij, quos diximus, episcopi, & Cæsaris oratores inprimis, quòd iam de Mauricio, qui pacis consilia sequeretur, nihil amplius dubitandũ crederent. Tertio die pòst, quàm uenerũt, apud Cęsaris oratores mandata sua proponunt. initiò cõmemorant, quemadmodum theologis uenturis non satis idoneè cautũ sit à concilio, & hanc esse causam, cur princeps neminẽ miserit: optimè quidẽ ipsum erga rempublicam affici, & cupere uehementer aliquam iniri concordiæ rationem: itáque decreuisse omninò mittere de suis, uiros bonos & pacis amantes, neque dubitare, quin alij plærique sint idem facturi: uerùm, ut id fiat, hęc ipsius esse postulata. primùm, ut ad formulam decreti Basilienſis caueatur ijs, qui sint uenturi, sicut Bohemis cautum sit olim: ut ab actione cessetur interea dum illi ueniant: ut, cùm uenerint, anteacta omnia retractentur, & dies cõsessui designatus prorogetur: ut concilium habeatur, in quo nationes omnes atque populi conueniant: ut ne præsidis authoritatem sibi sumat pontifex, uerùm concilio se summittat, & iusiurandum episcopis omnibus remittat, quò liberæ sint omnium in concilio uoces, & minimè præpedita iudicia: hæc etiam se, cùm uisum fuerit, in cœtu patrum uelle copiosius explicare, ac petere, ut primo quoque tempore aliquid conficiatur: iam enim esse in uia, & ad quadraginta circiter milliaria processisse theologos, & expectare modò, dum uocentur. fuit hoc Ianuarij die decimo. Illi, & de ipsorum aduentu lętari plurimùm, & ad patres omnia se relaturos dicebant. Cæsari quoque rem totam nunciabant, qui demulcendi causa Mauricij, patribus author fuit atque suasor, ut ad eius postulata leniter & amicè responderent. Vuirtembergicus etiam princeps, cùm antea certi nihil accepisset, ubi Mauricium eò misisse cognouit, mandabat suis, ut ad proximum usque cõsessum

perma-

permanerent, in eóque scriptum exhiberent, simul aliud quoddã scriptum, sed breue tamen, mittebat, eius propè sententiæ, cuius erat postulatum Mauricianum, ut infrà recitabimus: hoc etiã unà cum doctrinæ confessione pariter exhiberi uolebat. Argentinensis erat iussus expectare, donec aut Mauriciani uenirent, aut non esse uenturos, planè constaret. Cùm ergò uenissent, suæ legationis causam communicat, & quis esset rerum status, demonstrat, et ab ipsis inuicem, quid haberent mandati, cognoscit. Idem faciunt Vuirtembergici, & communis erat omniũ actio: quam tamen illi, quòd serò uenissent, cum primis urgebant, ideóque treis archiepiscopos electores et cardinalẽ Tridentinum, Mauricio ualde familiarem, & Cæsaris oratores diligenter orabant, uti reipublicæ causa & beneuolos in eo sese præberent, & reliquis etiam patribus persuaderent. Nam ex legatis nemo Crescentium aut eius adijt collegas, ne quid eis tribuere uiderentur: sed, quoniam ut Cæsari mos gereretur, & Imperij decreto satisfieret, missi fuerant, idcircò ipsius oratoribus, qui summus esset ac præcipuus magistratus, ut intercessoribus, utebantur. Et hoc quidem tempore nuncius adferebatur, paucis à diebus ad Cæsarem esse uenturũ Mauricium: quò magis omnium erat erecta spes ac propensa uoluntas. Is, quem suprà diximus, Angliæ regis auunculus, hoc mense, Londini fuit securi percussus, & cum eo quidam familiares. quin hoc Northumbriæ ducis impulsu fieret, nemo dubitabat. qui erant prudentiores, iam tunc incipiebant metuere optimo regi, quem, sublatis propinquis, periculo magis expositum & insidijs esse uidebãt. nam extincto Somerseto, Northumbrius nouos regi dabat cubicularios, & in his quidẽ suos liberos atque propinquos. Cùm iam futuri consessus immineret dies, Cæsaris oratores, uocatis ad se Mauricij legatis, exponunt, quid in ipsorum causa cum patribus egerint: impetrasse qualem optarint, fidei publicæ cautionem: intermitti quoque actionem, & extractũ iri, dum illi ueniant et adesse possint: quòd nõ omnes eò nationes atque populi conueniant, id à patribus non posse præstari: concilium esse legitimè indictum: etiámsi non omnes ueniant, nihilo tamen minus dignitatem ei suam constare: ut decreta facta retractentur, considerent ipsi, quàm id non deceat: pertinere enim ad dedecus & infamiam tanti conuentus: ueniant modò theologi: fore, ut & de rebus omnibus audiantur, & humanissimè tractentur: si quid autem offendat aut iniquius fiat, si prægrauari sese uideant, habere ipsos liberam discedendi, cùm uolent, facultatem:

petere se maiorem in modum, ut temporibus aliquid tribuant, nec omnia sibi uelint hoc uno momento concedi: cùm ad actionem uentum fuerit, tunc plæraq; posse per occasionem obtineri, quæ nunc duriora uideantur: patres admodum esse cupidos emendationis, neque defuturos etiam officio, & admodum expetere theologorũ aduentum, quibus omnem beneuolentiam atque fidem sint præstituri, & habere quæ proponant, magni quidem momenti, & cupere ab illis initium fieri, quò per hanc occasionem & ipsi prodeant: quòd etiam de submissione pontificis petant, orare, ut sint in eo remissiores: uidere ac intelligere patres, non esse nihil, quod in eo fastigio & reprehendi possit & corrigi debeat: sed tamen subtili quadam ratione progrediendum: Cæsaris hanc esse mentem ac uoluntatẽ, ut omnia ritè fiant atque legitimè: quàm molliter autem quánq; dissimulanter cum pontificijs legatis agendum sit, experiri sese quotidie: nimirùm dexteritatem in eo singularem adhibendam, & arte tractandos: acquiescant igitur ijs, quæ modò concedantur, quæ sanè magno suo labore sint impetrata, dénq; operam, ut theologi accelerent: se tum publico tùm priuato nomine nihil prætermissuros officij. simul tradunt eis, cùm hucusque peruentum erat, cautionis publicæ formulã: iubent legi, posteáque remitti. fuit hoc Ianuarij die uigesimo secundo, mane. Cúmq; sic illos dimitterent, eodem prope uestigio Vuirtembergicos euocant, & primò quidem, de superiori tempore excusant, propter grauissimas patrum occupationes: iam uerò si quid haberent, suam eis operam esse paratam. Illi, iampridem habere se, quæ proponant, & cupere quàmprimum admitti, dicebant. ijs dimissis, Argentinensem accersunt, & in eandem ferè sententiam agunt. Is, quamobrem esset missus, breuiter explicabat, propter Toletanum, cui nondum erat locutus: in præsentia quidem nihil habere se quod proponat amplius, & à suis expectare literas. nam statim atq; Mauriciani ueniissent, cuiusmodi ipsorum esset mandatum, rescribere, & quid præterea senatus fieri uellet, iussus erat expectare. sed interim orabat, quibus de rebus ad ipsos retulissent Mauriciani, in ijs ità sese gerant, ut statim ad actionem publicam deueniatur. Illi, cum Mauricianis, cúnque Vuirtembergicis tractare se quædam dicebant: ubi quid perfectum fuerit, communicaturos, ut suis denunciet: se quidẽ uehementer optare concordiam: Cæsaris etiam cogitationes omneis atque studium eò referri: cupere admodum, ut instituatur actio, neque dubitare, quin honestissimo conatui sit adfuturus Deus. His ità confectis,

confectis, Mauriciani simul & Vuirtembergici & Argentinẽsis, communicato consilio, eius, quam acceperant, cautionis formulam simul expendunt. Et quia Basilienſis decreti singula capita iam antè deſcripserant, ut essent in conspectu, ea præsertim, in quibus momenta rerum posita sunt, non erat eis difficile, quibus locis hoc ab illo dissideret, mox animaduertere. cùm ergò percurrissent, ilicò deprehendunt præcipua loca partim esse mutata, partim omissa. Nam in ea, quę Bohemis olim data fuit, cautione, hæc insunt inter alia. ut decidendi quoq; facultatem habeant: ut sacra scriptura, & ueteris ecclesiæ praxis, & concilia, & interpretes, cum scriptura sacra consentientes, in omni controuersia sint loco iudicis: ut ipsis domi liceat sua sacra perficere: ne quid in ipsorum doctrinæ contemptum aut uituperationem fiat. Ex ijs primum, tertium atq; postremum erant omissa: quod secundo loco est, & præcipuum quidem, planè fuit mutatũ. His animaduersis, nouam ipsi formulam conscribunt, Basilienſis decreti uestigia secuti: sed interea chartam semel & iterum Toletanus per famulum repetebat, ueritus, ut quidem apparebat, paulò maiorem diligentiam. Illi uerò nihilo secius pergũt, & re demùm perfecta, Mauriciani ad Toletanum redeunt, & collatione facta, quid in eo desiderẽt, ostendunt. Ibi tum ille cœpit molestè ferre & stomachari: cur enim eo non sint contenti, quod summa ipsorum diligẽtia sit magnóq; labore confectum? ijs qui uẽturi sint, abundè prospectum esse in omnẽ partem: hoc enim esse primum, in quo tutus itus atq; reditus contineatur: cętera nihil eò conferre, sed ad agendi modum pertinere tantùm: id autem præsentibus theologis multò melius, quàm nunc, posse cõstitui. Respondent illi, non sibi licere fines excedere mãdati, quod sit eiusmodi, ne diuersam à Basilienſi formulam accipiant. Biduo pòst, patres in domo legati pontificij, mane cõueniunt omnes, unáq; Cęsaris oratores. hi Vuirtembergicos eò uocant, quod se facturos pridie dixerant. Introducti iubentur exponere mandata: cúnq; suæ legationis fidem, exhibito diplomate fecissent, præfati quędam, doctrinę confessionem descriptam in mediũ proferunt, & scribę concilij tradunt, uti fieri solet: uenturos etiam à suo principe theologos dicebant, qui copiosius omnia tractent, uerùm his conditionibus. primùm, ut de partis utriusque uoluntate iudices idonei deligantur, qui theologorum actionem audiant, déq; rebus controuersis legitimè cognoscant: cùm enim suorum theologorũ doctrinę maximam partem pugnare princeps intelligat cum doctrina Romani pontificis & episcoporũ, qui sint omnes

pontifici multis modis deuincti, periniquum ei uideri, contrácp ius, eos, qui uel actoris uel rei personam sustinent, iudicandi potestatem sibi uendicare: deinde, in conuentibus Augustę sic esse decretũ, ut continuetur concilium, & omnia piè rectécp fiant: hoc autem ità semper accepisse principem, quę superioribus annis facta sint in concilio, non debere uim legis obtinere, sed inde ab initio repetenda esse omnia: cuius enim hoc esset iuris aut ordinis, cùm duo litigant, quod altero, legitima de causa nimirum absente, decretum sit, hoc uelle firmum ac sacrosanctum esse? præterea, cùm non solùm in superiori, uerumetiam in hoc ipso concilio multa sint facta decreta, sacris literis contraria, multi etiam ueteres confirmati errores, quemadmodum demonstrari possit, petere principem, ne qua sit eorum authoritas, utcp legitimæ cognitioni omnia deferantur. Ea ipsa capita, scripto comprehensa, cum doctrinæ cõfessione simul exhibebant. His ità peractis, responsum est, suo tempore, patres, quid sentiant, demonstraturos, atcp ità illi dimittuntur. Eodem die sub uesperum uocati sunt ab ijs eundem in locum, Mauriciani. cùm uenissent, oratione prolixa sui principis postulata recensent, in eundem modum, ut nuper ad Cæsaris oratores: nisi quòd exitus erat neruosior. ubi hoc etiam dicebatur, eum, qui uulgò sit in pontificiorum templis, cultum & agendi modum, non esse ueram religionem, sed fucum & umbram religionis. Facto dicendi fine, hanc ipsam orationem, literis consignatam, ei, quem suprà dixi, scribæ permittunt. responsum fuit ijsdem uerbis, ut antea Vuirtembergicis. Inter alia uehementer eos urebat, quòd ipsorum religio tàm uili & despecto nomine circumscriberetur. id postea cognitum est. Constituerant legati publico in consessu mandata sua proferre: hoc autem ne fieret, ut omninò futurum illi sciebant, priuatim fuerunt auditi. nam aut hoc erat necessariò faciundum, aut publicæ totum actioni permittendũ. Doctrinæ confessionem, à Melanchthone conscriptam, ut antè docuimus, attulerant illi quidem, sed cùm eius rei mandatum nullum haberent, qua nescio de causa, non exhibuerunt.

Postridie, qui fuit Ianuarij uigesimus quintus dies, fit consessus publicus, & ea, quam diximus, pompa, legatus pontificius in templũ deducitur. Auctior tunc erat numerus militum, & hominũ etiam turba frequentior ex diuersis locis, quòd ualde celebrem eius diei futuram putabant actionẽ. Finitis omnibus ceremonijs atcp sacris, de suggestu recitatum fuit, protestantiũ causa rem omnem differri, ad XIX usqp diem Martij, quem quidem ante diem tẽpestiuè sint adfuturi, quò sua

propo-

proponant:amanter hoc eis concedi,& confidere ſynodũ,fore,ut non fidei catholicæ pertinaciter oppugnandæ,ſed ueritatis cognoſcendæ ſtudio, ueniant, & eccleſiæ decretis atque diſciplinæ demum acquieſcant atq; pareant:ampliori quoq; formula cautum eſſe illis,ne quid omninò deſiderari poſſit:adhęc,in proximo confeſſu,de matrimonij ſacramento tractandũ eſſe. Tertio pòſt die,cùm nihil prodiret,Mauriciani atq; ſocij petebant à Toletano,qui cùm fortè prandebãt,eius, quæ fuiſſet pronunciata, cautionis exemplum : benignè quidem ille, ſed cum alterum iam triduum exiſſet,Argentinenſis,reliquorum hortatu Pictauium adit:queritur hunc ſextum eſſe diem, quo nihil accipiant : longiorem prius interueniſſe moram , quòd non ſatis idoneè cautum eſſet,nunc denuò tempus extrahi:theologos autem non antè uenturos eſſe,quàm ipſorum magiſtratui de cautione ſatisfactum ſit. Ille, nulla ſua culpa fieri dicebat, & mirari , quid Toletanus ità cunctetur , qui principem inter ipſos locum obtineat : ſe iam iturum ad hominem,neq; dubitare, quin eo die res conficiatur : quod ex eo cognouerit,renunciaturũ.& ſimul egreſſus,illum adit.fuit hoc Ianuarij die penultima. Horis aliquot pòſt,legati omnes iubẽtur in ædes Toletani uenire : aderat etiam Monfortus . incipit Pictauius : & primò quidem interpoſitam moram excuſat,de ipſorum deinde ſtudio,deq; Cæſaris præclara uoluntate multa locutus,monet,ut primo quoque tempore theologi ueniant.quod quidem omninò futurum putẽt,accepta cautione.Cúnq; hæc diceret,conſurgit Toletanus,& cautionis exemplum,à ſcribis concilij ſubnotatum,ſingulis tradit.Illi ſecedunt, perlegunt , & quæ prius ante confeſſum emendauerant loca , deprehendunt non eſſe mutata : redeunt igitur ad illos, déque eo querunt,& quid in ſingulis requirant,oſtendunt.Mauriciani etiam, quid patres ad ipſorum poſtulata reſpondeant,ſcire cupiunt . idem Vuirtembergici faciunt.Incipit denuo Pictauius,& ad cautionem quod attinet , reſpondet. quòd decidendi facultatem ſuis concedi poſtulent, præmaturè ab ipſis fieri:præſentibus theologis,& in opere ipſo,multa fortè per occaſionem poſſe tribui , quæ iam recuſentur : quòd ſacram ſcripturam ſolam uelint eſſe iudicem omnis controuerſię,nemi nem quidem repugnare,ſed cùm de ſcripturæ interpretatione lis oritur , cui potius credendum ſit quàm concilio? ſcripturam eſſe rem inanimem atq; mutam,ſicut etiam ſint reliquæ leges politicæ:iudicis autem accommodãdam ei uocem,ut rectè percipiatur:eam ſanè concilij eſſe uocem,& hunc morem inde ab apoſtolorũ ætate ſemper ob-

ſeruatum,rebus dubijs exortis: quòd domi ſua uelint tractare ſacra, non quidem ipſis palàm concedi,ſed tamen etiam non prohiberi: ne quid in ipſorum religionem atq; doctrinam proteruius fiat,non eſſe quod uereantur,& ſeuerè prohibitum iri:nam & Cæſarem ità uelle, & patres etiam uerborum immodeſtiam omnem odiſſe: cúnq; pacis cauſa conueniatur, nulli fore ſuam impunitam proteruiam & intẽperantiam. Ad ipſorum poſtulata eodem ferè modo reſpondent,ut nuper ante conſeſſum,ſicut ſuprà diximus. actionem uidelicet ipſorum gratia intermitti,& in aliud tempus produci: ut autem decreta facta repetantur, orare, ne uelint hanc tantam maculam inurere tot uiris præſtantibus: fidem ſe interponere ſuam & ſpondere,cùm illi uenerint,de rebus omnibus auditum iri:quòd pontificem in ordinem cogi,& iuſiurandũ remitti uelint, quoniam hoc ad ipſum propriè pertineat,nihil à patribus decerni poſſe prius, quàm ad illum referatur: de Vuirtembergicis poſtulatis, quoniam ſint eiuſdem propè generis,eandem quoq; patrum eſſe ſententiam:obſecrare igitur,ne tantulis rebus impediri patiantur atque tolli tàm optatam rei ſanctiſſimæ gerendæ occaſionem,cuius hauddubiè fructum Europæ ſint omnes percepturę prouincię, ſed dent operam,& ſuis omninò perſuadeant, quò theologi quamprimum ueniant:non poſſe maius in hoc tẽpore beneficium ipſos reipublicæ præſtare. Multis inuicem commutatis uerbis,cùm hoc legati potiſſimùm urgerent,eos,qui litis alteram partem ſuſtinent, de re controuerſa uelle iudicare,periniquum eſſe,tandem ità diſcedunt, cautionis exemplum non alia ſe lege ſuſcipere, quàm ut ad magiſtratũ quiſq; ſuum mittant, quod magna celeritate ſint ilicò facturi, neque ſe defuturos negocio, quantum quidem ipſi poſſint,neq; de illorum etiam aduentu deſperare. Mauriciani formulam è ueſtigio mittunt & principi & theologis,quos tum Auguſtam perueniſſe putabant:idem facit Argentinenſis: Vuirtembergici ſuum exemplar ipſi deferunt,domũ profecti calendis Februarij, permiſſu principis,qui nõ multò pòſt,alios ſummiſit, ut infrà dicemus. Paulò ante hoc tempus,Noribergam à Mauricio uenerant theologi, & in his Melanchthon,iuſſi expectare,dum fidei publicæ formulam Tridento mitterent legati:paucis uerò pòſt diebus, quàm eò uenisſent,iubentur,ne allata quidem formula progredi, uerùm expectare, quid princeps egerit cum Cęſare,ad quẽ iturus dicebatur. Promulgatis in conſeſſu decretis,themata ſolent tradi theologis,futurę diſputationis,ut ſuprà docuimus:uerùm à proximo cõſeſſu planè fuit ceſ-

ſatum,

ſatum,cuius quidem rei non una ferebatur cauſa. Peruulgatum tamen fuit,proteſtantiũ cauſa fieri.nam initio Februarij, cùm ex Mauricianis legatis alter,& Argentinenſis,in uicinam Italiam atque Venetias eſſent expatiati per ocium, alter interea, qui prius Italiam uiderat,per Cæſaris oratores egit, quoniam breui uenturos putaret theologos, qui iam Vindelicorũ Auguſtam,opinione quidem ſua,ueniſſent,ut eouſq; differretur omnis actio, & tantulam moram patres leniter ferrent. Erat cum archiepiſcopo Treuirenſi theologus Dominicanus,Ambroſius Pelargus.is die quodam feſto,qui tum erat ſeptimus Februarij dies,euangelij locum illum explicans,qui eſt de zizania tritico permixta, tollendam eſſe zizaniam dicebat inter alia, quocunque modo,ſi tamen abſque tritici detrimento fieri poſſit, accommodans orationem omnem ad hæreticos,qui zizaniæ uerbo notarentur. Ad Mauricianum uerò delatum fuit,acerbè illum in hæreticos inuectum,hoc etiam dixiſſe,non eſſe fidem illis ſeruandam,quę fortè data ſit. Hic ergò,cum diligentius inquiſiſſet, cardinalem Tridentinum,qui erat ibi cum imperio,et Cęſaris oratores adit,déq; eo, quod audiſſet,queritur.Euocatus,ille,de hæreticis locutũ ſe quidem in genere profitetur, eóſque tollendos igni,ferro,laqueo,& quacunque demum ratione,ſi quidem abſq; maiori aliquo diſpẽdio fieri poſſit atq; tumultu:de fide autem eis non ſeruanda,nullũ feciſſe uerbum, & ſi feciſſet,capitis incurriſſe pœnam, ob uiolatum cõcilij decretum. Poſthæc,Mauricianum uocant,& illius recitata purgatione, iubent à patribus nihil niſi fidem atq; candorem expectari:ſi quid etiam leuius effutiatur, quod tamen grauiter ſit interdictum, non oportere eo commoueri. Num ei facta ſit iniuria,nihil habeo compertí: nam ex auditoribus quidam interrogati,non idem dicebant.His ferè diebus literæ fuerunt allatæ Mauricij,datæ ultima Ianuarij die.ijs literis nunciabat ſuis legatis,ut ea quæ nondum à patribus impetraſſent,urgerent: ſe iam in hoc eſſe totum,ut propediem ad Cæſarem contendat:tunc inter alia de his quoq; rebus cum illo coràm eſſe acturũ:fore etiam, ut unà cum ſuis, aliquot præterea principum & ciuitatum legati atque theologi ueniant:in his nominabat Pomeranię duces patrueles. Earum literarum exemplum,alter legatus,quoniam à profectione nondum redierat collega, Brixnam mittit ad cardinalem Tridentinũ,qui nuper eò ſe receperat.nam is,quòd & Cæſaris eſſet obſeruantiſſimus, & Mauriciũ quoq; plurimùm ob uitę cõſuetudinem diligeret,& cõcilij progreſſum inprimis optaret,diſſidium hoc gliſcẽs,

de quo multus erat ſermo, grauiter ferebat. eáque fuerat legato cauſa mittendi literas, quibus ipſum recreari ſciebat. Et ille quidem, ijs acceptis literis, cùm antea dubitaret, nunc demum reſpirare ſe, ac bene incipere ſperare, & ubi primùm Oenipontem Mauricius uenerit, eò ſe quàmprimùm, aut etiam multò longinquius ad ipſum eſſe profecturum, legato reſcripſit. Nam pro ea, quæ eſſet inter ipſos, amicitia & neceſſitudine, pacis conſilia perſuadere ſe illi poſſe credebat. Erant autem literæ Mauricij manu ſubſcriptæ, ijſque coniunctum erat etiam mandati diploma, quod exhiberent, ſi res ità ferret. nam id antea neglectum fuerat. Non multò pòſt, ad XVI Februarij diem, Treuirenſis, reficiendi ſui cauſa, Tridento diſcedit, domum uerſus. quod ei Cæſarem ità permiſiſſe ferebant, uti quàm primùm per ualetudinem poſſet, eò rediret: Pelargum tamen reliquit, ut actionibus intereſſet: abeuntem Moguntinus et Colonienſis per unũ & alterum milliare deducebãt. deflexit autem ad læuam, neq; per Oenipontem, ubi Cęſar erat, iter fecit. Paulò pòſt, plęriq; cœperunt muſsare, concilium iri prorogatũ, & Mauricium, facto cum Gallię rege fœdere, bellum in Cęſarem parare. Subobſcurus quidẽ erat hic rumor initiò, ſed inualeſcebat indies, ac ſilentio miſsus fuit ad Cæſarem Tridento, qui de ipſius uoluntate cognoſceret. pòſt etiam à Cęſare quidam huius rei cauſa uenit eò: ſed tegebãtur omnia ſingulari ſtudio. Altera die Martij, qui tum erat cinerum dies, ut uulgò dicunt, legatus pontificius, ad ualuas templorum adfixis chartis, peccatorum remiſsionem, indulgentias ipſi uocant, largitur omnibus in uniuerſum, præſertim epiſcopis, oratoribus, theologis, qui uel confeſsi peccata, uel ſtatuto tempore confeſsuri, certa templa Tridenti, præſcriptis diebus adirent, & recitata quinquies precatione dominica, & ſalutatione, quam uocant, angelica, reliquíſque precibus effuſis, pro concordia principum, pro conſenſu eccleſię, & fœlici concilij progreſsu Deum orarent: hoc tantum beneficium, à Iulio tertio pontifice, qui de ſalute ſit animarum ſolicitus, conferri, ut non minus Tridenti, quàm Romæ liceat illud conſequi. frequentes ergò quotidie ad templa diſcurrunt epiſcopi & cæteri, præcipuè Hiſpani, dierum obſeruato diſcrimine. nam aliquandò plus, aliquandò minus temporis huic religioni dabant. In hoc tanto ſilentio, ut ſuprà dictum eſt, Pictauius, per colloquium rogatus ab Argentinenſi, de rerum ſtatu, uanũ eſse rumorem illum de prorogando concilio, & Cæſarem omninò uelle progreſsionem fieri dicebat, & actionem continuari: quòd etiam pluſculis iam

die-

diebus nihil actum sit, ipsorum gratia fieri, qui de theologorum ad-
uentu spem fecissent. Erat hoc initio ferè Martij, cùm sub exitum Fe-
bruarij theologos Noriberga reuocasset Mauricius, qui sui ad Cæsa-
rem aduentus excitata iampridem fama, cùm iter ingressus aliquous-
que processerat, domum reuertit, & delectum habere militū instituit,
ut proximo libro dicemus. His rebus cognitis, cùm crebri superueni
rent alij post alios nuncij, neque iam ulla resideret amplius dubitatio,
Mogūtinus & Colonienſis, ad quem ex inferiori Germania multum
erat nuper aduectum alimoniæ, magna celeritate comparatis equis,
undecima die Martij, prima luce discedunt, cùm legatus pontificius,
reliquis comitatus episcopis Italis & Hispanis, pridie, salutandi cau-
sa, sub uesperum ad ipsos uenisset. Hoc ipso die uenerunt à Vuirtem-
bergico principe, Tridentum, noui legati, Vuernerus Munchingus,
Hieronymus Gerardus, iureconsultus. hi postridie Cæsaris oratores
adeunt, & exhibito mandati diplomate, responderi sibi petunt ad
postulata sui principis, exhibita patribus XXIIII die Ianuarij: theo-
logos quoque paucis à diebus adfuturos dicunt, qui doctrinæ con-
fessionem nuper oblatam confessui, copiosius exponant. Mirum hoc
illis uidebatur, qua nescio de causa, nisi quòd ex ipsis quidam ad iter
habuisse omnia parata, domúmq; cogitasse dicebatur, cui tunc neces-
sariò manendum fuit, non absq; fastidio. Responsum fuit, patribus
rem esse communicandam, quod ab ijs acceperint, renunciaturos. In-
terea legati Mauriciani magnis erant in angustijs et solicitudine. nam
& callidè rem egisse, & sui principis consiliorum esse conscij, & om-
nia simulasse putabantur: cum interim ipsi, neq; scire se quicquam eo
rum quę domi gererentur, nec ullas etiā literas adferri confirmarent,
& qua uia domum redirent absq; periculo, nescirent. Et quoniam au
geri discrimen interposita mora uidebant, XIII die Martij, magno si-
lentio, quum iam diluceſceret, abeunt, & Brixnam celeriter profecti,
Tridentinum cardinalem, quid facto sit opus, consulunt. Tandem ex
legatis alter, qui prius, quàm Tridentum ueniret, diu commoratus
fuerat Oeniponte, & sui principis nomine, cum reliquis, apud Cæsa-
rem, pro Lantgrauio interceſſerat, accepta, nisi fallor, fide publica, ue-
nit Oenipontem, & ad Cæsaris familiares sese purgat, neque rerum
belli conscium fuisse docet, ità quidem, ut fidem eis faceret. inde do-
mū contendit: alter uerò per Carniam ingressus iter, ad suos reuertit.
Moguntinus & Colonienſis, cùm Oeniponti iam appropinquarent,
excepti honorificè fuerūt ab ijs, quos Cęsar obuiam eis miserat. in his

fuit Atrebatensis episcopus. Cum Cæsare deinde diu multúmq; soli collocuti, prosequuntur iter. nam celeritatem res postulabat. Sexto pòst die, quàm Tridēto Mauriciani discesserant, uenerunt eò theologi, Vuirtembergici quatuor, in ijsq; Brentius, et Argentinenses duo. Monfortum ergò mox adeunt legati, & illos iam adesse dicunt nominatim, & orant, ut cum collegis det operam, quò patres ad postulata respondeant, & ut inchoëtur actio. Postridie, qui fuit Martij dies XIX, & consessui publico designatus, ut suprà dictum est, patres in pontificij legati domo conueniunt. Aderat Lusitaniæ regis orator, qui nuper eò uenerat: & cùm suæ functionis fidem fecisset, more solenni receptus est à patribus & admissus: postea consessus publicus in calendas Maij dilatus fuit, nec aliud actum est: & hęc quidem omnia, priuatim. Vuirtembergicus princeps, doctrinæ confessionem, à suis exhibitam, typis interim excudi iusserat, eiusq; legati, quos dixi, pòst etiam theologi pauca quædam attulerant exemplaria, quæ nonnullis communicata, desiderabantur à multis. Legatus enim pontificius oblatum publicè scriptum Ianuarij die XXIIII, ut suprà diximus, ad se receperat, & uix paucis legendum permiserat. quod tum primùm innotuit, ità quidem, ut iam, cùm esset euulgatum, episcopi quidam Itali & Hispani ac theologi studioscè requirerent, quanq; fortasse non omnes eodem consilio. Legatus autē Crescentius, id ægrè ferens, Tridentinum quendam, hominem doctum, professione medicum, increpabat, quod id genus libellos disseminasset. Monfortus etiã ad Vuirtembergicos nihil dissimulans, ita ferè loquebatur, quasi contra fidei publicæ leges commissum esset: &, quibus publicè de periculo caueretur, eis etiam offensionem omnem fugiendam esse dicebat. Biduo post priuatam illam actionem in domo legati pontificij, Pictauius nunciat Argētinensi, de nocte, quum horis aliquot antea multus fuisset inter eos de inchoanda demum actione sermo, si quid per ipsum atque collegas uellent proponi patribus, in eo se non defuturos, ac simul horam constituit. Itáq; postridie, qui fuit Martij dies XXII, legati Vuirtembergici & Argentinēsis, in ædes Toletani ueniunt. Vbi dicendi factum fuit initium à Pictauio, Vuirtembergici, quod à suo statim aduentu petijssent, idem nunc etiam flagitare se dicebant, nimirum, ut ad postulata iampridem exhibita respondeatur: eo facto, commodius ad reliqua posse fieri progressionem: cúnq; multis inuicem commutatis uerbis facilè appareret, si in eo permaneretur, actionem impediri totam: legati, sic ut erant iussi, commemorant. Etsi quæ postula-

ſtularunt antea, non impetrent, tamen, ut conſtare poſſit atque uideri, quantopere ſit cupidus pacis atq; concordiæ magiſtratus ipſorū, deinde, ne cauſæ tractatio longius proferatur, item, ut Cęſari mos geratur, & Imperij decreto ſatisfiat, admittere ſe theologos ad actionē publicam & exhibere, ſui magiſtratus nomine, uerūm ea lege tamen, ut ſui iuris nihil hoc ipſo concedant, & omnia ſibi ſuiſq; ſalua uelint & integra, quæ legibus & moribus & conuentus Auguſtani decretis conſentiant. Eam proteſtationis formulam ubi pronunciarunt, ſcripto comprehenſam illis tradunt, pòſt diuertunt. ubi uocati redijſſent, illi factū collaudant, & agnoſcere ſe dicunt, ipſos ad concordiam omninò ſpectare: quod cùm ità ſit, proximam eſſe dicunt deliberationem de ſuſcipiendæ tractationis modo: rogant, quæ ſit ipſorum in eo ſententia. Legati ſecedunt, & re deliberata, duas reperire ſe uias demonſtrant. nimirùm, ut aut theologi ſuper omnibus doctrinæ decretis in concilio factis audiantur, aut, ut in medio ponatur exhibita patribus, & nunc etiam euulgata typis, doctrinæ confeſſio, ēiuſq; capita ſingula tractentur ordine: ſuos enim ideò ueniſſe theologos, ut doctrinā eo libello comprehenſam copioſius explicent atq; demonſtrēt, & ijs qui uelint oppugnare, reſpondeant: hanc ipſis uideri maximè compendioſam rationē, neq; ſcire commodiorē. Tunc etiā Argentinenſis, magiſtratum ſuum legiſſe Vuirtembergicæ doctrinę ſcriptū, & approbare, & profiteri dicebat, & theologos eò miſiſſe, qui huic confeſſioni ſeſe coniungant, et unà cum Vuirtembergicis eam defendant: hoc ſui magiſtratus & ſociorū nomine ſe ipſis referre, & iuſſum eſſe confirmare. Ad ea reſponſum fuit. quòd eouſq; progrederentur, & tàm apertè ac ſyncerè agerent, quòd etiā Argentinenſis reſpublica, & huic adiunctæ ciuitates ei ſeſe doctrinæ cōiungerēt, lętari ſeſe plurimùm, & agere gratias, & renunciaturos quàmprimùm Cæſari, neque dubitare, quin cupidè ſit auditurus: ad theologicam uerò tractationē & agendi modum ab ipſis demonſtratum quod attinet, breui relaturos, quæ ſit patrum in eo ſententia. Interpoſitis aliquot diebus, cùm illi ſilerēt, & epiſcopus Numburgicus abiret, reliqui etiā epiſcopi Germani, qui duo tantùm ſupererāt, ad iter comparare ſeſe dicerentur, legati Monfortū adeunt, ſi quid reſpondiſſent patres, audituri. Ille, quod diceret, hoc ſolùm habebat, nihil adhuc eſſe reſponſum à patribus: & cùm diſceſſus epiſcoporū mentio fieret, Numburgicū non longius quàm ad Cæſarē proficiſci dicebat: nam è Saxonia quoſdā delectos eò uenturos, pacis cū Mauricio

tractandę causa: cúnctę sit eiusdē ille regionis, & quidē ex præcipuis unus, rogatū, hoc illis non potuisse denegare: de cæteris non sibi constare dicebat. Etenim quia Cæsar cōcilij progressum ualde cupiebat, ipsi quoque sua dicta omnia factáq; referebant eò, ne de summa rei desperaretur. Altero die, qui fuit Martij dies uigesimus septimus, Argentinensis adit Pictauium, & suarum rerum cōditionem ità ferre dicebat, ut domum sibi redeundum esset: eóque scire cupiebat, de actione theologica quid sibi renunciandum sit domi. Per hanc occasionem fit iterùm sermo de futuræ tractationis modo. & ille quidē, ut ad eam formam, sicut nuper ostendissent, procederetur, non posse cōmodè fieri dicebat: iam enim in manibus esse, quod proximè definiendum sit, Missæ negocium: hoc sibi uideri primò disceptandum, pòst, ad reliqua omnia ueniendum esse: uerúntamen hoc ità sese loqui priuatim, nō quòd collegæ præceperint. Argentinensis contrà: quemadmodum ipsorum theologi inde à primis fundamentis & ordine differuissent, de creatione, de lapsu hominis, de peccato quod uocant, originis, de iustificatione, de fide, de operibus, ac demùm de sacramentis: ità quoq; suis eundē esse permittendum ordinem: quo etiā die cautionē publicam dedissent ad exitū Ianuarij, pollicitos, fore, ut de rebus omnibus audirentur: in eo manendum, nec inuertendam esse rerum naturam: nisi enim rectè superiora definiantur, inutilem esse de postremis, quæ pendeant à primis illis, omnem disceptationem. Cùm autem inter ipsos de eo non conueniret, ad illud de profectione respondet, non hoc ei posse cōcedi: Cæsarem enim mandasse, ne quem abire patiantur. post multum sermonē, cùm ille diceret, nō habere se quod agat amplius, quicquid etiā supereſſet, à theologis tractatū iri, qui eius rei mandatū haberent literis consignatū: iubet adire Monfortū, & mandati literas exhibere. pòst amanter admodum dimittit, fœlicē ad suos reditum precatus. Vbi diploma uidit Monfortus, uelle se quidē ait, res ipsius ità ferrent, ut diutius moretur: sed quia tempori parendum sit, non se repugnare: simul amicè dimittit. Postridie, cùm ad uiam ille iam esset paratus, ab oratoribus uocatur: incipit Pictauius, quanquàm heri sit inter ipsos actum de profectione, tamen, re deliberata diligentius, & communicatis consilijs, non se posse facultatem ei dare discedendi: iam enim eò rem adductā, ut elapsi temporis fructus expectetur, & instituatur actio: quòd nisi tenuiori esset ualetudine legatus pontificius, hoc ipso die potuisse aliquid decerni: manendum igitur esse: quòd si in hoc

temporis articulo discedat, offensum iri patres, qui menses nunc aliquot eum adfuisse sciant: Cæsaris etiam hoc esse mandatum, ne quis omninò recedat: si uerò iussu magistratus abeat, faceret eius rei fidē, exhibitis literis, quibus reuocetur, ut ad Cæsarem excusare possint. Tum ille, nō mandatu senatus, uerùm quòd suæ res ità ferrent, abire sese: causis etiam aliquot recitatis, nisi hæ subessent, non se moturum inde pedem dicebat: quòd & senatus authoritas, qui se cuperent manere diutius, & ipsorum dignitas, qui hoc ab se contenderent, & ipsa etiam causa, quam amet, meritò hoc ab se debeant impetrare: theologorum autem aduentu se iam posse multò commodius abesse, præsertim, cùm hoc solùm restet, ut ad actionē admittantur: adesse quoque theologis legatos Vuirtembergicos, qui nuper uenerint, & causam esse communem, ut nuper demonstratum sit: quòd si seriò res etiam agatur & constanter, posse fieri, ut sibi summittat senatus, cui iam proximè de suo discessu nunciarit. Ibi rursus ille. saltem eousque maneat, donec inchoata sit actio, quod propediem futurum sit: & si fortè legatus Crescentius non conualescat, daturos tamen operam, ut eius collegæ rem administrent. Quum excusando nihil & deprecando proficeretur, ad extremum ille remedium decurrit, quod illoúsque cōsultò reseruarat: & tum sibi tum alijs omnibus Augustanæ confessioni coniunctis, cautione dicebat & fide publica licere, quouis tempore illinc abire. Tunc demum Toletanus, licere quidē inquit, neq; se repugnare etiā aut prohibere posse, quò minus abeat: sed tamen, quid Cæsar mandarit, quid etiam ipsi fieri uellent, non potuisse non explicare. sic ergò discedens, causam atque theologos eis commendat. Dissidebant tum inter se patres, nec eodem spectabāt omnes. Hispani enim & Neapolitani & Siculi, & quicunq; partium erant Cæsaris, maximè tamen Hispani, & cum his, oratores, urgebāt inprimis actionem cōtinuari: pōtificij autem, quòd Hispanos emendationem aulæ Romanæ moliri crederent, impedimentum aliquod inferri cupiebant: & quoniam episcopi præcipui Germani iam abierant ob ciuiles motus, eandem occasionem & ipsi expectabant, eóq; magis, quòd Mauricium & confœderatos iam esse in armis, quotidianis literis atque nuncijs perferebatur. Galliæ quoque rex, per cardinalem Tornonium de pace diligenter agebat cum pontifice: quæ si fieret, quoniam tunc in armis erat Gallus aduersus Cæsarem, nemini dubium erat, quin eius quoque gratia concilium dissolueretur. Oratores ergò Cæsaris, qui hæc omnia scirent atque metuerent, hoc

inprimis laborabant, ut, quod ipsi cupiebant, per protestantium legatos efficerent. id obscurè quidē tunc, sed postea certò cognitum est. Adexitum Martij, Franciscanus quidam Pauli ad Romanos explicabat epistolam, frequenti auditorio, & subinde per occasionē acerbo conuicio Lutherū sociósque notabat, eóque fuit progressus, ut diceret eos, qui Christi cognitionē nullam habuissent, & alioqui uitam egissent honestè, salutem esse cōsecutos: hanc etiam esse genuinam Pauli sententiā, in eius, quam diximus, epistolæ capite secundo. Cùm hæc protestantium theologi quidam ex ipso coràm audissent, re deliberata, de communi consensu dant literas ad Cęsaris oratores, ultima die Martij, & quo consilio sint missi, declarant, nimirùm, ut exhibitam doctrinæ confessionem explicent atque defendant: actionem autem nullam institui queruntur, & decreta concilij iam facta, prope nihil aliud habere, quàm eius doctrinæ, quam ipsi profitentur, acerbam uituperationem ac detestationem: his etiam diebus, monachum Franciscanum non solùm dixisse multa palàm absurda, & à consensu ecclesiæ ueterúmcp doctorū explicatione aliena, uerumetiā in ipsorum doctrinā & ecclesias, conuiciorū uim magnam effudisse: & quanquam nonnulli dicant inuitis patribus hęc ab eo fieri, tamen uidere se, quanto cum assensu doceat & audiatur: si quidem hæc una sit causa, cur huc euocati uenerint, ut uidelicet spectaculo sint alijs atque ludibrio, suæcp doctrinæ quotidianas iniurias & contumelias audire cogantur, nihil sanè opus fuisse, profectionem hanc suscipere, & hæc omnia literis atque scripto potuisse denunciari: quapropter admodum orare, pro suo munere ac authoritate efficiant, ut & patres, quid in exhibita confessione desiderent, tandem exponant, & ipsi uicissim de singulis rebus palàm audiantur. Eas literas oratores benignè recipiunt, & gaudere etiam dicunt, oblatam esse occasionem urgendi negocij, quò uidelicet, si fortè Crescentius legatus recuset, cum ipsius collegis atque patribus agant. Tunc quoque desijt Franciscanus ille docere, per ualetudinē excusans. Calendis Aprilis, Mauricius atque socij, Vindelicorum Augustam obsident, & tertio die deditione capiunt, ut sequenti libro dicetur. Aprilis die quinta, legati Vuirtembergici, uocati in ædes Toletani, ueniunt, adductis theologis duobus, ut erant iussi, Brentio, & Ioanne Marpachio, Argentinensi. Pictauius incipit, & primò quidem de suo studio ac uoluntate, deinde de Crescentij ualetudine, &, quemadmodum, nisi illo præsente, nihil agere collegæ uoluissent atque etiam

patres,

patres, demonſtrat: poſtremò, per ſe non ſtare, quò minus fiat progreſſio, & in poſterum quoque nihil ſe prætermiſſuros diligentiæ, docet, de eóque proteſtatur. Illi, cùm deliberaſſent, agnoſcere ſe ſtudium ipſorum atque diligentiam aiunt, uerùntamen longè aliud expectaſſe, magíſque certum ad ſua poſtulata reſponſum, quod ſuis renunciarent: nunc uerò, cùm ità res habeat, capiendum ſibi eſſe conſilium ex tempore. Tum ille rurſus, non eò rem ſpectare, neque ſic accipiendum eſſe, quaſi nulla ſit reliqua ſpes actionis: quòd ſuis renuncient, & quo loco ſint omnia, demonſtrent, rectè hoc ipſos & ex officio facere: neque ſe dubitare, quin illi, cùm audient, moram iſtam atque ceſſationem & mirentur & aliorſum accipiant: ſed tamen orare, ut paucorum aliquot dierum faſtidium leniter ferant: interea ſe daturos operam, ut planè reſpondeatur. Huic illi ſeſe libenter, ipſorum quidem gratia, dicunt aſſentiri. Poſtridie, maxima celeritate nunciꝰ & literæ uenerunt, captam eſſe Auguſtam, & principes rectà contendere ad alpes, ut aditus omneis & clauſtra uiarum occupent. Itaque mox fuit per agrum omnem Tirolenſem imperata militia, & copiæ conductæ militum, & iuſſi omnes Oenipontem conuenire. Iam autem omnes abierant epiſcopi Germani: ſolùm reſtabant Spirenſis & Monaſterienſis uicariꝰ. Eo allato nuncio, ſtatim epiſcopi Itali profugiunt, Atheſi flumine ſecundo deuectis impedimentis. His ergò rebus commoti Vuirtembergici, cùm iam ultrò concilium dilaberetur, oratores Cæſaris adeunt, &, quamobrem ipſi quoque domum cogitent unà cum theologis, oſtendunt. Illi, magnopere quidem initiò reſiſtunt, neque ſe poſſe dicunt aſſentiri, niſi de Cæſaris uoluntate: ſed cùm nihil proficerent, cauſas abitionis conſignatas literis tradi ſibi petunt, ut ad Cæſarem atque patres excuſent. Pictauius hoc etiam rogabat, ſi fortè poſt ipſorum abitionem patres in actione pergant, ecquid dicturi ſint theologi? ad ea legati, re cum theologis conſultata, ſe reſponſuros dicunt, & Aprilis die octauo, mane, ſcriptum illis tradunt. In eo commemorant, quando ſit exhibita doctrinæ confeſſio: quamobrem theologi uenerint: quomodò fruſtrà ſolicitarint hucuſque, ut ad ſui principis poſtulata reſpondeatur: quemadmodum in eum uſque diem, nulla ſpes appareat actionis futuræ: nunc etiam ortum eſſe bellum, ſic, ut non Germani ſolùm epiſcopi, uerùm Itali quoque diſcedant, & ordines omneis ità nunc implicari turbis, ut in præſentia quidem nihil ſperare liceat: abſentibus etiam epiſcopis Germanis,

non fore consultum fortasse, progressionem aliquam fieri: quòd si deinceps ullum incidat tempus, quo rectè & ordine negocium hoc tractetur, existimare se, magistratum suum nõ esse defuturum: theologos autem ità sentire, multa esse facta decreta, tum in hoc, tum in superiori concilio, quæ non possint nõ reprehendi, si quidem legitima sit futura cognitio: quòd si iam patres progrediantur, credibile esse, non fore dissimilem rationem: uerúntamen, si fortè uel decreta iam facta, emendentur, uel ea posthac decernantur, quæ sacræ scripturæ sint consentanea, non dubitare, quin obsequentissimis animis ea recipiantur: sibi quidem hoc longè futurum esse gratissimum, sicut locis aliquot exhibitæ confessionis demonstratum sit: quod quidem scriptum & pium esse iudicent, & copiosius etiam explicare uelint, cùm res ità feret: orare igitur, ut suam abitionem boni consulant: licere sibi quidem ex formula publicæ cautionis, quo uelint tempore illinc abire, neque teneri se facti sui rationem ulli reddere: sed quòd humanitatem ipsorum non semel experti sint, noluisse quicquid hoc est officij, prętermittere. Sic ergò dimissi, meridie discedunt, & horis aliquot pòst, cardinalis Tridentinus illis occurrit, qui Brixna celeribus equis Tridentum petebat: & cùm Vuirtembergicos esse audiret, de Brentio perconctatus, humanissimis uerbis compellat. Biduo pòst, occurrunt eis Ferdinandi regis filiæ, quæ per Oenipontem petebant Brunecum, quod est ad Venetorum fines in alpibus oppidum. De patribus antea diximus, quomodò non eodem spectarẽt. Hispani quidem episcopi uidebantur præ cæteris esse diligentiores: ex Germanis quoque nonnulli præ se ferebant, opus esse multa reformatione: sed eorũ, qui omniũ optimè sentiebant, hæc erat mens, ut ecclesiæ disciplina & mores emendarentur, ut luxus, ambitio, & parum honesta uitæ exempla tollerentur, ut suam quisque procuraret ecclesiam, & singuli quidem singulas obtinerent, neque plures uni permitterentur. Adhęc, cogitabant etiam, ut quidem apparebat, pontificis Romani potestatem intra certos fines includere, nec illius aulæ tantùm facultatis in omneis prouincias attribuere: hæc & id genus alia quædam, reformationis uocabulo comprehendunt, & ea quidem fatentur ad se propriè pertinere, ac emendationem postulare: sed quantum ad doctrinam pertinet, nec errorem agnoscebant ullum, nec errare posse cõcilia statuebant, & aduersarios in sua demum castra transituros, concilióq; parituros putabant, ut ex epistola Galliæ regi scripta, & ex cautionis publicæ formula minimè obscurum

est.

est. Hanc etiam spem & opinionem augebat, quòd eius doctrinæ professores non ità multos supereſſe iudicabant, plærisque uel mortuis, uel relegatis, ut de Sueuia diximus. Hoc quoque peruulgatum ibi fuit, quicquid ad dogmata pertineret, paucos intra menses definitum iri. nam ex præcipuis duo tantum supererant, de cœna domini, décq; matrimonio: reliqua omnia doctrinæ capita iam erant definita. Qui Basileæ fuerunt patres, iudicium omne sacræ scripturæ deferebant, aliisq; scriptis, quæ cùm ea consentirent: hi uerò, suum esse uolebant, interpretari scripturam, neq; locum illum decreti Basilien sis, restitutum à legatis, admittebant, uti suprà docuimus, & mutatis decreti uerbis, apostolorũ quoque traditiones, in quaque re controuersa & dubia sequendas esse statuebant, & ubicunque scripturę testimonio destituerentur, inde ab apostolis ità per manus traditum esse iactabant, ut in theologorũ disputationibus non semel obseruatum est. Quę fuit etiam causa legatis, quandò penultima Ianuarij die, cautionem publicam ab oratoribus acceperunt, ut per apostolorum traditiones, ea solùm intelligere se scripta testarentur, quæ bibliorum alteri parti, nouo testamento, seu quatuor euangelistarum historiæ sunt adiuncta. Suprà diximus, ad calendas Maij designatum fuisse diem consessui: re uerò desperata, qui supererant patres, conueniunt, & propter regũ principúmq; discordias, in biennij tempus concilium extrahunt, & amplius eò, si fortè dissidia non componantur. fuit hoc Aprilis die uigesimo nono, & iam cum Galliæ rege pontifex transegerat. Paucis deinde lapsis diebus, Cæsaris etiam oratores abeunt. Crescentius uerò legatus, ualetudine detentus hærebat: is nocturno spectro perterrefactus, ut aiunt, & ægrotare, simúlque uitæ cœpit desperare, quantumuis etiam familiares atque medici consolarentur. neque falsum erat eius iudicium: nam inualescente morbo, Veronæ decessit. Atque hic quidem est exitus concilij, quod magnis animis instauratum, doctrinã pontificiam omninò recuperare, ac breui constituere cogitabat. Aderant præter legatos pontificis, & cardinalem Tridentinum, episcopi sexaginta duo, & in his, Germani octo, Hispani uiginti quinque, Sardi duo, Siculi quatuor, Vngarus unus, Agriensis, reliqui omnes Itali: theologi uerò quadraginta duo, & in his, undeuiginti Hispani, Germani & Belgæ, duodecim. Qua cœperit occasione Crescentius legatus ægrotare, constitueram silentio præterire, quòd suspitio erat in eius inuidiam esse confictum: sed quoniam ipsius amici ac familiares,

qui decumbentem aliquandò consolati sunt, ità referũt, addendum esse putaui. Martij die uigesimo quinto, scribendis literis ad pontificem ualde fuerat occupatus, & laborem ad noctem usque continuauit. Ibi surgens, ut sese reficeret, ecce, uisus est illi canis quidam ater, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram propè demissis, ingredi, & ad ipsum rectà contendere, deinde, sub mensam dilabi. perculsus & obstupefactus, ubi demùm sese collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo: iubet adferri lumen, & inuestigari canem: cùm autem nusquam apparéret, ne in uicino quidem conclaui, grauem suscepit cogitationem, & in morbum incidit, ut antè dixi. Moribundus etiam, subinde suis acclamasse fertur, ut canem, qui lectum conscenderet, arcérent.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber XXIIII.

QVEMADMODVM IN POSTREMO GERMANIAE conuentu, belli Magdeburgensis administratio, communi cõsilio Cæsaris & reliquorum ordinum permissa fuerit Mauricio, suprà diximus. Eo durante bello, quod fuit annuum: ille, qui copias haberet in sua manu, rationem inire cœpit liberandi Lantgrauij soceri, cùm eousque Cęsarem hac de re frustrà non semel interpellasset. Chattis igitur per iusiurandum in suam fidem adactis, & facta pace cum Magdeburgicis, & Oenipontem missa legatione, sicut libro superiori docuimus, Gallię regẽ fœdere sibi coniungit, & datis obsidibus utrinque cauetur, & scriptis editis belli causam expli candam esse, placet, ut sibi multorum animos adiungerent. Albertus etiã Brandeburgicus, dùm in Galliam profectus ad regem, huic negocio totum sese dabat. Interea milites, tàm ij, qui Magdeburgum propugnauerant, quàm qui circumsederant, Mulluſij, uiciniſque in locis hyemabãt, multúmq; damni dabant Nortusianis & Erfurdensibus. Eius rei causam quum Cęsar ex Mauricio, qui totius belli dux fuerat, perquireret, responsum tulit, ob non soluta stipendia tumultum

tum fieri. hanc enim ſubiecit cauſam, quum ei reuera militarent, & tacitè ſacramento deuincti eſſent. quoque magis perſuaderet, hoc ipſo tempore, per Oenipontem legatos mittit Tridẽtum, qui fidem publicam uenturis theologis impetrarent, & alia quædam in conſeſſu proponerent: deinde ſubſequi iuſsit theologos, qui Noribergam uſque profecti, literas ab ijs, quos dixi, legatis expectabant, ut libro præcedenti demonſtrauimus: alios quoq; præmiſit ad Cæſarem legatos, Chriſtophorum Carlebicium, Vlrichum Mortiſium, qui ſuum aduentum ad Bauariæ fines præſtolarentur, quorum opera & cõſilio in actione uteretur: hoſpitium præterea ſibi iuſsit Oeniponte parari, & ipſemet ingreſſus iter, ubi dierum aliquot uiam proceſſerat, miſsis Oenipontem ex itinere literis amicis, & illata quadam ad excuſationem cauſa, domum reuertit, & ad hunc modum extracto tempore, quum diem ex die duceret, primo ſtatim uere, ſuis opportunè reuocatis, militum cœpit habere delectus, quos magno ſilentio per hyemem collegerat, & ad omneis Imperij ordines euulgatis literis, In rebus humanis nihil ſibi tàm eſſe charum dicit atq; concordiam: ſed inprimis optare ſe religionis fieri conciliationem, iuxta prophetarum & apoſtolorum doctrinam: cuius quidem rei ſpem aduerſarij ſæpe fecerint, tum priuatim, tum publicis quoq; decretis: ſed nihil eſſe præſtitum, & illos non modò ſecus interpretari iam pollicitationes illas atque decreta, uerumetiam tollere in uniuerſum atque reſcindere: hoc etiam dixiſſe nonnullis, niſi mos ipſis geratur, non eſſe, quòd ſuperioribus promiſſis magnopere quis fidat aut innitatur: etenim tunc, cum illa promiſerint, aliam fuiſſe temporis conditionem: nunc autem obtemperandum eſſe: futurum alioquin, ut in eos, qui recuſent, animaduertatur: his autem uocibus minimè contentos, quibus tamen hoſtilem animũ profiteantur, excitaſſe quoq; reges externos in ſe ſuiq; ordinis & profeſſionis alios principes, & diuerſas odij conflandi cauſas excogitaſſe, dum uel religionem uel alia quædam criminarentur: quum tamen res ipſa declaret, de religione minimè ſollicitos eſſe, uerùm eò ſemper ſpectaſſe, quemadmodum occaſione diſsidij religionis, ad dominatum peruenirent: iam enim in omnium oculis uerſari technam, qua ſint uſi, ut ueram religionẽ, ſuperioribus annis propoſitam & explicatã Auguſtę, totam euellant & aboleant: nam huc pertinere, quòd concionatores & eccleſiæ miniſtros, extra fines Imperij paſsim eijciunt, & non ſolùm legitimi, ſed ne pontificij quidem concilij decretũ expectant, & ab ipſa ſtatim executione rem ordiuntur: quapropter,

etiam si mentis & conscientiæ seruitutem hanc armis ab se suisq; de-
pelleret, non sibi posse dari crimini: sed quòd ad Dei gloriam istud
pertineat, qui uerbum suum & amplificare solus & tueri possit, rem
omnem illi cõmittere, deúmq; precari, ut in uera sui cognitione con-
stantiam sibi largiatur ad extremum usq; uitæ spiritum. Alterum, de
quo sermonem instituerit, ad socerum Lantgrauium spectare: nimi-
rum, ante annum quintum, sibi & electori Brãdeburgico Ioachimo,
spem fuisse factã nomine Cęsaris, quòd si Lantgrauio persuaderi pos-
set, ut Cęsarem supplex deprecaretur, futurũ, ut præter formulam pa
cis tunc conceptam, nihil ab eo Cæsar postularet, sed benignè dimitte
ret: itáq; se datis literis illum euocasse, fide data filijs, quòd si quid pa-
renti grauius accideret, eandem se subituros esse fortunam: sic igitur
illum bona fide uenisse Halam, & supplicem factũ esse Cæsari, deinde
cœnasse cum duce Albano, in multam usq; noctem, satis hilariter, &
quum in diuersorium redire uellet, præter omniũ expectationem fuis-
se retentum & in custodiam abductum, in qua iam totos ferè quinq;
annos permanserit, non sine maxima miseria: & licet transactionem il
lius filij, nobilitas atq; populus ratam haberent, quanq; ipse, Brande-
burgicus, & Vuolfgangus Palatinus, interposita fide, sponsionem fe
cerint, ni pacta seruaret, fore, ut illum in ipsius potestatem darent, ta-
metsi iuxta pactionis formulam persoluta sit mulcta pecuniaria, tra-
dita tormenta bellica cum omni instrumento, deiectæ sint arces atq;
propugnacula, liber factus cum filio Henricus Brunsuicensis, exhi-
bitæ literæ confœderationis, ità quidem, ut nihil desiderari possit
amplius, tamen, neq; suas, neq; Brandeburgici, nec uxoris, quę dolo-
re confecta perierit, neq; populi, nec aliorum principum, in hunc usq;
diem, quicquam ualuisse preces & intercessionem: nam subinde inter
pellasse Cæsarem, & quòd plærisq; sinistrè de se iudicarent, orasse ma
iorem in modũ, ut honoris & existimationis suæ rationem haberet,
ut parentum suorum erga ipsius maiores, & suis etiam in ipsum atq;
Ferdinandũ regem meritis hoc tribueret, illúmq; missum faceret: sed
his omnibus nihil ipsum fuisse permotum, imò coegisse captiuũ, ut
ad lites forenses è carcere responderet, causamque diceret è uinculis,
quod quidem nullo iure subsistat, præsertim in rebus tàm arduis: ut
interim omittatur, quàm suspectè, quánq; præcipitanter rem egerit,
nouo prorsus & inaudito per Germaniam exemplo, ut uidelicet hoc
prætextu iuris, illum atque liberos, omni possessione paulatim exu-
tos, in eas redigeret angustias, quò locũ suum atque dignitatem dein-

ceps

ceps tueri non posſent: quod ut ne fiat, ſua plurimùm intereſſe, propter eam, quæ ſibi intercedat cum Heſsica domo, neceſſitudinem & ſpem ſucceſsionis: iſtud uideri quidem poſſe mirum, niſi iam id genus artes omnium eſſent oculis expoſitæ, quæ uidelicet eò ſpectent, ut illa tot nunc annis fabricata monarchia cõſtituatur aliquando. Tertium, & præcipuum quidem illud, ad omneis, & ad communem omnium parentem Germaniam pertinere, cuius hercle miſerrima ſit conditio: nam contra leges atq; pacta militem externum adductũ eſſe intra fines Imperij, qui multis nunc annis inuexerauerit, & paſsim in agris & oppidis, aliorũ fortunas exhauriat, & omne genus libidinis exerceat: adhæc, inueniri ſubinde nouas rationes exigendæ pecuniæ, & priſcam libertatem non uno modo labefactari, nec ulli ordini, ne ſeptemuiris quidem electoribus, in eo parci: legatos autem exterorum regum, quibus & iſta dolent, & chara eſt Germaniæ ſalus, longè prohiberi à publicis conuentibus, planè contra morem Imperij: denique id prorſus agi, ut in fœdam & ignominioſam ſeruitutem adducantur omnes: quo quidem nomine poſteritas & nepotes habituri ſint iuſtiſsimas cauſas, ignauiam huius tẽporis atq; ſocordiam deteſtandi, quo pulcherrimum illud ornamentum, patriæ nimirum libertas, occubuit: cùm igitur ità res habeat, expergefactum tandem aliquandò ſe, & Gulielmum Lantgrauium, Philippi filium, quem iuſtus paternæ calamitatis dolor excitet, facto cum Galliæ rege fœdere, quem hoſtis etiam fortunis omnibus euertere ſtudeat, decreuiſſe, liberandi ſoceri & Saxoniæ ducis, & honoris ſui uindicandi, & recuperandæ libertatis omnium cauſa, rem armis tentare: ne quis uerò ſuum hoc inſtitutum impediat, ſed ut omnes adiuuent, idq; profiteantur, & rectè ſuper eo caueãt, hortari: nam ſi ſecus fiat, & ſi quis aduerſarijs quacunq; ratione ferat opem, hoſtis loco ſibi futurum eſſe. Subſcripſit etiam his literis Ioannes Albertus, dux Megelburgius, ob religionis præcipuè conſeruationem, quum eius quoque rei cauſa Mauricius arma ſeſe capere dixiſſet. Albertus autem Marchio Brandeburgicus, in eandem prope ſententiam ſcriptum edit, & opprimi queritur Germaniæ libertatem ab ijs ipſis, qui tueri illam ex officio debebant & amplificare: concilium haberi iam ait, quò pauci quidam conuenerint euertendæ cauſa ueritatis: multos etiam agi conuentus Imperij, quorum hic ferè ſit exitus, ut per quoſdam precio corruptos & pollicitatione, pecunia, ſubtili quadam ratione corrogetur, inciſis Germaniæ neruis, idque fieri potiſsimùm per eccleſiaſticos, qui ſuffragiorum nu-

mero uincant in Imperij conſeſſu, iámq; rem eò eſſe deductã, ut ſumma conſiliorum propependeat ab unius arbitrio, qui neq; ſit genere nobilis, nec origine Germanus, nec Imperio coniunctus, maximo certè Germanorũ omnium & dedecore & detrimento: quòd ſi autem is debeat eſſe reipublicæ ſtatus, multò præſtare, ut nulli ſint Imperij conuentus, uerùm ut liberaliter & ſponte detur, quoties imperatur atque petitur pecunia: ſic enim & temporis nullam fore iacturam, & magnis præterea ſumptibus parcitum iri: his etiam artibus in alienas deueniſſe manus Imperij ſigillũ, quo nunc homines peregrini, ſuum ad arbitrium, in Germaniæ detrimentum abutantur: nec eſſe quenq; ex omnibus, qui deplorare iſtud audeat, niſi magnam ſubire uelit offenſionem: neque tamen interim expediri Germanorum negocia, ſed longiſsimè differri, ſic quidem, ut magna ſit plurimorum de eo querimonia: nam eum eſſe ſtatum, ut Germanis propè ſint alię diſcẽdę linguæ, ſi quidem ibi cum aliquo fructu uelint atq; compendio uerſari: eiuſdem eſſe generis, quòd prẹter uetuſtam Imperij libertatem edicitur, ne quis externis militet, quòd proteſtantes, recõciliati, ſupra mulctas longè grauiſsimas, coacti ſunt alias quoq; minus dignas admittere conditiones, quòd ab ipſorum beneficiarijs, propter nauatam operam militię, magna eſt extorta pecuniæ uis: hoc etiam onus in alios incubuiſſe principes ac ordines, qui nihil deliquerant, & quaſi bellum illud pro republica geſtum fuiſſet, pecuniam eis imperatam eſſe, belli ſumptus reſarciendi cauſa, nimirum eo conſilio, ne quid omninò ſupereſſet in Germania neruorum atq; roboris: ad hunc ordinem pertinere, quòd controuerſiæ ciuiles de rebus maximis, non ad publicum Imperij iudicium, ſed ad paucos aliquot delectos referuntur, ut in eorum ſit poteſtate, uel conſtituere uel loco deijcere uiros principes: deinde, quòd edicitur, ne quis princeps effigiem ſuam in moneta procudat, quòd paſsim per Imperij ciuitates noui conſtituuntur ſenatores, quòd hæc ſeruitus iam imponitur omnibus prope Germanis, ut externum militem ferre cogantur ſuis in finibus, qui & plurimum damni dant per agros, & cõplures ad inopiam redigunt, & omne genus inſolentię & inauditę libidinis exercent: nam ne ſuis quidem finibus parcitum eſſe, tametſi meliora ſibi polliceretur, propter fidem & operam præſtitam Cæſari: ſed tunc, quum bello Magdeburgico detentus abeſſet reipublicę cauſa, militem in ſuum agrum fuiſſe deductum, licet officiarij ſui admodũ deprecarentur: & certè, tum ſibi tum alijs principibus, qui ſuperiori proximo bello in proteſtantes, pro

ſalute

ſalute illius atque dignitate, ſuas fortunas omneis, uitam atque ſanguinem, in ſummum periculum deuocarunt, pulchram ſcilicet eſſe relatam gratiam in eo ſcripto quod Ludouicus Auila, de rebus eo bello geſtis emiſit, homo nimirū impurus atq; mendax, dum de tota Germania tàm frigidè, tam cõtemptim & alienè loquitur, ac ſi barbarus quiſpiam eſſet populus & obſcurus, de cuius origine uix ulli conſtaret: eius autem rei tantò eſſe maiorem indignitatem, quòd libellus ille ſingulari quodam Cæſaris priuilegio ſit typis excuſus & euulgatus: excuſari nunc quidem multa, dimiſsis per Germaniam literis, uerùm eandem eſſe cantilenam, quæ nunc annis aliquot decantata ſit, & huc omnia ſpectare, ut dicant pro conditione temporis mutanda decreta, & præſentibus conſilijs parẽdum, aut ſubeundam eſſe pœnam: cùm autem huius ignominiæ & ſeruitutis depellendæ cauſa, principes aliquot arma ſumpſerint, ſe quoq; fidem illis omnem & operam, imo uitã ipſam addixiſſe: hoc ità ſe profiteri palàm, & petere, ne quis aduerſarijs opem ferat, ſed ut hunc ſuum atq; ſociorum conatum omnes adiuuent, & cõmunem cauſam defendant: nam etiamſi fortè nonnulli diuerſa caſtra ſequentur, tamen non eſſe, quòd ab aduerſario, uictore, meliora ſibi pollicentur: communem enim tunc omnium Germanorum futuram eſſe conditionem atq; ſortem: quòd ſi autẽ arma quis contra ſe ferat atq; ſocios, eum ſe ferro perſecuturũ & igni: rumorem de ſe ſocijſq; ſpargi, quaſi nationes exteras, & ipſum adeò Turcã uelint in Germaniã introducere, ſed falſam hanc eſſe criminationem & abſurdam: cuius enim hoc eſſet dementiæ, tantum periculũ ſibi patriáq; conciliare? falſum etiam eſſe, quòd de ſe nonnulli dicant, quaſi locupletandi ſui cauſa bellum hoc ſuſcipiat: annis nunc aliquot ſe militaſſe Cæſari & Ferdinando regi, nec ullum in ea re compendium, ſed laudem potius atque gloriam ſpectaſſe, non ſine rei ſuæ familiaris magno diſpendio: non ſemel etiam oblatas ſibi fuiſſe conditiones amplas atque ſplendidas, uerùm ijs repudiatis, ad hoc bellum, quò patriæ ſua libertas & priſtinum decus reſtituatur, animum adieciſſe: quo quidem in bello, ſi forſan eccleſiaſticorum nimia illa & ſacris literis interdicta potentia refringetur atque debilitabitur, non oportere ſibi uitio dari: nam ſanè præcipuos Imperij epiſcopos his malis omnibus cauſam dediſſe: neque tamen ſui eſſe propoſiti, ut illa collegia, quæ ſunt nobilitatis cauſa potiſsimùm inſtituta, conuellantur, ſed ut ſublatis uitijs, & emendatis ijs, quę tolerari non poſsunt, in ſuo gradu permaneant & augeſcant etiam: ad eámq; rem ſe futurum

ipſis adiutorem,modò uelint,neq; diuerſum ſibi patiantur ab aduer ſarijs perſuaderi. Galliæ quoque rex,editis literis,hoc potiſſimum ſe ſpectare dicit, ut conſtituta religione, proſit reipublicæ, maximè autem amicis, ideóque ſtatim à morte parentis, reſtituiſſe Scotiam priſtinæ dignitati,renouaſſe fœdus cum Heluetijs,recuperaſſe Bolo niam, reduxiſſe colonos atq; ciues huc illuc diſsipatos, in ſuos agros & poſſeſsiones, cum Angliæ quoque rege feciſſe pacem, & arctam inijſſe neceſsitudinem:dum autem his ipſe rebus uacaret, Cęſarē clan deſtinis conſilijs multa eſſe molitum in ſuam perniciem, & belli cau ſam non ſemel dediſſe,uerùm & reipublicæ & priuatim etiam populi ſui reficiendi cauſa,nihil ſe uoluiſſe mouere,ſed diſsimulatis iniurijs, animum applicuiſſe totum ad regni conſtitutionem: hoc uerò ſuum ocium,pòſt,ab aduerſarijs attributum eſſe timiditati cuidam atq; ſo cordię:ſed interim graues ad ſe delatas fuiſſe querimonias multorum Germaniæ principum & ordinū,qui,partim religionis,partim Tur cici belli, & puniendæ rebellionis occaſione quæſita, ſeruitutem ſibi parari, & callidis conſilijs ali diſsidium atque factiones, & exhauriri Germaniam dicerent,ſic, ut amplius dubitari non poſſet, quin mo narchiam ille ſibi & Auſtriacæ familię conſtituat:ex eò ſanè magnum ſe percepiſſe dolorem, & propter communem utriuſq; gentis origi nem,& propter ueterem coniunctionē atq; amicitiam,quę firma ſem per & inuiolata permanſerit, quándiu per Cæſaris aſtum atq; uerſu tiam licuit:etenim,ſi ſtatus mutatio fiat,& Germaniæ ſua libertas au feratur,intelligere ſe, quanto ſit hoc ſuo cum detrimento futurū atq; diſcrimine:nam eſſe Germaniam non Gallię tantùm,ſed etiam totius reipublicæ Chriſtianæ propugnaculum : ideóq; ſe magnis precibus atq; uotis optaſſe frequenter, ut coniunctis uiribus uterque populus ità ſe compararent,ne quid ab ullo metuendum eſset periculi:cùm au tem eius rei nulla ſpes affulgéret,atq; interim multi ſuam opem ſoli citarent,diuerſis tamen rationibus, non ſibi uiam apparuiſſe, quem admodum Imperio diſsipato & conuulſo ſubueniret:in hac autē tam graui deliberatione, Deum,qui ſit iuſtus iudex, oſtendiſse rationem peropportunam:Octauium enim Farneſium, Placentiæ ducem atq; Parmę,cui Cęſar & Iulius pontifex tendebant inſidias,auxilium ab ſe flagitaſſe, & iniurijs omnibus expoſitis, ut patrocinium ipſius atque Mirandulani ſuſciperet,impuliſse: pòſt hæc interueniſse Germaniæ quoq; principum querimonias illas, qui fœdus inire ſecum poſtula rint,quòd ea ſola ratione rempublicam poſse reſtitui dicerent: quàm

ſint

sint autem graues atq; iustę causæ, quamobrem principes ad arma ue niant, nolle se commemorare, quòd ex ipsorum scriptis hoc intelligi possit: sed tamen perpendat quisque secum, an non iustissimo dolori causam præbeat hæc aduersariorum inexhausta cupiditas, qui rebus Imperij pessundatis, in suum ęrarium atq; fiscum omnia conuerrant: an non satis hoc declaret Vtricensis, Leodina, Cameracensis prouincia: num Geldria, num Constantia, & aliæ multæ ciuitates oppressę? Burgundiones imminere iam Treuiris & Menapijs & Vuirtẽbergicis, ac in ipsorũ fines imprimere sua uestigia, & Lantgrauij ditionem nõ uno modo dilacerare: huius esse generis, quòd suos legatos ab Imperij conuentibus Cæsar excludit, quòd edicit, ne quis externis militet, quòd egregios & militiæ laude claros atque præstantes uiros è medio tollit, & in his Vogelspergium, cuius ipse fuerit supplicij spectator, Augustæ, quò uidelicet animum expleret: an non pessimi sit exempli, quòd ingentibus præmijs homines inuitat atq; conducit ad cædem eorum, qui sibi militant? certè paucis explicari non posse, quibus artibus utantur aduersarij: nam & in illud cameræ tribunal, & in Imperij consessum ab ipsis adhiberi atq; summitti, quorũ opera perficiant & consequantur quod uolunt: nimirum, in hoc genus homines, præsertim autem in Camerales, omnium malorũ transferendam esse culpam: his adeò de causis non se potuisse petentibus Germanis auxilium denegare: fœdus ergò fecisse cum illis, nec id modò, uerùm etiam omne robur & seipsum impendere huic bello constituisse: neq; uerò priuatum ullum compendiũ atq; fructum in eo spectare, sed hoc solùm agere, ut restituta Germania, liberato Saxonię duce, Ioanne Friderico & Lantgrauio, quos diuturna & indigna captiuitate constrictos ille detineat, laudem atq; gloriam immortalem consequatur, ut olim Flaminius, propter uindicatam à seruitute Græciam: nec esse, quòd uim ullam quisquam metuat: quum enim libertatis causa bellũ hoc suscipiat, omnem operam se daturum esse, ne cui noceatur immerenti: credant igitur huic promisso, quod sanctè ipsis confirmet, neq; fidem habeant aduersarijs, qui sui consilij esse dicant, ut ecclesiasticorum ordinem affligat: etenim non modò nihil eiusmodi se cogitare, sed illos etiam omneis in suam recipere tutelam atq; patrocinium, modò sibi socijsque rectè caueant: nam recuperata libertate, magnam sibi spem fieri multorum literis, futurum, ut ecclesiæ quoq; sarciatur concordia, legitimis rationibus, omni submota procul ambitione & cupiditate priuata: quicquid etiam ipse possit eò conferre, liben-

ter facturum: hæc esse, de quibus ipsos putarit admonendos, ut quid suæ sit uoluntatis atq; consilij, intelligant: itáq; petere, ne quis in tam iusto bello, quod Germaniæ salutis causa necessariò susceptum sit, uel sibi uel socijs ullum inferat impedimentum: nam alioqui, si quis erit adeò remotus ab omni pietate & officio, quod patriæ debetur, ut resistẽdum esse putet, eum se ferro uastaturum & igni: & quanquam inuitus ità faciat, tamen, si quis erit talis, eum, ut uitiosum & morbidum aliquod membrum, à reliquo corpore resecandum esse, ne contagione sua lædat, & ità coercendum, ne quid damni præterea dare possit: cætera licere, ut ex legato suo Ioanne Fraxineo, Baionensi episcopo, quem ad ipsos miserit cum amplioribus mandatis, cognoscãt, & orare, ut ei fidem habeant. Hoc scriptũ, typis excusum, & editum lingua populari, præferebat in fronte pileum inter duos pugiones, idque symbolum esse libertatis, asscriptum erat. deinde suberat titulus regis, qui se libertatis Germaniæ & principum captiuorum uindicem nominabat. hoc symbolum nonnulli repertum in uetustis numismatis, & à percussoribus C. Cæsaris usurpatum fuisse dicunt. Quòd Cæsarem ait designasse præmium illis, qui suos aliquot militum tribunos trucidassent, ità res habet. Cæsar, edicto nuper proposito, grauissimis uerbis denuò proscripserat Ringrauium, Recrodũ, Rifebergum, Schertelinum, qui quidem omnes Galliæ regi militabant, ut antè diximus, & ad quatuor aureorum millia, præmium ei constituerat, qui ex his quempiam aut uiuum ipsi repræsentasset aut mortuum. nam hi causam plurimùm adiuuabant, & inito fœdere, quod diximus, in Germaniam profecti, militem conductum in Galliam adducebant. Et Schertelinus quidem, quum annis aliquot frustrà solicitasset, nec ullius hominis intercessione Cæsari posset aut Ferdinando recõciliari, coactus propemodum ad Galliæ regem transierat. Hæ principũ & regis literę, per Germaniam disseminatæ, spem in alijs, in multis uerò sollicitudinem atq; timorem excitarunt. Mauricius, qui dissimulanter ageret omnia, calendis Martij conuentus agit ordinum suæ ditionis, & inter alia proponit, quia citetur à Lantgrauij filijs, ut se sistat, non sibi licere tergiuersari diutius, aut illorum expectationem fallere: discessurum igitur ad illos, fidei seruandę causa: pareant autem interea morémque gerant Augusto fratri, quem sibi per suam absentiam legauerit, & ad finium defensionem copias cogant, ne quid imparatis accidat. Huic aderat actioni Brandeburgicus elector, quòd ei dictus erat dies: cùm autẽ à Lãtgrauij filijs ei permit-

mitteretur, ut proximè citatus fidem liberet, seque sistat, domum reuertit. Mauricius autem rebus domi constitutis, & consiliarijs aliquot adiunctis Augusto fratri, paruo cum comitatu contendit ad illas, quas per Turingiam habebat, ut antè diximus, copias, & progressus, Lantgrauij filium operitur. Prius, quàm domo discederet, Misniæ Burggrauius, uti uocant, Henricus, ex illustri Plauiorum familia, Bohemiæ cancellarius, Ferdinandi regis nomine, cum illo de conciliatione diligenter egerat. Lantgrauij filius, productis copijs, quum decimo octauo die Martij ueniisset Erlebachum, adesset etiam orator Gallicus Fraxineus, à Francofurdijs inter alia petunt uterque per literas, ne Cæsaris ullum admittant præsidium. Et quanquàm illi non satis apertè nec idoneè respondebant, tamen quia progrediendum erat, nihil est actum aliud. Sexto pòst die, Mauricio sese coniungit: cúnque deinde triduò post, omni cum exercitu Schuinfurtum ueniissent, Mauricius ei demonstrat, Ferdinandū regem uelle intercedere, pérque literas & legatos non obscurè significare, quasi à Cæsare potestatem habeat agendi, de ipsius quoque parentis liberatione. Ille igitur, adhibito Galliæ regis legato, quò minus Ferdinandi regis conditiones audiantur atque postulata, non recusat. Eo cōstituto, per Roteburgum, Dingelspœlum, Norlingã, magna celeritate petunt Donauerdam: Roteburgi sese coniungit ipsis Albertus Marchio Brandeburgicus, cum suis tùm equitū tum peditum copijs. quacunque transirent, suam in potestatem redigunt oppidanos, & ijs, quos antea Cæsar delegerat, abrogatis, nouum instituunt magistratū: simul pecuniam illis imperant atq; tormenta. Et quia præsidio non magno tenebatur Augusta: deinde, quòd ijs ipsis ferè diebus, muri pars quædã atq; ualli collapsa fuit, maximis itineribus, & ultima die Martij, ne nocturno quidẽ intermisso tempore, pergunt, & calendis Aprilis ad meridiem eò perueniunt, & factis decursionibus hostile signum edunt. Erant in urbe, missu Cæsaris, ad quatuor signa peditum: sed cùm oppidani quarto pòst die deditionem facerent, discedendi fuit illis facta potestas. Germaniæ deinde superioris ciuitates, & in his quoque Noribergam, conscribunt, & ut Augustæ sibi præsto sint ad exitū Aprilis, mandant, simul Vlmenses, qui nouem tantùm milliaribus absunt ab Augusta, ut ipsos rebus omnibus adiuuent, incq; societatẽ ueniant, urgent. His ferè diebus, princeps Salernitanus, per occasionem dissidij cum prorege Neapolitano, deficit à Cæsare, Galliámque petit. Dùm hæc

in Germania gerũntur, Gallię rex, ingenti cum exercitu, progressus, Tullum & Virodunum, ad Gallię fines oppida Imperij capit, deinde Lotharingiam petit, & principem puerum in Galliam mittit, circiter nouem annorum, quantúmuis deprecante matre uidua, suámq; filiam in matrimonium ei spondet: dúmq; his rebus ipse detinetur, legatus eius Connestablius, Annas Momorancius, qui primam aciẽ ducebat, Metim, urbem Imperij celebrem, occupat, Aprilis die decimo, quum & modicum esset intus præsidium, & Galli multa pollicerentur, & ipsorũ libertatis retinendæ causa, regem arma sumpsisse dicerent. Quum enim Galliæ finibus rex egrederetur, quod fuit ad idus Martij, datis ad illos literis & missis internuncijs, commeatum sibi tantùm expediri petebat, ut per ipsorum fines traduceret exercitum, pollicitus omnem beneuolentiam. utebatur autem administro cardinali Lenoncurto, urbis episcopo, qui studium ipsius atque uoluntatem senatui commendabat. Connestablius quoque scripserat eis amicissimè: uerùm ubi propius ad urbem cum copijs uenisset, intromitti petebat, & obtinuit: postridie portas & munitiones omnes in suam potestatem redegit. Venit etiam eò pòst, ipse rex, ad decimum octauum Aprilis diem, & quatriduo commoratus, ínque suam fidem adacto senatu & populo, præfectum eis constituit, Gonnorium, & arma tradi, ínque locum unum comportari, & urbem communiri iubet. Idem facit in ijs, quæ dixi, oppidis, pérque Lotharingiam, ac præmissis nuncijs Argentoratũ, Haganoam, ádq; loca finitima, & ad episcopum Argentinensem, frumento sese iuuari petebat & commeatu. Capta, ut diximus, Augusta, & ueteri restituto senatu, quem Cæsar aboleuerat, iure quoque suffragiorum reddito tribubus, consœderati principes, Vlmam, recusantem ipsorum fœdus, contendunt. quò cùm Aprilis die duodecimo uenissent, urbem obequitant: cúnq; tormentis peterentur, iniuriarũ sibi satisfieri, & aureorum millia trecenta eo nomine postulant, ijsq; denegatis, hostiliter agunt. Mauricius autem illinc profectus, Lincium petit, Austriæ oppidum, ut de pacis conditionibus ex Ferdinando cognosceret. Is enim, de uoluntate Cæsaris, uti diximus, intercedebat. deinde Cęsar pręcipuos Germaniæ principes literis erat hortatus, darent operam, ut incendium hoc restingueretur, & pacis inirentur rationes, cui minimè sit ipse defuturus: cúnque nonnulli fidem eius implorarent, quòd contra tantam uim nihil ipsi possent, confirmatis eorum animis, respondit, actionem pacis institutam, sua

quidem ſpe fœlicem habituram exitum, ſin minus, tum ſe nec ipſis, neque reipublicæ defuturum. Vlma, per ſex dies obſeſſa, principes, Aprilis die decimo nono, Stocachum, oppidum Hegouiæ petunt: ibi Gallię regis nomine depenſa fuit eis pecunia trimeſtris, uti conuenerat, & exhibitus obſes Gallicus, Gamæus Marchianus: nam alter, Nantolietus, in uia mortuus erat. Principum erãt obſides, quos regi dabãt, Chriſtophorus dux Megelburgius, et Lantgrauij filius, Philippus. Aprilis ultimo die principes ad Danubium reuertuntur, milliaribus aliquot infrà Vlmam. Interea Brandeburgicus Albertus Vlmenſium uicos & oppida uaſtat incendijs, & pecuniam extorquet, & ipſorum arcem Helfeſtænum, excelſo loco poſitam, capit, eiq; pręſidium imponit, et propinquum oppidum Gislingam, quod Vlma tribus abeſt milliaribus, cum proximis aliquot uicis, XVIII millibus aureorũ mulctat. Vbi Lincium uenit Mauricius, deliberando ſocero Lantgrauio, de religionis atq; doctrinę cõponendo diſſidio, de rectè cõſtituenda republica, de pace cum Galliæ rege, ſocio & confœderato, facienda, de proſcriptis in gratiã recipiendis, proponit. hi erant Ringrauius & alij, quos paulò ſuprà nominauimus, & in his etiã Hedeccus, qui ſuperioribus annis in Mauricij clientelam ſeſe dederat, ut antè dictũ eſt. in eius uerò caput Cæſar nullum conſtituerat præmium, ne Mauricium offenderet, ut eſt credibile. Ad ea poſtulata, Ferdinandus, qui cùm erant Maximilianus filius, & gener Albertus Bauariæ dux, & Cæſaris item legati, reſpondet. non recuſare Cæſarem, quò minus liberetur Lantgrauius, ſic tamen ut ſtatim diſcedatur ab armis: de religione déque republica, placere, ut in proximo Germaniæ conuentu cognoſcatur: ut autem Galliæ quoque regis habeatur ratio, perquàm eſſe graue Cæſari: licere tamen ut ex eo Mauricius reſciſcat, quemadmodũ uelit paciſci: proſcriptos etiam poſſe in gratiam redire, modò conditioni, quam Cæſar tulerit, obtemperent. Adhæc, petebat Ferdinandus, ut facta pace, Mauricius operam ſuam ipſi præſtet in Vngaria, néue milites ad Galliæ regem dilabantur. Cùm autem ad ea Mauricius reſpondiſſet, & abſque ſociorum aſſenſu non ſibi licere quicquàm ſtatuere diceret, ità fuit diſceſſum, ut ad Maij diem uigeſimum ſextum rurſus conueniatur Paſſauij, quod eſt inter Ratisbonam atque Linciũ, ad Danubij, & Oeni confluentem, oppidum: uenirent etiam eò principes interceſſores, eorúmque legati. Calendis Maij, Lantgrauij filius & Ioannes Albertus Megelburgius Gundelfingam traducunt

copias, & totos ibi dies octo Mauricium ab Austria reuertentem expectant. qui cùm ueniſſet, poſtridie recenſetur exercitus ad Laugingam, Ottonis Henrici Palatini oppidum. nam & huius prouinciam recuperauerant, à Cæſare poſſeſſam, & epiſcopum Auguſtanum finibus eiecerant. & Palatinus quidem Otto fœderi ſeſe coniunxit illorum. Inde conuerſo itinere petunt alpes. Accidit autem, ut ad hoc tempus inducias ab ijs impetraret rex Ferdinandus, quæ uigeſimo ſexto Maij die inchoatæ, ad octauum Iunij diem exirent. Colligebat interea Cæſar copias ad alpium radices, quæ Rutæ oppido conueniebant. In his motibus epiſcopus Auguſtanus cardinalis, qui & alioqui non abundabat, & damni plurimùm acceperat, uti diximus, Romam petit, ut à pontifice nouas facultates acquireret atque ſacerdotia, quibus lacunas illas iterum expleret. Deinde, Cameræ iudices profugiunt Spira. nam & Galliæ rex & principes in ſuis illis, quæ dixi, ſcriptis, offenſionem non obſcurè ſignificabant, & in ipſos omnis propè perturbationis culpã transferebant. Galliæ rex, per Lotharingiæ fines cum exercitu uenit Tabernas, Maij die tertio, quatuor ab Argentorato milliaribus, oppidũ ditionis epiſcopi. Poſtulauerat ab Argentinenſibus antea, uti rebus neceſſarijs exercitui ſubuenirent. Ea de cauſa miſſi fuerunt ad eum legati, Sarburgum, ſeptem ab urbe milliaribus, qui certum frumenti modum atq; uini deferrent, Petrus Sturmius, Fridericus Goteſſemus, Ioannes Sleidanus: ſed Conneſtablius ferè pro nihilo ducebat quod erat oblatum: & quanquàm legati ſic ab eo diſceſſerant, ut referrent ad ſenatum, ac poſtea renunciarent, ille tamen poſtridie miſſis ex nobilitate duobus, urgebat reſponſum, multa commemorans de regis in Germaniam ſtudio & uoluntate præclara, tum etiam, quo cõſilio rex arma ſumpſiſſet, uidelicet, ut oppreſſam Germaniæ libertatem uindicaret. Alterum erat poſtulatum, quandóquidẽ plærisq; rebus haberent opus milites, ut ea ſibi in urbe comparare ipſis liceret, utque permitteretur opificibus in caſtra deferre ſuas merces, ac uenum exponere. Senatus ad ea reſpondet. in eiuſmodi rebus, quæ tanti ſint momenti, nihil conſueuiſſe decerni, niſi de totius reipublicæ ſenatus uoluntate: re deliberata, quid ſuæ ſit ſententiæ, miſſis iterùm legatis, demonſtraturos. Ad eum modum illis dimiſſis, altera die fuerunt ijdem in caſtra remiſſi legati, quæ tum erant Tabernis. eorum audito ſermone, cùm aliquantò plus, quàm antea, deferrent, & ſimul, cur milites in urbem admitti non oporteret, expoſuiſſent,

Conne-

Conneſtablius cœpit loqui ſtomachoſius, & collatione facta, quàm eſſent iniqui iudices & beneficiorum regis, & iniuriarum Cæſaris, acriores paulò uoces addebat. Exitus orationis erat, ut diceret fore, ut poſtridie rex ipſis loquatur, qui ſit eadē, quæ iam ipſe dixiſſet, confirmaturus. Altera die legati ad regem accerſiti, quicum erant Lotharingiæ cardinalis, princeps Vendomenſis, & Cōneſtablius, quid cum Conneſtablio binis iam eſſet actum colloquijs, commemorant, & tantundem auenæ, quantum antea frumenti, deinde aliquantò etiam plus uini deferunt, obſecrantes regem, ut & pro ueteri amicitia, quæ Galliæ regibus eſſet cum Argentinenſi republica, próque ſua etiam humanitate boni conſulat quod eſſet oblatum: magnas eſſe militum copias in urbe, maximam quoque uim hominum ex agris eò confugiſſe, neque poſſe ciuitatem ea, quam haberet, annona carere. Rex, habito cum ſuis colloquio, cœpit ipſe referre, qua de cauſa ueniſſet in Germaniam, prorſus in eandem ſententiam, ut prídie Conneſtablius: alimoniam eſſe planè neceſſariam, nec ulli, qui non ſit hoſtis, denegandam, offerenti precium: ea ſi deſtituantur milites, rationem ipſos inire, quomodò ſibi illam comparent: in eo autem quantùm ſit incommodi, facilè quemuis intelligere. Quod erat oblatum, rex quidem non repudiabat, ſed panem ſibi dari uolebat: legati contrà, frumentum: de quo cùm non conueniret, infecta re diſceſſum fuit. Legatis domum reuerſis, ſenatus decreuit. quoniam eius frumenti, quod eſſet in urbe, nihil dari poſſet, ut in uicinis circùm locis, quantùm liceret panis conficeretur. nam & Conneſtablio & regi dixerant legati, ciuitatis eū eſſe ſtatum, & temporis quoque conditionē eiuſmodi, nihil ut ex urbe ſit expectandum: apud finitimos autem ſi quid fortè colligi poſſet, non grauatè communicaturos. Hoc autem eò ſenatus decreuit, ne quid in aratores ac homines ruſticanos eorúmq; fortunas grauius admitteretur. Atque ità, quod ſubitò per uicos & oppida comparari potuit, in caſtra fuit deuectum, ſed hoc ipſum perquàm erat exiguum.

Occupata Lotharingia, & urbe Meti, Argentinenſes è ueſtigio conſcripſerant ad quinque circiter militum millia, præſidij cauſa, deinde multa tùm publica tùm priuata ædificia circum urbem, & hortos & arbores & quicquid omninò uel proſpectum impediebat, uel hoſti poterat commodare, demoliebantur, & qua parte cumprimis erat neceſſe, nouam urbis munitionem inſtituebant. Id permoleſtè Gallis accidit, & in colloquio poſteriori Conneſtablius hoc ipſum

ad legatos minimè dissimulabat. Creditur enim, spem illos propè certam concepisse, ut, quemadmodum amicitiæ quadam ostentatione, Metim ingressi fuerant, sic etiam ab Argentorato nō excluderentur: cùm autem scirent munitissimam esse urbem, & tanto præterea studio uiderent ad defensionem omnia parari, mutato, ut est credibile, consilio, deflexerunt, & Maij die septimo promotis castris, Hagenoam, inde Vuisseburgum petebant. Huc ad regem uenerunt legati, à Palatino principe, à Moguntino atque Treuirensi, collegis, à Cliuensi ac Vuirtembergico, qui reipublicæ causa Vuormaciæ nuper conuenerant. Eorum hoc erat postulatum, ut ab agrorum uastatione rex abstineat, & miseræ multitudini parcat: &, quandóquidē libertatis Germaniæ causa belligerari se profiteatur, ut sistat exercitum: nam si longius procedat, futurum hoc maximo cum Imperij detrimento: petere autem, ut ad consilia pacis animum adijciat: ejus rei mentionem ad Cæsarem & iam se fecisse, & deinceps quoque facturos, ac omninò benè sperare: quod de fœdere ineundo scribat, orare, ut in eo sui honoris & existimationis rationem habeat: etenim pro ea, qua sint Imperio deuincti, fide, non hoc ab se posse præstari: sed tamen omnem daturos operam, ut publica pax constituatur: adhæc, plurimùm obsecrare, ut Argentinensium finibus parcat, qui sint Imperij libera ciuitas, & ut ipsius intercessione Vuirciburgicum episcopum Albertus Brandeburgensis tractet humanius. Eodem ipso tempore, quod fuit undecimo die Maij, literæ fuerunt ad regē allatæ Mauricij, quibus perscriptum erat, quid esset actum Lincij: simul petebat Mauricius, uti rex, quem ipse quoque comprehendi uoluisset in actione pacis, explicaret, quibus cōditionibus uellet cum Cæsare paciscí. His acceptis literis, rex, cui præter spem hoc accidisse putatur, biduò pòst, castra mouet, & relicta Germania, Lotharingiā denuò petit: sed ante discessum, ijs, quos dixi, principum legatis respondet. se iam illud, cuius rei causa cum exercitu uenisset in Germaniam, esse consecutum: principes enim captiuos liberatū iri: causam hanc fuisse belli: satis itáq; gloriæ sibi partum esse: quòd si deinceps ullum tempus incidat, quo suam operam Germania requirat, nulli se uel labori uel sumptui uel periculo parciturum: & nunc quidē reductis copijs domū se redire, præsertim, quum Galliam inuaserint hostes: quòd ad miserorum hominum querimonias attinet, dolere sibi non mediocriter: sed nullam posse tantam esse ullo in exercitu disciplinam, ut nō aliquid detrimenti secum adferat licentia militaris: ab

se

se verò diligentissimè caueri, ut & quàm minimùm damni detur, & flagitia seueríssimè puniantur: de Cæsare, déque pace quod scribãt, omninò se hoc ab ipsis expectare: suo iam labore, studio atque uirtute respirasse Germaniam ab illis ærumnis, quibus oppressa iacebat: ipsis autem esse prouidendum inprimis, ne restitutam opera sua, libertatem, turpiter amittant: de Argentinensibus quod petant, nõ se posse ipsis denegare, tametsi, quo tempore cum exercitu erat ad ipsorum fines, magna fuerit militum eius urbis proteruitas in suos & insolentia. In Germaniã rege profecto, Cæsaris copiæ Belgicæ, Martino Rossemo ductore, Campaniæ Gallicæ fines longè latéque uastabant incendijs, & Astenæum oppidum, Mosæ uicinum, Lotharingicæ ditionis, nuper à Gallis occupatum, ceperant. hæc putatur una fuisse causa, cur exercitum rex abduxerit, altera, quòd Mauricij factum minus probaret, deinde, quòd de Argentorato spes fefellisset. Motis Vuisseburgo castris, uenerunt ad regẽ ab omnibus Heluetiorum pagis missi legati. Ferdinandus rex finitimam habet Heluetijs regionem, Sontgouiam. eius agri primum locũ obtinent Ensemenses. hi de suo periculo soliciti, Heluetios orauerant, ut pro ea, quam ad regem haberent, authoritate atque gratia, intercederent. Ipsorũ itaq; rogatu atq; sumptu profecti, uicinas etiã ciuitates, Colmariam, Seletstadium, & Argentoratum, regi commendabant, quòd dicerent hanc regionem omnem ipsis arcta necessitudine coniunctam, ob uicinitatem, & frumentum inprimis abundè submínistrare, cùm sit opus, ità quidem, ut nullum eis dari possit damnum, quod non ipsi quoque sentiant. His prope Bipontium rex, Maij die uigesimo respondet. Ensemensibus condonare se, modò quos in uinculis habeant è suis, milites, dimittant: ad alios uerò, pro quibus uerba fecerint, quod attinet, se nihil unquàm in eos cogitasse grauius: & quanquàm Argentinensium milites aliquantò durius exceperint suos ante portas, & reiecerint, qui fortè mercandi gratia eò uenissent, tamen non ideò se discessurum ab amicitia, uel ipsorum, qui deprecentur & interueniant, causa: nunc, quandò Lotharingiam teneat, uicinitatem sibi cum illis intercedere, contra cuius rationem nihil sit ipse facturus: eandem se quoque uoluntatem & officium ab ijs inuicem expectare. Fuerant antea Tabernis, à senatu Basilienſi ad regem eadem propè de causa missi legati, quibus etiam liberaliter responsum fuit. De Mauricio suprà diximus, quemadmodum Lincio discessit: Ferdinandus etiam peracto conuentu statim ad

Cæsarem contendit Oenipontem, explicandi causa negocij. Reuersus autem in castra Mauricius, alpes unà cùm socijs petit, ut antea diximus: & quum propius eò ueniſſet, Gallici oratoris hortatu ſtatuit eos adoriri milites, quos ijs locis Cæsar conſcribi iuſſerat. quúmq; Maij die decimo ſeptimo non procul abeſſet à Fieſſa, quod eſt in alpium aditu poſitum oppidum, ad Lœchum flumen, exploratores emittit, qui de hoſte cognoſcant. hi prope omnes, clauſtra montium illos & anguſtias tenere, ſéque ità communiuiſſe renunciant, ut eis noceri omninò nõ poſſit. Itáque delectos aliquot ex omni numero principes emittunt, qui cùm prope ad illorum caſtra excurriſſent, nonnullos intercipiunt, & ad ſuos abducunt: ex ijs multa cognoſcunt, et poſtridie cum peditatu progreſſi, ducentis tantùm adhibitis equitibus, Fieſſam contendunt: & cùm Ruta non procul abeſſent, ad uiarum anguſtias deueniunt, occupatas à milite Cæsariano, circiter octingentis, cum duabus machinis, quas appellãt cam peſtres. Impreſſione autem facta, cùm in eas anguſtias penetraſſent, loco deijciunt hoſtem, qui fuga dilapſus, ijs qui prope Rutam caſtra fecerant, timorem ac trepidationem adfert. Principes è ueſtigio ſecuti, impetum in illos quoque faciunt, ac demum profligant. ex ijs ad mille partim capti ſunt, partim interfecti, partim in Lœchum præcipitati: ſignum quoque fuit eis unum ereptum. Altera luce pergunt ad eam, de qua non ſemel diximus, arcem, Erebergum: & quum approbante fortuna, ſub arce poſitũ propugnaculum, & aditũ ipſum atque clauſtra uiarũ occupaſſent, captis etiam tormentis magnis inſtructis, per montem aduerſum atque præruptũ ad arcem euadunt, etſi multis peterentur telis, eámque deditione facta capiunt. Erant ibi præſidio peditum ſigna tredecim: ex ijs capta ſunt nouem, quatuor autem elapſa, & in his tria, Germanorum, unum autem Italorũ. Capti ſunt autem ad tria circiter millia, quum illi paucos è ſuis deſiderarent. Mauricius deinde magno fuit in diſcrimine. cùm enim progredi uellet, milites illi, quibus præerat Rifebergus, recuſabant, niſi ſtipendiũ ipſis extraordinarium, ob captam arcem penderetur: id autem iniquum eſſe dicebat Mauricius, & ſimul è ſeditioſis unũ, qui præ cæteris fortiter clamabat, comprehendi iubet. ibi uerò cæteri omnes, non haſtis modò, ſed tormentis etiam manuarijs emiſſis illum petunt, ità quidem, ut celerrima fuga uix ægrè uitam ſeruaret. Maij die uigeſimo primo duæ legiones mittuntur per alpes Oenipontem, quod illinc bidui uia diſtat. equitatus erat omnis cum legione

gione una circum Fiessam atq; Rutã, aditus defendendi causa, Mauricius ac socij principes insecuti postridie, Zirlæ, quod duobus non magnis milliaribus abest ab Oeniponte, peditatui sese coniungunt: Cæsar autem, ubi de capto Erebergo cognouit, noctu, maxima celeritate tumultuariè discedens Oeniponte, cum Ferdinando fratre, qui persuadendæ pacis causa nuper eò uenerat, ut antè diximus, & per alpes, quà Tridentũ itur, ad læuam deflectens, Villacum, quod est in Carnis oppidum, ad Drauum flumen, sese recipit, quum Saxoniæ ducem, Ioannem Fridericum, toto iam quinquennio captiuum, paulò antè dimisisset, ne uidelicet hostis ad suam gloriã istud referret, quod quidẽ ipse captiuus etiã minimè uolebat. Liber factus, nihilo minus Cæsarẽ, quocunq; iret, comitatur. In hoc ipso tempore, soror Cęsaris, Maria, conuentus agebat Aquis, oppido Belgicæ, fœderis ineundi causa cum uicinis. Et Cliuensis quidem princeps, per legatos excusat: Colonien sis autẽ archiepiscopus, Adolfus, eò profectus, in Burgundicæ domus uenit societatem: idẽ facit Leodinus etiã episcopus, Georgius Austriacus. Vbi uenit Oenipontem Mauricius, quicquid ibi repertum est rerum Cæsaris & Hispanorum, & cardinalis Augustani, direptum fuit: Ferdinandi regis autem atque ciuium bonis nihil est datum damni. Et quia triduum solum erat reliquum ad inducias, quæ futuræ tractationis causa constitutæ fuerant, ut antè docuimus, Mauricius illinc Passauium petit: socij uerò principes, idem, quâ uenerant iter ingressi, Maij die uigesimo octauo Fiessam reuertuntur, ac deinde per internuncios tàm suo, quàm Mauricij nomine literas euulgant Augustæ, &, quandoquidem in superioribus nostris, inquiunt, scriptis affirmamus, tuendæ religionis atque libertatis Germaniæ causa potissimùm, ad arma nos uenisse, res ipsa flagitat, & officium requirit, ut & ecclesijs & iuuentuti præficiantur idonei doctores. Iam uerò, quemadmodum hostes ueritatis id semper egerint, ut pijs doctoribus oppressis, idolum restitueretur pontificium, & iuuentus in erroribus illis atque falsis dogmatis educata sensim adolesceret, id adeò manifestum est, ut ampliori non egeat demonstratione. Nam etiam eo tempore, cùm non dubitarent profiteri, minimè peti religionem, totis uiribus huc incubuerunt, ut pura doctrina funditus extirparetur. Nec enim pios modò doctores in uincula coniecerunt, uerùm in hac etiam urbe per iusiurandum adegerunt eos repente ac magna quadam inhumanitate, ut extra fines Imperij decederent. Et quan-

quàm iusiurandùm illud cumprimis impium est, ideóque nullo iure uel æquitate nititur, tamen, ne quis calumniæ locus esset, illos ipsos ecclesiæ ministros atque ludimagistros ab aduersarijs electos reuocauimus, quoniam id officij nostri esse putamus. Itáque illos omneis, quicunque sunt ad hunc modum exterminati, sicut diximus, ab eo, cui per uim, contra leges astricti fuerunt, iurisiurandi uinculo prorsus expedimus, ac libertati restituimus, & iniungimus, ut non solùm in hac urbe, uerùm alijs etiam in locis, prout ipsorum est uocatio, uerbùm Dei purè, iuxtáque confessionem hic olim exhibitam, doceant, & rectè piéque iuuentutem in literis eruditant, nostro confisi patrocinio atque tutela. Mandamus autem, ne quis illos, quasi contra fidem datam faciant, ullo uerbo uel iniuria perstringat. Quum enim, nullo suo merito, solùm propter ueritatis professionem, multis iam mensibus in exilio uixerint, non dubitamus, quin uicem illorum uiri boni doleant, & omni fauore studioque prosequendos esse ducant. Et quoniam ij, qui per illorum absentiam in hac urbe docuerunt, suspecti sunt & inconstantes, ità quidem, ut propter diuersam docendi rationem, cum his, quos reuocauimus, commodè esse non possint, à senatu petimus, ut illos à concionibus amoueant, & ità sese gerant, ut huic edicto nostro sua constet authoritas. Quum hæc lunæ die septimo principes promulgassent, quinto pòst die, ministros ecclesiæ loco restituunt, & concionibus denuò præficiunt, summa cum populi uoluptate atque lætitia. Prius, quàm Mauricius rediret Lincio, Brandeburgicus Albertus, digressus cum suis copijs, Vuolfgango, Teutonici, quem uocant, ordinis magistro, direptionibus & incendijs plurimùm damni dat, & cùm ab eo pecuniam exegisset, in Noribergensium fines transit, & arcem quandam illorum ditionis, Lichtenauum, quinque milliaribus ab urbe positam, & simul adiunctum oppidũ, quinta die Maij deditione capit. Exercitus eius erat, equitum ad duo millia, peditum signa undeuiginti. Postridie, datis ad senatum literis, quanquàm Galliæ rex, inquit, & confœderati principes, euulgato scripto, quid de republica sentirent, & quomodò Germaniæ libertatem recuperare, simúlque religionem constituere uellent, prolixè demonstrarunt, ea fiducia nimirùm, ut hoc illorum institutum non modò gratis animis uiri boni complecterentur omnes, uerum etiam totis uiribus adiuuarent, quod quidem à nonnullis etiam factum est: uos tamen, nec quid uestræ sit uolun-

tatis

tatis atque consilij, declarastis, nec ad indictum etiam Augustæ conuentum, legatos, ut audio misistis, uerùm ad defensionem comparastis omnia, tormentis huc illuc per mœnia dispositis atq; propugnacula, & conductis copijs, ad extremum usque uelle uos perseuerare iactatis, ut quidem ad me defertur, eiúsque rei fidem facit, quòd nullos adhuc legatos mihi de pace misistis. quod tamen alij quidam & uiri principes & ciuitates longinquiores fecerunt. Cùm ergò scriptũ illud regis atque principum confœderatorũ apertè profiteatur, eos, qui conatum hunc ipsorum uel impugnabunt, uel non adiuuabunt, in hostium numero habendos: deinde, cum huic ego sim adiunctus militiæ, ut eos, quorum fines attigero, cogam ad officium, neque locum ullum munitum, unde uis aliqua uel eruptio metuenda sit, à tergo relinquam: hac de causa, uobis, qui nondum satisfeciſtis expectationi, Lichtenauum arcem, quæ castris meis multùm incommodabat, ademi, conseruatis præsidiarijs, in quos tamen durius agere mihi licuisset. Et quia præcipuum adhuc restat, equidem & Galliæ regis & sociorum nomine à uobis peto, ut quid pro tuenda Germaniæ libertate, próq; constituenda religione facere constitueritis, clarè profiteamini, mihíq; die crastino denuncietis, ut quid à uobis expectandum sit, quóue numero uos oporteat habere, possit intelligi. Cæterùm, quo tempore Schuinfurti Mauricius atque socij conuenerunt, quod fuit Martij die uigesimo sexto, sicut antea dictum est, fidem & societatem & instrumentum militare, & commeatum & maximam auri uim, à Noribergicis per internuncios petebant: sed post multã actionem, cæteris omissis conditionibus, cùm illi centum aureorum millia dependissent, pacem eis tàm suo quàm sociorũ nomine, per literas, amplis uerbis promittebant. Cùm ergò nunc ipsis immineret Albertus, ad illos querimoniam deferunt: & quia Lincio nondum redierat Mauricius, Maij die tertio Lantgrauij filius Gundelfinga rescribens, bene sperare iubet: quinta uerò pòst die, cùm iã reuertisset Mauricius, ambo scribunt, & pacta seruare promittunt, et Alberti factum hoc sibi prorsus inopinatum esse, neque probari, sed & omnem operam daturos, ut sua recuperent, quos etiam ei suppeditauerint ipsi copias, continuò uelle se reuocare dicunt. Acceptis Alberti literis, Noribergenses eodem die rescribunt, & quid Mauricius atque principes per transactionem ipsis promiserint, ostendunt, eámq; fuisse causam dicunt, quò minus ei miserint legatos. itáque magnopere orant & obsecrant, ut arcem ademptam plenè restituat, in eóq;

ſocijs gratificétur. Ille uiciſſim, triduo pòſt: quia ſibi non conſtet, quomodò tranſegerint cum ijs, & uerò Galliæ regis plurimùm interſit, cui ſit non minus quàm illis addictus, petit, ut è ſuis familiaribus homini certo, quem ſit in urbem miſſurus, publicè caueant, & tranſactionis exhibeant documenta. Gerunt illi morem, & exhibẽt: ſed ipſe nihilo ſecius, tametſi Mauricius atque ſocij diligenter intercederent & deprecarentur, undecima die Maij, rurſum illis per epiſtolium denunciat, & Galliæ regis nomine cumprimis, ut intra paucas horas clarè ſibi reſpondeant, an imperata facere uelint, poſtulat: cúmque reſponſum, quale uoluit, non ferret, arcem Lichtenauũ & adiunctum oppidum diripit, incendit, funditus euertit, æquátq; ſolo, & quum oppidanis pecuniam imperaſſet, in ſuam & Georgij Friderici patruelis ditionem illos per iuſiurandum adigit, & urbem obſidet. Itáque Lantgrauij filius, equitum duas cohortes, quas in Vuolfgangum, ordinis Teutonici magiſtrum ei attribuerat, ilicò reuocat, & ad ſe redire iubet, maxima cum illius offenſione. Trucu lentum ergò bellum orditur, & uicos illorum ditionis, ad centum, caſtella uerò, ciuiúmque uillas ad ſeptuaginta, ſimúlq; templa, cùm ea diſpoliaſſet, ſyluam inſuper, quam habent ampliſſimam, quæq; non ipſis modò, ſed & finitimis materiem atque ligna ſubminiſtrat, incendit, & ad ter mille iugera exurit. uicinis autem, ex nobilitate, & alijs iam antè, niſi parérent, bellum denunciauerat, inprimis autem epiſcopo Bambergenſi & Vuirciburgico, quos etiam in hoc rerum ſtatu ad grauiſſimas conditiones adegit. & Bambergenſis quidem, ut ſe ſuámque prouinciam periculo iam imminenti ſubduceret, pacem ab eo maximis iacturis redemit. nam ſuæ ditionis oppida & præfecturas ad uiginti coactus fuit ei dare, confectis ea de re literis, Maij die undeuigeſimo, ſimúlque clientelas & beneficiarios omneis ei permittit. Vuirciburgicus autem aureorum millia du centa, uiginti dependit, et ſimul eius debita, quorum erat ſumma, circiter trecenta, quinquaginta nummûm aureorum millia, in ſe recipit, & perſoluere pollicetur. Noribergenſium hanc tàm indignam & lamentabilem fortunam miſeratæ Sueuiæ ciuitates, quę nuper ad imperatum Auguſtæ conuenerant, ut ſuprà diximus, numero ad uiginti ſex, per legatos ex omni numero delectos, intercedunt, Auguſtani cumprimis: & ubi Noribergam fide publica ueniſſent, multis in medium adductis, ad pacem eos hortantur, déque captis alpiũ clauſtris, Erebergo, dicunt, & eum Italiæ Pannoniæq; ſtatum eſſe demon-

demonſtrant, ut auxilium nullum atque ſubſidium ab ullo ſperari poſſit; conditiones deinde ab Alberto propoſitas exhibent. Illi, pro ſuſcepto labore ſtudióq; gratias agunt, & quàm nullã habeat Albertus armorũ cauſam in ipſos, & quid cum Mauricio ſit actum atq; ſocijs, oſtendunt: & quia cõditiones oblatæ ſint eius generis, ut partim ab ſe nõ prętari, partim ad Cęſarẽ atque Ferdinandum regem excuſari nullo modo poſſint, extrema ſeſe pati, remq; Deo uelle commendare dicunt: ſic enim ſibi conſcios eſſe, ut non Cæſarem modò, ſed omneis quoque principes, & ipſius quidem Alberti propinquos etiam atque neceſſarios ferre poſſint arbitros. Cùm hæc interceſſores, opportunè, commodíſque uerbis ad Albertum detuliſſent, & ille non ſolùm non miteſceret, uerumetiam atrociſſima quæq; minaretur, Iunij die quarta per literas illis demonſtrant, implacabilẽ eius eſſe animum, neque ſe potuiſſe illum ad æquiores adducere conditiones. Albertus autem uehementiori, quàm prius, impetu, rurſus in urbem tormentis fulminat, & ignem in diuerſa loca conijcit, & nocte quadã oppugnat, quóque plus terroris adferret, ſuburbium unum incendit. Ad hoc ipſum uerò tempus in illius caſtra uenerunt à Mauricio ſimul et à Lantgrauij filio miſſi de pace legati, Georgius Thannebergus, Gulielmus Schachtus. hi, ciuitatum adhibitis legatis, qui re deſperata diſceſſuri fuerant alioqui, poſt multam & laborioſam actionem, utríſque demum perſuadent, & pacem cõſtituunt. nam & nouis copijs nuper erat auctus Albertus, Iobo Dalbeco, Chriſtophoro Oldeburgo, ductoribus, & Mauricius, datis ad ſenatum literis, Alberti factũ hoc ſeſe moleſtiſſimè ferre, neq; tamen mederi iam poſſe, nunciabat. pacis hæ fuerunt leges: aureorum millia ducenta dependant: tormenta magna ſex, inſtructa rebus omnibus tradant: principes confœderatos, ut Auguſtani, fauore proſequantur: ipſe uiciſſim illis ablata reſtituat. Itaque ſub uigeſimum Iunij diem, urbis obſidio, totius propè Germaniæ celeberrimæ potentiſſimæq;, & rebus omnibus inſtructiſſimæ, ſed & inprimis munitæ, ſoluitur. Hoc tam egregio ſucceſſu factus alacrior, Iunij die uigeſimo dat literas ad Vlmenſes, è caſtris. in ijs perſcriptum erat, Noribergicos, maximo ipſorum cum detrimento, domitos abſe, pacis accepiſſe conditiones, & facturos, quod ipſe atque ſocij præſcripſerint: nunc ergò ſe conſtituiſſe & ipſos obſidere, ſed longè ſecus & arctius multò, quàm nuper: quòd ſi conſilium ſuum fortuna comprobet, nulli ſe maſculo, qui ſeptimum ſit annum

egreſſus, parciturum, niſi ad ſanitatem redeant, & miſſis quàmpri-
mùm legatis, omninò ſibi ſocijſque ſatisfaciant, & nuper quoque fa-
ctæ rebellionis culpam eluant: in eo autem quid facere uelint, per
ipſum, cui literas dediſſet, apertè nunciari iubet. Ad eas literas pau-
cis illi reſpondent. incolumes quidem, & quándiu uita ſuppetat, ni-
hil ſe facturos eorum quæ poſtulet. Galliæ rex, Germaniæ finibus
egreſſus, tripartitò demum exercitu Vualderfingam uenit, quod eſt
ad Saram flumen, Lotharingicę ditionis oppidulum. Ibi conſociatis
copijs, uigeſimo quinto die Maij progreſſus, & traiecto Moſella flu
mine, cùm in Luceburgicum agrum ueniſſet, populationibus & in-
cendijs omnia uaſtat, exemplo Roſſemi prouocatus, ut quidem ipſi
ferebant, & Aſtenæum oppidum recipit, à defenſoribus uacuum.
Roſſemus enim domum reuerterat: caſtris deinde poſitis, Danuil-
lerium oppidulum deditione capit, pòſt etiam lucœum, ex præcipuis
ibi propugnaculis unũ. Eo in oppido erat Mansfeldius Comes Er-
neſtus, totius regionis præfectus, cum flore iuuentutis: hi omnes in
hoſtium poteſtatem uenerunt: oppidum deinde, tumultuante mili-
te, præter uoluntatem regis, ut aiunt, direptũ fuit. Nunc ad Mau-
ricium reuertemur. Is, tractandæ pacis cauſa, Paſſauium ſe cõtulerat,
uti diximus. Ibi actione repetita Linciana, calendis Iunij, copioſius
omnia proponit & explicat. aderant legati Cæſaris, Ferdinandus
rex, Bauariæ dux Albertus, Salisburgenſis, Eiſtetenſis, epiſcopi.
principum electorum omnium, Cliuenſes etiam & Vuirtembergi-
ci, multíque præterea legati. Queritur Imperij rempublicam, quæ
cumprimis libera eſſe debeat, ab exteris adminiſtrari, principum ele
ctorum authoritatem imminui, multáq; fieri nõ conſultis ipſis, quę-
dam etiam ab Imperio diuelli et alienari, rationes iniri quomodò ius
creandi Cæſaris illis auferatur, in comitijs, electorum ſententias ferè
poſtponi, priuatos electorum conuentus formidine quadam inter-
mitti, iuriſdictionẽ eorum minui, dum illos, qui prouocant ab ipſis,
contra morem antiquum Camera recipit: ordinum Imperij contro-
uerſias augeri conſultò, neque prius componi, quàm utrobique ſit
acceptum incommodum: in aula Cæſaris difficulter impetrari au-
dientiam, neque rem exactè cognoſci, ferè propter imperitiam lin-
guæ, neque ſumptus modò ſed & temporis ibi magnam fieri iactu-
ram: in comitijs agi parum amanter, & ſi quid adferatur ab aliquo
pro republica, malam in partem accipi: crebris illis conuentibus at-
que diuturnis exhauriri Germaniam, & domi multà ſæpe negligi,

neque

nec; tamen publicum ſtatum effici meliorem, imò deteriorẽ aliquan tò, magiſq; perplexũ: grauibus edictis mandari, ne quis militet exter nis: eos, qui reconciliantur, aſtringi ne contra Cęſaris prouincias mi litent, itaq; ab Imperio diuelli: qui ſuis dominis bello Smalcaldico militarunt ex officio, mulctatos eſſe pecunia: qui eodem bello in Cæ ſaris amicitia permanſerunt, iſs quoque pecuniam eſſe imperatam, & ſub auctione quidem, niſi mox darent, eorúmque legatis, quòd non ſtatim aſſentirent: capitis periculo, ne iniuſſi diſcederent ab au la, mandatum eſſe: militem externum, in Germaniam introductũ eſſe non ſemel, & finito ſuperiori bello diſtributum huc illuc in pro uincias, intemperanter atque libidinoſè multa feciſſe, déque ſubacta Germania gloriatum, fore dixiſſe, ut patrimonio Cæſaris coniun gatur, & in primarijs urbibus exædificentur arces atque propugna cula: tormentorũ uim magnam & inſtrumenti militaris, ueluti per ludibrium eſſe deuectã ex Germanię finibus ad exteras gentes: non nullos, ambitione quadam, tormentis, quæ ſibi fieri curaſſent, inſi gnia principum Germanorum impoſuiſſe, tanquàm hæc illis eri puiſſent: euulgari libellos, & quidem priuilegio Cæſaris, ad Ger maniæ ſummum dedecus ac infamiam, quaſi domita ſit, íncq; ſerui tutem redacta: publicis in comitijs, nomine prouinciarũ Cęſaris, ad miſceri quoſdam in principum ordinúmq; cœtũ, & occultis hoc agi conſilijs, ut adaucto numero, ſuffragijs illi uincant: ante annũ quar tum inſtitutum eſſe Cameræ iudicium, & à paucis quibuſdam fuiſſe conſcriptas leges, quæ pòſt euulgatæ ſint, non ſine multorũ diſpen dio, præſertim eorum, qui ſunt religionis Auguſtanæ: nam eos om neis à conſeſſu prorſus excludi: rem igitur ipſam poſtulare, ut leges illæ proximo in cõuentu recognoſcantur. Hæc & id genus alia pro ponit, & cùm ad Cæſarem inprimis pertineant, petit ut iam emen dentur, Imperióq; ſua reſtituatur dignitas, nec alijs, ut eam ludificẽt atq; deſpiciant, permittatur. Interceſſores, communicatis conſilijs, ea poſtulata nihil habere iudicabant iniqui: ſed tamen ut Cæſari & ſu us cõſtaret honos, & eò facilius perſuaderi poſſet, nonnulla, quæ pu blici ſtatus emendationem attingunt, ad communem Imperij con uentum poſſe referri cenſent. Aderat Gallicus legatus, Fraxineus: is Iunij die tertio in conſeſſu principum orationem habet. Inter Gallos & Germanos, iam olim, & prius quàm nomen Franconũ innotuiſ ſet, adeò fuiſſe magnã uitę morúmq; ſimilitudinem, ut Germani ſint hi populi quondam à Romanis appellati, quaſi fratres Gallorum:

ubi uerò ſedem in Gallia ſibi Francones conſtituerunt, utránque nationem fuiſſe coagmentatam, ſic, ut idem eſſet Imperium, idē prin ceps, eædémque leges: commutatione deinde facta temporum, cùm eſſet ad Germanos delatum Imperium, Saxones, alióſque Cæſares, quòd è Francorum regibus originem haberent, perpetuam coluiſ- ſe cum Gallis amicitiam, ità quidem, ut Franciæ rex, Philippus Au- guſtus, antiquum illud fœdus, quod uetuſtate propemodum erat obſoletum, aureis deſcribi literis, & ſanctiori loco reponi iuberet: nec immeritò quidem: nam ea durante coniunctione, florentem in- primis utriuſque populi fuiſſe rempublicam: & Germanię quidem tantùm extitiſſe robur, ut non modò Pannonijs, Bohemis, Polonis atque Danis, uerùm Italis etiam leges præſcriberet: Franciæ reges autem, ut religioni conſulerent, in Chriſtiani nominis hoſtem, Sara- cenos atque Turcas, non ſemel arma ſumpſiſſe per Aſiam, Aphricā, Europā, & glorioſiſſimas reportaſſe uictorias: incidiſſe uerò poſtea tempus quoddam infœlicius, cùm nonnulli Cæſares, uelut inſititij, miniméque Germani, nec ea digni functione, Galliæ regum neceſſi- tudinem illam deſererent, & reipublicæ maximas inueherent cala- mitates: atqui, plagam hanc, Dei beneficio fuiſſe curatam per illu- ſtrem Luceburgiorum principum familiam, è qua Cæſares aliquot prodierint, magna uirtute uiri, Galliæq; regibus cōiunctiſſimi: nam Caroli quarti parentem, pro Galliæ rege pugnantē occubuiſſe: con- ſimilem quoque principum Auſtriacorum fuiſſe uoluntatem, & in ijs Albertum primum, neque pollicitatione neque commination pontificum, ut Galliam oppugnaret, impelli potuiſſe: hęc autem eò ſe recitare, ut uideant, quàm non bene reipublicæ conſulant poten- tiſſimi Cæſaris Caroli quinti familiares quidam & adminiſtri, dùm non ſolùm id agunt, ut has duas præſtantiſſimas nationes, alteram ab altera diuellant, ſed id etiam ſuis technis & aſtu iam antè perfece- runt, ut optimus princeps, Franciſcus rex, indicta cauſa iudicaretur hoſtis: hæc quidem illos facere priuato ſuo cum emolumento, ſed maximo cum diſpendio publico: quàm enim eis difficile fuerit, ea manente duarum nationum amicitia, libertatem infringere Germa- niæ, ſuúmque regnū illud exædificare, uel ex eo ſatis apparére, quòd Gallicis nunc armis territi, remiſſius agant, nec Hiſpanicum illud iugum ſic urgeant: hos nimirùm illos eſſe, qui precibus atque tribu tis impetrata pace Turcica, per cauſam uel religionis uel obedientię, ſimultates in Germaniam atque factiones inuexerint, qui Germano-

rum

rum adiuti copijs bellũ Germaniæ fecerint, qui pecuniam omnibus imperarint, & miserabilem Imperij cõditionem effecerint, dispositis huc illuc Hispanorũ præfidijs, exarmatis armamẽtarijs, & cognitioni fiscali patefacta uia: nam eò rem esse deductam, ut & Imperij sigillũ, & Cameræ iudicium, & comitiorũ ius atq; libertas ab unius pendeant Atrebatensis arbitrio: cuius enim hoc sit uel exempli, uel æquitatis, eos, qui tolerandæ uitæ causa militant externis, mulctare supplicio, proscribere, magnis propositis præmijs obijcere trucidandos? ut interim tot cædes, libidines, direptiones & oppidorũ deuastationes mittantur, et inprimis nõ uno modo, sed pro temporis conditione uariè tractata religio: certè, quicquid huius rei factum sit multis nunc annis, eò pertinere solùm, ut conturbatis Imperij legibus, Ferdinando rege, uel coacto, uel pollicitationibus illecto, principibus autem formidine quadam atque territatione subactis, Hispaniarum princeps designetur Cæsar. An non mors exoptanda sit potius uiris fortibus, quàm ut in talibus ærumnis lumen hoc solis intueantur? neminem profectò posse fingi tam uecordem atq; barbarum, quem nõ ista commoueant: non ergò debere cuiquàm uideri mirum, si tandem extiterunt uiri principes, & in his quidẽ Saxoniæ dux elector Mauricius, qui uel sui capitis periculo recuperandã esse cõmunis patriæ libertatẽ existimarunt: eos uerò, cùm uiribus essent inferiores, neq; tantã soli prouinciam sustinere possent, Galliæ regis imploraſſe fidem & auxilium: & hunc quidẽ superiorum annorum offensione depositã, nõ modò fortunas omneis cum ijs cõmunicasse, uerùm se quoq; tantę rei totũ impendisse, facto cum illis fœdere, quo sit inter alia cautũ, ne cum hoste paciſci, nisi de regis uoluntate, liceat: porrò, Mauriciũ, quanquàm eo uinculo teneatur, tamen, ut patriæ cõsulat, & Ferdinando regi petenti morem gerat, à Christianissimo rege petijsse nuper, ut quomodò pacẽ ferre possit, ostendat: id quidem ei præter expectationem nonnihil accidisse, quòd, cùm eiusmodi sit ipsius tánq; magnum beneficium, de rebus ad ipsum pertinentibus, non ex longinquo, sed coràm esse putaret agendum: sed tamen, quia suis commodis publica longè præferat, non uoluisse confœderato principi quicquam denegare: proinde, si reipublicæ uulnera sanentur, ut oportet, & in posterum idoneè caueatur, ne recrudescant, si principes captiui dimittantur ijs, quæ sunt in fœdere perscriptæ, conditionibus, adhæc, si uetusta Galliæ cum Imperio, sed & istud nuper cum principibus initum fœdus ità confirmetur, ut in

ſempiternum ualeat, hęc, inquam, ſi procurentur, illum erga rempu blicam ſic animatum eſſe, non modò libenter ut ſit aſſenſurus actioni pacis, uerum etiam Deo permagnas acturus gratias, quòd ipſius in eo conſilium interuenerit & adiumentum: ad priuata quod attinet, quia per uim Cæſar multa detineat, neque iuſta de cauſa bellum fecerit, regem putare æquum eſſe, ut qui cauſam iniuriæ dedit, ſatisfactionis quoque uiam primus oſtendat: illum certè, licet uiribus atque cauſæ minimè diffidat, ità ſe comparaturum, ut quantópere ſit & amans pacis, & ipſis omnibus atque Mauricio gratificari cupiat, intelligi poſſit. Principes ad ea reſpondent: illam, ex uetuſtate repetitam & ſuperiori memoria, de Germaniæ coniunctione Galliæq́, narrationem, ualde ſibi iucundam, neque minus gratum fuiſſe, quòd priuatis commodis rempublicam rex anteferat, & quò minus confœderati principes cum Cæſare pacem conſtituant, non recuſet: nam ut ità fiat, non unius modò nationis, uerùm Europæ totius intereſſe, quæ ciuilibus iactata malis, ad interitum ſpectet: quas uerò pacis conditiones rex interuenire uelit, non ſe dubitare, quin id obtineri poſſit: nam & antea Cæſarem, & nunc in his motibus bene de republica ſentire, neque Germaniæ uelle deminui libertatem: amplam quoque ſpem eſſe, futurum, ut principes captiuos breui dimittat: ut autem antiqua fœdera renouentur, & noua confirmentur, intelligere pro ſua prudentia regem, in hoc ipſo conuentu rem tantam non poſſe confici: ueruntamen, quæ ſemper fuit inter utrunque populum, eam optare ſe firmam & inuiolatam permanere, neceſſitudinem: quæ ſint ei cum Cæſare priuatæ lites, ut hæ componantur, & cupere ſe cumprimis, neque laborem etiam ullum atque ſtudium in eo recuſare: cùm autem occupare Cæſarem nonnulla rex, quę ſua ſint, affirmet, & quod ab eo repetat, habere ſe nõ obſcurè ſignificet, uideri ſibi nõ iniquum, ut cuiuſmodi ſit illud, oſtendat: nam ad Cæſarẽ referre controuerſiam, & intercedere ſeſe cõſtituiſſe: rogare uerò plurimùm, ut in bonã partem iſta rex interpretetur. Porrò, quæ ſit inter Gallos atq; Germanos propinquitas, octauo libro diximus: de Luceburgiorũ autem familia, quod Gallicus orator ait, ſic habet. Luceburgŋ Comes Henricus filiũ habuit Henricum, qui poſtea Cæſar fuit, eius nominis ſeptimus. huic erat filius Ioannes, qui per matrimonium factus eſt Bohemiæ rex. hic Philippo Valeſio, Gallię regi tulit opem aduerſus Angliæ regẽ Eduardum tertiũ, ipſe profectus in bellum, & cõmiſſo prælio, cùm Angli

uincerent,

uincerent, occubuit, ac inter alios, filium reliquit, natu maximū, Carolū, qui postea factus est Cęsar, eius nominis quartus, pater Vuenceslai & Sigismundi, qui Cæsares ambo deinde fuerunt, & hic quidem etiam Vngariæ rex atque Bohemiæ, Constantiensis concilij solicitator. Albertus Austriacus, de quo loquitur, Rudolphi Cæsaris filius, Cæsar, cum Philippo pulchro, Galliæ rege firmam coluit amicitiam, etsi Bonifacius octauus pontifex, uehementer eum ad bellum incitaret. Mauricius, præter Lantgrauij liberationem, duo potissimùm urgebat. unum, ut ijs de rebus, quæ Germanię libertati nocerent, & quas ipse nominatim recitauerat, Ferdinandus rex, Maximilianus filius, & intercessores ipsi iam iam cognoscerent, & ex legibus atque more antiquo Germaniæ de ijs pronunciarent: alterum, ut religioni pax daretur, nec ulla cuiquam eo nomine fieret molestia, dum integrè sit controuersia tota conciliata. Rationem hanc nō improbabant intercessores: at Cæsar, per legatos, quid in eo requireret, ostendit, & ijs, qui fideles ipsi fuissent, inque maximas idcircò calamitates incidissent, de damno satisfieri, æquum esse putabat. Post uariam disceptationem, cùm essent nonnulla mitigata, placuit tandem, ut ad tertiū Iulij diem planè Cæsar responderet, ac interea belli conquiesceret administratio. datis ergò literis Iunij die decimo sexto, Cæsarem intercessores ad pacem hortantur. Erebergo capto, direptáque pòst Oeniponte, diximus, quemadmodū socij principes, itinere conuerso, per alpes, ad exitum Maij, redierint Fiessam. Inde profecti, Iunij die undeuigesimo, cum copijs omnibus ad Eistetum castra ponunt, quod est Bauariæ finitimum oppidum episcopale, magnóque desiderio, neque sine solicitudine Mauricium expectant. qui cùm tandem eò uenisset, quo loco res uersaretur, ostendit, & ultima Iunij die per dispositos equos illinc Passauium reuolat, ut ad constitutum diem adesset. socij uerò principes, motis postridie castris, quarto pòst die, Roteburgum, quod est ad Duberum flumen, Franconiæ uicinum oppidum, perueniunt. Albertus autem Marchio suum institutum nihilo secius urgebat, & ad pacem adacta Noriberga, nobilitatem etiam & ordines ijs locis imperata facere cogebat. nam etsi communem causam agebat initiò, sicut edito scripto facturum se professus fuerat, tamen nō erat eius fœderis, & soluta Vlmæ obsidione, cœpit quodammodo suum priuatum agere negocium, uel quòd uni sibi uellet acquirere, quicquid belli dedisset fortuna, uel quòd Mauricij factum improbaret, uel quòd à Galliæ rege

sõlicitatus, aliò spectaret: sed tamen quos in suam fidem adigeret, socijs quoque fidem eandem præstare iubebat. Deinde in archiepiscopi Moguntini fines progressus ad Mœnum flumen, plurimùm damni dat, incendijs atq; rapinis, et ingentem pecuniæ uim ab eo postulat: cúnque nonnulli intercederent, neq; tamen de summa conueniret, Moguntinus, in Rhenũ antea demersis maioribus tormentis, quinta Iulij die discedens, fuga salutem petit. Eodẽ etiam tempore, Albertus, qui nihil intentatũ relinqueret, ab archiepiscopo Treuirensi petit, ut pręcipuã ipsius ditionis arcẽ sibi tradat. ea est ad Rheni atq; Mosellæ confluentẽ, loco excelso, & natura munito, & cumprimis opportuno. Galliæ autẽ regis nomine hoc ab se postulari dicebat. Ille, cũ suis re deliberata, non se posse morẽ ei gerere demonstrat. Quia principes intercessores extrema parte sui responsi, quod oratori Gallico dederant, ut antè diximus, æquum sibi uideri dicebant, ut quid à Cæsare rex postulet, ostenderet: legatus, à rege certior factus, cùm esset ad exercitum prope Eistetum, Iunij die uigesimo nono rescribit illis, non alia de causa, quam ut toti reipublicæ, cumprimis autem adflictæ Germaniæ libertati consuleret, bellum hoc suscepisse regem, cùm id ab eo principes aliquot diu multúmque flagitassent: priuatum certè compendium suum in eo captasse nullum, & rem ipsam hoc testificari: nihil enim omninò per Germaniam occupasse, cùm id ei non esset difficile: socijs quoque liberam fecisse gerendi belli potestatẽ: aclicet interea, dum ad Rhenum ipse cum copijs excubaret, domi grassaretur hostis, non tamen se commouisse prius, quàm è Mauricio duce cognouisset, pacatis rationibus ea impetrari posse, quorum gratia bellum fuerat susceptum: eo cognito, non mediocriter lætatum fuisse, cùm ex animi uoto rem procedere uideret: nam hoc eius fuisse consilij, primùm, ne principes hanc tam pulchram occasionem negligerẽt, néue sibi deessent ipsi, uel uerba dari paterentur, ut antea: deinde, quoniam suæ uoluntatis atque fidei tam insigne documentum ipse daret, ut firma constitueretur utriusque gentis amicitia, quò uidelicet ipse pòst alijs reipublicæ commodis expeditè uacare posset: quia uerò dux Mauricius ab eo rogarit, quomodò paciscí uelit, hanc ipsius esse mentem, ut dicat bellum ei nulla iusta de causa Cæsarem fecisse: Galliæ reges autem non consueuisse pacem ab hoste petere, præsertim eò, cui neque uiribus nec alia re sint ulla dispares: ut aliquid proponat, nisi spes prope certa sit impetrandi, causam ei nullam apparére: de ipsis uerò sic

existi-

existimare, futurum, ut nihil ab se requirant, quod non cum ipsius dignitate coniunctum sit: illum inuicem sic eos amare, tantí que facere, ut si communem totius orbis pacem ab eis tractari uideat, multa sit, ipsorum quidem gratia, de suo iure concessurus: quò minus etiam de ipsius postulatis cognoscant atque statuant, modò conditionem eandem Cæsar subeat, non recusare, & ut eius rei causa conuentus aliquis habeatur primo quoque tempore, cum primis optare: quod si fiat, intellecturos omneis, quantum & rempublicam amet, & quàm sint à ueritate remota, quæ de Turcica societate disseminantur ab aduersarijs: quòd si uerò nullum ista locum habeant, & in ipsius modò perniciem omnia conferantur consilia, nec illa, quàm à Germanis meritò sperauit, ineatur amicitia, non ipsi tribuendam esse culpam, si qui maiores fortè nascentur motus. Hæc epistola, calendis Iulij fuit in cœtu principum recitata. Passauium ubi uenit Mauricius ad diem, Cæsaris fuit allatum postridie responsum ad Ferdinandum regem. Is deinde, facto consessu, Cæsarem quidem ait, quid suæ sit sententiæ, scripsisse, uerùm in plærisque nõ assentire: quod cùm ità sit, nihil opus esse, quid ad singula responderit, nominatim explicare: sed tamen quò uideri possit, quantópere pacem ipse cupiat, & quàm benè consultum esse uelit Germaniæ, profecturum se magna celeritate ad Cæsarem, neque dubitare, quin ei persuadeat: orare autem inprimis, ut eius temporis, quod itineri dandum sit, octo uidelicet dierum moram, leniter ferat Mauricius. Quod cùm ille mox recusaret, Ferdinandus admodum instat & urget: uerùm id frustrà fuit, & Mauricius, conuocato principum atque legatorum cœtu, quàm nihil reliqui feciſſet ad summum studium atque laborem componendæ pacis, ipsos, qui iam totum mensem rebus omnibus interfuerint, optimè scire dicit: neque dubitare, quin huius rei præclarum sibi testimonium dare possint: itáque petere, ut animo sint erga se beneuolo, & communẽ Germaniæ causam adiuuent: nihil enim amplius ab se posse concedi, & propter assiduitatem actionis prope in suspitionem apud socios uenisse. Illi, quum liberaliter ad ea respondissent, ipsius collaudato studio, à Ferdinando rege petunt, uti Cæsaris nomine planè decernat: existimare enim, quicquid ipse fecerit, futurum ut ille ratum habeat. Ferdinandus adhæc, nullam talem à fratre potestatem habere se dicebat: alioqui laborẽ hunc profectionis atq; molestiam non suscepturum: etenim, extra limites ab illo circumscriptos, nõ sibi licere deflectere.

Quemadmodum intercessores, decimo sexto die Iunij Cęsarem hortati sint literis ad pacem, suprà diximus: ad eas literas, ultima Iunij die Cæsar Villaco rescribit. inde ab inito magistratu se perpetuò studuisse paci, & ne nunc quidem aliud optare: non esse igitur, cur eam sibi tantopere commendent, sed ad eos, qui sint horum motuũ authores, hoc genus oratione potius utendum esse: quod ut faciant, postulare per eã, qua sibi deuincti sint & Imperio, fidem: ad sua priuata quod attinet, ipsorum quidem gratia se concessurum esse multa, modò sic instituatur actio, ut authoritas Imperij salua maneat, neque maioris turbæ relinquatur materia: de summa uerò pacificationis quæ sua sit sententia, scripsisse ad Ferdinandum regem fratrem, ex quo sint audituri singula. His literis illi, quinta Iulij die, cùm rex Ferdinandus ad Cæsarem reuerteretur, rescribunt. ipsius hortatu monituque se uenisse ad hanc actionem, eóque magis, quòd reipublicæ causa facturum se quiduis diceret: maximo autem suo labore, solicitudine, diligentia uiam esse pacis inuentam: itáque rursus obsecrare, & uehementer quidem, ut communem patriam respiciat: multos & præcipuos ordines Imperij, qui sint eius fidem secuti, plurimùm accepisse iam calamitatis, eámque nunc esse rerum conditionẽ, adeóque breuem consulendi occasionem, ut reliqui principes ac ordines, præsertim, qui sint incendio uicini, quantumuis etiam uelint ei fidem & amorem omnem præstare, tamen non possint, imò necesse habeant ea inire consilia, quibus imminentem iam calamitatem & exitium primo quoque tempore declinent: quòd si repudiata pace, rem armis tentare uelit, fore, ut grauissimæ perturbationes ac plenę periculi mutationes per Germaniam ex eo suscitentur, quæ pòst ad ipsius etiam prouincias redundent: nihil igitur esse potius, quàm ut pacis cõditionibus, quas ipsi tanto studio conquisierunt, acquiescat. præsertim, cùm Lincij præcipuæ fuerint approbatę, cuius quidem actionis formulam atque uestigia secuti sint ipsi: deinde, quoniam ea quę propriè ad ipsius pertinent dignitatem atque magistratum, consultò reiecta sint ad Imperij conuentum, ut ibi commodius leniúsque tractentur. Eodẽ, quo sunt hæc acta, die, Mauricius abit, & quum undecimo die Iulij uenisset ad socios, qui tùm Mergethemi castra habebant, quid actum sit, exponit, & Ferdinandum regẽ iuisse celeriter ad Cæsarem, & putare dicit, futurum, ut breui consiliarios mittat, qui plenum & definitum responsum adferant. In hoc autem dubio rerum statu, ne nihil agerent, & quia Cęsaris erat Fran

cofurti

cofurti præsidium, septendecim signa peditū, equites ad mille, Conrado Hanstęno ductore, sic ut Hessiæ uicinæ nō parūū discrimen immineret, eò contendendum esse placuit. Cùm ergò Prussię magistro Vuolfgango, cuius in finibus tum erant, incendijs atq; direptionibus plurimùm damni dedissent, progressi per agrum archiepiscopi Moguntini, decimo septimo Iulij die Francofurtū ueniunt. Principes autē intercessores atq; legati, cōtinuò pòst ad Mauriciū atq; socios in castra mittunt legatos, qui mulceant animos, et pacē urgeant. Ea durante obsidione, Georgius, Megelburgię dux, Mauricio coniunctus, ille, qui Magdeburgicis omnium primus bellū fecerat, tormento fuit interfectus. Quo primum tempore cœptum est obsideri Francofurtū, confœderati principes magnā uim tormentorū ab electore Palatino petunt: recusat ille semel & iterum: sed cùm aliter nō posset, & illi cum exercitu se uenturos nunciarent, ex omni numero dedit octo præcipua, cū omni instrumento. Ferdinandus rex, ad diem, qui fuit Iulij dies XIII, Passauium reuersus, quæ Cæsaris esset in singulis rebus uoluntas, intercessoribus ostendit. nimirùm, ut de rebus Imperij, quas proposuisse Mauricium suprà diximus, non à delectis aliquot separatim, sed ab uniuersis in conuentu Germaniæ cognoscatur: deinde, ut religionis causa pacata maneat ad proximū usque conuentum Imperij: quo quidem in conuentu, quod agendum in eo deinceps de communi ordinum consilio uidebitur, id ratum sit atque firmum. Intercessoribus quoque Cæsar, ad postremā epistolam, undecima Iulij die respondet. sicut ipsi per literas, ità Ferdinandum regem fratrem, perquàm diligenter secum egisse de suscipiendis conditionibus: & se quidem utrisque libenter uoluisse gratificari, sed multis de causis impediri, quas fratri demonstrarit: nec enim ut indifferenter omnia probet habeatq; rata, sibi esse integrū: quòd autem huius occasione motus, nonnulli, præter omne meritum in calamitatem inciderint, id sibi uehementer, si cuiquam alij, dolere: neque tamen id sui contigisse fiducia, qui talem spem nemini fecerit, in qua prorsus esset acquiescendum: nam etsi præcipuos aliquot principes, ut nascenti malo mederentur, initio motus interpellarit, omne suum studium pollicitus, non tamen hanc ideò suam fuisse mentē, ut quicquid proponeretur, id approbaret: etenim, quę totum ad Imperium pertinent, ut ad publicos ea conuentus referantur, æquum sibi uideri: quo quidem tempore si quis ullam adferet iustam de se querimoniam, minimè se defuturū officio, quod adhuc

quidem non prætermiserit : cùm enim hactenus nullum sit eius generis delatum ad se postulatũ, quod tamen priusquàm ad arma ueniretur, fieri conueniebat, non se potuisse, quid ab se peteretur, diuinare, multò minus docere suos, Passauiũ missos legatos, quid ad singula respondendum esset. quod quidem, pro sui muneris atque personæ dignitate, coràm ipse facere cogitet: quòd ergò nõ omnia probet, quæ nonnulli fortè conantur ipsis persuadere, non esse, cur hoc in se quisquam reprehẽdat: sed ipsos, qui sint intercessores, ad æquas atque moderatas rationes debere potius inflectere illos atque cohortari, præsertim, cùm uix tandem, & non nisi necessitate coactum arma se comparasse uideant, quæ ne nunc quidem exercere cogitet; si modò liceat, & si per ipsos æquabilis ac idonea uia pacis expediatur: quod cùm ità sit, confidere, futurum, ut sibi, summo magistratui, fidem omnẽ præstent potius, quàm ut ijs, qui cum suis hostibus, præter officium, fœdus fecerunt, & turbas excitarunt, auscultent: intelligere se, nec ignorare, quid malorũ impendeat, armis utrinque productis in aciem, & reipublicæ detrimentis commoueri plurimùm, inprimis autem innoxiæ multitudinis, ideóque cogitare pacem, ut antea semper, nec ullam æquam recusare conditionem: sibi uerò minimè tribuendum esse, quòd interea, dum de cõditionibus, bis ad se delatis diuerso tempore, deliberauit, ordines nonnulli damnis affecti sint: nam intercessionis toto tempore fuisse inducias: quòd autẽ per hoc ipsum tempus Albertus Marchio quosdam adflixit, non se posse præstare: nam illũ ab actione pacis inde à principio fuisse alienum: in respondendo quoque nullam suam interueniisse moram: & si permansum fuisset in ea ratione, quæ ab ipsis initiò proposita, pòst autem immutata fuit, multò responderi citius atque planius, imõ, si ab actione Linciana, cuius & ipsi mentionem faciant, discessum non fuisset, iampridem omnia potuisse conciliari: cùm ergò suam erga rempublicam uoluntatem uideant, petere maiorem in modum, ut unà cum Ferdinando rege fratre, cui se totum explicarit, ad æquas conditiones illos adducant, & Imperij tum salutis tum dignitatis in eo rationem habeant: se nimirùm, quam adhuc quidem adhibuit, eadem usurum esse deinceps lenitate studióque pacis, quòd à bello ciuili uehementer abhorreat: si uerò pax istis conditionibus constitui non possit, omnem ab ipsis, qui sibi deuincti sint, fidem expectare. Per Ferdinandum quoq; tunc respondet ad oratoris Gallici literas, nuper in consessu recitatas, ut suprà diximus. cum Galliæ rege sibi

fuisse

fuisse pacem, quam diligenter seruarit: ac licet insolenter atq; superbè quædam ab illo fierent, publici tamen ocij causa dissimulasse: illū uerò, quanquàm per oratorem ampla polliceretur, nec aliquid eiusmodi præ se ferret, bellū sibi terra marí q; fecisse prius, quàm aliquid denunciasset: porrò, iam antea se conditionē hanc detulisse, quòd si Mauricius elector, illius nomine pacis adferret rationes nō iniquas, & rebus anteactis accōmodatas, futurū, ut eas ipse minimè recuset, uerùm certi uel definiti nihil quicquam esse propositū, & huc illum spectare, ut cùm uiolatę pacis culpā in se transtulit, concordiæ quoque uiam ab se dicat aperiendam: deinde hoc agere, ut illud de societate Turcica purget, tanquàm ipsi fiat iniuria: sed totum hoc esse fictum: nam si res ità postulet, in medium adduci posse ac demōstrari commentarios oratoris Gallici Aremontij, memoriæ causa Constantinopoli scriptos, & per centurionem quendam Costum, ad regem missos, adduci quoque posse ac exhiberi Turcici per Vngariā præfecti literas ad confœderatos hoc tempore principes aliósque datas, uerùm interceptas: ex ijs autem liquidò uideri, superioris anni cladis, quam Turcica classis dedit, ipsum, authorem, & ut idem hoc anno fieret, impulsorem fuisse, quódque non plus damni datum sit, uehementer ei dolere, breuiter, hoc illius esse consilium atq; Turcarum Imperatoris, ut se, fratrémq; Ferdinandum funditus euertant, quò totam deinde rempublicā, inprimis uerò Germaniam, in summum redigant discrimen & angustias: quàm pulchrè autem ista cū illius conueniant promissis, & quàm sit ei curæ, Germaniæ salus, facilè quemuis intelligere: nam rem ipsam, quo sit animo, testificari: quòd enim præcipui ordines Imperij, præter omne meritum, hoc anno uexati sint & adflicti, penitúsque deuastati, quòd alij multi summis obiecti periculis, quòd ope Germanorum, qui se coniunxerunt ei, quædam Imperij loca redacta sint in tyrannicam illius potestatem, & nunc etiam ab eo muniantur, in ipsum unum esse conferendam omnem culpam: cùm sic ergò res habeat, non apparere sibi, quid ipsius oratoris epistolæ, fictæ prorsus atque simulatæ tribui possit: & suo quidem iudicio prętitisse multò, reijcere illam, quàm id genus responsum admittere: quòd si rem omnem diligenter etiam considerent, non dubitare quin uideant, quid ille per suum oratorem struat ac moliatur: & quoniam ad præsentem actionem scriptum illud minimè faciat, non sibi necesse uideri, quicquàm amplius ad illud respondere. Idibus Iulij, Ferdinandus rex, Henricum, ex

illustri Plauiorum familia, Misniæ, sicut uocant, Burgrauium, Bohemiæq; cancellarium, in castra mittit. qui cùm ad Mauricium, Julij die uigesimo quarto uenisset, rebus aliquándiu disceptatis, pacem ei demùm persuadet. itáque pridie calendas Augusti, præter multorum expectationem, de summa rei transactum est, ut infrà recitabitur. In reliquis, ad persuadendũ comparatis argumentis, hoc etiã erat. cogitet secum, nisi conditiones admittat, quantum ei periculum incumbat & à Cæsare, qui firmissimum iam habeat exercitum, & ab eius patrueli Ioanne Friderico, quem, libertati restitutum, Cæsar propediem sit remissurus domum: cogitet quoque Lantgrauij filius, in quantùm discrimen sit & parentem captiuum & omnem prouinciam adducturus. Electoris Palatini tormenta, quæ subministrare coactus fuit, ut antè docuimus, facta pace, recepta fuerunt in oppidum, ne in Alberti manus peruenirent. Iulio mense, Galliæ rex, captis aliquot Luceburgicæ ditionis oppidis, ut suprà demonstrauimus, exercitum in Atrebates adduxit, sed nulla re memorabili perfecta, quò militem ex labore & contagione reficeret, copias dimisit, ac domum ipse reuertit, ijs locis, quæ cœpisset, præsidio munitis & opere. quibus demùm rebus omnibus Guisium præfecit, magnæ per Galliam authoritatis principem. Lotharingiæ uerò dominam uiduam, Cæsaris è sorore neptem, iussit excedere finibus. hæc duodecimo Julij die uenit Argentoratũ, & plusculis diebus ibi commorata fuit unà cum sorore mariti, quæ & ipsa fuit à Galliæ rege iussa migrare. Venit etiam Argentoratum, finibus eiectus, is, quem diximus, equitum ordinis Germanici magister, Vuolfgangus, qui proximum in Imperij consessu locum ab archiepiscopis obtinet. Albertus Marchio, qui Francofurtum socijs aduentantibus, in uia sese coniunxerat, relictis illis ad obsidionem, Rhenum petit, & Vuormaciam atque Spiram in suam redigit potestatem, imperata pecunia simul & tormentis. Quocunque ueniret, sacrifici uel iam antè profugerant, uel mutata ueste, professionem & ordinem suum dissimulabant. Et cum per Franconiam aduentaret exercitus, episcopi uicini ac reliqui eius ordinis præfecti fuga sibi salutem petebant: & Moguntinus quidem, qui metu Marchionis Alberti iam antea discesserat, uti suprà dictum est, Julij die uigesimo quinto uenit Argentoratum profugus, & noctem unam ibi commoratus, abit trans Rhenum. Spirensis admodum senex Tabernas confugit, non multò pòst ibi mortuus. Vuormacienſis,

inter-

interuentu Palatini, domum redijt, depensis aureorũ millibus duodecim. Occupatis ijs, quas dixi, ciuitatibus, Albertus, Iulij die uigesimo octauo, datis ad senatum Argentinensem literis, urbem sibi socijsq; patére quouis tempore, pręsidiúmque recipi, cum opus erit, & fidem præstari petit, tàm suo quàm Galliæ regis nomine: nam totius Germaniæ uindicandę causa bellum hoc administrari: nec ipsis, ut huic instituto desint, uel honestum, uel utile futurum esse: nam ut id perficiant, ideò se sociósq; denuò iam copias omneis coniunxisse. Senatus ad ea biduo pòst rescribit. multis nunc annis nihil se magis optasse, quàm ut uera Christi religio simul & prisca libertas per omnem Germaniã florerent, eóq; nõ solùm instituisse suas actiones atq; consilia, uerumetiam opes atque facultates contulisse semper, & eius nunc etiam esse propositi, nec unquàm defuturos communis patriæ tum saluti tum dignitati, quantum quidem singulis temporibus ipsi præstare possint: agnoscere etiam, hoc sui esse officij, propter illud, quo sint Imperio deuincti, iusiurandum atq; fidẽ: quod cum ità sit, non opus esse ampliori declaratione suæ uoluntatis: Galliæ quoque regem, quo tempore nuper in Alsatia fuit, nihil eiusmodi postulasse: deinde, scriptum illud, cuius mentionem faciat, à confœderatis editum de causa belli, non sibi missum aut exhibitum esse: quapropter orare, ut satisfactionem accipiat, neq; sibi suisque finibus uim ullam faciat. In hoc autem ipso temporis puncto certior factus Albertus, ad pacem spectare Mauricium, relicto Spiræ præsidio, Francofurtum redit cum copijs, & obsidionem, à qua Mauricius, facta iam pace discesserat, urget, positis castris ad diuersam oppidi partem, cis Mœnum flumen, loco paululum editiori, unde tormentis commodissimè res agi poterat. Pacificationem autem hanc indignissimè tulit, déque Mauricio loquebatur admodum odiosè, neq; uoluit comprehendi. pacis hæ sunt conditiones. confœderati principes ante duodecimum Augusti diem discedent ab armis, & copias ità dimittent, ut Ferdinando regi militent, si uelit, neque uel Cæsari uel Germaniæ noceant: ad eum quoq; diẽ, Lantgrauius, liber factus, in sua, quam habet ad Rhenum arce, Rinfelsio, sistetur, interposita prius cautione, de seruandis conditionibus, Halę Saxonum à Cęsare latis: qui tum etiam eius nomine fideiusserunt, Mauricius, Brandeburgicus elector, Vuolfgangus Bipontinus, renouata sponsione, sese rursus obligãt: quæ Lantgrauio est cum Nassouio Comite, de ditione Chattorum, controuersia, recognoscetur per principes electores, &

ab ijs etiam, quos eam ad rem designabunt tum reus tum actor: ex ijs deinde Cæsar deliget VI, qui summam rei tractent, sic tamen, ut biennio causa definiatur: intra sextum mensem Cæsar aget Imperij cõuentus, ac tum, qua potissimum ratione dissidium religionis componi debeat, deliberabitur: pacem interea colent omnes, & propter religionem nulla cuiquam exhibebitur molestia: quod autem de pacandæ religionis modo, communi ordinum consilio, & interueniente Cæsaris authoritate, decretum fuerit, nimirùm, ut placidis & pijs & æquis rationibus componatur dissidium, id erit firmum atque ratum: ad Imperialis iudicij consessum siue Cameram admittentur etiam ij qui sunt Augustanæ confessionis: reliqua omnia, quæ propriè pertinent ad Germaniæ decus atque libertatem, in Imperij conuentu tractari debent: Ottoni Henrico Palatino, suæ regionis dominium atque possessio libera permittitur: hoc durante bello, qui fide principibus confœderatis data, sese deuinxerunt illis, omni soluti uinculo, sui iuris erunt, ut antea: quibus datum est damnum hoc in tumultu bellico, nullam eo nomine litem mouebũt ijs qui dederunt: Cæsaris tamen & ordinum erit, in proximis comitijs rationem aliquam inire, quomodò sarciatur ijs quod acceperunt detrimentum: ad Galliæ regem quod attinet, quoniam Imperij res ad ipsum nihil pertinent, licebit, ut quas cum Cæsare priuatim habet actiones, eas exponat Mauricio, ut pòst ad Cæsarem omnia referantur: proscripti recipiuntur in gratiam, modò nihil posthac in Cæsarem ac reliquos ordines faciant, modò etiam ij, qui Galliæ regi militant, intra tempus trimestre redeant in Germaniam, illo deserto: Brandeburgicus Albertus comprehenditur in hac pace, modò discedat ab armis, & ante duodecimum Augusti diem copias dimittat: hanc pacem qui uiolauerit, hostis iudicabitur. His omnibus, qui præsentes erant principes, primi ordinis, cæterorum uerò legati subscripserunt. Passauij enim fuit hæc conscripta formula, quam & Cęsar obsignauit. Pace facta, Galliæ regis legatus, Fraxineus, domum redit. molestè quidem rex transactionem tulit: sed quum Lantgrauio magnum esse periculũ audiret, nisi pactio fieret, assensit, & obsides in Germaniã saluos remisit. Augusti die tertio, Mauricius & Lantgrauij filius, Francofurto profecti, diuersas in partes abeunt: & hic quidem in Hessiam, ille uerò suas copias Donauerdã traducit, & secundo Danubio mittit in Vngariã, aduersus irruentem Turcam. Illa uerò legio, cui Rifebergus præerat, traiecto

Mœno

Mœno flumine, transit ad Albertum Brandeburgicum, nõ sine magna principum solicitudine, quòd metuerent, ne Cæsar causam hanc arriperet non dimittendi Lantgrauij. Commoratus ante Francofurtum Albertus, cùm pacẽ factam reijceret, Augusti die nona discedit, & Rheno transmisso, prope Moguntiã castra ponit, ciuibus in suã fidẽ adactis. Ad exitũ Iulij Villaco Cæsar reuersus Oenipontẽ, & octauo pòst die digressus, per Bauariam facto itinere, cum Germanis, Bohemis, Italis, Hispanis, qui sub initium Iulij Genuam appulerant, Albano ductore, uigesimo mensis Augusti die uenit Augustã. Moguntinus archiepiscopus, cùm per Sueuiã diebus aliquot profugus oberrasset, ubi primùm de Cæsaris aduentu cognouit, profectionem eò suscipit. In hoc tempore, Senenses, Galliæ regis impulsu & auxilio, præsidium Hispanorũ eijciunt, & arcem ibi cœptam ædificari mandatu Cæsaris, diruunt, & in libertatem sese uindicant. Albertus interea maximam pecuniæ uim ecclesiasticis imperat, Moguntinis præsertim atque Spirensibus: cùm ea dari non posset, plærisque fuga dilapsis, utriusque urbis templa dispoliat, tectum quoque plumbeum templi primarij Spirensis demoliri cœpit, deprecante uerò senatu, destitit: Moguntiæ autem, & arcem episcopi, Rheno propinquam, hospitium suum, & quinque templa, deinde naues omneis, etiam eas, quæ uino essent onustæ atque frumento, incendit: facit idem Spiræ, quò Cæsari difficiliorem relinqueret transitum, suisq; reuocatis, quos ibi præsidio habebat, in fines Treuirorũ proficiscitur. Idibus Augusti, Colonienſis archiepiscopus Hermannus, iam ætate grauis, in patria uitam clausit, & qualem expetiuit, finem habuit. Nam aut euangelij propagare doctrinam, & rectè constituere suæ ditionis ecclesias, aut priuato sibi uiuere licere, non semel optauerat: & ab amicis aliquandò monitus, quantum inuidiæ sibi conflaret ex ista religionis mutatione, respondere solebat, nihil esse, quod inopinanti posset accidere, séque iampridem in omnem casum obfirmasse mentem. Genus ducebat ex illustri Comitum Vuedensium familia. Lantgrauius è custodia dimissus, uti conuenerat, & domum proficiscens, ubi Traiectum uenit, Mosæ uicinũ oppidum, Mariæ reginæ mandatu, quæ tum aderat, denuò sistitur, & Hispanis datur in custodiam, ijs, qui totum iam quinquennium ipsius fuerant custodes. Eius autẽ rei causa fuit, quod Rifebergus, qui Lantgrauij filio militauerat, cum suis copijs omnibus ad Albertum transisset, ut antè diximus. qua quidem re pacem esse uiolatam

regina dicebat, ideóque non sibi licere ipsum dimittere: donec, quæ Cæsaris in eo sit uoluntas, cognoscat. Mauricius, ad Danubium, sicut dixi, progressus, Augusti die uigesimo secundo copias præmittit, pedites quidem, secundo flumine, equites autem per continentẽ: ipse rei priuatæ causa domum recurrit, pòst ad eos rediturus. Cùm ad Treuiros Albertus aduentaret, Georgius Holius, è Cæsarianis ducibus unus, militum signa decem adduxerat, urbis defendendæ causa: uerùm ab oppidanis excluſus, qui præsidium recusarent, Luceburgum copias reducit. Albertus autem Augusti die uigesimo septimo deditionem sibi fieri postulat: altero die receptus, militem per urbem & loca uicina distribuit. Episcopus interim erat in arce, quam diximus esse ad Rheni & Mosellæ confluentem: reliquorum etiam procerum eius ordinis nemo aderat. Cæsar dies aliquot Augustæ commoratus, eum, quem principes confœderati nuper constituerant, senatum, & unà tribus omneis abrogat, & priorem reipublicæ formam, & senatum ab se constitutum restituit, & è ministris ecclesiæ treis remouet, alijs autẽ, ut iuxta cõfessionis Augustanæ formulam doceant & agant, permittit. Ea res pro concione recitata, magnam excitauit lętitiã. fuit hoc Augusti mẽsis die uigesimo quinto, quũ ante annum, eodẽ propè die in exilium eiecti fuissent, uti libro uigesimo secundo narrauimus. Calendis deinde Septembris illinc digressus, & sex peditum signis præsidio relictis, biduo pòst uenit Vlmam: exercitus autem aliò deflexit, donec ad Vuirtembergensium fines peruénit. quod Vlmensium causa fiebat, ne ipsorum ager, qui summam fidem Cæsari præstitissent, nouum acciperet detrimentũ. Quo die Cæsar Augusta discessit, humanissimis uerbis, & prolixè de sua beneuolentia pollicitus, Ioannem Fridericum Saxoniæ ducẽ ab se dimittit, qui & postridie domum uersus proficiscitur. Lantgrauius etiam, quarta Septembris die dimissus, domum sexto pòst die reuertit. Eodem tempore quartus operum Lutheri tomus exijt, in hunc præfatus Melanchthon, amplissimis uerbis gratulatur Saxoni, & constantiam, qua sit usus tempore durissimo, ualde celebrat. Interea dum Albertus erat Treueri, clausa fuerunt omnia templa, commoratus ibi per dies octo, & monachorum collegijs aliquot incensis, & arce quadam episcopi non procul ab urbe, præsidium ibi relinquit, signa duodecim. Postea Sircum profectus, quod est inter Metim atque Treuerim, pari interuallo, Lotharingicæ ditionis oppidum, decimo tertio die Septembris, Mosellam ibi trajicit, & Luceburgicum

ceburgicum agrū, deinde rursus Lotharingiam ingreditur, & passim multum damni dat, expectans, cuiusmodi conditionem Galliæ rex deferat. Quomodò Francones episcopos grauiter mulctarit, suprà diximus: Cæsar autem, cùm aduentaret, solicitatus ab episcopis, pactiones illas rescindit, ijsq; mandat, ne ratas habeant, utq; sua recuperent. Idē quoq; Noribergicis permittit, & pòst illos hortatur, ut regionis tuendæ causa, fœdus faciant. Idē scribit ad Sueuos, ad Rhenanos & alios, tàm principes quàm ciuitates. Itáq; fœdere sese deinde muniunt hi quos diximus episcopi simul & Noribergenses: & quum Albertus, aduentante Cæsare, Lotharingiā peteret, Bambergensis, ad exitū Augusti mensis, & per Septembrem, Forchemū oppidum & alia plæraq; recuperat. Cæsar, Vuirtembergensis agri fines egressus, tenebat iter Spirense: uerùm ubi Brettam uenit, quod est oppidū Palatini principis, mutato consilio, deflectens ad læuam, Argentoratum petebat. Eius aduentu, sex ab urbe milliaribus, uenerunt ad eū legati, Iacobus Sturmius, Fridericus Gotteſſemus, Ludouicus Grempius, deprecatum, ut ipsorū finibus parceret, alióque traduceret partem exercitus, néue cum maioribus ipse copijs in urbem ingredi uellet, nec in republica quicquam mutaret. Ille, cùm perhumaniter excepisset, scire se dicit & intelligere, quàm præclarè fortitérque sese gesserit nuper ea ciuitas, quantúmque sibi beneficium & Imperio toti dederit: eius rei perpetuam apud se fore memoriam, & ipsa re declaraturum per occasionem, quantum eis hoc nomine debeat. postea repentinum suum aduentum diligenter excusat, propter incensas ab Alberto naues, propter allatum nuncium de Gallorum in Alsatiam incursu, tum etiam propter anni tempus, quod celeritatē postulet, ut quàmprimum ad hostem peruenire possit: exercitū ergò se traducturum præter urbem, quam sit ipse cum suis tantùm domesticis ingressurus, & sumpto prandio ne pernoctaturus quidē ibi. Cùm igitur decimo quinto Septembris die, quendam in uicum, milliare unū ub urbe uenisset, copijs omnibus per agros huc illuc circum fusis, in diem quintū ibi permansit: tunc demùm, impedimentis iam omnibus Rheno transmissis, in quo permagna fuerat difficultas, & prima luce iusso progredi exercitu, ipse, non magno cum comitatu, sub meridiem uenit in urbem, nunquam antè uisam, amāter & honorificè exceptus à senatu. Fortè prætereundum erat templum primarium: eò cùm uenit, descendit, & à sacrificis introductus, paululúmque moratus, rectà contendit ad prandiū.

Senatus deinde munus ad eum defert, pro more ciuitatis, orans ut boni consulat. Ille, & pergratum sibi esse respondet, & quod anteactis diebus, de sua erga ipsos uoluntate dixerat, ob fortiter administratam, dubio & planè formidoloso tempore, rempublicam, repetit, &, quòd oppidanis damnum esset datum extra urbem, à milite, per ipsorum hortos atque prædia, dolere sibi dicit: quia uerò nõ omnibus incommodis occurri possit in tanta multitudine, rogat ut patienter ferant, præsertim, quum hoc ipsum bellum Imperij causa geratur. Deinde, sub uesperum, Haganoicam uiam ingressus, in proximum uicum diuertit, ac ibi pernoctauit. Ad Argentinam cùm esset, Metim iturus, exterorum principum oratores, qui sequebantur eius aulam, iubet diuertere Spiram, & ibi commorari. Britanniæ regis Eduardi sexti legatus tunc erat Richardus Morisinus, cuius est inter homines doctos nomen illustre: Venetæ autẽ reipublicæ Marcus Antonius Amulius, uir & eleganter ipse literis excultus, & ingeniorũ fautor eximius. Paucis ijs diebus quibus ad urbẽ Cęsar substitit, nemo credat, quantum damni dederint milites in agris, & admodum erat triste spectaculum, uidere miseros agricolas, eorúmque liberos atque coniuges in urbem accurrentes, rebus omnibus dispoliatos. Delata quidẽ res fuit ad ducem Albanum, à senatu: & quanquàm is dolere sibi magnopere diceret, & curaturum, ne quid eiusmodi fieret in posterum, tamen nihil profici potuit, & quacúnque irent, more suo diripiebant omnia. Summæ totius belli præfectus erat Albanus, & cuiusq; modi querimonię deferebantur ad ipsum, neque Cæsaris conueniendi potestas ulli fiebat, qui eius generis aliquid dicturus putabatur. Galli interim, ductore Guisio, Metim & Nanceium inprimis muniunt, frumentum etiam omne atque pabulum ex agris eò conuehunt. Militabant Cæsari Ioannes Marchio Brandeburgicus, Alfonsus Holsatię dux, Daniæ regis frater, Philibertus Sabaudiæ ducis filius. proscripti, quos antè diximus, repudiata pacis conditione, manserunt in Gallijs. Lotharingiæ domina uidua, finibus expulsa, Cæsarem auunculum ad Argentoratum conuenit, in Belgium deinde profecta. Mensis Octobris die decimo septimo, Caspar Hedio, præcipuus tunc Argentinensis ecclesiæ minister, mortem obit. Eodẽ quoque die, Conigspergij, quod est Prussiæ oppidum maritimum, è uita decedit Andreas Osiander. Cæsar Haganoa Landauium petit, & ibi supra dies sexdecim cõmoratus, pulcherrimo cœlo, non sine multorum admiratione, tandem iter ingreditur

greditur Metense, & ad uigesimum secundum diem Octobris urbem obsidet. plærique ciues ac senatores, permissu Gallorũ, discedũt, alij in Lotharingiam, alij uerò Argentoratum. Erat tum in Lotharingię finibus, ad oppidum Pontamossum, Albertus Brandeburgicus, cum quinquaginta signis peditũ, & equitatu non paruo: cúncq; de stipendijs tàm præteriti quàm futuri temporis inter ipsum Galliæq; regem nõ conueniret, interuentu quorundam recõciliatur Cæsari, qui & culpam omnẽ ei condonat, & actionẽ in eum institui belli causa, uetat, & transactionẽ cum episcopo Bambergensi factã atq; Vuirciburgensi, confirmat, & militiam Vngaricam ei remittit, in eiúsque gratiam ignoscit Oetingensi Comiti, patri atq; filio, de quorum fortuna dictum est suprà: item Alberto Mansfeldio filijsq;. Eo cognito, Guisij principis frater Aumalius, qui magno cum equitatu missus erat in Lotharingiã, à rege, ne quid Albertus, de quo dubitabant, damni daret, statuit eum adoriri. Iam enim occultis cõsilijs Galli detraxerant ei legionẽ unam peditũ, cui præerat Rifebergus: nam is ad regem transijt: deinde, reliquum etiam exercitum solicitabant, & ipsorùm consilij erat, ut denudatum ac destitutum à suis, ob difficultatem rei nummariæ, cum ignominia profligarent. Habebat Aumalius in consilio Ioannem Fraxineum, episcopum Baionensem: cùm & huius accederet cohortatio, totis uiribus in illum inuehitur. pedites pugnam detrectabant ob non soluta stipendia: salus ergò tota pendebat ab equitatu, quos amicè compellans Albertus, & ad uirtutem cohortatus, impetum in eos facit. probabat hominis cõsilium fortuna: perrumpens enim per mediam aciem, disijcit illos & in fugam dat præcipites, tametsi numero longè superarent, plurimis, & quidem ex nobilitate, interfectis: Fraxineus fuga dilapsus fuit: Aumalius, tribus acceptis uulneribus, capitur. fuit hoc die quarta Nouembris. Ea parta uictoria, uenit ante Metim Albertus cum Aumalio captiuo, castráq; ponit ad Mosellam flumen, ac deinde curatum ex uulnere captiuum, in Germaniam mittit custodiendum. Erat ei legatus, ut protestantium quoque bello, Georgius, ex illustri Lichtebergensium familia. Bambergico pòst nunciat de confirmatis à Cæsare pactis, & monet, ut fidem seruet, & oppida sibi restituat: suis etiam præfectis, nisi morem ille gerat, ut armis recuperent, mandat. Hoc ipso tempore Cæsaris exercitus Belgicus populatur Galliam, & arcem ijs locis munitissimam, Hesdinum, capit, quam aliquod post tempus Galliæ rex deinde recupe-

rat, & missis in Germaniã literis acerbè Cæsarẽ perstringit, & ut secum amicitiã colant, accepti beneficij memores, ac restitutę suæ nimirùm operæ libertatis, hortatur. His ferè diebus, Camerę iudices, de quorum fuga diximus antè, Spiram redeunt. Cæsar, qui Dedehouij cõmoratus adhuc erat, quod est ad Mosellam, oppidũ, quatuor infra Metim milliaribus, xx Nouembris die uenit in castra. Tunc inprimis ualidè fuit urbs concussa tormentis, quorũ tanta uis erat, ut non Argentorati solùm, sed trans Rhenũ etiam ad milliaria quatuor exaudiretur fragor atq; tonitru. abest autẽ Argentoratum à Meti, milliaribus magnis duodeuiginti. Mauricius, quem in Vngariam iuisse cum exercitu diximus, pro Ferdinando rege, sub hoc tempus domũ reuertit. Faciebat tunc bellũ Henrico Brunsuicensi, Volratus Mansfeldius, Alberti filius, eúmq; totis propè finibus eiecit. Henricus ergò Metim in castra uenit ad Cæsarẽ, dèq; sua fortuna conquestus, opem implorat, sed id fuit alieno tempore. Mansfeldius, Marchionis Alberti militabat auspicijs, cùm is Gallicarũ adhuc esset partiũ. Dum Metim Cæsar obsidet, Vuolfgangus, equitũ ordinis Germanici magister, Eluangum oppidũ capit. Est ibi præfectura ualde locuples, ecclesiastica, quam ille multis iam mensibus ambiebat. qui sunt eius collegij potestatẽ habent eligendi pręfecti: uulgò prępositum uocant. cùm ergò quendã elegissent, genere nobilẽ, ille, qui se præteritũ esse doleret, ex improuiso locũ occupat. Eo cognito, princeps Vuirtembergicus, quẽ eius collegij sodales, ut sui iuris defensorem implororabant, ilicò suos conscribit, & brumæ tempore profectus, facili momento recuperat, & illi præterea unũ & alterum oppidũ eripit, donec sumptus in militẽ factus resarciatur. Galli, circumsessi, crebras faciunt eruptiones, præsertim in Alberti castra, & inter alios grauiter uulneratus fuit is, quem dixi, Lichtebergus. Erat autẽ hyems asperrima & niuosa: & quanquàm ingentem habebat exercitum Cæsar, ab oppugnatione tamen abstinuit, & cuniculis demùm rem tentabat: sed id frustrà fuit, cùm et anni tempus impediret, et hostis per indicium id accepisset. Defendebant urbẽ lectissimi duces, illustribus nati familijs: rei uerò summæ præerat Guisius. Quum Alberti Marchionis pręfecti, copias conducerent illius mandatu, Bambergicus apud Cameram ea de re quęstus, Decembris die uigesimo nono literas obtinet, quibus mandatur Albertinis, ut ab armis abstineant. Vlmenses, arcẽ Helfestęnũ, quã recuperauerãt, deiecto pręsidio, quod Albertus ibi reliquerat, demoliuntur totam. Hyemis

intemperie

intemperie Cæsar coactus, re desperata, sub exitum Decembris obsidionem soluit, & Dedehouium profectus, ac inde reuersus in Belgiũ, legiones aliquot in Treuiris hyemare iubet. in his etiam fuit Albertus. Ex contagione autem atque frigore desiderata fuit propè tertia pars exercitus. Galli, uigesimo secundo Ianuarij die supplica- M. D. LIII.
tiones Meti faciunt ad templa diuorũ, ob rem bene gestam. postridie conquiruntur libri Lutherani per ciuium domos, & à carnifice palàm exuruntur: Guisius deinde, relicto ibi legato, redit in Galliã. Hoc ipso mense, Bambergico multa rursus eripiunt Albertini præfecti: & quũ obsidione soluta Metensi, Albertus aliquándiu in Treuiris hyemasset, ac persolutis à Cæsare stipendijs, Februario mense Germaniam peteret, Bambergensis episcopus, Februarij die decimo septimo nouas iterum literas obtinet à Camera, quarum unis idem denuò mandatur, quod prius: alteris autem iniungitur nobilitati per Franconiam, & Noribergicis, item Palatino principi, Ioanni Friderico Saxoni, tanquàm finitimis, ut opem ei ferant.

Ad exitum Februarij mensis, Galliæ rex, cui iam creuerat animus ob defensam Metim, scriptum euulgat, typis excusum, ad Imperij ordines omneis, aculeatum inprimis, & infestum Cæsari. Nam & in odium conatur illum & contemptum etiam adducere. non esse uidelicet metuendum amplius, cuius iam sit fracta potentia, & detectę multorum annorum technæ, qui ualetudine sit tàm afflicta tánque perdita, uix ut animam trahat: se quidem eodem semper in ipsos animo futurum, hoc est, amico & liberali: & licet nonnulli magnis ab se beneficijs affecti, non admodum grati fuerint, non tamen idcircò discessurum à reliquorum amicitia. Vbi de Cameræ mandatis Albertus accepit, crebras dat literas ad Atrebatensem, ad Albanum, ad Cęsarem ipsum, & quid episcopi moliantur, quomodò pacta uiolent, ostendit, & quia transactionem cum illis factam sibi confirmarit, pœnam eis denunciari petit, nisi pareant. deinde Spiram misso ad Cameram internuncio, non modò pacta, sed Cæsaris quoque mandatum ab episcopis uiolari docet: itáque petit, ne litem ullam sibi moueant, & literas ab aduersarijs impetratas, aboleant. Adhæc illi, sui esse muneris, ut ius cuique dicant: id etiam episcopis non se potuisse denegare petentibus. Ipse contrà, post multam refutationem, idẽ quod antea, petit. nam alioqui, si damnum sibi detur, fore, ut cur ab ipsis illud sibi præstari postulet atque sarciri, causam habeat. Ad Alberti literas, Martij die decimo tertio Cæsar rescribit. pactionem il-

iam ab se confirmatã esse, neque negare: stipendia quoque se liberaliter ipsi persoluisse, magno sanè cum suo dispendio, quum reliquis nihil daretur: pergratum uerò sibi futurum, si quidem episcopi nihil amplius mouissent, eóque nomine se misisse legatum ad ipsos qui persuaderet: cùm autem illi recusarint, & ad se, principes item electores atque Cameram prouocarint, uidere ipsum, quàm non possit hoc eis denegari, præsertim, cùm ordines nonnulli suspitionem de se conceperint, & uarios iactent rumores: etenim, si nunc ipsius precibus acquiescat, & illos pacta seruare iubeat, fore, ut & iniquè facere dicatur, & suspitiones illas augeat: sui nimirùm esse muneris, ut ius æquabiliter omnibus administret, & uim fieri prohibeat: unicam igitur hanc esse rationem, ut amicè res componatur, neque se dubitare, quin ipsemet, si rem totam prudenter secum expendat, hanc uiam sit ingressurus: ut autem facilius, & maiori cum fructu res peragatur, daturum se negocium ipsius cognatis, Bauariæ principi & Vuirtembergico, ut intercedant: episcopos quidẽ, datis ad se crebris literis, grauiter esse conquestos, uerúntamen cõfidere se non esse repudiaturos actionẽ: eius, quod est inter Henricum Brunsuicensem eiúsque nobilitatem, dissidij componendi negocium Ioanni Marchioni Brandeburgico se demandasse: Bauarum etiam & Vuirtembergicum ducem constituisse, ut inter Oetingenses Comites, patrẽ atque filios, transigant. Hoc ferè tempore & dilapsus fuit exercitus Mansfeldicus: & Ioannis Friderici atque Mauricij principis legati conueniunt, ut ipsos concilient. nam ille suis in literis atque moneta, quam cuderet, electoris nomen & gladios binos transuersos, quod est electoratus insigne, sibi usurpabat, & Gotham arcem, permittente Cæsare, rursus muniebat. Id autem grauiter tulit Mauricius, & ad suos ordines de eo querimoniam habuit: horum erat omnium sententia, rationes ineundas esse pacis: itáque missi fuerunt legati, sicut diximus, uerùm frustrà. Per hos etiam dies, episcopus Metensis Robertus, cardinalis Lenoncurtus, Gallię regi deditissimus, Metim uenit, & iurisdictionem omnem sibi uendicat, & ad se pertinere dicit, qui sit Imperij princeps, & nouum instituit senatum, in eúmque nonnullos adoptat ordinis ecclesiastici, & Marsæum oppidulũ, ad Germaniæ fines positum, opere & Gallorum præsidijs munit. Huius iam antea fuerant interceptæ literæ, quibus à rege petebat, ut sibi iurisdictionem permitteret, quam sui maiores habuissent episcopi: nam sui esse propositi, nouum constituere

tuere senatũ, nec ullum recipere, qui non sit ipsi totus addictus: alioqui futurum, ut qui sunt partium Cæsaris, ibi remaneant, alij uerò, discedant, quod quidem ipsius maximo sit futurum incommodo: nisi enim suspecti remoueantur omnes, nõ esse quòd tranquillã eius urbis possessionem sibi promittat: cupere autem suum studium atq; uoluntatem ipsi probare: nam ideò cumprimis in hęc loca sese commigrasse, & episcopatum hunc suscepisse, ut illustrem aliquam operam ei posset & officium præstare. Erat tum Albertus Hedelbergæ cum electore Palatino, & literas illinc ad Cameræ iudices miserat, de quibus dictũ est. Hedelbergam tunc quoq; uenerunt Bauarus, Vuirtembergicus, mandatu Cęsaris, pacificandi causa: uenit etiam dux Cliuensis. Re diu disceptata, quum episcopi magnam pecuniæ uim offerrent, Bambergicus inprimis, ut oppida sibi relinquerentur pacata, probarent etiam hanc conditionem intercessores: Albertus, qui pacta sibi seruari uellet, quæ Cæsar etiam confirmasset, quum hoc ipso tempore per suos in Saxonia cogeret equitatum, & iam de quorundam auxilijs compertum haberet, infecta re discedit, offensus intercessoribus, & mox ad arma sese conuertit, ac edito scripto Martij die uigesimo septimo, rem omnem ordine commemorat, déq; aduersarijs, ob uiolatam fidẽ, grauissimè queritur, & argumentum illud refutat, quo dicebant episcopi, non sibi licere quicquam de bonis ecclesiasticis alienare, & necessariò sibi suum ius armis defendendum esse docet. Vuirciburgicus aderat ipse, Bambergensis miserat legatos. Quæ Vuirtembergico duci lis erat & simultas cum ordinis Germanici magistro, principum intercessione composita fuit. quum hic, ut oppida recuperaret, aureorum millia triginta dependeret. Ad secundum Aprilis diem, qui tum erat Paschæ dies, Mauricius quoque uenit Hedelbergam ad principes, usus magna celeritate. triduò pòst, domum recurrit. Hi, quos diximus, principes intercessores, ut ab iniuria sese defenderent, fœdus faciunt, in eóque sunt etiam Moguntinus & Treuericus. Quum reiectis conditionibus Hedelberga profectus Albertus cogeret exercitum, Bambergicus & Vuirciburgensis alteras obtinent à Camera literas. ijs & Moguntino & Palatino & Mauricio, & Prussię magistro, & Ioanni Friderico & Vuirtembergico & Lantgrauio et Noribergicis atque uicinis omnibus mandatur, ut opem illis ferant. fuit hoc Maij die secunda. Mauricius, qui alioqui suspectum

haberet Albertum, et hoc bello se quoque crederet obliquè peti, mu niendi sui causa, fœdus cum Brunsuicensi facit, & episcopis atq; Noribergicis opē promittit. Interim Albertus, cōductis copijs progreditur, & per episcoporum atq; Noribergensium fines omnia uastat incendijs atque direptionibus, & Bambergam, oppidum regionis primarium capit, & nobilitati Franconicæ bellum indicit, nisi morem ipsi gerant, et Schuinfurtum, Imperij oppidum occupat, præsidioque munit. Noribergici, quoniam oppida quædam & castella tenent beneficio regni Bohemiæ, Ferdinandum regem orauerant, ut ad ea loca tuenda liceret ipsis equitatum cogere per eius fines: annuit rex, & ut ad quingentos cōscriberent, permittit: hos uerò proficiscentes Albertus intercipit, & simul ex ijs, quæ diximus, castellis ac oppidis quædam occupat. E` diuerso, Henricus Brunsuicensis, qui magnam exercitus Mansfeldici partem ad se traduxerat, per Philippum filium uicinis bellum infert, grassatus per episcopi Monasterienſis, Mindensis, Erici principis agnati sui, & Bremensium fines, ab ijsq; uim pecuniæ permagnam extorquet. Per hosce dies, controuersia, quæ principi Cliuensi erat cum archiepiscopo Colonensi, iurisdictionis causa, Palatini principis atque Treuirēsis interuentu, qui Bacheraci conuenerant, sedata fuit. Paulò pòst, ad initium Iunij mensis, Palatinus, Moguntinus, Bauariæ ducis atque Vuirtembergensis legati, mandatu Cæsaris, Francofurti conueniunt, belli Franconici causa. Legatos ibi Cæsar habebat, Ludouicum Comitem Conigstenum, Renardum Solmensem, Henricum Hasium: aderant etiam Ferdinandi regis nonnulli. cúnque Cæsaris abolitionem episcopi urgerent, Albertus uerò confirmationem, electores monent legatos Cæsaris, ut hæc ei perscribant, quò renunciet, utrum ualere uelit. Cæsar decimo septimo die Iunij respondet. Quum anno superiori de Alberti & episcoporum audisset transactione, rogatu quorundā rescidisse illam, & episcopis mandasse, ne seruarent, propterea quòd esset mali res exempli, cogere aliquem imperata facere, propter officium sibi præstitum & Imperio: sed cùm Albertus deinde secum non aliter paciſci uellet, nisi pactiones illæ iuberentur esse firmæ, se, maioris incommodi uitandi causa, quod toti Germaniæ tùm immineбat, obsecundasse tempori, &, quòd expeditum ille haberet exercitum, Mansfeldius etiam, illius auspicio, per Saxoniam nouas manus cogeret, & ipse bello Gallico impeditus, non posset eum cohercere, nec esset in Germania, qui uel diem unum potuisset eius impetū

sustinere,

ſuſtinere, feciſſe cum illo pacem, ea fiducia nimirùm, ut eum poſtea placaret, præſertim, ſi cognati principes intercederent: & ſanè, ſi fœlicem euentum ſibi Deus ante Metim dediſſet, paratas fuiſſe rationes, quibus illi ſatisfactum eſſet: nam egregiam ſibi nauaſſe operã eo bello, ſic, ut ei gratificari cupiat: poſtea uerò, quàm nõ ſucceſſit obſidio, per ipſos Hedelbergæ tentaſſe concordiam; quòd autem conditiones ibi propoſitas ille repudiarit, et rurſus arma ſumpſerit, perquàm ſibi fuiſſe moleſtum, & idcircò Francofurti hunc alterum indixiſſe conuentum: nunc autem ad ſe deferri, non epiſcopis modò, ſed alijs etiam ab ipſo bellum inferri: quod & uehementer ſibi doleat, & contra pactiones etiam fiat: nam illum, quo tempore fuit in gratiam receptus, & ſibi fidelem operam in poſterum & Imperio promiſiſſe: quòd ſi uel nunc ſaltem obtemperaret, depoſiturum ſe præteritorum memoriam: quòd autem in ſuſpitionem apud quoſdam ipſe uenerit, iniquè fieri: totis ergò uiribus in pacificationem incumbant, nec ampliorem ab ſe declarationem requirant: id ſibi fore gratiſſimum, & in rebus ad Imperium pertinentibus nihil ſe deinceps, niſi de ipſorum conſilio facturum. Francofurto demùm infecta re diſceſſum fuit. His ipſis ferè diebus, Laugingæ, iuſſu Cæſaris, conueniunt Bauarus & Vuirtembergicus unà cum alijs, ut Oetingenſes Comites, parentem atque filios pacarent. Nam inde à bello Smalcaldico, Ludouicus pater, & filius eiuſdem nominis, ad obſidionem uſque Metenſem, incertis uagabantur ſedibus, quòd contra Cæſarem militaſſent. poſſeſſiones autẽ omneis tenebant permiſſu Cęſaris, Fridericus atque Vuolfgangus filij, diuerſæ religionis ab illo. Quum ad actionem uentum eſſet, pater, ſummæ ingratitudinis illos accuſat: & licet diligenter elaborarent principes, nihil tamen potuit conſtitui.

IOANNIS SLEIDANI COMMENTARIORVM, DE STATV RELIGIONIS ET REIPUBLICÆ, *Carolo Quinto, Cæsare,*

Liber XXV.

VT HIS TVRBIS ATQVE MOTIBVS GERMANIAE, remedium aliquod adhiberetur, Imperij conuentum Cæsar, Maio mense indicit ad idus Augusti: & quum inde ab exitu mensis Aprilis, Terouennam obsedisset, Morinorum oppidum, Gallicæ ditionis, uigesimo Iunij die, oppugnatione capit, diripit, incendit, diruit. Captus in eo fuit Connestablij filius. Angli, missa legatione splendida, pacem aliquot iam mẽsibus solicitabant: idem faciebat pontifex, uerùm id frustrà fuit. Maio mense, dux Northumbriæ, Ioannes, qui post mortẽ protectoris, auunculi regis, primum locum obtinebat, ut suprà diximus, è filijs unum dat in matrimoniũ Ioannæ Suffolcię, quę proneptis erat Henrici regis, è sorore. Grauiter tum rex Eduardus ægrotabat. Bellũ gerebatur etiã tunc in Pedemontio & Hetruria. Cæsar enim cogitabat recuperare Senas, Neapoli missis eò copijs, ductore prorege, Petro Toletano: cùm autem is mortem obijsset, & Turcica classis, cui se coniunxerat princeps Salernitanus, è Gallia profectus, mare Ionium & Tirrhenum nauigaret, domum redijt miles, ut uicinum atque domesticum periculum depellerent. Belligerante per Franconiam Alberto, Mauricius atque socij exercitum eò mittunt. Albertus igitur, relicto Schuinfurti & alijs in locis præsidio, quum passim extorsisset pecuniã, multis è Noribergica ditione simul & Bamberga secum abductis captiuis obsidibus, in Saxoniam magna celeritate contendit. Cùm Arnstetum uenisset, aderant Saxoniæ ducis Ioannis Friderici legati, orantes, ne ipsorũ finibus damnũ daret: promisit liberaliter & seruauit. pòst in Erfurdensiũ agrum progressus, uicos ibi complures diripuit. Eius aduentu tam repentino commotus Mauricius, qui copias in Franconiam miserat, uti diximus, nobilitatem omnẽ, pòst etiã reliquos ordines ad arma uocat, & quas potest manus conducit: Albertus autem per illius fines absque maleficio profectus, quum Halberstatum ueniisset, portas occupat, & ecclesiasticis ibi magnam pecuniæ uim imperat, pòst, Henrici Brunsuicensis agrum incendijs

cendijs deuastat, adiutus ab Erico & nobilitate Brunsuicensi. Copię Henrici Brunsuigij, quas in Franconiã esse profectas antè diximus, ductore Philippo filio, quum Schuinfurtũ frustrà tentassent, ac domi periculum esse uiderent, Saxoniam repetunt: idem faciunt Mauriciani, quibus præerat Hedeccus, & prope Northusium Mauricio sese coniungunt. Et quoniam Albertus in agrum Mindensem deflexerat, Mauricius, quòd putaret illum per Hessiam iturum, & in Franconiam denuò facturum esse impetum, Northusio petit Embecum, ut illi præuerteret. Tandem omnibus cõiunctis copijs, in agro Hildessemensi castra ponit, ad Osterodum, & calendis Iulij, non ipse modò, sed & Bohemię cancellarius, Hẽricus Plauius, Ferdinandi regis nomine bellum ei denunciant, ac missis literis, De communi principum & ordinum consilio, superioribus annis, inquiunt, Cæsar, pacem per Imperium sanciuit, & quam quisque haberet actionem, ut eam legibus prosequatur, neque uim ullam intentet, mandauit: & certè Germaniæ status, per annos iam aliquot uehementer afflictus bello ciuili, pacem & ocium inprimis flagitat. Itaq; , cùm nuper intra fines Imperij natum esset bellum, rex Ferdinandus, adiuuantibus alijs, id operam dedit & elaborauit, ut discederetur ab armis, in eóq; consentientes tandem habuit principes, belli duces, ac demum, permissu Cęsaris, pacem constituit. qua cautum est inter alia, nõ solùm, ut nihil contrà fiat, sed ut ijs etiam, qui periclitantur, auxilia submini strentur. Eam uerò tu non modò recusasti, uerumetiam ad prȩcipui nominis principes aliquot ausus es apertè scribere, ad Germaniæ summum dedecus atq; detrimentum illam pertinere, ac proditionẽ potius appellandã esse. quibus nimirùm uerbis, quo sis in communẽ patriam animo, satis declaras. Post deuastatã deinde direptionibus & incendijs oram Rhenanã, cùm in Gallia tibi res non succederet, et instructũ Cæsar haberet exercitum, per intercessionẽ ei fuisti reconciliatus, eò uidelicet spectans, ut Bambergensis & Vuirciburgica transactio tibi cõfirmaretur. Sed ista Cæsaris approbatione, qui uim nullam tibi permisit, statim abusus, utrunque præsulem, grauissimis cõminationibus, per tuos homines non semel territasti, fore dictitans, ut eos, per copias Mansfeldicas & Oldeburgicas, ad seruanda pacta cogeres, quemadmodum literis tuorũ doceri potest. Hoc etiã ut efficeres, militem illum, quem, obsidione soluta Metensi dimisseras, ad te sub calendas Aprileis redire iussisti. Et quanquàm illi Cæsaris & Ferdinandi regis & principum arbitrio, uel Cameræ iudicio

legibúſque cõtrouerſiam permitterent, & Hedelbergæ potiſſimùm eiuſmodi deferrent conditiones, ut non interceſſores modò principes, uerumetiam Cæſar eas per epiſtolam probaret: tu tamen ijs omnibus repudiatis, in illorum prouincias impetum feciſti, & locis nonnullis occupatis, ne fœminis quidem ex nobilitate pepercisti, direptionibúſque graſſatus & exactionibus pecuniæ, non ipſorum modò, ſed & Noribergenſiũ, qui & publica Imperij lege & nuper inito fœdere opem illis ferebant, complures arces, oppida, uicos, nec ædificia tantùm, ſed in ijs etiã homines alicubi crudeliter incendiſti. pòſt, ex diuerſis locis, oppidanos atq; ciues, iam ætate graues, uelut obſides imperatæ pecuniæ, quum ea perſolui nõ poſſet, tecum in inferiorem uſq; Saxoniã abſtractos, inhumaniter & tyrannicè, quancunque in partẽ haberes iter, circumduxiſti. Nobilitati quoq; Franconicæ bellum nullo iure denunciaſti, & oppidum Imperij Schuinfurtum occupaſti, præſidióq; uinxiſti. quibus profectò rebus maximam ubique perturbationẽ & terrorem excitaſti, ac planè nouũ & inauditum in Germania ſtatuiſti exemplum. Adhæc, ne à Ferdinando quidẽ Romanorum rege temperaſti: ac licet clientela ſis ei deuinctus & hæreditario fœdere, tamen ſingulari quadã temeritate nõ ſolùm in Bohemiæ fines excurriſti, uerumetiam eius regni poſſeſſiones, Noribergenſibus olim pacto conceſſas, grauiter adflixiſti, multos etiam eius ditionis homines, & lautos quidem, partim trucidaſti, partim in extremam perduxiſti pauperiem, & eas cohortes, quas ad ſuorũ finium defenſionem, non ad ullius iniuriam, rex Noribergenſibus permiſerat, uti colligerent, inuadens, in tuam redegiſti poteſtatem, & ſpoliatos armis domum redire compuliſti. Præterea perduelles aliquot, & ob rebellionẽ proſcriptos à rege, foues, & uerba quoque iactas, uti fertur, in regẽ atq; Bohemos plena minarũ. cuius tamen rei cauſam tibi rex nullam dedit, imò tua commoda ſemper, quibus potuit rationibus promouit: & licet ante annum ipſius fines hoſtiliter attigiſti, tamen non te latet, quàm amicè tunc tibi ſcripſerit, ut & admiſſum corrigeres, ac in poſterũ caueres. Iam, ad me quod attinet, ait Mauricius, etſi per omnem uitã offenſionis tibi cauſam dedi nullam, imò beneficia potius in te multa contuli, tamen, anno ſuperiori, quum facta pace, Francofurto diſcedẽs, reipublicæ, & Ferdinandi regis cauſa priuatim, copias in Vngariam deducerẽ aduerſus Turcam, meminiſſe potes, & quibus rationibus mihi tum ſis conatus detrahere militem, et quàm in me contu-

melioſa uerba tuos ad milites ac paſſim apud alios effuderis, quando de concordia Paſſauienſi locutus, Germanię proditionẽ appellabas, me uidelicet, ac neceſſarium meum, Henricum Plauium deſignans. non me latet etiam, quid hyeme ſuperiori, quum eſſem in Vngaria, meam in perniciem, meæq; ditionis tentatum ſit apud exercitum Mansfeldicum, qui tum erat in agro Brunſuicenſi. Reconciliatus uerò Cæſari, cuiuſmodi uoces, & quàm non ſolùm aculeatas atq; probroſas, uerumetiam minaces in me meámque prouinciam, nõ ſemel, per obſidionem Metenſem, emiſeris, norunt, qui tunc in eiſdem fuere caſtris. cúnque ſoluta tandem obſidione domum rediſſes, per literas rogatus à me, ſuper ea re, déq; animo erga me tuo, ſuperbè renunciabas, quicquid de me dixiſſes aut alijs, neque te latére, nec etiã inficiari: ſed ad alterũ ità reſponſum abs te fuit, ut certi nihil ſtatuere poſſem. Hedelberga quidem pòſt ad me ſcribens, & prius illud poſtulatum meum diſſimulans, de magnatibus quædam adferebas, eo fortaſſe conſilio, ut ſuſpitionem mihi de illis cõmoueres, ac diffidentiam excitares: ego autẽ, cùm illa non admodũ morarer, & literis & internuncijs, ut pacem coleres, hortator & cõſiliarius tibi fui, ſimul, quid abs te mihi eſſet expectandum, ſcire cupiebam. Tu uerò, datis deinde literis ad electorem Brandeburgicum, etſi de me quædam ſatis moderatè, tamen, quo loco de pacificatione Paſſauienſi loqueris, quomodò eſſes animatus erga me, non obſcurè ſignificabas, neque multò pòſt etiã declaraſti. Nam in poſtremis tuis epiſtolis aliquot, ut meas copias, quæ per Franconiam erant in confœderatorum caſtris, reuocarẽ, petebas, ideò nimirùm, ut, niſi facerem, aduerſum me cauſam haberes armorũ. deindè paulò pòſt, per meos & fratris Auguſti fines, exercitum traduxiſti, cùm nihil antea nobis denunciaſſes, planè contrà uetuſtum atque receptum Germanię morem. Iactas tu quidem, ſine maleficio te profectum eſſe: uerùm longè ſecus ad me defertur à meis: & ut ità ſit, tamen non tàm iſtud uoluntati tuæ quàm neceſſitati tribuo. Conſtat enim, quàm properanter ieris, & quàm fuerint defeſſi milites: neq; te latebat, quàm eſſet mihi non difficile, ſi uim feciſſes, & tibi tuiſq; copijs ex itinere defatigatis atque languidis, reſiſtere, et eos, qui per Franconiã tunc erãt, reuocare. ſed tui conſilij nimirùm erat, impetum in me redeundo facere, neque tui milites hoc diſſimularunt. Adhæc, iter faciens per Turingiam, ciuitatis Erfurdenſis, quæ noſtra tutela continetur, uicos aliquot diripuiſti. quod & ipſe tuis ad me literis, Brunſuico datis, non negas. In

fratris quoq; mei finibus tui milites trucidarunt nonnullos, & prope Bichlingum, duos ex nobilitate, cùm ad me proclamassent, uerberibus mulctatos in uincula coniecerunt. His tamen rebus omnibus nondum adduci poteram, ut arma sumerem: sed per literas idem ferè quod antea, petebam, & hortatus ad pacem, de qua Francofurti per intercessionem tunc agendum erat, animum erga me socios que tuum perconctabar. Quàm autem amarè mihi responderis atque stomachosè, doceri potest epistola tua. nam nec animum tuum declarare uolebas, & actionem Francofurtensem, uti suspectam, incusabas. itáque nihil aliud inde colligere potui, quàm te constituisse & bellum urgere Franconicum, & per occasionem ne mihi quidem atque socijs uelle parcere. quod ipsum etiam Erfurdẽsibus denunciasti, & continuò pòst in alijs ostendisti. nam & episcopatui Halberstatensi, cuius est à Cæsare mihi demandata tutela, sicut nosti, præter alia multa detrimenta, magnam imperasti pecuniæ uim, & illorum collegia, quæ sunt per agros, diripuisti nihilo minus: idẽ feciſti per archiepiscopatum Magdeburgicum, qui & ipse meo patrocinio nititur, & à Northusijs exegisti pecuniam atque Mullusijs. Henricum uerò Brunsuicensem, quicum habeo fœdus, honestum quidẽ illud, et actioni Passauiensi minimè repugnans, ferro persecutus es et igni, simul atq; de fœdere tibi per literas, déq; reliquis socijs nunciassem. hæc sanè tuis aliquot epistolis, ad me datis antea, minimè respondent. Nunc ergò, licet Ferdinandus rex, ego, socijq;, pacẽ, inprimis uerò Germaniæ, uehementer optamus, & inde post transactionem Passauiensem id operam damus, ut tranquilla sint omnia, præsertim his locis: quod etiam ex nobilitate Brunsuicensi complures, qui nũc tua castra sequuntur, testificari possunt, tamen, quia bellum in hanc regionem transtulisti, nec occultè demonstras, cùm socios nostros inuadis, quid tui sit propositi: deinde, quia rumor est, te multò conducere maiores copias, licet alieno nomine, quas alere profectò nõ possis, nisi direptionem, prædam & omnem licentiam eis permittas, ità quidem, ut non Franconiæ tantùm, sed alijs etiam prouincijs indubitatum abs te periculum immineat, quod & ipse non dissimulas, dum effecturum te prædicas, ne sit aliorum potior, quàm tua, conditio: his inquam de causis, & quia concordiæ nullum locum relinquis, Ferdinandus rex, ego, socijq;, cùm simus incendio planè uicini, cogimur ad propulsandam à nobis uim & iniuriam, arma sumere, quò communem patriam liberemus & ocium publicum

recupe-

recuperemus. Nam hoc nobis & Imperij leges non modò permittunt sed iniungunt etiam, & Cameræ summum iudicium, ut Franconicis finitimis opem feramus, mandat. Et quanquàm hoc tempore, dum copias conscribis, nomen Cæsaris obducis, certò tamen scimus illud esse fictum atque simulatum. nam ille, quid suæ sit uoluntatis, non tibi modò, sed & nobis & alijs ostendit, & breui, quid sentiat, cognosces amplius. Porrò, cùm hoc nostrum institutū pro republica suscipiatur, & idcircò nihil opus erat aliqua significatione nostræ uoluntatis, tamen, ne sis nescius, profitemur ambo, facturos nos in posterū, quod res ipsa postulabit, ut hæc tua tàm effrenis & plus quàm tyrannica reprimatur crudelitas. hoc adeò tàm nostro quàm sociorum nomine tibi tuisque denunciatum uolumus, & omnis calamitatis, quæ per hoc bellum orietur, culpam, in te, qui nullam ad æquam conditionem accedis, transferendam esse, testificamur: neque dubitamus etiam, quin illis, qui patriæ salutem quærunt, potius, quam ei, qui pro sua libidine grassatur, & patriæ bellū infert, sit adfuturus Deus immortalis. Quum hæc epistola redderetur, erant in Alberti castris, electoris Brandeburgensis legati, de pace missi. perlectis literis, ipse rem cum suis communicat, & an secum uelint periclitari fortunam, rogat: confirmantibus illis, adolescentem nobilem, qui literas attulerat, accersit, & ad eum sermone conuerso, princeps, ait, tuus, iam antè fidem ter uiolauit, & scelerate egit, & hoc quartum est facinus eiusdem generis: ueniat: experiar quid possit: hoc illi meo nomine renuncia. Sic locutus, aureos aliquot ei dono dat, uti fieri consueuit, & dimittit. Ibi legati intercessores, nihil igitur nos, inquiunt, agimus? nihil, ait ille, & domum reuerti licet. Cùm ergò belli grauitatem uideret, Ericum Brunsuicensem, tertia die Iulij mittit ad Cæsarem, eique nunciat, astu quorundam multos in se concitatos aduersarios, qui hoc agant, ut non solùm non seruentur sibi pacta, sed ut totis etiam finibus, & omni possessione pellatur: quòd si consilium ipsorum fortuna comprobet, non dubium esse, quin futuri sint Gallicani: iam enim illis oblatas esse magnas conditiones, nouæ coniurationis causa, idque se posse demonstrare: quosdam etiam electores, ac primi nominis principes, conspirasse iam de nouo creando Cæsare: quòd autem episcopi sic aduersum se moliantur, in causa esse Camerales: orare igitur, ne molestè ferat, si quid in ipsos tentabit: aduersarios etiam, ut inuidiam sibi conflent, & in societatem belli plures pertrahant,

hunc de se dissemināsse rumorem, quasi cum ipso coniurarit ad opprimendam Germaniæ libertatem: hoc adeò sibi quosdam principes obiecisse, & per Germaniam spargi literas, tanquàm ab Atrebatensi datas, ideò se uidelicet conducere copias, ut ipsius exequatur uoluntatem: futurum enim, ut eius filium, Hispaniarum principem, dux Albanus in Germaniam adducat ad proxima comitia, quò designetur Imperij successor: hoc nimirùm ità esse Ferdinando regi persuasum, ut etiam inito fœdere cum suis hostibus, bellum sibi denunciarit: se quidem hoc ad multos excusasse diligenter, uerùm suspitionem illam indies augeri: magnis itáque se periculis atque difficultatibus obiectum esse, propè solum, eò quòd ab ipsius amicitia non discedat: orare igitur maiorem in modum, ut & pactiones illas uelit esse ratas episcoporum, & se suósque defendat: id si faciat, adductu-rum se ipsi, quum de eo conuenerit, ad nouem equitum millia, peditum uerò signa circiter centum. Noribergenses interim & episcopi, per absentiam Alberti, in ditionem eius inuadunt. Ille, diuulgatis literis, acerbè criminatus erat Noribergicos, quasi fidem atque pacta uiolassent, & inito fœdere cum perfidiosis episcopis, pontificiam doctrinā rursus amplecterentur. Ad hæc illi pòst, edito libro respondent, & ordine rem omnem, inde ab anno superiori commemorant, quàm crudele bellum gesserit, quomodò sint cum eo pacti, quomodò deinde permissu ac uoluntate Cæsaris, cum uicinis episcopis fœdus fecerint, quomodò æquissimas conditiones ab episcopis oblatas recusarit, & bellū eis denuò fecerit, quomodò, cùm & propter fœdus & Cameræ mandata socijs opem ferrent, suos iterùm fines nuper inuaserit. Inter alia illius facinora, hoc ueluti singulare quoddam inauditæ crudelitatis exemplū recitant, quòd, cùm ipsorum ditionis oppida duo, Altorfum atque Laufum nuper occupasset, non oppidanos modò, sed ex agris etiam coactos homines atque pecudes incluserit, & diuersis deinde locis incenderit, præcipuè autem ad portas, eò planè consilio, ut omneis exureret: hoc autem incendio, pueros, & mulieres aliquot grauidas, & complures ægrotos, qui perruptis & effractis muris euadere non possent, miserabiliter ibi conflagrasse dicunt: quod autem de mutata religione dixerit, uanum esse demonstrant: initum enim esse fœdus, eò solum, ut uim ab se suísque depellant: quàm autem ipse nullam religionem curet, id compluribus esse notum, & habere se multa quę dicant hoc loco: sed propter familiæ splendorē, unde genus ducat, & principes

aliquot,

aliquot, eius propinquos, uelle sibi temperare. Ad quintum Iulij diem, Sigismundus Poloniæ rex in matrimonium ducit Catharinam, Ferdinandi regis filiam, quæ fuerat uxor Mantuani principis, quum ante annum decimum sororem illius duxisset, ut libro decimo quinto diximus. Eduardus sextus, Angliæ rex, indubitatæ & summæ spei princeps, Iulij die sexto, ut quidem in uulgus editū fuit, è uita decedit, morbo tabifico, circiter annorū sexdecim adolescens, maximo certè piorum hominum dolore. nam eius interitum est maxima secuta rerum Angliæ commutatio, sicut infrà dicetur. diuulgata fama fuit, interijsse ueneno. Certè, tantæ regem expectationis, Europa, sæculis nunc aliquot, nullum habuit. inde à teneris annis optimè formatus & institutus ad pietatem atque literas, non Latinam modò, sed Græcā & Gallicam quoq; linguam nouerat, & euangelij doctrinam uehementer amabat, & doctis omnibus hospitium dabat atq; patrociniū, Germanis, Italis, Gallis, Scotis, Hispanis, Polonis. Cùm iam nō longè dissiderent ambo exercitus per Saxoniā, & Albertus Visurgim flumen transisset, nona die Iulij post meridiē summis copijs prælium committitur: à multa dimicatione, penes Mauricium, qui uiceret equitatu, fuit eius diei uictoria: sed ipse tormento manuario traiectus ad ilia, biduo pòst uitam finit. Albertus Hanobriam peruénit incolumis. Desiderata sunt ad quatuor circiter millia, plærique omnes equites: captiuorum ingens fuit numerus: Henricus Brunsuicensis eo in conflictu duos amisit filios, Carolum & Philippum. Postridie uenerunt à Ferdinando rege missi ad Mauricium equites Bohemi quingenti. Lantgrauius etiam auxilio miserat Mauricio circiter septingentos. Itáque tum in ijsdem erant castris, mirabili quadam uicissitudine rerum, Lantgrauius & Henricus Brunsuicensis & episcopi, cùm interim Albertum adiuuaret Ericus Brunsuigius, Mauricij sororius. Multorum tunc erat opinio, sicut Albertū rex Ferdinandus oppugnabat, sic aduersus Mauricium Alberto subministrari uires & animum à Cæsare: sed literæ Cæsaris, quas paulò infrà recitabo, nihil eiusmodi præ se ferunt. Galliæ rex, noua tunc agitasse consilia cum Mauricio, déque illius interitu non parum indoluisse fertur. In castra delatus Mauricius, de nocte dat literas ad episcopum Vuirciburgensem, belli socium: ijs rem omnem exponit, suámque esse uictoriam, sed grauiter se uulneratum dicit: arbitrari autem Albertum esse in fuga: monet igitur, ut certis locis iubeat obsideri uias, quò fugientem intercipiat,

& tranſitu prohibeat: quæcunque ſit futura ſua conditio uel exitus, bona ſe conſcientia niti: bellum enim hoc ſuſcepiſſe, ut uaſtatorem illum reprimeret, ac ocium Germaniæ recuperaret. Sepultus eſt Friberg, oppido Miſniæ, decimo quarto die poſt prælium, iuxta parentem Henricum & filiolum Albertum. Exceſſerat annum trigeſimũ ſecundum. Ipſius præſentia magnũ attuliſſe momentũ, alioquin Alberti futura fuiſſe putatur uictoria. nã ex ipſius equitatu multi profugerant. Signa militaria ſunt hoſtibus erepta, & ad ipſum ex prælio relata, pedeſtria quidẽ, quinquaginta quatuor, equeſtria uerò, quatuordecim. Mauricius ergò, uitam quidem ipſe profudit, ſed Alberti tamen uires atque robur admodum fregit. nam ab eo prælio uix unquam ille potuit uel mediocres recolligere copias. Cùm per Lipſiam duceretur funus, orationem habuit Ioachimus Camerarius, et in illius laudem multa locutus, prodigia, quæ mortem eius anteceſſerunt, enumerat: ſanguineas guttas in foliis arborum hærentes, canum importuniſſimos latratus & mutuas dilaniationes, equorum ueluti fremitus & concurſationes armorum, & alia quædam terroris plena: deinde tabernaculum eius turbine diſiectum, cæteris intactis, & quaſdam ipſius uoces, ueluti præſagas futuræ mortis atque prænuncias. Et ſanè quantùm ad guttas illas cruentas pertinet, multis in locis uulgò conſpectæ ſunt, & Argentinæ quidem, ſub initiũ Iunij, cùm ſuper herbas, frondes, tegulas atque ſaxa decidiſſent. Volitabat tunc ingens turba papilionum, neque deerant, qui cruorem hunc ab iis emanare dicerent: alij contrà, portendi aliquid atque ſignificari iudicabant. Inter Mauricium & Albertum, cùm eſſent æquales, maxima ſemper fuerat neceſſitudo, ſic ut nihil eſſet illis coniunctius. tribus enim bellis ambo ſimul Cæſari militarunt, Gallico, Smalcaldico, Magdeburgico, deinde, quartum atque poſtremũ hoc in Cæſarem ſuſceperunt: ſed natis offenſionibus, uti dictum eſt, hunc tàm funeſtum habuit exitum ipſorum amicitia. Quo tempore Mauricius occubuit, frater eius Auguſtus erat in Dania, cũ uxore, apud regem ſocerum: itáque nobilitas & ordines partem exercitus retinent, prouinciæ tuendæ cauſa, circiter duodecim ſigna peditum, equitum uerò cohortes quinque: reliqui dimittuntur, & plærique cum funere domum redeunt. Ad decimum octauum uerò Iulij diem, Albertus dat literas ad nobilitatem & populum Mauricianum, quum nuper per ipſorum fines peteret Saxoniam, ſine maleficio ſe tranſiſſe, propterea quòd hoſtile nihil haberet in animo:

Mauricium

Mauricium uerò nõ modò ſuæ ditionis homines lęſiſſe, uerumetiã, ut ſceleratis aliquot & perfidioſis epiſcopis gratificaretur, antiquo illi fœderi, quod ſuæ familiæ ſit cum domo Saxonica, nulla propè de cauſa, nouo prorſus exemplo, renunciaſſe, ac bellum ſibi feciſſe: quod cùm ità ſit, & quoniam ipſi conatum eius adiuuerint, omninò præter mandata Cæſaris, qui pacta ſibi confirmarit, ideò ſibi quoque uidendum eſſe, quomodò damnum acceptum reſarciat: itaque ſe confœderationem & amicitiam ipſis inuicem renunciare. Cæſaris exercitus, Terouenna diruta, progreſſus è Morinis in Atrebates, arcem Heſdinum, Iulio menſe ui capit. Interfectus ibi fuit Oracius Farneſius, Galliæ regis gener: ex nobilitate multi capti fuerunt, & inter hos primi nominis, Galliæ Mareſcallus Marchianus, Arduennæ ſyluæ incola. Prælij Saxonici nuncius intra paucos admodum dies ad Cæſarem allatus fuit. qui deinde uigeſimo ſecundo Iulij die, Erico Brunſuicenſi, quem Albertus miſerat, uti diximus, reſpondet. quòd eouſque ſimultas exarſerit, dolere ſibi non mediocriter, multò enim maluiſſe, diſſidium hoc omne componi, & niſi componatur, uereri, ut non Imperio tantùm, ſed & Alberto male cedat, præſertim, quum adeò multi, & hi quidem præcipui ordines, huic rei ſeſe immiſceant, facta ſocietate: ſuum igitur eſſe conſilium atque poſtulatum etiam, ut quàmprimum diſcedatur ab armis, & concordiæ rationes ineantur: id ſi placeat Alberto, ſe curaturum, ut aduerſa quoque pars acquieſcat, neque dubitare, quin illis perſuadeat: petere autem maiorem in modum, ne recuſet: nam alioquin, eo manente rerum ſtatu, non ſe poſſe ipſius uti opera, ne ſuſpitionem iam excitatam augeat: quod quidem ſibi, qui nihil charius habeat ocio & tranquillitate Imperij, ualde ſit futurum moleſtum atque graue. Sub initium Auguſti menſis, domum è Dania reuerſus Auguſtus, Mauricij frater, aliquot pòſt diebus, re deliberata cum ſuis, in fidem ſuam adigit omnem populum, & in his, Vuittembergenſes, ut ſibi ſuíſque liberis maſculis addicti ſint, &, ſi nulli ſuperſint, in Ioannis Friderici & liberorum eius ditionem redeant, ſi quidem Cæſari pareat ille, & ſuperiorum annorum pacta ſeruet, ſin minus, ut tum Lantgrauio ſint fideles. Eo facto, ſalutatur princeps elector, & ordinum ſuorum conuentus indicit, ut ad uigeſimum Auguſti diem ſibi præſto ſint. Eius menſis die decimo ſeptimo, Miſenæ oppido, maximus fuit terræ motus. Vbi conuenerunt omnes Lipſiam, ad diem, ualde frequentes, in deliberationẽ Auguſtus

adducit, primùm, an adiungere se debeat recenti fœderi Ferdinandi regis, principum & episcoporum, & prosequi bellum fratris in Albertum: deinde, si deserendum sit fœdus, quomodò debeat ulcisci mortem fratris: demùm, quá nam ratione possit cum Ioanne Friderico transigere. nam is, per eius absentiam, missis legatis ad optimates, electoriam dignitatẽ & possessiones ablatas omninò sibi restitui postulauerat. Deliberationis & consilij summa fuit, ut cum utrisque pacem coleret, & ad pacificandum adhiberetur Brandeburgicus elector: & id quidem fuit decretum, licet per Bohemiæ cancellarium, Henricum Plauium, rex Ferdinandus, Augustum de fœdere diligenter solicitaret. Hoc in conuentu, Ioannes Fridericus, altera missa legatione, denuò sua repetit, & acribus quidem uerbis, idem faciebant ipsius ditionis ordines: uerùm id frustrà fuit, neque se teneri, ut id faceret, Augustus, & pactis illis atque legibus, quas Cæsar tulisset, quandò captus ipse fuit, inhærere, ueruntamen non omnem actionem repudiare se dicebat. Eo durante conuentu, Henricus Brunsuicensis opem implorat Augusti ducis aduersus Albertum, qui nouas militum manus conduceret. A' morte Mauricij, Ioannes Fridericus ex filijs alterũ, Ioannem Gulielmum misit ad Cæsarem, in Belgium, ut sua recuperaret. Eodem ferè tempore mittebant etiam eò legatos, per absentiã Augusti, nobilitas et reliqui ordines, ut ipsorum principem Cæsar haberet cõmendatum. Ad Ferdinandum etiã & Daniæ regem, Ioannes Fridericus, eisdem prope de causis miserat legatos. Interea Vuirciburgensis episcopus obsidet Schuinfurtum, quod Alberti præsidio tenebatur, ut suprà dictum est: Bambergicus autẽ & Noribergenses, quũ aliquándiu Collebachum circumsedissent, abductis copijs, Comiti Plauio oppugnanti oppidũ Hofiũ ditionis Alberti, sese cõiungunt. Hisce mensibus rapti sunt ad supplicium Lugduni, nouem, cùm ex ijs nõnulli per annũ, & amplius eò fuissent captiui. Quæstiones proponebãtur singulis de præsentia corporis Christi in cœna domini, de purgatorio, de missa, de cõfessione priuata uel auriculari, de ceremonijs, de Mariæ uirginis & mortuorum inuocatione, de primatu Romani põtificis, de libero arbitrio, de iustificatione operũ, de ecclesiæ & episcoporũ potestate, de uotis monasticis, de delectu ciborum, de unctione & cõfirmatione, de statuis. Constanter autẽ eodémq; modo respondebant ad singula, separatim, usi scripturæ testimonijs. Interea dum captiui detinentur, literis nõ sese tantùm inuicem, sed amicos etiam aliásq; cõsolabantur

ecclesias,

ecclesias,& rem omnem actam perscribebant. Cùm ex captiuis Ludouicus Marsacus, homo militaris, è sacris literis multa recitaret, qui aderant inquisitores rogabant, num ipsius esset legere sacros libros,& qui sciret hæc esse euangelica? præfectus etiã regius duos esse tantùm aiebat euangelistas, Matthæum & Ioannẽ: reliquos enim duos, & Paulum etiam ueluti centones quosdam consuisse: quòd nisi ecclesiæ doctores eam Paulo tribuerent authoritatem, se non pluris facturum eius epistolas, quàm Æsopi fabellas. cúnque Marsacus inuicem diceret, de Pauli uocatione atque munere præclara existere testimonia, præsertim in eius epistolæ, quam scripsit ad Galatas, capite primo: nihil, inquit ille, ad rem istud facit. nam sibi testimonium ipse dicit. ijs, qui simul plectebantur, laqueum carnifex induerat, uti fieri solet: Marsacus uerò, quem iudices non reuincto collo duci iusserant, eò quòd regi militasset, conuersus ad prætorem, an horum, inquit, potior est, quàm sit mea causa? quin simili torque me quoque donas? cur non huius tàm illustris atque præstantis ordinis me quoque facis equitem? alludens ad morem usitatum regibus, qui cùm amicos cohonestare uolunt & amplificare, in sui ordinis, uti uocant, numerũ ascribunt, eíscp torquem aureũ, uelut honoris insigne, tribuunt. Ex ijs quincp, literis nauarant operã Losanæ, natione quidem Galli, sed sumptu Bernatum atcp liberalitate, quorum est ditionis Losana. Cùm ergò captos audirent, & ipsorum intelligerent periculũ, diligenter ad regẽ intercedunt, eoscp sibi donari petunt: sed id frustrà fuit, cùm id sibi per leges non esse integrum, rex diceret. Cardinalis Tornonius, flabellũ hic fuisse putatur. De morte nobilissimi principis, Angliæ regis, Eduardi sexti, paulò suprà diximus. Inuaserat eũ phthisis, & Ianuario mense cœperat ęgrotare: cúnque morbus inualescceret, solicitus de regno & religione, cum suis familiaribus rem communicat, & exquirit, cui potissimùm sit committenda rerum summa. Nam etsi pater Henricus moriens testamento substituerat ei Mariam & Elisabetham, ut suprà docuimus, tamen, quoniam ipse iam factus erat pubes, arbitrij sui esse ducebat, constituere sibi successorem, præsertim, quum de sororum natalibus plærique omnes dubitarent, & Maria pontificiam religionem coleret, quæ si rei summam teneret, periculum esse uidebat, ne & præsens religio subuerteretur, & Imperio locus externo patefieret. Itácp re deliberata, placuit, Ioannam Suffolciam eligi, regis Henrici proneptem è sorore. Cùm id reliqui consiliarij, & Londinensis

etiam consul & optimates probassent: Angliæ primas, archiepiscopus Cantuariensis, in aulam accersitur, ut subscribat. Ille uerò, nisi regem sit affatus antea, recusat. admissus igitur, ubi familiariter cum eo iam decumbente rem disceptauit, assensit, cùm hoc ille admodum urgeret. Extincto autem rege, quod fuit Iulij die sexta, sicut antè dictum est, quarto pòst die, Ioanna pronunciatur regina, simúlque descripto recitatur, quemadmodum Eduardus, de cõsensu procerũ, grauissimis de causis, Mariam & Elisabetham sorores exhæredarit, & regni successionem ad Ioannam transmiserit. Tulit hoc indignissimè populus, & omnis nobilitas, nõ tàm studio Mariæ, quàm odio Northumbrij ducis, quum nemo ferè dubitaret, quin huius esset author ipse consilij, nimirùm, ut hac uia regnum tanquàm in suam domum deriuaret. Dùm hæc geruntur, Maria confugit in Norfolciã, ad castellum Framingam, & opem implorans, pro regina sese gerit. Eo cognito, Northumbrius cogit copias, et Londino profectus, de reliquorũ assensu, illã petit, ut comprehendat: sed interim, qui erant in urbe cõsiliarij, quum offensionẽ ordinum non ignorarent, & per Norfolciam magnæ manus ad Mariã confluerent, mutata uoluntate, Mariam eligunt reginam, & Ioannam asseruant custodia. Quòd ubi peruénit in castra, plęricę omnes, quoniã inuiti militabant, & illum alioquin oderant, deficiunt, & allatis Londino literis atcę mandatis, Cantabrigię captũ Northumbrium, die uigesimo quinto Iulij mensis in urbẽ adducunt. Incredibile est, quibus conuicijs atcę probris eũ populus acceperit, dum alij proditorẽ, alij parricidam & regis innocentissimi carnificem uocant. Etenim, quia nurum suam ad dignitatẽ regalem perduxisse credebatur, suspitio nata fuit, iampridem hæc illum tractasse cõsilia, & uitæ regis insidiatũ esse. Capti fuerunt pòst ipsius liberi, & frater, & alij quidã proceres, & regius præceptor, Ioannes Checus, uir magnę uirtutis ac eruditionis: hic tamẽ dimissus deinde fuit, facultatibus penè omnibus exutus. Postea Londinum regina Maria uenit, & arcem ingressa, quam Turrim ipsi uocant, Norfolciæ ducẽ, iam propè septem annis captiuũ, & Vintonienſem, & Dunelmenſem Tonstallum, & quosdam alios pontificię religionis, ab episcopali functione remotos, è carcere liberat, & loco restituit. Et Vintonienſis quidem, licet editis libellis factum illud regis Henrici, quandò Mariæ matrem Catharinã ab se repudiauerat, uti libro nono diximus, defenderat, tamen Cancellarij locũ iam obtinuit, qui summus est ibi dignitatis gradus. Cùm enim Catharina Iulij

Iij secundi pontificis urgeret diploma, qui matrimoniũ illud approbasset, rex contrà uitiosum esse dicebat, eóque Vintonienſem, nondum id temporis episcopũ, Romam mittebat, ut Clemens illud pronunciaret irritum. qui cùm Februario mense anni XXIX eò uenisset, acriter instabat. Põtifex, qui lupum, ut dici solet, auribus teneret, quum & regi gratificari cuperet, & Cæsaris metueret offensionem, respondit, se scripturũ Cæsari, ut uerum diploma proferatur. Assentit ille quidem, sed in eam rem bimestre solùm tempus cõstitui petit: cùm id exierit, pro falso haberi diploma postulat. id autem & inusitatum & minus æquum esse putabat pontifex, & commodis uerbis regi satisfacere cupiebat: orator autem, si non impetretur, quod rex petat, magno futurũ id sedis Romanæ detrimento iactabat. Cæsar inuicem, & rex Ferdinandus, Aprilis die uigesimo septimo, per legatos dolorẽ suum ostendunt, & cum pontifice, quòd regi plus nimio faueret, & iudiciũ in Anglia fieri uellet, expostulant, simul procuratores cum amplis & idoneis mandatis constituunt, qui causam, ipsorũ nomine, Romæ tractent & prosequantur. Itáq; pontifex, domum iusso tandẽ redire Campegio, litem ad se reuocat, eóq; magis, quòd per Eboracensem de nouo regis audisset amore, sicut libro nono diximus. Augusti mẽsis die uigesimo secundo, Northumbrius, lęsę maiestatis damnatus, capite mulctatur, & productus in publicũ, orationem habet, ac inter alia populum hortatur, ut in ea religione, quam à maioribus ueluti per manus accepissent, permaneant: omnis enim calamitatis, quæ iam olim, maximè uerò post mortẽ Henrici regis, Britanniam peruaserit, unicã hanc sibi uideri causam, quòd à reliquo Christianismi corpore diuortium fecerint. Aliquot nunc annis diuersum ille senserat, ut quidẽ præ se tulit, & doctrinã pontificiam planè proiecerat: quòd autẽ nunc ità sit locutus, causam fuisse dicunt, quòd spes ei quædam facta fuerat impunitatis. Et quanquàm reliquo sermone confecto, sese ex animo loqui dicebat, sunt tamen, qui pœnituisse ipsum facti cõfirmant, quum circumspiciens, nullũ perfugium, & uerba sibi data esse uideret. Alius quidam, eodẽ tempore securi percussus, uir equestris ordinis, Thomas Palmerus, euangelij doctrinã maxima cõstantia profitebatur. Damnatus autẽ fuit Northumbrius læsę maiestatis atq; rebellionis, uti diximus: & quanq; graues erant suspitiones, uenenum ab ipso datũ esse regi, tamen quæstionẽ eius rei prope nullam esse factam aiunt: in sententia quidẽ nihil de eo pronunciatũ fuit. De Petro Martyre, Florẽtino,

ſuprà dictum eſt, quiante annum ſextū, accerſitu regis in Angliam profectus, Oxoniæ ſacrarum literarum erat interpres. Hunc multi propter inſignem eruditionē atq; uirtutē colebant, ſed non deerant etiam maleuoli. Itáque mortuo nunc rege, denunciatum ei fuit, ne iniuſſu magiſtratus pedem illinc moueret, néue quid ſuarum rerum aſportaret, graui denunciato periculo, ſi ſecus faceret. Paruit ille quidem, ſed quum moram interponi uideret, conſiliarijs regni de ſuo ſtatu ſcribit, & ſi quid admiſerit, accuſatorem ſiſti, & ab ipſis de cauſa cognoſci petit. Illorum itáque permiſſu, cùm diſcedendi poteſtas ei facta eſſet, Londinum uenit. Ibi Cantuarienſem archiepiſcopum reperit patronū & amicum ſuum, de quo per concionatores epiſcopi pontificij tunc inuulgarant, quaſi uacillaret, quaſi Cantuarię eſſet ipſius mandatu reſtituta miſſa, quaſi miſſam ipſe dicturus fuerit in Eduardi regis funere, quaſi hoc ipſum eſſet pollicitus reginæ. ſimul de futura diſputatione iactabant. Hoc ubi reſciuit ille, ſtatim edito ſcripto ſeſe purgat, & ſacrificum quendam, ſe minimè conſcio, miſſam Cantuariæ peregiſſe dicit: alterum etiam illud inficiatur, imò, ſi per reginam ſibi liceat, Eduardi regis, de cœna domini, déque cæteris rebus atq; dogmatis facta decreta, ſacris literis eſſe congrua, pontificiam uerò miſſam ab inſtituto Chriſti planè diſſidere, demonſtraturum ſe profitetur, ad eámque rem docendam, non maiorem aliquem numerū, ſed paucos aliquot, & in his, Petrum Martyrem, ſibi dari ſocios & adiutores, petit. Et quoniam aduerſarij uetuſtatis commendatione ſuam religionem ornabant, & ſupra mille quingentos annos eam ſtetiſſe dicebant, minimè poſſe hoc ab ipſis probari, ſe uerò docere uelle confirmat, eam, quæ fuit, Eduardo, rege, conſtituta, quæq; nunc per Angliam adhuc ſeruetur, eſſe uerè natiuam illam & ueterem, inde ab ipſo Chriſto & apoſtolis traditam religionem. Cùm hoc ſcriptum ad quintum circiter diem Septembris euulgaſſet Londini, Petrus Martyr eodem tempore uenit illuc Oxonia, ſicut diximus, & certior ab eo factus de re tota, factum collaudat, neque laborem aut periculum ullum ſe uelle ſubterfugere, demōſtrat: ſed ecce, dum in ea ſunt expectatione, Cantuarienſis in carcerem ducitur, & archiepiſcopus alter, Eboracenſis, item Londinenſis Ridlæus, Vigornienſis, & alij quidam epiſcopi, propter euangelij profeſſionem, & cōciones in Mariam habitas, iuſſu conſiliariorū, priusquàm regnum obtinuiſſet. Capitur etiam Hugo Latimerus, quem rex Eduardus à patre captum propter doctrinā, è uinculis exemerat.

rat. Petrus Martyr interim, etsi periculum suum intelligebat, tamen, quòd in leges regni nihil commiserat, innocentia sua fretus, nõ sibi discedendum putauit, nisi impetrata dimissione. Cùm igitur id obtinuisset, literis publicis acceptis, manu reginæ subscriptis, Antuerpiam, inde Coloniam, pòst, Argentoratũ, unde profectus in Angliam fuerat, saluus peruénit, et paulò ante eum, Bernardinus Ochinus. Perscriptum aliquandò fuit & nunciatũ in Germaniam, Cęsarẽ cõsobrinæ Mariæ dedisse consiliũ, ut regeret clementer, neqꝫ religionem mutaret, néue nuberet extra regnũ: quid enim in eo sit periculi, si religionem innouet, sibi omnium optimè cõstare. Nùm ità res habeat, affirmare nõ possum: ipse quidẽ euentus longè diuersum ostendit, nam exteris propter euangelĩ doctrinam abire iussis, indigenis uerò coniectis in uincula, religio pontificia planè restituta fuit, ut infrà dicetur. Ad calendas Octobris Maria deinde inauguratur regno: neque multò post inchoatum Londini fuit comitium. Imperij uerò conuentus, quem ad idus Augusti Cæsar indixerat, ut initio libri docuimus, in calendas Octobris, & ab his deinde prorogatur in mensem usque Ianuarium. Post prælium illud, quo Mauricius fuit sublatus, Henricus Brunsuicensis & Albertus, pro se quisqꝫ, sese colligunt, & copias restaurant. Hẽrico pecuniã subministrabant episcopi & Noribergenses: de Alberto plęriqꝫ omnes mirabantur, unde illi tantum neruorũ: itáqꝫ peruulgatũ fuit, à sorore Cæsaris Maria nummos ei uenire: sed id Cæsariani pernegabãt, ac mirum eis uidebatur, esse homines tàm imperitos, qui crederent. Cùm autẽ ad Henricũ aliquantò serius adferrentur nummi, maximo res erat in discrimine. nam Albertus, ubi resciuit, ad defectionẽ solicitabat illius militem, qui morã hanc impatientissimè ferebant: sed peropportunè, ac in ipso temporis articulo, cum æstus ille atque fremitus propè iam exundaret, decima die Septembris allatũ est remedium, & tempestas omnis conquicuit. Henricus uerò, muniendi sui causa, cum Erico agnato, quem hostem habuit antè, transegit. Daniæ rex iam antè suos miserat in Saxoniam legatos, ut Augusti generi sui rebus consulerent. Hi demum, adiuti Brandeburgensis electoris legatis, reconciliant Augustũ Alberto. Cõditiones erant, ut Augustus neqꝫ bellũ fratris persequatur, nec hostibus Alberti ferat opem: idem faciat Albertus, & si fortè copias propè ad fines Augusti traducet, absque maleficio proficiscatur: Augustus caueat, ne quum suas manus dimittet, ad hostes Alberti perueniant: postremò, quod est inter

Saxonicam & Brandeburgicam domum fœdus hæreditarium, primo quoque tempore renouetur. Postridie, qui duodecimus erat Septembris dies, Albertus Brunsuico suas educit copias: & cùm in hostem incidisset, quod fuit non procul ab urbe, manus cõserit: sed numero uictus, præsertim, cùm ipse nullum, Henricus autẽ ad uiginti signa peditum haberet, in fugam conijcitur ac profligatur, tametsi cruentam hosti uictoriam reliquit. à prælio Brunsuicum redit. Interea magnis erant in angustijs ij, quos Hofij circumsederat Plauius atque socij. nam cùm & oppidum esset ualde concussum tormentis, & Albertus infœliciter pugnasset, neque subsidium ueniret, inopia rerum omnium adducti, deditionem faciunt. Et oppidanos quidẽ Plauius in suam atque liberorum suorum fidem per iusiurandũ adigit, & præsidio relinquit signum unum peditum & maiora tormenta. De Turcica classe diximus antè: huic se coniunxerant Galli duces aliquot, Massilia profecti, & his ferè diebus Corsicam insulam, quæ Genuatum est ditionis, capiunt, oppidis aliquot exceptis. Quomodò Cæsar Hesdinum arcem ui ceperit, antea dictum est: eam uerò demolitur, ut antea Terouennam. Galliæ rex interim apud Ambianos exercitum colligit, & expectat, dum Heluetij, quos euocauerat, ueniant. Vbi iam dirutum esset Hesdinum, Cæsar ad exitum Augusti cogitabat tentare Dorlanum, sed ubi Conneſtablius id per indicium accepit, magnum equitatum & peditatus partem aliquam celeriter educit, & opinione citius illos aggreditur, inq; fugã conijcit, plurimis interfectis atque captis. Et cùm sub initiũ Septembris Heluetij ueniissent, ad decem millia peditũ, rex aduerso flumine Somia, cuius ad ripam est Ambianum, progreditur, & Corbiam peruenit. Inde missis aliquot equitum turmis, circa Bapamum oppidum, tanquàm illud obsessurus, excurrit. Septembris uerò die septima, misso fœciali Cameracum, quo sint erga se animo ciues, nunciari sibi petit. Oppidum illud est peramplum, episcopale, & antiquitûs Imperij ditionis, & per ea bella, quæ Cæsar cum Galliæ rege gessit, æquo iure semper fuit inter utrunque, sed hoc tempore magis erat partiũ Cæsaris. Rex igitur eis nunciat, nihil se facturum aduersus pacta, modò idem ipsi faciant, & sibi, qui sit Imperij protector, urbem patefaciant, & in cæteris rebus omnibus præsto sint, non minus quàm Cæsari. Cùm autem loci præfectus rem ad Cæsarem detulisset, responsum tulit, quia direptionibus & incendijs Galli deuastassent agrum illum omnem, ut hostiliter in eos agat. Sed antequàm hic nuncius à

Cæsare

Cæsare ueniret, iam excursionibus factis urbem rex tentare cœpit per aliquot dies: ubi uerò nihil proficeret, idibus Septembris castra promouet, & duobus milliaribus à castris Cęsaris consedit, quę tum erant ad Valencenam, oppidum Hannoniæ, Scaldi fluuio propinquum: deinde propius accedit, & uidebatur omninò res ad pręlium spectare, sed hic fuit exitus, ut rex, quoniã proximè ad Cæsaris munitiones uenerat, plurimis desideratis, decimo octauo die Septembris exercitum reduceret. Discedens longè latéque omnia uastabat incendijs. Perscripta deinde res fuit priuatim ad amicos, uti fieri solet, & Galli quidem Cæsarem aiunt defugisse prælium, Cæsariani uerò negant. Rex domum reuersus, Heluetios dimittit. Hoc ipso mense dimittuntur, qui totum annum Augustæ fuerant mandatu Cæsaris, milites præsidiarij, signa sex, ut libro superiori diximus. Conueniunt etiã his diebus, Hailbrunæ, Palatinus, Moguntinus, Bauarus, Vuirtembergicus: à Treuiro & Cliuensi uenerant legati. Ferdinandi regis nomine aderat episcopus Passauiensis. Per hanc ęstatẽ pestilentiæ uis magnã edidit stragem Luteciæ, atq; interim propter Lutheranismũ multi fuerunt exusti. Rex in delitijs quandã habebat, cuius maritus olim fuerat Normanniæ præfectus: eius mulieris uiduæ generi erant Aumalius & Marescallus Marchianus, ambo captiui, sicut diximus: & ab Aumalio quidẽ Albertus poscebat aureorũ milia centum, sed id erat supra illius facultates. Ità q; fama percrebuit, illam, quæ nihil non posset apud regẽ, ut sine suo dispendio pecuniam conficeret, & generos liberaret, impetrasse, ut rex ei largiretur eorũ possessiones atque bona, qui propter Lutheranismũ essent damnati capitis. nam Galliæ fert cõsuetudo, ut nõ uitam modò, sed facultates etiã rex auferat cõdemnatis. cùm igitur hæc esset obiecta pręda, multis aiunt fuisse creatum periculũ. Equidem hoc affirmare nolim, sed usuuenit nõnunquam in Gallijs, & alijs in locis, ut hominũ innocentium sanguis nõ modò uoluptati sed etiam quęstui sit nonnullis. Albertus, à pręlio, quod aduersum fecit, Brunsuicũ redit, ut paulò suprà diximus: ubi uerò per indiciũ accepit, fore, ut Henricus urbem obsideret, non diu moratus, quos potuit equites recolligit, & in Turingia suum aduentum expectare iubet, & propinquos agnatósque de auxilijs interpellans, cùm adiutus esset, in Turingiam contendit, & Octobris die quinto, præter omnium expectationẽ, magna celeritate usus, Vinariam uenit, ubi à Ioanne Friderico perhumaniter fuit exceptus, & duas noctes ibi commoratus, ut militem per agros dif-

fusum ex labore reficeret, Franconiam petit. Circumsidebant tum quoddam eius oppidum Birutum, Comes Plauius atque socij: sed eius cognito aduentu, Bambergam, obsidione relicta, sese cõferunt. Ille uerò, non magna comitatus equitũ turma, undecimo die Octobris egreditur speculandi causa, quid ad Hofium nuper amissum oppidum ageretur. Milites præsidiarij fortè tùm incautius erant ante portas, animi causa, rerum omnium securi: nactus igitur hanc occasionem, & suos cohortatus, incitatis equis, celeriter illos inuadit, & in fugam datos insequitur, & simul irruptione facta, cùm ipsius præsentia & aspectu recreati oppidani concurrerent, plærosque omneis trucidauit. tormenta reperit ibi magna quædã, & alia, quæ campestria uulgò uocant, sine instrumento tamen. nam apparatum omnem hostes ad Biruti oppugnationem asportarant. Relicto ibi signo peditum, Blasseburgum petit, præcipuam arcem. Postquàm ipse Brunsuico discessit, Henricus urbẽ obsidere cœpit, ac tormentis ualidè concutit: episcopi uerò & Noribergenses, qui copias illas omneis alerẽt, ei renunciant, ut sibi præstò sit: petebat Henricus ab oppidanis aureorũ millia circiter octoginta. quum hoc isti recusarent, ac milites, nisi persolutis stipendijs, nollent ferre signa, soliciti de suo periculo illi, tantundẽ dare spondent. Tunc demùm obsidione soluta, cùm futuræ solutionis diẽ militi cõstituissẽt, per Turingiã iter instituit. Eo cognito, Saxoniæ dux, Ioannes Fridericus, quòd cum eo nondum rediisset in gratiam, unà cum tribus filijs Gotham sese confert, uxore relicta Vinariæ, quòd esset ualetudine minus firma. Henricus iam instructus ad iter, datis ad eum literis, etsi causam, inquit, habui iustam, & occasionẽ etiã non incõmodam, his aliquot annis, ulciscendi superioris temporis iniurias, abs te mihi factas, tamen, quòd esses in custodia Cæsaris, nihil quicquàm in tuæ ditionis populum atq; liberos tentaui, sed legibus rem iudicioq; permisi. tu uerò minimè cõtentus anteactis iniurijs, nuper etiam Albertũ Brandeburgicum, Germaniæ uastatorem, & meum inprimis hostẽ, opẽ cõsilioq; iuuisti, quod compertũ habeo, quantúmuis id feceris occultè. quamobrẽ, si meus exercitus iã tuis finibus damni quid dederit, nõ est quòd ullã habeas de eo querimoniã: initium enim abs te factũ est. Cõstituerat Henricus in Albertũ et Volratũ Mansfeldios agere prorsus hostiliter, propter anni superioris bellũ, uti diximus: uerùm interceſſione ducis Augusti, cuius illi fidẽ imploraverant, composita res fuit. Ioannes Fridericus, acceptis Henrici literis, per legatos agere cœpit & animũ eius mitigare, sic quidem, ut ille cum duabus

turmis

turmis equitum & peditum signis quinque Vinariam ueniret, reliquo per uicinum agrum exercitu distributo. Huc ad eum à principe uenit Minquicius cancellarius, & expositis mandatis ad beneuolentiam omninò flexit. Et cùm antea magnam pecuniæ uim Henricus postulasset, eam nunc partim remisit, & sine maleficio commoratus ibi per biduum, amicè discedit. Ad decimum octauum diem Octobris instituta fuit Londini, iussu reginæ, disputatio, de præsentia Christi in sacramento, quod uocant, altaris. Agitata res fuit per sex dies, non sine contumelijs, cùm è pontificijs quidam, cuius erant præcipuæ partes, theologus, Vuestonus, parum ageret tẽperanter. quid super eo decretũ, & cuiusmodi fuerit exitus comitij, dicemus infrà.

Sub finẽ Octobris, Geneuæ sumptũ est de Michaele Serueto Hispano supplicium. Is multis ab hinc annis uarios ediderat libellos inter alia, de Trinitate, prorsus alienos à sententia totius ecclesię. cúnq; hoc demùm anno Geneuam uenisset, senatus de illo certior factus, comprehendi iubet, ac deinde Caluino, qui iam antea scriptis eum oppugnauerat, & cæteris ecclesiæ ministris iniungit, ut sermonem cum eo conferant. itáque multa fuit inter eos & acerba disceptatio, cùm ille sæpenumero mendacij Caluinum insimularet, admodum immodestè. Senatus uerò, ne quid in causa tàm graui temerè fieret, doctores de ijs dogmatis consulit, Bernates, Tigurinos, Basilienses, Schafusianos: hi respondent omnes, ad summam Dei contumeliam illa pertinere: cùm autem non modò de sententia non decederet, sed conuicijs & maledictis etiam sua propugnaret, damnatus est capitis. Vt ad locum supplicij uenit, hortante Gulielmo Farello, Christum, æternũ Dei filium inuocare noluit, & quum pœnitentię signum nullum daret, causam tamen ad populũ minimè defendit. Necis inuidiã plærique conflabant in Caluinum: is autem, edito libro, doctrinam eius & rem omnem actam commemorat, & in hæreticos gladio uindicandum esse docet. Octobris die penultimo, Iacobus Sturmius, uir longè & prudentissimus & integerrimus, ac planè decus nobilitatis Germanicę, propter eximias animi dotes et doctrinam insignẽ, è uita decedit Argentorati, cùm ex febri quartana per tempus bimestre decubuisset. Ætatis annum excesserat tertium & sexagesimum.

His ferè diebus, Reginaldus Polus, Anglus, cardinalis, per Germaniam ad Cæsarem contendit, Roma profectus: cúnque iam ad fines Palatini principis uenisset, accepto nuncio à Cæsare, qui Iacobũ Mendozam ei miserat, Dillingam, quod est ad Danubium, episco-

pi Auguſtani oppidum, redit, & expectat, dum Cæſar renunciet, Henricus Brunſuicenſis, Vinaria digreſſus, Nouembris die ſeptima uenit in ſociorũ caſtra, quæ tùm erant ad Lichtefelſum, oppidũ ditionis Bambergicę. In eo tenebantur incluſi milites Alberti, ad nouem ſigna peditũ, illi ipſi, qui paulò antè fuerant Biruthi. Circumſederat autẽ eos Comes Plauius cum ſociorũ auxilijs: & cùm Noriberga ueniſſent maiora tormenta, quibus oppidũ concuteretur, illi, deditione facta, Nouembris die decima, uoluntati ſeſe hoſtis permittunt. Captis ergò ducibus aliquot, reliqui dimittũtur inermes, abſq; ſignis. Ea re perfecta, Colembachũ petunt, Alberti ditionis oppidũ, & tormentis acriter oppugnant. oppidani uerò, cùm illud ab hoſte non ſe poſſe defendere uiderent, quicquid erat ſupellectilis atq; bonorum in arcem Blaſſeburgũ tranſportãt, & pòſt, incenſis ædificijs, in illã & ipſi confugiunt. Sic demùm hoſtis irruit, & trucidatis nonnullis, qui fortè deprehenſi fuerunt, ignẽ reſtinguit & reliqua diripit. Plauius deinde, cùm Lichtebergũ arcem, & Hofium & Biruthũ oppidula deditione cepiſſet ac muris denudaſſet, Blaſſeburgũ obſidet, præcipuum Alberti propugnaculũ, & magno præſidio munitum. Ad hoc tempus, Galli, ex Pedemontio clàm profecti, Vercellas, Taurinorũ oppidum, quod Hiſpani tenebant, ex improuiſo, per inſidias capiunt: ſed quòd in ea propinquitate agri Mediolanenſis ægrè illud poſſe defendi crederent, aduentaret etiã cum copijs Gonzaga, Cęſaris legatus, direptione facta, domum opportunè ſeſe retulerunt, onuſti prędа. Nõ multò pòſt, & Venetijs & aliunde nunciatum fuit atq; perſcriptum, de Turcarũ Imperatore Solymanno, qui filium ſuũ natu maximũ, Muſtapham, propter ſuſpitionẽ proditionis & uiolatæ fidei ſtrangulaſſet ipſe. ferunt ſecundę uxoris impulſu, quæ filium ſuum augeri cuperet atq; parenti ſuccedere, factam eſſe cædem. De archiepiſcopo Angliæ Cantuarienſi dictũ eſt antea: Is, & Ioanna regina, cum tribus filijs Northumbrij ducis producti in publicũ Nouembri menſe, damnati ſunt capitis, ob intentatum lę ſæ maieſtatis crimen: ſed pro regionis conſuetudine reducti ſunt in carcerem, & deprecantibus nonnullis, aſſeruati. Sebaſtianus Schertelinus, de quo non ſemel eſt facta mentio, cuius in caput atque uitã Cæſar præmium conſtituerat, uti libro ſuperiori diximus, reconciliatus in hoc tempore fuit & Cæſari & Ferdinando regi, ſuaſque facultates recuperauit omneis. Solicitantibus epiſcopis atq; ſocijs, Albertum Brandeburgicum, Cameræ iudices, ceremonia ſolenni,

calendis

calendis Decembris proscribūt, ut publicæ quietis & Imperij perturbatorem, dimissis huc illuc literis & affixis palàm, ipsiúsq; uitam & fortunas, omnium prædæ permittunt. Henricus Brunsuicensis, ad oppugnationē Blasseburgi relicto Plauio, sexta die Decembris, cum suis copijs contendit Schuinfurtū, quod quidē oppidum in ripa Mœni positū, Albertus ualido præsidio tenebat. Accesserat Henrico supplementū aliquod militū, qui Noriberga uenerant & Forchemo: sed Albertus, cùm id fore suspicatus esset, primùm, quicquid erat alimoniæ, uicinis in locis, in oppidū inuexerat, pòst, omnia circùm ædificia incēderat, ut obsidendi eo anni tempore facultatē hosti adimeret. Itáq;, nulla ibi re perfecta, desideratis etiā nonnullis, quum Albertus eruptione facta dimicasset, Henricus, non magno cum comitatu, per agrū Ioannis Friderici profectus absq; maleficio, domū redit. Albertus, ubi se proscriptū accepit, Cæsarē interpellat, ut sententiam aboleat: is autem, ut iuris administrationem impediat, non sibi licere dicit: sic ille iudiciū, uti largitione corruptum atq; redemptum, recusat, & protestationē interponit, edito scripto. Camerales autem finitimis Imperij prouincijs executionem mandant. Per Angliam agebantur hoc tempore conuentus omnium ordinū: & quoniam Eduardo, rege, facta fuerant decreta, de cœna domini, de ceremonijs, & sacramentorum administratione, de coniugio sacerdotū, de episcoporum electione, de constituendis ecclesiæ ministris, de formula precationū, et id genus alijs rebus, cautum hoc in cōuentu fuit, ne quid ea decreta ualerent, sed ut eam sequerentur omnes religionem, quæ fuisset ab Henrico rege moriente relicta: deinde, ne sacrificis & ecclesiæ ministris, qui deinceps cōstituentur, ulla fiat molestia: diuortium quoque Catarinæ, quæ Mariæ mater fuerat, illicitum fuisse pronunciatur: adhæc, de matrimonio reginæ fuit agitatum inter optimates aliquot, ac placuit eam desponderi filio Cæsaris, Philippo. de quo fama fuerat antè, quasi consobrinam suam, Lusitaniæ regis Emanuelis & Eleonoræ filiam, esset ducturus. Eo constituto, cardinalem Polum Cęsar accersit: quòd in Germania illum subsistere uoluit, uti diximus, eò factū esse nonnulli putabant, ne, cùm esset regiæ stirpis & gratiosus apud suos, coniugij rationes forsan impediret. His, quos antè diximus in carcerem esse conditos, episcopis, alij suffecti sunt in hoc tempore. Confirmandi causa matrimonij, Cęsar amplissimam legationem mittit in Angliam, qui Mariam absenti Philippo prorsus addicant. eius erat princeps, Ecmondanus.

M. D. LIIII. Hi, cùm sub initium Ianuarij Londinum uenissent, post aliquot dierum tractationẽ, rem cõficiunt. Tulit hoc indignissimè populus, & ex nobilitate complures, & communicatis inter se consilijs, rebellionem faciunt. huius erat dux præcipuus & author, Thomas Viatus. Is per Cantium excitata seditione, graues habebat conciones & acerbas in reginam atque consiliarios, quòd externis nuptijs perpetuam & miserrimam seruitutẽ Angliæ compararent, deinde, quòd extincta uera religione, pontificiam denuò stabilirent. Est autẽ Cantiũ, regio maritima, Galliæ proxima, nobilis urbe Cantuaria. Huius motus fama Londinum allata fuit Ianuarij die uigesimo quinto, neque multò pòst auditũ est de Henrico Suffolcio duce, qui per Deuoniam homines ad arma uocaret. Itaq; regina, quas potuit, manus facit, ijsq; Norfolciæ ducem Thomam, nuper è carcere liberatum præponit. qui cùm sub exitum eius mensis in hostem incidisset prope pontem Roffensem, desertus à milite, fuga salutem quærit, & uix ægrè Londinum peruénit. In his ergò turbis, legati Cęsaris, minuendæ seditionis & sui periculi causa, calendis Februarij, conscensis nauibus discedunt: eodémque die regina uenit Londinum, & oratione habita ualde criminosa in Viatum, quid illius consilij sit, ostendit, & suam in ipsos charitatem exponit, & de matrimonio nihil se statuisse dicit, nisi de consilio procerum: se uidelicet bonam nunc ætatis partem exegisse uirginem, neque sic nupturire, quin eo in uitæ genere permanere uelit, si quidem ordines ità iudicent fieri oportere: nam ut sui connubij causa regnum periclitetur & cędibus omnia uastentur, id sibi longè futurum acerbissimum: permaneant igitur in officio, & in sceleratorum hominum ulciscenda perfidia sibi ferant opem: hoc enim ipsorum esse muneris, qui se, legitimam patris hæredem, de cõmuni consilio reginam esse iusserint. Cùm ad hunc modum eos placasset, urbis defensioni quosdam constituit, et Comitem Penbruccum designat, qui foris rem administret. Iam antè Viatus erat uoce præconis denunciatus hostis & regni proditor, & maioris inuidiæ concitandæ causa, recitata fuerunt eius ad reginam missa postulata, quorum illud ferebatur esse primum, ut in custodiam sese regina tradat, ut de nuptijs illius, & consiliarijs uel retinendis uel mulctandis, ipsi statuere liceat. Tertio pòst die, promiscuæ multitudini proponitur impunitas, modò seditionis authores deserant, & ei, qui Viatum fecisset captiuum, ingens constituitur præmium. Suffolcius quoque iubetur in perduellium haberi numero. Et quum eo-

dem

dem die coniurati propius ad urbẽ accederent, reginã pontem, quo Thamesis est cõstratus, rescindit, ne quis ad ipsos transiret. Postridie suburbium illi occupant, fore putantes, ut oppidani seseipsis coniungerent: uerùm hi præsidio continebantur. Interea Suffolcius in diuersa regni parte capitur, ductore Huntingtonio, quem eò regina cum equitatu miserat. Biduo ad urbem cõsumpto, coniurati, quum ea parte frustrà molirentur, conuerso itinere, milliaribus aliquot supra Londinum, Thamesim trajiciunt, & urbem rectà petunt. Ibi tandem Viatus, ab ijs copijs, quas ductore Penbrucco regina emiserat, interceptus cum socijs, in carcerem abducitur. Altera die, qui septimus erat eius mensis dies, edicitur, capitis denunciata pœna, ut qui de seditiosorũ numero quempiam domo recepissent, ilicò producant & exhibeant. Paucis interiectis diebus, Londinum Suffolcius adducitur captiuus. die uerò Februarij duodecimo, Northumbrij filius, Guilfordus Dudlæus, & ipsius uxor Ioanna, Suffolcij ducis filia, quam Eduardo regi summissam fuisse reginam diximus, capite mulctantur, quòd contra legitimam successionem ad regnum aspirassent. Ioannæ sortem plærique omnes miserabantur, quòd innocentissima puella, & liberaliter educata, literisque culta, tantam in calamitatem incidisset, non sanè alia de causa, quàm quòd regnum oblatũ non repudiarat. orationem habuit ad populũ ualde piam ac modestã, & Dei misericordiam implorans, per Iesum Christũ, puellis pedisequis administrantibus, linteolo sibi tegit & obuincit oculos, carnifici deinde ceruicem præbet feriendã. Hoc ipso die, Cortenæus, Deuoniæ Comes, quem ex multorum annorũ captiuitate, regina, superioribus aliquot mensibus liberauerat, denuo capitur ob suspitionẽ initę coniurationis. Posthæc, Londini & Vestmonsteri, ubi regina tum erat, plurimi rapiuntur ad supplicium, & quidẽ ex nobilitate non pauci. quidam etiam elapsi, & in his primi nominis, Petrus Carrus, ad Galliæ regem confugiunt. Dux quoq; Suffolcius, Februarij die uigesimo primo, capitis pœnam luit, cùm antè diem quartum fuisset damnatus. Dum hæc in Anglia geruntur, Sibilla Cliuensis, Ioannis Friderici Saxoniæ ducis coniunx, eo, quem diximus, Februarij die uigesimo primo, moritur Vinariæ, & undecimo post eã die, princeps ipse, cum aliquándiu decubuisset ægrotus. Decesserunt uterq; in uera Dei cognitione: & ipse quidẽ, dum uxori sepulchrum in æde sacra paratur, iusserat sibi locum aliquem ad latus illius reseruari, quòd breui secuturus esset. neque fefellit eum

opinio: nam Martij die tertio, sub horam decimam ante meridiem, cùm ex lectulo concionem audisset, implorata numinis diuini misericordia, suúmq; spiritum Deo commendans, ex hac ærumnosa uita, cœlestem in patriam emigrauit. Iam uerò transactū erat inter eum & Augustum ducem. Cùm enim Daniæ rex, missis legatis, ut suprà docuimus, intercederet, post multam & uariam ac prope semestrem disceptationem, hoc primùm tempore, composita res fuit, his conditionibus. Ioannes Fridericus discedit ab electoratu, Misnia, & oppidis metallicis: Augusto sine liberis maribus extincto, ad Saxonē eiusque liberos mares hæc omnia redeunt: Interim Saxoni licet usurpare sibi nomen electoris & insignia, tàm in obsignandis literis, quàm in procudenda moneta: præfecturas etiam & oppida quædā Augustus ei liberisque largitur, & pro superiorum aliquot annorū residuis debitis, quæ Mauricius nō dependerat ipsius liberis, persoluit ad centum aureorum millia: sed & arcem oppidumque Conigspergum, in Franconia positū, & episcopo Vuirciburgensi oppignoratum in aureorū millia quadraginta, luit & Saxoni liberisq; restituit. Postremò, fœdus hæreditarium Saxonicæ domus, uiolatum superioribus annis, renouatur, ac denuò sancitur. Eam transactionem, Ioannes Fridericus, decumbens, non multò ante uitæ finē, scriptura et signo suo confirmauit, & ut idem filij facerent, iussit. Itaque forti animo superatis omnibus malis & ærumnis, in quas erat coniectus, non in carcere, neque militis externi custodia, cui destinatus erat, uerùm illustri Dei beneficio liber factus, & domum ad uxorem, ad liberos & sacra sua reuersus, extremum diem placidissimè clausit, & filijs, populóq; suo pacem ac ocium reliquit. Vxor etiam, uoti facta compos, terrestre domicilium hoc deseruit. nam sæpenumero dixerat, æquissimo se morituram animo, si modò coniugem sibi uidere prius liceret liberum & incolumem. atque id ab immortali Deo sępissimè precata fuit multis cum lachrymis atque suspirijs. Quo die uitam illa finijt, natus est Augusto duci filius Alexander.

His ferè diebus, qui reliqui per Angliam erant, externi, sed & indigenæ multi, relicta patria, propter mutatam religionem & edicta reginæ, in Germaniam sese conferunt, & Vesaliæ quidam, alij Francofurti, complures etiā Argentorati subsistunt. Ioannes Lascus, Polonus, genere nobilis, Hieronymi frater, uir insigniter doctus, ante hyemem profectus erat illinc cum nonnullis in Daniam: sed cùm ibi parùm amicè reciperetur, ob diuersam de cœna domini sententiam, &

per

per inferiorem Saxoniam eadem de causa denegaretur ei sedes, Emdam, oppidum Frisiæ, tandem peruénit, ibique consedit. Martij die quarto, regina leges promulgat ecclesiasticas, quibus mandat episcopis eorúmque uicarijs, ut ne quem de hæresi suspectum in ordinem sacrum recipiant, hæreses funditûs extirpent, noxios & pestiferos libros aboleant, ludimagistris & populi doctoribus præscribant, & non obtemperantibus docendi munus abrogent, sacerdotibus maritis uxores & facultates auferant, & pœnas ipsorum scelere dignas constituant, sic tamen, ut eos, qui de consensu coniugis profitentur se uelle facere diuortium & in posterum abstinere, lenius tractent, ac resipiscentes etiam loco restituant: adhæc, preces omnes in supplicationibus publicis, & Latina lingua, & more uetusto recitentur, dies omnes festi celebrentur, superioris ætatis ceremoniæ restituantur, pueri adultiores, antè baptisati, ab episcopis confirmentur, & in scholis erudiantur quemadmodum sacrifico missam peragenti ministrare debeant ad aram. Quo tempore pontificatum Romanũ Angliæ rex Henricus octauus exterminauit, uti libro nono diximus, legem hanc tulit inter alias, ne quis ad ullum munus aut dignitatẽ reciperetur ecclesiasticam, nisi prius fide data per iusiurandum, profiteretur, ipsum ac successores etiam, esse caput ecclesiæ supremum Anglicanæ: pontificem uerò nihil habere iuris in illam, nec aliud esse, quàm episcopum urbis Romæ, quicum nihil uelint habere commune. hoc autem iusiurandum regina nunc etiam, cùm hæc euulgaret, remittit, & episcopis mãdat, ne posthac exigatur ab ullo, tacitè quodammodo primatum Romano pontifici restituens. Quod de publicis precibus ait, sic habet. Henrici regis mandatu preces dicebantur, lingua populari: in ijsq; rogabatur Deus inter alia, ut ipsos ab episcopi Romani seditione, conspiratione, tyrannide liberaret: hanc ergò formulam, typis excusam, regina nunc antiquari iubet. Nõ multò pòst in custodiam data fuit reginæ soror, Elisabetha, literis culta puella, quòd anteactæ seditionis cõscia putaretur. Ad exitũ Martij, hostes Alberti Marchionis ad obsidionem Schuinfurti redeunt. Aprili mense uenerunt in Germaniam, ex Anglia, magnæ doctrinæ uiri, Richardus Morisinus, de cuius legatione, superiori libro diximus, Antonius Cocus, Ioannes Checus, ambo regij præceptores: & hi quidem in Italiam deinde sese contulerunt: uenit etiam Ioannes Ponetus, episcopus Vintonienſis, qui per hanc religionis mutationem, loco remotus fuit, ut alij multi. Per hosce dies, cùm Florentiæ

ducis & pontificis copiæ Senas obsiderent, Petrus Strozza, qui Gal liæ regis nomine tuebatur urbem, ex insidijs illos adortus, ubi per indicium quædam accepisset, magnum eorum numerum concidit: illi tamen redintegratis uiribus obsidionem continuarunt. Itaq; Gal liç rex Heluetiorum tria circiter millia conduci iubet, ut obsessis opẽ ferant. Põtificis nepoti Ascanio Florentiæ dux filiam suam despon derat, & initæ fuerunt rationes, illius per hoc connubium amplifi candi. Per hosce dies, Insubriæ præfectus Ferdinandus Gonzaga uenit ad Cæsarem in Belgium uocatus: uenit etiam Baptista Castal dus, quem superioribus annis in Vngariam diximus à Cæsare mis sum. Ad idus Aprileis, Londini, supplicio capitis fuit affectus Via tus: antè quàm produceretur, Elisabetham & Cortinæum diligen ter excusans, aiebat non esse affines coniurationi. Tunc etiam Can tuarienſis & Londinensis episcopus & Hugo Latimerus, primùm Vindesoram, pòst, Oxoniam abducti, habita disputatione cum eius atque etiam Cantabrigiensis academiæ theologis, quum in sen tentia permanerent, dantur in custodiam. Hoc ipso tempore cõuen tus erant omnium ordinum Angliæ. in ijs duo potissimùm propo suit regina: de suo connubio, déque restituendo pontifici primatu: quorum illud certis legibus obtinuit, hoc autem, resistente cumpri mis nobilitate, non potuit persuadere. Cardinalis Polus, ubi cum Cæsare fuisset aliquándiu, Galliæ regẽ petit, & pacis erat utriq; con siliarius: uerùm nihil profecit. Ad finem Aprilis, Albertus Bran deburgicus, acceptis aureorũ millibus sexaginta, captiuum Auma lium dimittit, cùm paulò antè, suæ ditionis alterum propugnaculũ, Holanspergum, amisisset. Non multò pòst, Cæsar, Bruxellæ datis li teris, illũ, hyeme superiori proscriptum Spiræ, sicut diximus, denuò proscribit, & questus eum sic impunè grassari, uerbis grauissimis mandat, ut principes ac ordines omnes, maximè autem finitimi, sen tentiã latam exequantur. Iam antea Roteburgi, ad Duberũ flumen bis conuentum fuerat, pacificandi causa: cúnq; nihil esset actũ, Cęsar hoc in eũ decreuit, & passim fuerũt affixæ literæ, eóq; nomine Vuor maciæ pòst conuenerunt ordines, qui ad prouinciam Rhenanã per tinent. De comitijs Imperij futuris Augustę, nõ semel antè diximus: & quia Cæsar, tum ualetudine tum bellis impeditus adesse nõ pote rat, Ferdinãdus rex, illius rogatu, prouinciã hanc in se recipit, ab eóq; solicitati principes ut uenirent, propter turbulentũ Germaniæ sta tum excusabant. Cæsar iam eò miserat è suis consiliarijs nonnullos,

Augustanum quoq; cardinalem ad hoc delegerat: sed cùm ob eam, quam dixi, causam, nemo ueniret, in aliud magis idoneum tempus reiecta res fuit. Albertus odiosè quædã & acerbè scripserat in Noribergicos, quasi bello superiori Galliæ regem atque socios occultè iuuerint, & pecuniam dependerint, quasi de Cæsare grauem habuerint suspitionem tum ipsi tum episcopi socij, multáque dixerint contumelioſè, quasi Galliæ regi magis quàm Cæsari faueant, quasi bellũ hoc ipsi conflarint, quasi totis uiribus id egerint, ne pacta seruarent episcopi, quasi priores bellum fecerint et ad defensionem ipsum adegerint, quasi nobilitatem omnem profligare studeant, quasi fidem datam & literis obsignatam uiolarint, quasi nefarium & crudele bellum gesserint in suæ ditionis homines, quasi iudicium Cameræ precio redemerint. patrię quoque proditores uocabat, disseminatis per Germaniam libellis. Eo cognito, Noribergici, quum Holanspergo capto quædã eius generis reperissent, Maij die decimo octauo, prolixè respondent, ad ordines omneis euulgato scripto, & ordine singula refutant, & in ipsum plæraque retorquent, & qua conditione Mauricio pecuniam dederint atque socijs, commemorant, & quis belli sit author, ostendunt. Nam etiam eo tempore, quo conuenerãt Hedelbergæ principes interceſſores, ille per suos emissarios, inquiunt, occultè cogebat in Saxonia quàm potuit maximas copias, idq; demonstrari potest tum alijs, tum ijs literis, quas ipsius excursorum unus, Gulielmus Grumpachus, ad eum uigesimo nono die Martij dedit. Quòd nisi tum rex Ferdinandus, dux Mauricius, & Brunsuicenses, omne robur, uitam etiam atque sanguinem patriæ impendissent, horribilẽ ille uastitatem per omnem Germaniam excitaturus erat. Episcopos Franconiæ coëgerat ad iniquissimas conditiones: eam uerò transactionem Cæsar irritam fecit, & illis, ut sua recuperarent, permisit. Bambergensis igitur oppida quædam atque præfecturas amissas recepit, multò antè quàm in gratiam ille cum Cæsare rediret, & tunc, quum propter perduellionis crimen non facultates ei tantùm, sed uita quoque iure poterat auferri. Mandatu postea Cæsaris, ad nostri defensionem ac prouinciarum tutelam fœdus iniuimus, ut quidam alij. Reconciliatus deinde Cæsari fuit, & transactionis obtinuit ab eo confirmationem, sed ea lege tamen, ut esset ipsi fidelis ac Imperio: uerùm ille, tametsi uim ei nullam Cæsar permiserat, per obsidionem Metensem domum ad suos rescripsit, ut episcopos territarent, & nisi restituant ablata, uim facerẽt. Sic illi, Ianuario

deinde menſe, facto impetu plæraque recuperarunt armis. Itáque Bambergicus, ut opem ſibi ferrent ex pacto, ſocios admonuit: nos tamen, ne quid præcipitanter fieret, non ſemel per literas & internuncios ad pacem hortati ſumus Albertum: ipſe uerò contemptim & contumelioſè reſpondens, quò plures haberet hoſtes, eò ſibi maiorem eſſe paratam gloriam, inter alia dicebat. Fuit hoc initio Martij. neque multò poſt actio fuit Hedelbergæ inſtituta. cúnque luculentas ibi propoſitas cõditiones reiiceret, hortantibus eum ad pacem propinquis & agnatis interceſſoribus, & domum illinc profectus exercitum conficeret, interpellati rurſus ab epiſcopis atque ſolicitati, tunc demùm ei nos profitebamur aduerſarios. fuit hoc anno ſuperiori ad calendas Aprileis. Et quum truculentiſſimum ipſe bellum geſſerit, nouo prorſus & inaudito per Germaniam exemplo, nobis crimen illud impingere conatur. ſed profectò falſum eſt, nec eius generis quicquàm ad nos unquam delatum fuit. Ipſius uerò milites nullum ſæuitiæ genus prætermiſerunt, & aratores fortè ruri deprehenſos, patres aliquandò ſimul & filios, in aſpectu prope noſtro ſuſpenderunt: fœminas autem non uiuas modò cõſtuprarunt, ſed mortuas etiam effoderunt. Anni ſuperioris Maio menſe, quidam ex nobilitate Franconica, Nicolaus Egloffſtenus, caſtelli ſui Conruti deditionem facere coactus fuit: ipſe uerò non ſolùm illud exuſſit, uerumetiam ad quadraginta circiter homines ruſticanos ibi repertos, & cum his eccleſiæ miniſtrum, in horto prope caſtellum ſtrangulari iuſſit, & uxorem illius atque matrem captiuas abduxit. Excuſare quidem iſtud conatus eſt per literas, ad nobilitatem Franconicam, ſed parùm idoneè. Quomodò captiuos etiam tractarit, docere poſſunt in Saxoniam ab illo pertracti noſtrates ac Bambergenſes obſides, & qui paſſim in illius detenti fuerunt ergaſtulis. Nam & immenſam eos pecuniam popoſcit, & tormẽtis acerbiſſimè ſubiecit, & inedia quoque confecit atque gelu, ſic, ut nonnullis extinctis, reliqui frigore necata membra ſibi reſcindi curarent atque tolli. cúnque ex ipſis nonnulli, quo ſe uel redimerent, uel uitam tolerarent, non haberent, alimoniam eis dari uetuit. Ac niſi milites præſidiarij, lamentationibus illorum & miſerabili clamore uicti, fragmenta panis abieciſſent illis aliquandò, præ uetuſtate iam arida prorſus atque mucida, quæ ne pecudes quidem & animantia bruta, niſi per extremam famem, attingere uoluiſſent, inedia fuiſſet omnibus pereundum. Et licet nonnulli pecuniam per

amicos

amicos conficerent, uix tamen aquam atque stramen consequi potuerunt. itaque fame sitique fuerunt extincti quidam in horribili carceris non squalore, sed fœtore, medias inter sordes atque uermes & reptilia. cúnque sic interissent, non fuerunt extracta nec illinc remota cadauera, sed apud superstites & eos qui miserè trahebant adhuc animã, relicta. Quàm uerò leniter à nobis tractati sint ipsius captiui, duces aliquot & centuriones, etiam ij, qui pessimè de nobis meriti nulla conditione sese dediderant, id uel ipsorum testimonio cognoscere licebit. A pace uerò quàm sit alienus, duabus illis actionibus Roteburgicis doceri potest, uti uobis constat, illustrissimi principes, qui uel interfuistis ipsi, uel eò misistis legatos. Nam licet grauissimam ab eo calamitatem accepimus, & quanquàm euulgata iam erat eius proscriptio, tamen hæc fuit à nobis in priori conuentu delata conditio. quòd si discederet ab armis, & in posterum rectè caueret, ac legibus rem agere uellet; nos etiam arma deposituros, & principum intercessorum arbitrio, uel Cæsaris & ordinum iudicio causam esse permissuros: idem episcopi deferebant, de consilio & uoluntate legatorum Ferdinandi regis: principum autem intercessorum consiliarij hoc etiam studio pacis addebant, quòd si confœderati ordines Franconici, prouinciam ei suam, cuiusmodi tunc erat, restituere pollicerentur, utrinque recedendum ab armis, & de postero cauendum, & proscriptionem, ea quidem parte, fore irritam, & amicæ uel legitimæ tractationi controuersiam totam esse permittendam. Sed ille per contemptum atque ludibrium, intercessores uocabat hostium suorum procuratores, neque se passurum tales in angustias redigi, neque cupere proscriptionem adhuc aboleri, quódque reliquum haberet facultatum, uelle dicebat periclitari, multaq; id genus alia, leuiter & contumelioſe & minaciter, de summis, mediocribus, infimis iactabat, ut ijs, quæ sunt Holanspergi typis excusæ, literis demonstrari potest. In altero deinde cõuentu, licet ampliora deferrentur à nobis, tamen nihilo magis ad pacem spectauit, imò technas adhibuit & insidias, parum quidem laudatas, neque uiro principe dignas. Nam intercessorum rogatu totam causam Cæsari simul & principibus aliquot permittens, arma deponere pollicebatur, idq; compromissum, Cæsar, datis Bruxellæ literis, Aprilis die quarto, ratum habuit, & Franconiæ confœderatos ordines, ut ab armis & ipsi discederent, eiúsque fidei ac diligentiæ rem committerent, monebat. Hoc autem eo consilio

faciebat Albertus astutè, sicut ex ijs quę cõsecuta sunt, apparet, ut & Cæsarem tardaret, ne proscriptionis executionẽ certis Imperij mandaret prouincijs, & ut ipse spacium haberet conficiendi, quem tunc passim cogebat, exercitus, quò nos opprimeret inopinantes: uerùm beneficio Dei detecta res fuit, ipsius interceptis eodem tempore literis, quas ad suos huc illuc tribunos mittebat & centuriones, in quibus hoc erat: actionem Roteburgicam ab se permissam, eò solùm, ut interea sese comparet ac hostem adoriri possit: quòd si iam intercessores ab eis fortè postulent, ut discedant à signis, non esse quòd morem gerant, sed maneant coniuncti, neq; diuulsionẽ fieri patiantur: ad excusandũ uerò causam hanc adferant, quòd multorũ mensium ipsis debeantur stipendia, neque possint, nisi persolutis illis, abscedere, sed absque maleficio tamen ijs locis uelle permanere dicãt, donec sit ipsis depensa pecunia. Huc etiam pertinent ipsius literæ, quibus mandat suis præfectis, ut sine mora quosuis adoriantur promiscuè. patefactis igitur his insidijs, & quum ab ipsius legatis, Roteburgum missis, nostri homines, an compromisso stare uellet, interrogarẽt, neque certum responsum ferre possent: de Ferdinandi regis legatorũ consilio coacti sumus Deo simul & Cæsari ac Imperio rem committere, sicut nostræ tum ad Cæsarem missæ literæ declarant. Quod cùm ità sit, & quoniam ex ijs, quæ uerè cõmemorauimus, facilè quiuis intelligit, eò nos urgeri tantis & conuicijs & contumelijs & incommodis, quòd ad illius depellendam uim atque furorem, imperio summi magistratus obtemperauimus, idcircò maiorem in modum oramus omneis, qui uirtutem ac probitatem amant, uim autẽ & iniuriam oderunt, ut diligenter cõsiderent, nisi lata sententia mandetur executioni, & hæc illius reprimatur audacia, quantum immineat non nobis tantùm sed ipsis etiam discrimen. Nullum ergò subsidium aut opem ei ferant, neque perfugium aut receptũ patefaciant, sed ut uiros principes decet & amantes patriæ, non solùm non impediant executionem mandati, sed ipsi quoq; totis uiribus huc incumbãt, & ità sese gerant, ut exemplo reliqui deterreantur: ne libellis etiã famosis & criminationibus illius in nos profusis fidem habeant, & si quid ille rursus in nos molietur, ope consilióque iuuent, etiam atq; etiam obsecramus. Acceptis ab Aumalio nummis, ut suprà dictũ est, Albertus in Saxoniam contendit, & Maio mense conductis ibi copijs, occultè Schuinfurtum petit, & Iunij die decimo cum equitibus octingentis, peditum signis ad septem, prima luce, qua parte nõ

erat

erat obsessum, ingreditur oppidum. Et quia rerũ omnium premebãtur inopia, tertiò pòst die, quum oppidũ diripuisset, præsidiarios omneis, de nocte, tam equites quàm pedites, ad octodecim signa, cum tormentis educit, nullis relictis ad portarum custodiam stationibus, & Kitzingum iter habet, oppidum infrà positum, ad Mœnũ. Cùm iam diluceſceret, & portas nudatas prẽsidijs hostes animaduerterent, dato signo per castra, sese parant ad iter, & illum insequuntur: sed complures, ac Brunsuicenses quidẽ inprimis, ab Henrico duce missi milites, in oppidum irruunt, & quod reliquũ erat diripiunt atque deuastant. proceres igitur & belli duces, ne reliquorum mora spacium nactus Albertus euaderet, diuersis aliquot locis oppidum incendunt: sic illi discedere coacti redeunt ad exercitum. ac licet horis aliquot præcederet Albertus, tamen, quòd tormentis impeditus atq; tardatus accelerare nõ posset, ab agmine primo sistitur, cum ijsq; manus conserit: aduentante autem reliquo exercitu, quum tantæ multitudini se uideret imparem, suos cohortatus, ut qua quisque ratione posset, sibi consulerent, ipse paucis comitatus equitibus, è conspectu celeriter abit, & per flumen, ad Kitzingum tranando euadit, impedimentis omnibus amissis. Octauo pòst die, præcipuum eius propugnaculum, Blasseburgum, deditione capitur, & in Ferdinandi regis potestatẽ peruénit, cùm non multò antè Bohemiæ cancellarius Henricus Plauius, qui continenter illud obsederat, mortẽ obijsset. Sic igitur omni ditione pulsus fuit & eiectus Albertus. Dum hęc in Franconia geruntur, Henricus Brunsuicensis, per inferiorẽ Saxoniam, plærosq; tàm principes quàm ciuitates, & ex nobilitate complures, pecuniam poscit, & imperata facere cogit, Megelburgium, Luneburgenses, Anhaldios, Mansfeldicos: alteræ etiã illius & episcoporum copiæ, profligato Alberto, captóque Schuinfurto, sicut diximus, Roteburgum, oppidum Imperij, & Hennebergium comitem inter alios malè mulctabant, eóque tendebant, ut nisi belli, quod ad omneis pertinere iactabant, impensas recuperarent, uim facturi uiderentur: sed intercessione cõposita res fuit, & discessum ab armis. Ad hoc ferè tẽpus, Sabaudiæ dux, Carolus, magna suę ditionis parte spoliatus, ut libro decimo docuimus, è uita decedit, hærede relicto filio Philiberto, qui Cęsari multis nunc annis militabat. Ferdinandus rex, nuper edicto promulgato, suis mandarat, ne quid in eucharistiæ sacramento mutaretur, utq; pro ueteri cõsuetudine, qui cœnam domini perciperent, altera, quam uocant, essent contenti specie: sed

optimates atque nobilitas & ciuitates, cùm antea non ſemel illum interpellaſſent, nunc denuò per epiſtolam admodum demiſſè rogant, multis in medium adductis argumẽtis, ut iuxta Chriſti mandatum, & inſtitutum, ac ueteris eccleſiæ morem eis concedatur integra cœnę perceptio. His illorum literis, Iunij die uigeſimo tertio rex Viennæ reſpondens, minimè futurũ, inquit, putabam, ut edictum illud meũ à uobis in diſputationem uocaretur, & cauillationẽ ſubiret. nam eò ſpectaui ſolùm, ut meę ditionis populus in antiqua ueráque religione, & eccleſiæ catholicę permaneret obedientia, cuius extra commercium nemo ſalutem conſequi poteſt, utq; ſacramentum hoc, omniũ maximè præcipuum, iuxta legem eccleſiæ morémque perciperent, neque uel deprauatis quorundam opinionibus, uel curioſitate quadam aut etiam ſuperbia deflecterent ab eo, quod & eccleſiæ ſimul & magiſtratui debent, officio. Hæc nimirùm illius eſt edicti mens atq; ſententia: neque nouum eſt quod mandaui, ſed uetus inſtitutum, quod & ad maiores meos, Imperatores, reges, & Auſtriæ duces, ueluti per manus delatum eſt, & ad me quoque, cùm rempublicam gerere cœpi, deductum, & ad hoc uſque tempus, diligenter, uti Chriſtianum principem decet, à me ſeruatum, meíſque populis nõ ſemel, ut in eo perſiſterent, iniunctum. Itáque minimè fore putabam, ut in edictum hoc meum aliquid tentaretur à uobis, qui cæteris in rebus omnibus, nequa mutatio fiat, utq; leges ac iura ueſtra uobis integra maneant, contenditis. Nam certè nouum eſt quod agitis, & à uobis non ità pridem opinione quadam ſuſceptum, & nunc etiam prolixè diſputatum, quaſi uerò de meis mandatis, qui ſum præcipuus ueſter & ſummus magiſtratus, iudicare uobis liceat, aut quaſi iure uobis illud permitti debeat, quod annis nunc aliquot, nonnulli ueſtrum, ſua quadam ſponte, præter eccleſię legem meámque uoluntatem, ſibi priuatim ſumpſerunt & uſurparunt. Quia uerò grauis eſt & ardua quæſtio, ſicut ipſi quoque dicitis, equidem amplius de illa cogitabo, ſuóque tempore ſic reſpondebo, ut populi mei ſalutem mihi cumprimis eſſe curæ, poſſit intelligi: ſed interim obſequentiam à uobis omnem expecto, nec aduerſus edictum aliquid facturos eſſe confido. Adhæc ordines deinde ſcripto uiciſſim reſpondent, &, quod de Chriſti ſeruatoris mandato non ſemel à nobis antea dictum eſt, aiunt, ſereniſſime rex, idem nunc repetimus. Nam claris atque perſpicuis uerbis ille ſuam cœnam inſtituit, ut ad eum modũ, ſicut ipſe præſcribit, ab omnibus perciperetur: illius autem inſtitutum atque

præſcriptum

præscriptum nemini mortalium immutare licet: hunc etiam ueteris ecclesiæ fuisse morem, & eum, qui nunc est, paulatim obrepsisse, demonstrari potest. nam & Constantiense concilium, à Christo sic illud institutum esse fatetur. Cùm igitur ad nostram hoc salutem pertineat, nulla certè uel curiositas uel superbia nos impulit, quò magis etiam speramus futurum, ut deliberationem tuam ad Christi mandatum simul & apostolorum & ecclesiæ ueteris consensum referas, & conscientiam nostrã minimè grauari uelis, quod ut facias, per omnia sacra, per gloriam Dei, nostrámq; te salutem oramus. Te quidẽ summum & à Deo nobis datũ magistratum agnoscimus, & libentissimè quidem, ac nihil est omnium rerũ, quod nõ possis aut debeas à nobis expectare, sed in hac una re propitiũ te nobis esse flagitamus. In Vuirciburgensis episcopi ditione monachorum est collegiũ, Nustatum. eius abbas Ioannes Frisius, cùm in suspitionẽ Lutheranismi uenisset, quinta die Maij citatur, ut sexto pòst die ueniat Vuirciburgum & ad interrogata respondeat. Quæstiones autem erant istæ. num liceat iurare, num iureiurando quis obligetur, num castimoniæ, paupertatis, obedientiq; uotum facere liceat, an obligent eiusmodi uota, num ecclesiæ ministris magis conueniat cœlibatus quàm matrimonium, an una sit ecclesia uera & apostolica, num hæc, uelut sponsa Christi, perpetuò gubernetur à spiritu sancto, num uera semper & salutaria decernat, an propter uitia quorundam & errores deserenda sit, an hæc ipsa, propter caput, Christi uicarium, Romana rectè uocetur, an omnes utriusq; testamenti libri, quos canon habet, legitimi sint atque ueri, num sacra scriptura sit iuxta sanctorũ patrum, ecclesiæ doctorum & conciliorum, non autem Lutheri sententiam & id genus aliorum interpretanda, num præter sacram scripturam opus etiam fuerit alijs traditionibus, cuiusmodi sunt apostolorum & id genus aliæ, num ijsdẽ traditionibus eadẽ debeatur fides, authoritas & obedientia, quæ sacrę scripturę, num magistratui ciuili sit in politicis, in sacris obtemperandum ecclesiastico, num septem ecclesiæ sint sacramenta, sint ne baptisandi pueri, num ad baptismũ adhiberi debeat lingua Latina, sal, oleum, aqua, characteres, exorcismi, num baptismo deleatur omninò peccatum originis, ità quidem, ut concupiscentia, quæ remanet, eius peccati nomen amittat, an panis in corpus, & uinum in sanguinem Christi, uirtute uerborũ, quæ sacerdos enunciat, mutetur & consecretur, & an ità remaneat, etiámsi non statim percipiatur, an eo modo consecrata eucharista sit

ueneranda, siue circumferatur ad honorem Christi, siue deferatur ad ægrotos, aut etiam inclusa reseruetur, an sub specie panis & uini sit adorandus Christus, an sub utralibet specie sit totus Christus, an delictorum confessio præparet hominẽ ad dignè percipiendam eucharistiam, an missa sit uerum & perenne sacrificium, an uterque missæ canon sit retinendus, an sacramentum confirmationis sit exercendũ, an pœnitentiæ sint tres partes, cõtritio, confessio, satisfactio, num sacerdos condonare peccata possit ei qui nõ sit antè confessus illa, num soli sacerdotes habeant potestatem clauium, an animæ piorum charitate nos persequantur, an pro nobis ad Deum intercedant, num sint inuocandi diui, num dies festi consecrati diuis rectè celebrentur; an diuorũ sint uenerandæ reliquiæ, num animę piorũ nondum expiatę subleuentur missis, precationibus, ieiunijs, eleëmosynis, an sit locus purgatorius; an quadragesimæ tempus & alia per ecclesiam indicta ieiunia seruari debeant, an diebus ab ecclesia uetitis abstinendum sit ab esu carnium, an ceremonijs ad religionem sit incitandus populus, quæ ceremoniæ sint piæ, quæ minus? Adhæc ille, Maij die uigesimo septimo prolixè respondet: ac licet non modò sacræ scripturæ, sed patrum quoque testimonijs dicta sua confirmaret, tamen Iunij die uigesimo quintò damnatus est, & ab omni functione remotus. Ad exitum Iunij, Galliæ rex, cum exercitu Campaniæ finibus egressus, ad Mosam flumen iter habet, & in Cæsaris prouinciã, extremis Nerujs coniunctã inuadens, Bouinum oppidum & Dinantũ inter alia multa capit, diripit, arces ibi demolitur, & Marieburgũ captum opere præsidióq; munit. Cęsar autem Bruxella digressus cum suis copijs, Namurcum uenit, quod est ad Sabim flumen, infra Dinantum, quinq; milliaribus oppidũ. Rex uidebatur ad prælium spectare: cúmq; duceretur tempus, in Hannoniam deflectit, & Binsium oppidũ, arcémq;, reginæ Mariæ delitias, deditione capit, diripit, incendit, & longè latéq; rapinis ac incendijs omnem illam regionem deuastat. In Atrebatum deinde finibus Rentium oppidum obsidet: aduentante autem Cæsare, cuius iam erãt omnes collectæ copiæ, ab obsidione disceditur, factis utrinque leuioribus prælijs. Fuit hoc Augusto mense, quum eodẽ ferè tempore regis exercitus per Hetruriam, cui Petrus Stroza præerat, interceptus à Cæsariano milite, cuius erat ductor Marchio Marignanus, magnam cladem accepisset. Ex Heluetijs desiderati sunt complures, quos eò missos à rege, suprà diximus. Interea Cæsaris filius Philippus, ad decimum nonum Iulij diem,

ex

ex Hiſpanijs cum claſſe in Angliã appellit,& quarto pòſt die, Vintoniam, ubi regina eum expectabat, ſub ueſperum uenit,& ad primarium uſque templum progreſſus, omni præeunte nobilitate, ab epiſcopo Vintonienſi & quibuſdam alijs excipitur. In reliqua turba procerum aderat ei dux Albanus. poſtridie reginam adit,& familiariter diu multúmque collocutus, altera die, qui diuo Iacobo ſacer eſt, Hiſpaniarum patrono, peractæ ſunt nuptiæ: & aderat à Cæſare legatus, qui regnum Neapolitanum ab illo conceſſum eſſe filio matrimonij cauſa, palàm dicebat. Pòſt illinc digreſſi, deducente regina, tandem honorifico ſplendore & comitatu Londinum ingreſſus eſt, urbem primariam. Auguſto menſe rurſus Vuormacię conueniunt ordines aliquot Imperij, cùm executionem Cæſar in Albertum urgeret. qui finibus eiectus, ut ſuprà dictum eſt, primùm in Lotharingiam, inde ſe reçeperat in Galliam, cùm hoſpitium ei rex non denegaret. Et quia metus erat, ne quid ille moueret, ne uel in Alſatiam aut loca uicina faceret eruptionem: ab ijs, qui ſunt Rhenanæ prouinciæ, ſub finem Septembris, aliquot miſſę fuerunt cohortes equitũ, in Lotharingię fines, qui ſeruarent aditus. uerùm hi tandẽ, nulla re perfecta, cùm nemo ſe commoueret, domum redeunt, non ſine diſpendio illorũ, ad quos diuerterant. Octobri menſe rurſus conuenitur Francofurti, cùm hac, tùm alijs de cauſis. Ad eum conuentum allatæ ſunt Alberti literæ, quibus de illa queritur militia, déque Atrebatenſi multa locutus, Treuirenſem & Argentinenſem epiſcopum & Lantgrauium inter alios odioſè perſtringit, & ſanguinarios uocat equites illos, qui ſuæ uitæ ſint inſidiati. Galliæ quoque regis nomine fuerunt ibi recitatæ literæ, Germanica lingua ſcriptæ calendis Octobris. De uetuſta Germaniæ Galliæq; neceſſitudine locutus, aduerſarij toti ſunt in hoc, inquit, ut eam diſſoluant: & ſuperioribus quidẽ annis hoc effecerunt, ut parens meus iudicaretur hoſtis: uerùm ego nihilominus, cùm ante annum ſecundum, Imperij ſtatus eſſet miſerabilis ac planè deformis, præteritarũ offenſionum depoſita memoria, quo ſim ergà uos animo, luculenter demonſtraui, ſecutus maiorum ueſtigia, quibus & dignitas ueſtra curæ ſemper fuit & amplificatio. Quòd enim iniuriam uobis unquam illi fecerint, doceri non poteſt: aduerſarij uerò multis modis & libertatem uobis omnem et fortunas eripere conati ſunt, quandò non ſolùm exigendæ pecuniæ uarias artes excogitarunt, ſed factiones etiã in illuſtribus familijs inflammarunt, uti uobis abundè ſatis conſtat. Et licet ità res habeat,

tamen illorum impulsu, quosdam ordines, & quidem mihi uicinos, à quibus herde nihil tale expectabam, arma in me sumpsisse audio, cùm nihil antea denunciarint. quod sanè cumprimis mihi uidetur mirum, eóq; magis, quòd nulla mihi uobiscum intercedat offensio. Nam in eo, quod de Alberto Marchione uulgò fertur, quasi contra uos opem ei feram, iniuria mihi fit. quòd enim fauore prosequar illum, facio tum propter eam, quam dixi, ueterem inter nos coniunctionem, tum quòd Galliæ regum ea semper consuetudo fuit & hospitalitas, ut adflicti principes, Germani præsertim, tutum haberent apud ipsos perfugium atque receptum. Esset mihi sanè multò iucundius, illum uidere florentem apud suos, rebus integris, quàm profligatum, eiectum atque desertum: cuperem etiam illum in hanc calamitatem non incidisse, uel nunc saltem æquis conciliari posse conditionibus. Cùm autem aduersarij mei culpa sit in eam coniectus difficultatem, qui rem eandē & irritam pronunciauit, & postea ratam habuit, cur in suspitionem uocor, si me fortunæ ipsius miseret? Vt autem aduersus Imperium ei darem auxilia, ne in mentem quidem mihi uenit: neque sum facturus etiam, quod omninò uobis persuadere debetis, modò uos inuicem aduersus amicitiæ leges nihil admiseritis. Et cùm à me nihil nisi pacatum atque beneuolum expectare uos oporteat, inuicem à uobis peto, ne technis eorum, qui non mihi tantùm, sed uobis etiam pessimè uolunt, circumuenti, uel arma sumatis ipsi, uel subsidium illis atque pecuniam in me contribuatis. nā eo tendunt, ut priuata sua negocia publica faciant. quin potius amicitiam colite, & quam defero conditionem, accipite. Quid autem uestri sit in eo propositi, per eum, qui has uobis reddit, apertè mihi renunciari: adhæc, ut iuxta morem antiquum & transactionem Passauiensem, legatis meis, qui sunt ad proximū Imperij cōuentum ituri, caueatur idoneè, peto. Responsum ad ea fuit. quòd ad Lotharingiæ fines ac loca uicina sint missi equites, nō ad ipsius ullam iniuriam pertinere, sed eò fuisse factum, ut si quā Albertus Marchio faceret eruptionē, eius impediretur conatus: de legatis déq; publica pace quod petat, quia nullum eius rei mandatū habeant, ad suos uelle se referre, neq; dubitare, quin illi, quod æquū erit, in eo sint facturi. Sub finē Octobris, filio suo Philippo, Cęsar, principatus Mediolanensis possessionem tradi iubet per internuncios, adhibitis, quæ fieri solent, ceremonijs. Galliæ rex, obsidione soluta Rentini, sicut diximus, non multò pòst, dimissis Heluetijs, reliquum militem in præsidia distribuit.

buit. Cæsar autem non procul ab Hesdino, quod anno superiori captum demolitus erat, ut dictum est, idoneum speculatus locum, nouam ibi munitionem & oppidum instituit, & quò perfici posset, exercitum alit, qui Nouembri mense rapinis & incendijs omnia longè latéq; deuastat in Morinis & Ambianis. itáque belli tota moles ac impetus in miseram & imbellem utrobique multitudinem redundabat. Cęteris deinde dimissis copijs, unam & alteram legionem Cęsar sibi retinebat. Eodem tempore, Galliæ rex nouas mittit in Italiam copias, & in his Germanos, ut Senenses recrearet, quos Florentini ducis & Cæsariani milites acriter obsidebant. Ad duodecimũ Nouembris diẽ inchoata sunt Londini publica totius Angliæ comitia. Cardinalis ergò Polus, è Brabantia profectus, cùm ad eum ex Anglia legati uenissent, qui deducerent, & in his Pagetus, ad XXIII Nouembris diem Londinũ peruénit, honorificentissimè, quacunq; fecisset iter, exceptus, & mox loco pristino, suæq; stirpi & familiæ & hęreditati fuit de cõmuni uoluntate restitutus, unde rex Henricus eũ deiecerat. Quinto pòst die uenit in conciliũ, & rege Philippo præsente atq; regina, quum suæ legationis causam exposuisset, hortatur, ut ad ecclesiæ cõmunionem redeant, & sanctissimo patri, pontifici Romano, debitam authoritatẽ restituant. qui summã uelit ipsis impertire clementiam ac benignitatẽ: monet etiã, ut Deo gratias agant, qui talem ipsis regem dederit atq; reginã: postremò, quòd ipsum hęreditati familiæq; suæ reddiderint, maximi loco beneficij habere, tantóq; plus obligari se dicit, ut ipsos inuicẽ cœlesti patriæ curiæq; restituat, quod quidẽ omnium rerũ inprimis optet. In hanc sententiã locutus, digreditur. Ibi Vintonienſis episcopus, cancellarius, illius oratione repetita, multisq; uerbis ad unionẽ & concordiã eos hortatus, permagnas Deo gratias agẽdas esse dicit, qui pro sua immensa misericordia prophetã eis ex ipsorũ semine suscitarit, amplissimum uidelicet Cardinalẽ, qui totus in ipsorũ salutem incumbat. Postridie, cùm orationẽ & postulata Poli probassent ordines, concepta fuit petitionis formula qua regi supplicant atq; reginæ, ut ad illũ intercedant: eius hæc erat sententia. pœnitere se uehemẽter schismatis, quòd obedientiam sedi apostolicę denegarint, & quòd decretis factis aduersus illã assenserint: in posterũ uerò se futuros in ipsius atq; reginæ potestate, et facturos quicquid omninò possint, ut eiusmodi leges omnes atque decreta his comitijs abrogentur: maiorẽ igitur in modum orare, ut interueniant, & efficiant, ut à delictis atque censuris absoluti,

quas iuxta leges ecclesiasticas cõmiserint, in ecclesiæ Christi gremiũ, tanquàm filij pœnitentes recipiantur, ut deinceps in Romanæ sedis & pontificum obedientia seruire Deo possint, ad ipsius nominis gloriam, & suæ salutis incrementum. Altera die, cùm iterùm adessent rex, regina, Polus: consurgit cancellarius, & quid super legati pontificij postulato decreuerint ordines, clarè pronunciat: deinde supplicem petitionem ordinum, scripto comprehensam & obsignatã, regi tradit atque reginæ, petens, ut accipiant. Hi, cùm aperuissent, cancellario reddunt, ut pronuncietur. tùm ille rogat ab uniuerso cœtu, num ratam habeant? illis affirmantibus, rex atque regina consurgunt, eámque Polo tradunt. Is cùm legisset, diploma suæ legationis illis exhibet: mox illud recitatur, ut ipsos absoluendi potestatem ei factam à pontifice, omnes intelligerent. Pòst, orationem habet, & quàm sit grata Deo pœnitentia, quantúmq; de peccatore pœnitente gaudeant angeli, demonstrat, & multis in medium adductis exemplis, Deo gratias agit, qui mentem hanc emendationis cupidam ipsis inspirarit. Eo facto, consurgit: idem rex atque regina faciunt, & in genua subsidunt. Ibi tum ille Dei numen atque misericordiam implorans, obtestatur, ut populum benignè respiciat, & culpam ignoscat: séque legatum à pontifice, Christi uicario dicens, ut illos absoluat, digitis de more sublatis atque protensis bene precatur toti multitudini, simul eos absoluit. Ad sacellum deinde uentum est: hic Deo sunt actæ gratiæ, symphonia cantorum, & festæ lætitiæ fuit editum signum, uti fieri consueuit. Qui Polum antea nouerant ex colloquijs, uitæq; consuetudine, ualde sunt hoc illius factum admirati, longéq; diuersum sibi de illo promiserant. Decembris die decimo octauo, Cæsar, Bruxellæ datis literis ad omneis principes ac ordines Imperij, quàm grauibus, ait, de causis, Albertus Brandeburgicus, ante annum sit à Cameræ iudicio proscriptus, & perduellionis condemnatus, ex ijs, quæ tunc palàm fuerunt affixæ, quæq; pòst à nobis etiam emanarunt, literis atque mandatis, apertè uobis constat. Quia uerò suis illis turbulentis consilijs atque seditiosis pertinaciter insistit, & res nouas hauddubiè molitur, ut communem omnium parentem Germaniam denuò uexet & affligat: deinde, quoniam sua passim habet apud nonnullos diuerticula, receptũ atque perfugia, sicut ad me defertur, equidem, ut patriæ consulam, edicta superiora putaui necessariò renouanda. præsertim, cùm ex uobis neminem esse credam, qui non & patriam amet, & sibi suisque finibus atq; populo

consultum

consultum,& illius atque sociorum conatus impediri uelit atq; tardari. Quapropter,ijsdem,quæ iampridem sunt à me propositæ,pœnis,iterum edico,ne quis illum atq; socios ulla re iuuet,non ope,non consilio,nõ hospitio,non pecunia,nõ annona,non tormentis:ut etiã ipse uel socij manus ullas faciant aut militem cogant in alicuius finibus,nemo illis permittat,& si quid eiusmodi moliantur,modis omnibus,pro se quisque prohibeat,suæq; ditionis homines,ne transcurrant ad eum,coherceat,sontes autem & qui dicto nõ sunt audientes, plectat. Hæ literæ passim promulgatæ fuerunt, excusæ typis. Ad 19.12 xxix Decembris diem, Ferdinandus rex, comitiorum causa, de quibus nõ semel antea diximus,Augustã uenit:& cùm neminem ibi reperisset, biduo pòst, missis tum literis tum internuncijs, hortatur principes, ut quia de grauissimis Imperij negocijs agendũ sit,quàm primum accedãt:se,licet magno suo dispendio & incõmodo,suis relictis finibus, eò uenisse, ut unà cum ipsis in cõmune consulat,& rationes ineat,afflictæ Germaniæ salutares atq; necessarias: ueniant igitur ipsi,neq; per legatos rẽ agant: sic enim causæ magnitudinẽ postulare:sibi nimirum à fratre Cæsare plenam agendi factã esse potestatẽ, neq; se longius,quàm oportet,ipsos remoraturũ. Ad idus Ianuarij dimissus est Londini conuentus ordinũ Angliæ. Inter alia multa, de Poli restitutione literis comprehensa res fuit & monumentis inserta: superioris etiam ætatis regum edicta de puniendis hæreticis, & episcoporum potestate, renouata sunt: inprimis autem restitutus est in integrum pontificatus Romanus, & quæ totis illis annis uiginti fuerunt aduersus Romanam sedem,uti uocãt, facta decreta, damnantur & abolentur. Plæricq; fore putabant,ut his comitijs Philippo regni diadema traderetur: sed nihil actũ est. Initio Februarij quincq; sunt damnati capitis, Londini, quòd ad religionem pontificiam redire nollent,egregia doctrina uiri,Ioannes Hopperus episcopus Cloceſtrensis,Ioannes Bratfordus, Laurentius Sanderus, Rolandus Taillerus,iureconsultus,Ioannes Rogerus:et hic quidẽ Londini,ubi sacra docuerat, exustus est, illi uerò domum quisq; suã deportati,Cloceſtriã,Lenclastriam,Couentriã, Hadlam,eodẽ supplicio uitã finierunt,cõstanter omnes.Paulò pòst, Dauidensis etiã episcopus,damnatus est,et domũ,ut è medio tolleretur,missus. perscriptũ tunc ex Anglia fuit,regni totius nomine profecturos Romã esse legatos,qui põtifici et gratias agerent pro summa clemẽtia,qua sit usus in ipsos, & obsequentiã omnẽ atq; fidẽ in posterũ pollicerẽtur. Februarij die quinto,Ferdinãdus rex,etsi perpauci principes aderãt, M.D.LV.

actionis facit initium Augustæ. scire ipsos, quàm grauibus ac necessarijs de causis hunc conuentum Cæsar, primùm ad Vlmam, pòst autem ad hãc urbem, ut sub idus Nouembreis inchoaretur, indixerit: se quidem rogatu monitúque fratris, eum ad diem optasse rem auspicari, sed constituendis domi rebus, ut per suam absentiam rectè omnia fierent, & hosti uicino posset occurri, si quid moliretur, impeditum fuisse atque tardatum: uerúntamen ad uigesimum nonum Decembris diem huc tandem aduenisse, ut in cõmune consuleret. quod etiam Cæsar inprimis cupiat, nimirùm, ut quicquid ad gloriam Dei pertinet ac Imperij tranquillitatem, id de communi ipsorum omniũ consilio statuatur: etenim, quanta Cæsaris diligentia, studium, labor, solicitudo semper interuenerit, pro summa ipsius in communẽ patriam charitate, ut & ocium publicum, & sublatis offensionibus religio constitueretur, id esse notum atq; testatum, quum ex omnibus alijs, tum ex ijs, quæ postremis duobus conuentibus facta sint, decretis: quicquid etiam tum in se recepit ille, facturúmque promisit, ipsa re præstitisse: cuiusmodi uerò, quánq; pernicioſi motus tàm intestini, quàm externi, præter omnem expectationem pòst inciderint, quibus omnia illa tàm salutaria decreta, non impedita solùm atque turbata sint, uerumetiam sublata, maximo quidem reipublicæ cum detrimento, id omnibus ità constare, nihil ut attineat cõmemorare longius: in eo autem Cæsaris nullã interuenire culpam, qui nec offensionis causam ulli dederit, & honestè semper egerit atque constanter, &, quæcunque tandem sit aduersariorum criminatio, publicam inprimis utilitatem spectarit: neque se dubitare, quin & idem ipsi sentiant, & eum hoc nomine purgatum habeant: cùm igitur, ut his incommodis medicina fieret, conuentum hunc Cæsar indixerit, statuisse quidẽ ipsum actioni toti interesse, uerùm & ualetudine detentum & alijs negocijs, non posse: neque tamen diutius rem differri, sed quàm primum inchoari uoluisse, quò uidelicet & malum ingraescens coherceretur, & patriæ, qua nihil illi sit antiquius, officiũ suum ipse præstaret: itáque se constituisse uicarium, & plenam agendi sibi fecisse potestatem, ut rationes unà cum ipsis ineant, reipublicę tum honestas, tum utiles, ad eámq; rem certos homines delegasse, ac sibi attribuisse, qui simul idem agant: de religione uerò primam esse futuram & præcipuam actionem: hoc enim dissidium, tàm diurnum, omnis perturbationis et calamitatis esse fontem atq; caput: & quòd plurimis nunc annis, tot hominum millia, nõ uitæ solùm,

sed

sed animæ quoque iacturam fecerint & æternæ salutis, huc esse referendum: id autem ità constare palàm, ut ampliori nihil sit opus explicatione: lamentabile nimirùm esse spectaculũ & luctuosum, eos, qui sunt eiusdem baptismi, nominis, Imperij, linguę, diuelli ad hunc modum, in eius fidei professione, quam tot sęculis, ueluti per manus traditam à maioribus acceperunt: multò autem esse grauius, quòd nõ una solum orta est & altera, sed plures quotidie sectæ nascuntur, dum suam quisq; uult opinionem tueri. quæ sanè res & ad Dei contumeliam spectet, & charitatis uinculum dissoluat, & mentes hominum perturbet, sic, ut promiscua multitudo, quid statuere debeat atque credere, prorsus ignoret: omnium autem esse grauissimum, quòd in his tantis erroribus plærisq; sensim adolescunt, & tàm ex prima nobilitate, quàm ex alijs fortasse reperiuntur, qui rerum omnium securi nihil planè credunt, neque spectant quid ratio, quid honestas, quid conscientia denique præscribat: hoc autem iuuentutis innoxiæ summo fieri tum incommodo, tùm periculo: & certè, cum primis fore deplorandum, si quidem Germania, quę iam sæculis aliquot primam habuit uirtutis & pietatis laudem, ideóque florentissima fuit, nunc eò recidat, & sic degeneret, ut cum prophanis etiã olim gentibus comparari nõ possit, & ne Turcis quidem etiam atq; barbaris hodie populis hac parte præferri debeat, & censeri melior: quòd autem huius mali nulla sit adhuc emendatio facta, licet crebri fuerint conuentus, quòd paucis ea res curæ fuerit, quòd illi, quos inprimis decebat mederi, partim frustrà cõniuerunt, partim obsecundantes tempori suum in eo priuatum emolumentũ spectarunt, hac de causa Deum immortalem, multo iam tempore Germaniam omnem, & quosdam ordines priuatim, adfligere uarijs calamitatibus, ità quidem, ut quæ regio populi frequentia, uiribus atque robore præstabat olim, & uim omnẽ ab se facilè profligare poterat, ea nunc uarijs dilacerata simultatibus, bellis atq; turbis tàm ciuilibus quàm externis, in summo discrimine uersetur, & ad interitum spectet, nisi illã Deus mirabiliter seruet: opus igitur esse, pro se quisq; magistratus det operã, ut suum hic faciat officiũ, et religionis negocium, quo & Dei continetur honos & omnis uitæ honestas, inprimis cõmendatum habeat: porrò, componendæ religionis non unam antehac initam esse rationem: sed ut œcumenicum, liberum & pium concilium interueniret, non Cæsari tantùm atque sibi, uerumetiam ipsis omnibus optimam semper inde ab initio uisam esse uiã, propterea,

quòd cùm sit fidei causa, non ad unum modò populum, sed ad reli-
quas etiam omneis Christiani nominis gentes pertineat: quæ nimi-
rùm huc etiam adhibendę sint, ut quicquid est ubique uitiorū, emen
detur atque tollatur: itáque Cæsarem & pro suo munere, & ipsorū
rogatu totis huc incubuisse uiribus, & id perfecisse demùm, ut eius-
modi conciliū non semel & indictum sit, & aliquoties etiā inchoatū:
quid autem impedimenti singulis temporibus interuenerit, & cur
eius rei fructus ad rempublicam nullus redierit, id suo se loco relin-
quere, neque dubitare, quin ex ipsis complures, qui uel interfuerunt
cōcilio, uel suos ibi legatos habuerunt, causam teneant: iam uerò, si
nihilo minus ipsis placeat, ut eadē concilij ratio quàm primùm repe
tatur, & locum obtineat: quod ipsum uidelicet ab immortali Deo
sit ante omnia precandum, se profectò non assensurum modò liben
ter, sed omni studio, fide, diligentia rem curaturum: & tunc quidem
hoc solùm esse deliberandum, quomodò illa, quæ prius impedimen
tum attulerunt, auferri debeant atque tolli: quòd si uerò propter
belli motus & reipublicæ tempestatem in aliud tempus magis tran-
quillum esse differendum uidebitur, placere sibi, ut aliæ piæ ratio-
nes atque tolerabiles tractentur, ut interea populus & ordines om-
nes pacatè uiuant, & honesta disciplina contineatur, incolumi sem-
per & gloria Dei & conscientia: superioribus quidem annis non se-
mel mentionē esse factam concilij nationis, tanquam illud huc maxi-
mè sit accommodatum: sed quoniam illius & nomen & modus at-
que forma nostris temporibus, non admodum, opinione quidem
sua, cognita sit & usitata, se nihil, hoc quidem in tempore, statuere de
eo posse: tertiam uerò uiam & rationem esse per colloquia nō semel
tentatam: ac licet nullam ad frugem ea peruenerint, tamen hoc de-
prehendi, non pauca potuisse, & præcipua quidem conciliari, si qui-
dem affectu uerè pio res acta, neque commodi fortasse priuati fuisset
utrobique habita ratio, quod tamen nullius ad iniuriam dictum esse
uelit: hac ergò de ratione cogitandū esse etiam: ac licet Cæsaris ea de
re consilium ac institutum, fidele prorsus, multò sit aliter acceptum
superioribus annis, & utrisque prope fuerit ingratum, se tamen, si
nunc ipsis ità denuò uidebitur, non illud improbare: si quoque par
tes agant syncerè, si depositis affectibus & obstinatione remota, Dei
gloriam tantùm & communem salutem sibi proponant, omnem in
eo fidem ac diligentiam esse præstiturum: aliam sibi nullam, hoc tem
pore, quæ sit idonea, uiam apparére: si quid autem ipsi magis aptum

habeant

habeant & expeditum, licere ut in medium adducant. Alterum deliberationis caput esse de pace, ac superioribus quidē annis, cùm eius rei sancirentur leges, bene consultum esse communi ocio, Cæsarem atque se putasse: nunc autem ipsum euentum docere non satis fuisse cautum, eò quòd rebelles atque seditiosos condemnare non licuit atque proscribere, nisi citati primùm essent, & obseruatis omnibus iudiciorum formulis conuincti, quum interim illi spaciū nacti multos præter omne meritum affligerent: cautum fuisse quoque superioribus edictis, ut ei, qui uim pateretur, finitimi subuenirent: ipsis autem constare, cuiusmodi interuenerint impedimenta: deliberent igitur & secum diligenter expendant, quomodò hæc duo capita legis corrigenda sint, ut & quietis impatientes homines deterreantur, & qui fideles Imperio sunt, non sibi defutura contra uim auxilia, certò sciant: id autem eò nunc posse fieri commodius, quòd & Vuormaciæ nuper & Francofurti sint eius rei iacta fundamenta: rectè facturos ergò, si deliberationem ibi susceptam prosequantur, & ad exitum perducant: hortari etiam, ut de constituendo iudicio, de contributione publica, de moneta, déque rebus ad politiam pertinentibus consultent, & huc suas cogitationes omneis referant, quemadmodū hęc intestina mala, simultates, turbæ, seditiones atq; uis tollenda sint & extirpanda funditus: in eóq; statū Imperij cōsiderent inprimis, & respiciant in quanto uersetur Germania periculo, non solùm ob uastatorem Turcam, uerumetiam propter alios hostes, qui, non secus atque Turca, moliantur in Imperij perniciem: cogitent ergò, quantas illi commoditates percipiant ex his offensionibus atq; ciuilibus malis, quæ nimirum ipsi callidè suscitarint atque foueant, ut in hac ordinum diuulsione suam cupiditatem expleant, & per occasionem impetu facto, suam in potestatem atque seruitutem omneis redigāt: etenim, alios populos, qui sic ab illis expugnati sint & circumuenti: documento ipsis esse debere, quò sibi caueant, & ea cōsilia suscipiant, quibus & imminens patriæ tempestas atque ruina propulsetur, & Imperio sua constet ac permaneat authoritas atque robur, & uis omnis externa, sicut olim, ità nunc etiam fortiter atque masculè reijciatur: quicquid autem eò Cæsar & ipse cōferre possint & opis & consilij, facturos esse perlibenter, & ità quidem, ut quanta charitate patriam complectantur, omnes intelligere possint: hoc uidelicet ipsos debere sibi certò persuadere. Cùm hæc Ferdinandi regis oratio per Germaniam emanaret, perscriptum eodem tempore fuit ex diuersis

locis, illum ex Bohemia iussisse migrare circiter ducentos ecclesiæ ministros: nunciatum quoque fuit, Roma uenturum ad Imperij comitia cardinalem Moronum, qui per Germaniam experiatur idē, quod in Britannia Polus iam perfecisset: nam ob recuperatam Angliam, pontifex & ipsius omnis clientela spem ingentem animo creditur concepisse. Quod enim res ità successerit, ideò se propitium habere Deum, & iustissimam defendere causam, nec ullius erroris ecclesiam suam posse conuinci, si unquàm aliàs, nunc maximè putant, aut certè præ se ferunt: & quum legatos in Germaniam emittunt, hoc eò faciunt, non ut delictum aliquod suum agnoscant, sed ut hominum infirmitati, sicut aiunt, medeantur. Sub exitum Februarij, Ioannes Albertus, dux Megelburgius, quem confœderatū fuisse Mauricio diximus, quéncp Brunsuicensis Henricus, anno superiori, cùm per Saxoniam bellum circumferret, non mediocriter adflixerat, Alberti Prussiæ ducis filiam in matrimonium duxit. Cùm hucusq peruentum esset, nunciatum ex Anglia fuit, ex illis quinq, de quibus paulò suprà diximus, Bratfortum, licet condemnatum, asseruari captiuum, & multorū animos, constantia reliquorum, qui uitā profudissent, uehementer obstupefactos esse & attonitos.

ERRATA.

In titulo ſecundi libri, poſt commentariorũ, fac uirgulam. Fol.19. fac.2. lin.3. lege tribuunt, paulò infrà, ibid. lege commonefaciunt. Fol.22. fac.2. lin. 36. lege refutandos. Fol. 30. lin. 5. lege inferior. Fol. Fol. 57. lin. 10. lege, Noribergæ cõuentum. *Fol. 67. lin. 4. lege, conuerrant. Fol. 93. lin. 36. lege, dolore. Fol. 93. fac. 2. lin. 32. lege, ſic ut. Fol. 94. lin. 27. fac uirgulam poſt uenirent. Fol. 95. fac. 2. lin. 25. lege, mirari. Fol. 99. fac. 2. lin. 35. poſt* XXIIII, *fac uirgulam. Fol. 100. fac. 2. lin. 38. Mantua, omiſſum in initio 101. Fol. 102. fac. 2. lin. 30. lege totã. Fol. 122. fa. 2. lin. 23. lege maxima. Fol. 124. li. 4. poſt ſoli, dele punctũ. Fo. 125. fa. 2. lin. ult. lege emittant. Fo. 130. fa. 2. lin. 16. poſt interceſſ. fac uirgulam. Fo. 143. fa. 2. lin. 21. lege adiutorem. Fol. 145. lin. 4. poſt ſeruentur, fac uirgulam. Fol. 149. lin. 14. lege futuros. Fol. 164. fa. 2. lin. 15. pōſt legeretur, fac uirgulam. Fol. 174. fa. 2. lin. 25. lege fuiſſe. Fol 182. lin. 17. lege obſecramus. Fol. 195. fa. 2. lin. 11. lege diſceptationem. Fol. 206. lin. ult. Auguſto. Fol. 211. lin. 22. fuiſſe. Fo. 216. fa. 2. lin. 12. plurimum. Fo. 227. lin. 9. queſtum. Fol. 228. fac. 2. lin. 16. tradat. Fol. 231. fa. 2. lin. 30. Chriſtianam. Fo. 244. lin. 37. habiturum. Fol. 249. lin. 24. maneant. Fol. 266. fa. 2. lin. ult. Colonienſi. Fo. 272. fa. 2. lin. 6. ordinis. Fol. 275. fac. 2. lin. 1. iubeas. Fo. 301. fa. 2. lin. 26. ipſe. Fo. 312. lin. 37. adlibuit. Fol. 311. fa. 2. lin. 4. poſt deditionem, fac uirgulam. Fol. 321. fa. 2. lin. 15. perſoluet. F. 323. lin. 15. obuiam. F. 323. fa. 2. lin. 3. ei non tulertin. F. 334. lin. 32. apoſtolis. F. 336. fa. 2. lin. 14. Roma. F. 338. fa. 2. lin. 29. fit. F. 346. lin. 24. fit. F. 372. fa. 2. lin. 19. ponunt. F. 373. fa. 2. lin. 37. defertur. F. 379. fa. 2. lin. 19. conſpectum. F. 388. lin. 27. iniuria. F. 395. fa. 2. lin. 30. ſtant. F. 399. fa. 2. lin. 27. à Deo. F. 400. fa. 2. lin. 24 hæc. Fol. 401. lin. 13. ſui. F 419. lin. 25. patriæq;. F. 430. lin. 12. direptoq;. F. 436. fa. 2. lin. 15. dele uir. Fo. 444. lin 19. uinceret. Fol. 460. fa. 2. lin. 33. ineat.*

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC opere continentur.

Punctus post numerum positus, alteram paginæ faciem denotat.

Actio de ineundo fœdere protestantiũ 97
Actio inter Cliuensem & Galliæ regem. 204
Actio Coloniensis archiepiscopi cum clero. 237
Actio Saxonis & Lantgrauij cõtra Brunsuicensem, in cœtu principum, Spiræ 244
Actio Ferdinandi regis cum protestantibus de concilio. 257
Adrianus sextus, pontifex scribit ad Fridericum ducem. 42
Adrianus pontifex scribit ad Germaniæ principes. 42
Adrianus, quomodo creatus pontifex. 43
Adrianus pontifex scribit ad senatũ Argentinensem. 43
Adriani pontificis legatus Noribergæ. 45
Adrianus moritur. 51
Africa urbs capitur à Cæsare. 379
Albertus Prußiæ dux proscribitur. 126
Albertus Brandeburgicus capitur à Saxone. 316
Alberti scriptum. 418
Alberti scriptum ad Noribergenses. 425
Albertus Noribergam obsidet. 426.
Albertus cogit Bambergensem episcopum. 426
Albertus scribit Vlmensibus. 427.
Albertus capit Vuormaciam & Spiram. 433.
Albertus scribit Argentinensibus. 434
Albertus recusat pacem, obsidet Francofurtum. 434.
Albertus transit in Lotharingiam. 435.
Albertus diripit & incendit templa. 435
Albertus petit Moguntiam. 435.
Albertus occupat Treuerim. 435.
Albertus reconciliatur Cæsari. 437.
Albertus obsidet Metim. 437
Albertus profligat & capit Aumaliũ Gallũ. 437
Albertus scribit Cameræ iudicibus. 438.
Albertus capit Schuinfurtum. 439
Albertus inuadit Henricũ Brunsuicensem. 440.
Albertus it in Saxoniam cum copijs. 440.
Albertus mittit Ericum Brunsuicensem ad Cæsarem. 442
Albertus scribit ad ordines Mauricianos. 444
Albertus & Augustus pacem faciunt. 448.
Albertus confligit cum Brunsuicensi. 448.
Albertus Vinariam uenit cum copijs. 449
Albertus oppida quædam amittit. 450
Albertus proscribitur à iudicibus Cameræ. 451
Albertus incusat Cameram & reijcit. 451
Alberti scripta in Noribergicos. 454
Albertus uenit Schuinfurtum, & omni ditione pellitur. 456
Alexander Medices ducit filiam Cæsaris notham. 158
Alexander Medices, dux Florentiæ, interficitur. 163
Ambrosius Catarinus scribit in Lutherum. 30
Andreas Auria deficit ad Cæsarem. 96
Ambrosij Pelargi concio. 411
Amirallius Galliæ damnatur. 208
Amirallius restituitur in integrum. 212
Amirallius Angliæ decollatur. 363
Angliæ rex queritur de Luthero, ad Saxoniæ duces. 50
Anglus acerbè Luthero scribit. 80
Angliæ rex rescribit protestantibus. 119.
Anglia uectigalis Romano pontifici. 132.
Angliæ rex Henricus urorem Catharinam repudiat. 132
Angliæ rex pontificatum è suo regno profligat. 132
Angliæ rex agit cũ protestãitbus per legatos. 146.
Angliæ rex decollat uxorem suam. 160
Angliæ rex scribit contra concilium à pontifice indictum Mantuæ. 178
Angliæ regis scriptum de concilio. 192
Angliæ rex ducit uxorem, Annam, ducis Cliuensis sororem. 193.
Angliæ rex repudiat Annam Cliuensem. 204
Angliæ rex decollat quintam uxorem. 221
Anglicæ copiæ ueniunt in Belgium. 241
Angliæ rex traijcit mare. 250
Angli Scotos hortantur ad pacem. 344

INDEX.

Angliæ rex capit Boloniam. 250.
Angliam multi relinquunt. 452.
Anglia recipit pontificatum Romanum. 459.
Annatarum origo. 48
Annus Iubilæus. 373.
Antinomorum secta. 188
Archiepiscopus Colonienſis citatur à Cæsare, simul & pontifice. 263
Archiepiscopatus Galliæ, duodecim. 395.
Archiepiscopi Germani statuum redire domũ, Tridento, propter imminens bellum. 406.
Argentinenſes legati agunt cum Campegio de sacerdotibus maritis. 37
Argentinenſes abrogant missam. 93
Argentinenſium fœdus cum Basilienſibus, Tigurinis, Bernatibus. 100
Argentinenſes respondent Cæsari de bello suscepto. 283
Argentinenſes reconciliantur Cæsari. 317
Argentinenſes solicitantur à Galliæ rege. 315
Argentinenſes tractant de pace cum Cæsare. 316.
Argentinenſes mittunt ad Cæsarem. 357
Argentinenſes agunt cum Cæsare, Coloniæ. 359
Argentinæ senatus transigit cum episcopo. 368.
Argentinenſes mittunt ad concilium Tridentinum. 401
Argentinenſes legati apud Galliæ regem. 422
Argentinenſes ad defensionem sese parant. 423.
Augustani reconciliantur Cæsari. 315
Augustani destituti ministrus ecclesiæ. 406
Augusta capitur. 414 421
Augustanus cardinalis petit Romam. 422.
Augustus, Saxoniæ dux agit conuentus. 445.
Aulæ Romanæ aucupia. 394.
Aureæ bullæ, quam uocant, leges. 15
Aurea rosa mittitur Angliæ regi. 59
dux Aurelianus ducit neptem Clementis septimi. 131
Austriaci supplicant Ferdinando regi super religione. 219 456
Bambergicus implorat Camerã in Albertũ. 438.
Barbarossa Tollonum uenit in Galliam, cum classe. 240
Barbarossa Nicenam arcem frustrà obsidet. 242
Barbarossa domum redit cum classe. 250
Basileæ tumultus. 93
Bauarus & dux Cliuensis ducunt uxores, Ferdinandi regis filias. 294
Bellum Cæsaris cum Galliæ rege. 38
Bellum Treuirense. 43
Bellum recrudescit Cæsaris cum Gallo. 87
Bellum Helueticum. 122
Bellum Imperij in Turcam. 224
Bellum Vngaricum, frustrà susceptum. 232
Bellum Senense. 440
Bellum Anglorum in Scotos. 247
Bellum Monasterienſe in Anabaptistas. 148
Bernenses abolent missam & statuas. 89
Bohemorum sectæ. 41
Bohemi bellum indicunt Saxoni electori. 307
Bohemi & Pragenses recusant militare Ferdinando regi contra Saxonem. 314
Bohemi faciũt fœdus, tuẽdæ libertatis causa. 316
Bohemi sunt in armis. 318
Bohemi mulctantur à Ferdinando rege. 326
Brandeburgicus intercedit de religione. 186
Bremenses & Magdeburgici citantur. 379
Brentius periclitatur. 350
Brunsuicenſis ager permittitur sequestro. 249 263
dux Brunsuicenſis emungit pecuniam à rege Galliæ. 262
Brunsuicum obsidetur. 379
Bruxellæ duo exusti propter dogma. 49
Bucerus it ad Lutherum & Zuinglium. 112
Bucerus instituit ecclesiam Vlmensem. 118
Bucerus docet Bonnæ, uocatus. 237
Bucerus it in Angliam, uocatus. 364
Burensis traijcit Rhenum cum copijs. 298
Burensis capite plectit quosdam Francofurti. 319
Census Gallicus, Romam perlatus. 395.
Cæsar indicit conuentum Imperij. 28
Cæsar euocat Imperium Vuormaciam. 31
Cæsar proscribit Lutherum. 37
Cæsar redit in Hispaniam. 39
Cæsar obiurgat principes Germaniæ per epistolam. 59
Cæsar ex Hispania scribit ad principes Germaniæ. 77
Cæsar ad Ferdinandum fratrem de conuentu Spiræ. 82.
Cæsar ducit uxorem. 83
Cæsaris scripta & Clementis septimi. 84
Cæsar scribit cardinalibus de Clemente. 85.
Cæsar incusat Gallum ob uiolatam fidem. 90
Cæsar ex Hispania uenit in Italiam. 97
Cæsar respondet legatis protestantium Placentiæ. 98
Cæsar coronatur Bononiæ. 100

Cæsar uenit Augustam. 101
Cæsar uarijs modis agit cum protestantibus, ut religionem pontificiam recipiant. 103.
Cæsar agit cum Argentinensibus atque socijs Augustæ. 109
Cæsar petit auxilium à protestantibus in Turcã, & illi respondent. 117
Cæsar dat pacem religioni. 126
Cæsar ex Austria redit in Italiam. 127
Cæsar & Imperij ordines eunt in Turcam. 127.
Cæsar Mantua scribit ad Germanos. 127
Cæsar & Clemens iterum conueniunt. 127
Cæsar ex Italia redit in Hispaniam. 163 127.
Cæsar & Clemens mittunt legationem in Germaniam, de concilio. 127
Cæsar & Galliæ rex mittunt legatos ad Venetos. 134
Cæsar Tunetem capit in Aphrica. 140
Cæsar ex Aphrica uenit in Siciliam, inde Neapolim: scribit protestantibus. 140
Cæsar obtinet ducatum Mediolanensem. 158
Cæsar uenit Romam, ibiq; Galliæ regem accusat. 158
Cæsar urget Romæ de concilio. 159
Cæsar scribit protestantibus amanter. 162.
Cæsar prouinciam Galliam inuadit. 162
Cæsar, pontifex, Galliæ rex conueniunt apud Niceam. 184
Cæsaris uxor moritur. 192
Cæsar transit per mediam Galliam. 193
Cæsar scribit Saxoni & Lantgrauio. 201
Cæsar animaduertit in Gandauenses. 201
Cæsar it Ratisbonam. 208
Cæsar conqueritur de Cliuensi. 217
Cæsar colloquitur cum pontifice. 218 238
Cæsaris calamitas in Aphrica. 218
Cæsar incusat Gallum, & pontificem. 231
Cæsar ex Hispanijs uenit Genuam. 238.
Cæsar & Angliæ rex fœdus ineunt contra Galliæ regem. 239
Cæsaris literæ ad Hildessemenses. 239
Cæsar scribit senatui Colonienſi. 240
Cæsar Duram expugnat. 241
Cæsaris oratio in Galliæ regem. 243
Cæsar in Campaniam Gallicam tendit. 250
Cæsaris legatio ad Poloniæ regem. 260
Cæsar Vuormaciam uenit. 260
Cæsar agit cum protestantibus de concilio. 261
Cæsar mittit ad Turcam de indicijs. 262 293
Cæsar mittit ad Lantgrauiũ, capto Henrico. 266
Cæsaris & Lantgrauij colloquium, Spiræ 275
Cæsar parat bellum in protestantes. 281
Cæsar scribit ad ciuitates, ne se bello immisceant. 281
Cæsar solicitat Heluetios, ut quiescant. 285
Cæsar aperit Palatino causam belli. 287
Cæsar proscribit Saxonem & Lantgrauiũ. 292.
Cæsar mandat Mauricio, ut in Saxonẽ atq; Lantgrauium arma sumat. 294
Cæsar denuò scribit Heluetijs. 298.
Cæsar mandat Colonienſi archiepiscopo, ne bello protestantium se coniungat. 289
Cæsar capit Donauerdam 304.
Cæsar oppida quædam ad Danubium capit. 305
Cæsar Vuirtembergico duci scribit acerrimè. 310
Cæsar auxilio mittit Mauricio, Albertum Brandeburgicum. 314
Cæsaris alter exercitus bellum facit per Vuestphaliam. 315.
Cæsar scribit ad ordines Mauricianos. 317
Cæsar scribit Bohemis. 319
Cæsar uenit ad Albim. 320
Cæsar Vuittembergam petit. 321
Cæsar Vuittembergam dat Mauricio. 323
Cæsar colligit pecuniam in Germania. 327
Cæsar solicitat Heluetios de fœdere. 328.
Cæsar mittit cardinalem Trideminum, Romam, pro concilio. 331
Cæsar Bononiæ & Romæ protestatur cõtra concilium, translatum Bononiam. 336
Cæsar exponit, quomodò sit captus Lantgrauius. 331
Cæsar Liranũ mittit ad Lantgrauium. 332
Cæsar decretum de religione facit, seruandum usque ad concilium. 349
Cæsar urget decretum de religione. 350
Cæsar proscribit quosdam. 355
Cæsar mutat senatum, Augustæ. 356.
Cæsar proscribit Constantienses. 357
Cæsar mutat senatum, Vlmæ. 258.
Cæsar capit ecclesiæ ministros, Vlmæ. 358.
Cæsar adducit Saxonem & Lantgrauium, captiuos in Brabantiam. 359
Cæsaris filius uenit in Italiam. 362.
Cæsaris filius ingreditur Bruxellam. 364.
Cæsaris filius redit in Hispaniam, 391
Cæsar edictum promulgat in Brabantia, cæterisq; locis in Lutheranos. 376.
Cæsar petit Augustam cum filio. 376
Cæsar indicit comitia Augustæ. 375
Cæsar conditiones præfinit Magdeburgicis. 380
Cæsar fert opẽ Iulio III in Octauiũ generũ. 398

INDEX.

Cæsar mutat senatũ & religionem Sueuiæ. 400
Cæsar Augusta petit Oenipontem. 401
Cæsar confirmat episcopos Tridenti, ne discedant 406.
Cæsaris legati agunt cum legatis protestantium, Tridenti. 408.
Cessatio, Tridenti. 411
Cæsar in proscriptorum capita constituit præmium. 420
Cæsariani uastant Campaniam Gallicam. 424
Cæsar noctu discedit Oeniponte. 425.
Cæsar scribit intercessoribus. 431. 432.
Cæsar respondet epistolæ Gallici legati. 433.
Cæsar uenit Augustam cum exercitu. 435
Cæsar hortatur Germanos ad fœdera. 436
Cæsar collaudat Argentinenses. 435
Cæsar uenit Argentinam. 436.
Cæsar obsidet Metim. 437
Cæsar capit Hesdinum. 437 445
Cæsar discedit ab obsidione Metensi. 438.
Cæsar scribit Alberto Marchioni. 438.
Cæsar scribit intercessoribus de Alberto. 439
Cæsar respondet Erico Brunsuicensi. 445
Cæsaris filius despondetur Mariæ reginæ. 451
Cæsar proscribit Albertum Brandeburgicum. 453 459
Cæsar uenit Namurcum contra Gallum. 457
Cæsar filio suo dat Mediolanum. 458
Caietanus agit cum Luthero. 5
Caietanus, factus cardinalis. 8
Caietanus cardinalis Augustæ. 3
Caietanus scribit ad Fridericũ Saxoniæ ducem. 8
Caluini liber de hæreticis tollendis. 450
Cameræ iudicium inchoatur. 359.
Camerales redeunt Spiram 437
Campegij oratio ad principes Noribergæ. 53
Cãtuarienſis archiepiscopus capitur cũ alijs. 447
Cantuarienſis archiepiscopus condemnatur. 450
Cantuarienſis & socij, capti Oxoniæ. 453.
Cardinales nouem oppugnant Iuliũ II. 20
Cardinalis Cãpegius scribit ad Fridericũ ducẽ. 52
Cardinalis Eboracenſis uenit in Galliam. 89
Cardinalis Eboracenſis moritur. 132
Cardinalis Moguntinus moritur. 265
Cardinalis Tridentinus agit Romæ de cõcilio. 333
Cardinalis Augustani concio. 378
Cardinales Galli retinent unicũ episcopatũ. 378
Cardinalis Vngarus trucidatur. 405.
Cardinalis Polus uenit in Germaniam. 450.
Carolostadius eijcit statuas Vuittembergæ. 40.
Carolostadius scribit contra Lutherum. 77
Carolostadius orat Lutherũ, ut pro se intercedat. 77
Carolus Austriacus creatur Cæsar. 14
Caroli Austriaci progenies. 15
Carolus Cæsar ex Hispanijs tendit in Flandriã. 19
Carolus Cæsar coronatur Aquisgrani. 28
Carolus Cæsar coronatur Aquisgrani. 60
Carolus Borbonius deficit à rege Galliæ. 88.
Carolus Borbonius damnatur, mortuus. 193
Castelnouum capitur à Turcis. 406
Caspar Huberinus docet Augustæ. 436.
Caspar Hedio moritur. 157
Catarina regina Angliæ moritur. 48
Christiernus Daniæ rex ejectus. 126
Christiernus Daniæ rex capitur. 5
Ciuitatum Germaniæ legati ad Cæsarem in Hispaniam. 82.
Ciuitatũ aliquot sententia, Spiræ, in comitijs. 29
Clementis quinti lex de iureiurando Cæsaris. 5
Clemens septimus mittit Campegium ad comitia Noribergæ. 78
Clemens pontifex scribit ad senatum Parisiensem contra Lutheranos. 113
Clemens pontifex scribit ad Poloniæ regem. 138
Clemens septimus uenit Maßiliam. 136
Clemens pontifex moritur. 237
Clemens Marotus poeta Gallicus. 254
Clerus Colonienſis prouocat à suo episcopo ad pontificem atque Cæsarem. 204
Cliuensis it ad Cæsarem. 212
Cliuensis it clàm in Galliam. 242.
Cliuensis frustrà petit sponsam ex Gallijs 185
Collegium institutur Argentinæ. 212 268
Colloquium Ratisbonense. 284
Colloquia Erasmi prohibita scholis. 206
Colloquium Vuormacienſe. 354.
Colonienſi archiepiscopo Cæsar adimit omnẽ functionem. 3. 78. 101. 328. 378
Comitia Augustæ. 369
Comitiorum finis Augustæ. 42. 51. 233. 229
Comitia Noribergæ. 81. 94. 220. 242.
Comitia Spiræ. 126. 210. 280
Comitia Ratisbonæ. 458
Comitia per Angliam. 204
Comitia Haganoæ. 256
Comitia Vuormaciæ. 7
de Cõcilio Basilienſi, Ferrarienſi, Florentino. 20.
Concilium Pisanum. 35
Concilium Constantienſe. 227
Concilium indicitur, Tridenti. 319. 416
Concilium Tridentinum dissoluitur. 391
Concilium differtur ad Septembrem.

Concilium Tridentinum inchoatur. 270.
Concilium continuatur Tridenti. 393
Concilij literæ ad regem Galliæ. 399.
Concio monachi Itali, ad Cæsarem, in Lutheranos. 261
Concio Munceri. 66
Conclaue Romanum in Vaticano. 371
Concursus ad nouum pontificem. 374.
Congressus Cæsaris & Galliæ regis ad Aquas mortuas. 184.
Corsica insula capitur à Gallis. 448.
Cosmus Medices fit dux Florentiæ. 163
Consessus Tridenti. 279 282. 313. 317
Consilium cardinalis Farnesij, apud Cæsarem, de Lutheranis. 202
Constantiensis episcopus oppugnat Zuinglium. 39
Constantiensis episcopus agit cum Tigurinis. 56
Constantienses supplicant Cæsari. 355
Constantienses remolescunt. 357
Constantienses fiunt Austriaci. 359.
Consecrationes uariæ pontificiorum. 365.
Contarenus cardinalis moritur. 230
Contarenus cardinalis, Ratisbonæ. 212
Conuentus aliquot episcoporum & principũ Ratisbonæ. 58
Conuentus Eslingæ. 86
Conuentus Francofurtensis. 190
Conuentus protestantium, Francofurti. 266
Conuentus Vlmæ. 324
Conuentus Francofurti. 458
Conuentus Anglicus finitur. 460
Crescentius, legatus pontificius moritur. 416
Daniæ rex transigit cum Lubecensibus. 157
Decretum Clementis sexti de Indulgentijs. 7
Decretum Noribergæ factum in comitijs. 57
Decretum Spiræ factum de religione. 83
Decretum Cæsaris, Augustæ factum. 111
Decretum religionis oppugnatur à multis. 355
Degradationis, uti uocant, formula. 49
Diazius interficitur à fratre. 274.
Dignitas Imperij pendet ab electione. 17
Disputatio Lipsensis. 17
Disputatio Tigurina. 44. 51
Disputatio Badensis Heluetica. 83
Disputatio Bernensis. 88. 89.
Disputatio Oxonienſis. 367
Disputatio Londini. 450.
Dissidiũ Lutheri et Zuinglij de cœna domini. 78
Dissidium, Spiræ, in comitijs. 83
Dissidium Vngaricum. 84
Dissidium Saxonis & Mauricij. 244
Dissidium per Scotiam. 242
Dissidium de adiaphoris. 365
Doctrina Valdensium. 259
Dogmata Sorbonæ Parisiensis. 240
Dogmata scholæ Louanienſis. 256.
Duo exusti Coloniæ propter dogma. 97
Duo ingentes exercitus prope Landresium. 242
Dux Vuirtembergicus fit Smalcaldicus. 160
Dux Vuirtembergicus deprecatur Cæsarem. 310
Dux Vuirtembergicus reconciliatur Cæsari. 312
Dux Vuirtembergicus fit Cæsari supplex. 316.
Dux Cliuensis reconciliatur Cæsari. 241
Dux Suffolcius decollatur. 452.
Ecclesiæ ministri Augustæ, ejiciuntur in exilium. 392
Ecclesiæ ministri restituuntur Augustæ. 425.
Ecclesiæ ministri pulsi ex Bohemia. 462
Eduardus filius nascitur Henrico octauo regi Angliæ. 179
Eduardus sextus, Angliæ rex. 315
Eduardus Angliæ rex, moritur. 444.
Eduardi regis commendatio. 444.
Electores agunt cum Cliuensi, de Geldria. 218
Eligendi pontificis ratio. 372
Elisabetha soror Mariæ reginæ Angliæ, capitur. 453
Eluangũ captũ recipitur à Vuirtembergico. 437
Episcopus Rossensis, Thomas Morus, decollantur. 140
Episcopus Aquensis legatus pontificis, Smalcaldiæ. 171
Episcopatus Numburgicus. 220
Episcopi Germani scribunt pontifici, de concilio reuocando Tridentum. 330
Episcopus Argentinensis urget decretum religionis. 363
Episcopi Itali fugiunt Tridento. 415.
Episcopi & sacrificifugiunt Albertum. 433.
Episcopus Colonienſis Hermannus moritur. 435.
Equites Neapolitani circum Argentinam. 350
Erasmi literæ de Luthero. 17
Erasmi epistola ad Lutherum. 17
Erasmus de libero arbitrio. 59
Erasmus Basilea it Friburgum. 97
Erasmi libellus contra pseudeuangelicos. 98
Erasmi Roterodami epistola ad Campegium. 105
Erasmus Roterodamus moritur. 162
Ericus Brunsuicensis profligatur. 322
Error Smalcaldicorum ad Ingolstadium. 298
Exercitus Gallicus, Neapoli extinctus morbo. 92
Exercitus Germaniæ superioris. 285

Exercitus ambo, prope Norlingam. 304.
Farnesius cardinalis clàm discedit Vuormacia. 261
Ferdinandi Austriaci matrimonium. 38
Ferdinandi regis ius in Vngaria. 90
Ferdinandus creatur Romanorum rex. 114.
Ferdinandus coronatur Aquisgrani. 115.
Ferdinandus rex ad Cæsarem it in Belgium. 134
Ferdinandus & Saxo transigunt. 135
Ferdinandus rex monet Heluetios, ne Galliæ regi militent in Cæsarem. 161
Ferdinandi regis copiæ cæduntur à Turcis. 179
Ferdinandus rex obsidet Budam. 217
Ferdinandus rex educit copias in Saxoniæ ducem. 316
Ferdinandus rex it ad Cæsarem. 424 431
Ferdinandus rex occupat Transsyluaniam. 405.
Ferdinandus rex & Mauricius bellum indicunt Alberto. 441
Ferdinandus rex uenit Augustam. 460
Ferdinandus rex inchoat comitia. 460
Filius Cæsaris ingreditur Bruxellam. 364.
Filius Cæsaris redit in Hispaniam. 391
Fœdus Galli, pontificis, Venetorum in Cæsarem. 84
Fœdus Galli cum Anglo in Cæsarem. 89.
Fœdus Smalcaldicum extenditur. 147
Fœdus Cæsaris & Venetorum. 158
Fœdus catholicum, Noribergæ. 188
Fœdus Cæsaris & pontificis in protestantes. 286
Fœdus Belgicum. 425
Formula cautionis publicæ. 410
Franciæ regum origo. 118.
Francisci Galliæ regis funus. 322
Francisci Spieræ desperatio. 360
Franciscus Sfortia reconciliatur Cæsari & fit dux Mediolani. 98
Franciscus Sfortia ducit uxorem. 136
Franciscus Sfortia dux Mediolani moritur. 140
Franciscani monachi doctrina, Tridenti. 414
Franciscus Landrus concionator Parisinus, cogitur reuocare. 236
Francofurdij dedunt sese Burensi. 311
Francofurdensis actio. 439.
Fridericus princeps agit cũ Caietano Augustæ. 5
Fridericus respondet Caietano. 8
Fridericus dux scribit Riario cardinali. 9.
Fridericus dux pronunciat pro Carolo Austriaco. 14
Fridericus dux scribit amico Romæ. 25
Fridericus Saxo moritur. 66
Fridericus Palatinus mittitur in Hispaniam. 15
Galliæ rex ambit dignitatem Imperialem. 11
Galliæ rex, dux Mediolani. 11
Galliæ rex belligeratur in Italia. 39
Galliæ rex capitur apud Papiam. 62
Galliæ rex scribit ad senatum Parisiensem ex Hispania. 78
Galliæ rex domum redit ex Hispanijs. 81
Galliæ regis filius moritur. 162
Galliæ rex scribit ad protestantes. 118 178.
Galliæ regis oratio in Lutheranos. 139
Galliæ rex scribit ad Germaniæ principes. 139
Galliæ regis legatus agit cum protestantibus. 142 158
Galliæ rex eijcit Sabaudiæ ducem. 163
Galliæ rex uenit in senatum, Parisijs. 223
Galliæ rex dissuadet bellum Turcicum. 227
Galliæ rex molitur bellum. 230
Galliæ cancellarius capitur. 235
Galliæ rex scribit contra Cæsarem. 244
Galliæ regis legati, Spiram ad comitia missi, repudiantur à Cæsare. 262
Galliæ regis legatus, Vuormaciæ. 318.
Galliæ rex Franciscus moritur. 397
Galliæ regis scriptum de pontifice. 397.
Galliæ regis edictum in Lutheranos. 398
Galliæ rex bellum Cæsari facit. 394
Galliæ rex protestatur contra concilium. 399
Galliæ rex persuadet Heluetijs, ne mittant ad concilium. 419.
Galliæ regis scriptum. 422
Galliæ rex occupat Metim & alia. 425
Galliæ rex abit ex Germania. 427.
Galliæ rex principum legatis respondet. 427
Galliæ rex uastat Luceburgiam. 437.
Galliæ rex recuperat Hesdinum. 448.
Galliæ rex solicitat Cameracenses. 457
Galliæ rex belligeratur ad Mosam. 86 458
Galliæ rex scribit ad Germanos. 283
Gallici legati oratio, Tridenti. 333
Gallici legati oratio, Romæ. 428
Gallici legati oratio, Passauij. 430
Gallici legati epistola Passauium missa. 402
Gallicus legatus occultè cum Mauricio. 392
Gallicus orator, Romæ, de concilio. 179
Galli Taurino inferunt annonam. 375.
Galli & Angli pacem faciunt. 402
Galli Maximilianum Austriacũ adoriuntur. 436
Galli muniunt Metim. 438.
Galli exurunt Meti libros theologicos.

Galli capiunt & diripiunt Vercellas. 450
Galli cæsi per Hetruriam. 457
Gallus defert Cæsari duellum. 90
Gallus mittit exercitum Neapolim. 88
Geldriæ dux Carolus pellitur à suis. 179
Geldriæ dux Carolus moritur. 185
Geldriæ mutatio. 185
Germani obsides & Galli. 422.
Georgius Trucesius contra Rusticos. 62
Georgius Brandeburgicus licem habet cum episcopo Bambergensi. 120
Georgius dux Saxoniæ persequitur dogma. 130
Georgij Saxoniæ ducis & electoris de religione dissidium. 160
Georgius Saxoniæ dux, moritur. 191
Georgius Megelburgius interficitur. 432.
Gerson Theologus Parisiensis. 8
Grauamina Germaniæ exhibita legato pontificis. 48
Granuellanus elidit Heldum ex aula Cæsaris. 136
Granuellani oratio Spiræ. 234
Granuellanus rescribit Lantgrauio: negat Cæsarem de bello cogitare. 267
Granuellanus agit cum ciuitatibus de decreto religionis. 353
Granuellanus moritur. 378
Guisius defendit Metim. 437
Gulielmi Occam scripta. 22
Gulielmus Langæus moritur. 235
Hedelbergica interceßio. 439.
Heluetiorum literæ ad electores. 11
Heluetiorum literæ ad Leonem. 11
Heluetij fœdus faciunt cum reges Galliæ. 36
Heluetiorum decretum, Lucernæ. 52
Heluetij expostulãt cum Tigurinis ob religionem. 54
Heluetij rescribunt ad literas principum. 247
Heluetij respondent protestantibus. 295
Heluetij rescribunt Smalcaldicis. 303
Heluetiorum legati, apud Galliæ regem. 424
Henricus Angliæ rex scribit in Lutherum. 38
Henricus Angliæ rex decreta facit pontificia, de religione. 193
Henricus octauus, Angliæ rex moritur. 314
Henricus Galliæ rex coronatur. 327
Henricus, Georgij frater, dux Saxoniæ. 192
Henricus Brunsuicensis it ad Cæsarem in Italiam, & accusat protestantes. 239
Henricus Brunsuicensis eijcitur. 228
Henricus Brunsuicensis bellum suscipit in protestantes. 263
Henricus Brũsuicensis cãpitur à Lantgrauio. 265
Henricus Brunsuicensis grassatur. 439
Henricus Brunsuicensis uenit Vinariam. 449
Henricus Brunsuicensis grassatur per Saxoniam. 456.
Hesßici concionatores, constantes. 367
Hispani adoriuntur Constantiam. 356
Hispani Virtembergicum agrũ relinquunt. 400
Historia belli Germanici, edita. 355.
Horrenda persecutio Valdensium in Gallijs. 258
Iacobi Sturmij respõsum de decreto religionis. 353
Iacobus Sturmius moritur. 450
Iacobus Hogostratus scribit in Lutherum. 3
Imperij principes ac ordines dant Cæsari auxilia in Galliæ regem. 249
Incendia per Saxoniam. 206
Indutiæ decem mensium inter Cæsarem & Galliæ regem. 179
Induciæ decem annorum inter Cæsarem & Galliæ regem. 184.
Induciæ quinq; annorum, cum Turca. 328
Ingens trepidatio Parisijs, ob Cæsaris aduentum. 250
Initium fœderis Smalcaldici. 113
Innocentius, Iulij tertij delitiæ. 375
Inquisitio Hispanica, 326
Interceditur pro Lantgrauio captiuo. 331
Interceditur Oeniponte pro Lantgrauio. 402
Inuectiua cleri, contra Magdeburgicos. 384.
Ioanna Suffolcia fit Angliæ regina. 446
Ioanna regina capitur. 447.
Ioanna regina decollatur cum marito. 452
Ioannes Albertus Megelburgius gener Alberti Prußiæ ducis. 462
Ioannes Eccius scribit contra Lutherum. 2
Ioannes Faber & Eccus remunerantur à pontifice Augustæ, 110
Ioannes Hussius Constantiam uenit. 35
Ioannes Leidensis, sartor, fit rex Monasterij 152
Ioannes Lascus, Polonus migrat ex Anglia 452
Ioannes Reuchlinus moritur. 42
Ioannes Vayuoda scribit ad Germanos. 90
Ioannes Vayuoda moritur. 206
Islebius remuneratur. 354
Iulius secundus proscribit aliquot cardinales. 20
Iulius secundus excommunicat Ludouicum XII. Galliæ regem. 21
Iulius secundus moritur. 21
Iulius tertius creatur pontifex. 374
Iulius tertius indicit concilium. 382.
Iulius tertius scribit Heluetijs de concilio. 390

INDEX.

Lantgrauij concio. 67
Lantgrauius parat bellum in episcopos. 91
Lantgrauius it ad Galliæ regem. 131
Lantgrauius ducem Vuirtembergensem restituit. 134.
Lantgrauius scribit ad Cæsarem de bello Vuirtembergico. 136
Lantgrauius it ad Ferdinandum. item dux Vuirtembergicus post eum. 140
Lãtgrauij scripta ad Monasterienses obsessos. 154.
Lantgrauius capit scribam Brunsuicensem. 189
Lantgrauius scribit Cæsari de periculosis consilijs Henrici Brunsuicensis. 265
Lantgrauius scribit ad Granuellanum. 267
Lantgrauius scribit ad Nauium, quid sit actum Francofurti. 268
Lantgrauius educit suas copias. 291
Lantgrauius filium suum mittit Argentinam. 291
Lantgrauius scribit ad Mauricianos cõsiliarios, ne quid moueatur in Saxonem. 306
Lantgrauius agit de pace inter Saxonem & Mauricium. 310
Lantgrauius excusat se, de Francofurto. 319
Lantgrauius uenit Lipsiam. 322
Lantgrauio propositæ conditiones. 323
Lantgrauius fit Cæsari suplex. 324
Lantgrauius sistitur captiuus, à Cæsare. 325
Lantgrauius absoluitur à proscriptione. 326
Lantgrauij literæ super decreto religionis. 351
Lantgrauius conatur effugere. 382
Lantgrauius liberatus, denuò sistitur. 435
Lascus mittitur ad Turcam. 207
Lateranensis concilij causa. 20
Lazarus Bayfius Haganoæ. 204
Legati Caroli ueniunt Francofurtum. 15
Legati Galliæ regis intercepti. 217
Legatus põtificius largitur indulgentias, Tridenti. 411.
Legati Cæsaris agunt cũ Vuirtembergicis & Argentinensibus. 412.
Leges præscriptæ Carolo Cæsari. 16
Legiones per Galliam institutæ. 158
Leodiensis cardinalis moritur. 185
Leonardus Cæsar exustus ob dogma. 88.
Leo pontifex emittit indulgentias uenales. 1
Leo citat Lutherum, ut Romam ueniat. 4
Leo scribit ad Caietanum, ut Lutherum capiat. 4
Leo scribit Friderico Saxoniæ duci. 4. 25
Leo scribit promagistro ordinis Augustinensis. 4
Leo nouas mittit Indulgentias in Germaniam. 9
Leo mittit Multitium ad Fridericum ducem. 10
Leo decimus scribit ad electores. 11
Leo decimus succedit Iulio secundo. 21
Leo decimus damnat Lutherum. 26
Leo solicitat Fridericum ducem Coloniæ per Alexandum. 29
Leo decimus moritur. 38
Liber Caluini de reliquijs. 240
Liber postremus Lutheri contra pontificatum, cum picturis. 261
Lucelburgum capitur à Gallis. 227
Ludouicus Vngariæ rex perit in fuga. 83
Ludouicus Grittus interficitur. 136
Lusitaniæ regis orator uenit Tridentum. 412.
Lutherus docet contra Indulgentias. 1
Lutherus scribit archiepiscopo Moguntino. 1 24
Lutherus edit themata. 1
Lutherus instituit disputationẽ, Vuittembergæ. 1
Lutherus scribit episcopo Brandeburgensi. 1
Lutherus scribit ad Leonem decimum. 1 10 28
Lutherus respondet Syluestro. 2
Lutherus respondet Eccio. 2
Lutherus uenit Augustam. 5
Lutherus prouocat ad pontificem. 7
Lutherus scribit Friderico duci. 9
Lutherus prouocat à pontifice ad concilium. 10
Lutherus Fridericum ducem ægrotum consolatur. 18
Lutheri uaria scripta. 19
Lutherus scribit ad episcopum Misenum. 20
Lutherus respondet theologis Louanensibus & Colonien sibus. 21
Lutherus scribit ad Carolum Cæsarem. 23
Lutherus scribit ad episcopum Merseburgũ. 24
Lutherus oppugnat censuram Leonis. 27
Lutheri liber, de captiuitate Babylonica. 27
Libri Lutheri exuruntur. 30
Lutherus exurit ius pontificium. 30
Lutherus Vuormaciam uenit. 31
Lutherus causam suã dicit coram Cæsare totoq; Imperio. 32
Lutherus Vuormacia discedit. 35
Lutherus extra periculum abductus. 37
Lutheri uaria opuscula ex eremo. 37
Lutherus redit Vuittembergam ex eremo. 39
Lutherus scribit ad Bohemos, in pontificem. 40
Lutherus scribit ad episcopos Germanos. 41
Lutherus interpretatur decretum conuentus Noribergici. 49
Lutherus scribit ad senatum Pragensem. 50
Lutheri querimonia. 58
Luthẽri consilium contra seditiones. 69

Lutherus refutat postulata rusticorum. 71
Lutherus scribit ad principes de seditione. 75
Lutherus scribit ad principes et rusticos simul. 76
Lutherus amanter scribit ad Angliæ regem. 79
item ad Georgium Saxoniæ ducem. 80
Lutherus queritur de rege Angliæ. 81
Lutherus, Zuinglius & alij Marpurgi. 97
Lutheri scriptum ad Episcopos, Augustæ. 112
Lutherus consolatur Melanchthonem in comitijs Augustæ. 112
Lutheri sententia de ineundo fœdere. 117
Lutheri scriptum de Monasterienſibus. 154
Lutheri liber de concilijs. 192
Lutherus docet Lipsiæ. 192
Lutheri liber contra Henricum Brunsuicensem. 208
Lutheri scripta de bello Turcico. 224
Lutherus moritur. 272.
Magdeburgici scriptum edunt. 369.375.380
Magdeburgici cæduntur. 379.
Magdeburgum obsidetur. 380
Magdeburgici accusantur à Clero. 381
Magdeburgici capiunt Megelburgium. 383
Magdeburgicorum scriptum in clerum. 385
Magdeburgum deditur. 400
Magdeburgici gloriam adepti. 401
Mansfelduus eijcit Brunsuicensem. 437.
Mantua fit Ducatus. 100
Mantuanorum ducum familia. 101
M. Antonius Amulius, Venetus. 436
Maria soror Cæsaris uenit in Belgium. 118
Maria fit Angliæ regina. 446
Maria regina coronatur. 448
Maria placat populum, Londini. 451
Maria regina fert leges in Anglia. 453
Mathiæ Heldi actio cum protestantibus Smalcaldiæ. 165
Mauricius Henrici Saxonis ducis filius educatur ab electore Saxoniæ. 184
Mauricius capitur à Turcis. 232
Mauricius Saxoniæ dux instituit scholas, & rempublicam constituit. 238
Mauricius Ratisbona domum redit. 285
Mauricius bellum parat in Saxonem. 304
Mauricius bellum Saxoni denunciat. 307
Mauricius edito scripto sese purgat. 308
Mauricius inauguratur electoratui Saxoniæ. 347
Mauricius fit dux belli Magdeburgici. 381
Mauricius petit à Cæsare, ut Concilij patres caueant uenturis Theologis. 392
Mauricius deuincit sibi Chattos. 399.
Mauricius agit cum Magdeburgicis concionatoribus. 400.
Mauricius & Lantgrauij filius conueniunt. 405
Mauriciani legati ueniunt Tridentum. 407.
Mauricij literæ ad suos, Tridenti. 411
Mauriciani legati clam abeunt Tridento. 412
Mauricij artes. 417
Mauricij scriptum publicum. 417
Mauricius agit conuentus suorum. 420
Mauricius abit in bellum. 421
Mauricius it Lincium. 421
Postulata Mauriciana, Lincij. 422.
Mauricij literæ ad regem Galliæ. 423.
Mauricius occupat alpium claustra. 424
Mauricius uenit Oenipontem. 425.
Mauricius abit Passauio, re infecta. 431.
Mauricius atq; socij obsident Francofurtum. 432
Mauricius tendit in Vngariam, cum copijs. 434.
Mauricius redit domum ex Vngaria. 437.
Mauricius uenit Hedelbergam. 439
Mauricius munit se contra Albertum. 439.
Mauricius mittit copias in Franconiam. 440
Mauricius educit exercitum contra Albertũ. 441
Mauricius & Albertus confligunt. 444.
Mauricius interficitur. 444.
Maximilianus Cæsar scribit ad Leonẽ decimum. 3
Maximilianus reconciliatur Iulio II. 21
Maximilianus Cæsar moritur. 10
Maximilianus Austriacus cum uxore uenit ex Hispanijs in Italiam. 401
Maximilianus Austriacus uenit Tridentum. 405.
Mechlinia fulmine concutitur. 295
Metenses relinquunt patriam. 437.
Metenses prohibentur religione protestantium, iussu Cæsaris. 242
Meti nouus creatur senatus. 438
Mindenses proscribuntur. 188
Ministri ecclesiæ passim exulant. 351
Missa abrogata Vittembergæ. 37
Missa per Angliam abrogatur. 352
Missificatur denuò Argentinæ. 373
Modus inquirendi per Cæsaris prouincias. 378
Modus in concilio differendi. 396
archiepiscopus Moguntius fit Cardinalis. 3
Moguntinus & Merseburgensis respondent Luthero. 24. & 25.
Moguntinus uocat Saxonem Romanorum regis eligendi causa. 112
Moguntinus & Palatinus intercedunt. 123
Monasterium urbs capitur. 156
Mogũtinus et Colonienſis cũ Cæs. Oeniponte. 412

INDEX.

Moguntinus et Colonienſis abeunt Tridento. 412
Moguntinus epiſcopus fugit. 430.
Moguntinus uenit Argentinam profugus. 433.
Monachi Franciſcani ſpectrum excitant Aureliæ. 133
Motus per Aphricam. 363
Multi commigrant ex Anglia. 453
Muncerus decollatur. 69
Neapolitani equites ueniunt ad Cæſarem. 311
Nicolaus Granuellanus ſuccedit Cattinario. 101
Norfolcius & Vintonienſis liberati. 446
Noribergenſium tranſactio cum Mauricio. 426
Noribergici tranſigunt cum Alberto. 427
Noribergicorum ſcriptũ in Albertũ. 443.454.
Northumbrij ducis filij matrimonium. 440
Northumbrius decollatur Londini. 447.
Numburgicus epiſcopus abit Tridento. 413.
Numerus epiſcoporum in concilio. 294 416.
Octauius Farneſius ducit filiam Cæſaris notham in matrimonium. 184
Octauius Farneſius fit Gallicanus. 389.
Oecolampadius moritur. 123
Oetingenſium comitum diſſidium. 440.
Oracius Farneſius interficitur. 445.
Oratio Moguntini de creando Cæſare. 11
Oratio Treuerici de eodem. 13
Oratio legatorum Galliæ, excuſa. 248
Oratio legati pontificij Vuormaciæ. 207
Oratio Granuellani. 206
Oratio regis Galliæ ad Rupellenſes. 233
Oratio Ferdinandi regis in cõuentu Vuormacienſi. 257
Oſiandri dogma. 388.
Oſiander moritur. 436.
Otto Henricus reſtituitur. 422.
Ottonis Paccij doloſum conſilium. 91
Otto Truceſius fit epiſcopus Auguſtanus. 235
Palatinus elector abrogat miſſam pontificiã Heidelbergæ. 266.
Palatinus elector quærit ex Cæſare cauſam belli. 287.
Pallium Romanum. 48
Pallium archiepiſcoporum unde fiat. 210
Pariſienſis ſchola prouocat à pontifice ad concilium. 8
Patrum in concilio mens atque ſententia. 415.
Paulus tertius remittit Vergerium in Germaniam. 136.
Paulus tertius potifex creat cardinales doctos. 180
Paulus tertius indicit concilium Mantuæ. 160
Paulus pontifex moritur. 170
Pauli pontificis funus. 371
Paulus Fagius docet Hedelbergæ. 311
Pax inter Ferdinandum & Vuirtembergicũ. 135
Pax inter Cæſarem & Gallum, Cameraci. 96
Pax inter Cæſarem & Galliæ regem. 81 250
Pax inter Galliæ & Angliæ reges. 286.
Pax inter Cæſarem, Mauricium & ſocios. 433.
Perona obſidetur. 162
Perſecutio in Gallijs. 184 309 227
Perſecutio maxima in Lutheranos. 136
Perſecutio per Iſtriam. 368
Perſecutio Luteciæ. 367 449
Petrus Martyr uocatur in Angliam. 332
Petrus Martyr Oxonia petit Londinum. 447
Petrus Stroza uenit in Smalcaldicorum caſtra. 303
Petrus Brulius exuſtus Tornaci. 256.
Petrus Aloiſius filius Pauli tertij interficitur. 329
Petri Aloiſij libidines. 330
Petrus Paulus Vergerius mittitur à pontifice ad Ferdinandum. 101
Philippus Melanchthon uocatur Vuittẽbergã. 17
Philippus Decius Iureconſultus contra Iulium ſecundum. 21
Pij ſecundi & Iulij ſecundi edictum. 27
Poloniæ rex intercedit pro duce Pruſſiæ. 337
Poloniæ rex ducit filiam Ferdinandi regis. 444
Polus cardinalis uenit in Angliam. 459
Pompa epiſcoporum concilij. 395.
Pontifex Romanus olim ſubditus Cæſari. 28
Pontifex Paulus ſcribit clero Colonienſi, contra epiſcopum. 240
Pontifex creat cardinales, Germanos, Gallos, Hiſpanos. 252
Pontifex Paulus reſtaurat conciliũ, Tridenti. 253
Pontifex inuitat epiſcopos Heluetios ad conciliũ. 280.
Põtifex monet Cæſarem, ne religionem procuret, ſed ſibi permittat. 252
Pontifex fert ſententiam in archiepiſcopum Colonienſem. 280
Pontifex ſcribit Heluetijs de fœdere ſuo & Cæſaris, in proteſtantes. 289
Pontificis Iulij ſcriptum in Octauiũ Farneſiũ. 390
Pontifex indicit preces, pro belli ſucceſſu. 292
Pontifex Heluetijs exhibet fœderis exemplum in proteſtantes. 294
Pontificis copiæ ueniunt ad Cæſarem. 297
Pontifex ſcribit ad epiſcopos, Bononiæ. 334
Pontifex reſcribit epiſcopis Germanis, de cõcilio.

Pontifex mittit episcopos, qui resipiscentes in grá tiam recipiant per Germaniam. 366
Pontifex respondet protestationi Cæsaris de concilio. 341
Pontificiorum religio, fucus & umbra. 409
Postulata rusticorum. 71
Postulata Mauricij ducis, in concilio. 407
Postulata Mauriciana, Passauij. 427
Pragmatica sanctio. 395
Prælium Sittardicum. 235
Prælium ad Carignanum. 247
Prima mentio de meundo fœdere. 83.
Principes electores conueniunt Francofurti. 10
Principes respondent legato Adriani. 46
Principes protestantium dehortantur Cæsarem ab electione Romanorum regis. 113
Principes intercedunt pro duce Cliuiensi, Spiræ. 217. 235
Principes Imperij scribunt ad Heluetios. 246
Princeps Bipontinus constans in religione. 364
Principum aliquot legati ad Galliæ regem. 423
Principes hortantur Cæsarem ad pacem. 430 431
Protector Angliæ capitur. 368
Protector Angliæ liberatur è carcere. 374
Protector Angliæ rursus capitur. 399
Protector Angliæ decollatur. 408
Protestantium nominis origo. 96
Protestantium legati apud Cæsarem, Placentiæ. 98
Protestantes conueniunt Smalcaldiæ. 99
Protestantes scribunt ad Cæsarem pacemq; petunt. 114
Protestantes scribunt ad Gallum & Anglum. 115
Protestantes conueniunt Smalcaldiæ. 115
Protestantes mittunt legatos ad Cæsarem. 134
Protestantes scribunt regi Galliæ. 191 135
Protestantes conueniunt Smalcaldiæ. 135
Protestantes edito scripto respondent criminationibus aduersariorum. 136
Protestantes respondent Vergerio. 141
Protestantes respondent legato Gallico. 144
Protestantes agunt cum legatis Anglicis. 159
Protestantes ad Cæsarem scribunt. 162. 193
Protestantes legant ad Cæsarem in Italiam. 162
Protestantes scribunt regi Galliæ. 178
Protestates et Daniæ rex cõueniunt Brunsuici. 184
Protestantium scriptum de Camera. 188
Protestantes accusant Henricum Brunsuicensem apud Cæsarem, de incendijs. 210
Protestantes recusant concilium pontificium. 223
Protestantes recusant Cameram in uniuersum. 232
Protestantes agunt cum Ferdinando rege, ut pacem obtineant. 234
Protestantes agunt cum Cæsare, ut pacem impetrent. 239
Protestantes accusant Henricum Brunsuicensem coram Cæsare & cœtu principum. 246
Protestantium legati redeunt ex Anglia & Gallia, re infecta. 266
Protestantes intercedunt pro Colonienſi archiepiscopo, ad Cæsarem. 269
Protestantes intercedunt de pace inter Gallum & Anglum. 263
Protestantium legati rogant ex Cæsare causam apparatus bellici. 281
Protestantes scribunt Venetis. 286
Protestantes petunt auxilium à Galliæ & Angliæ regibus. 289
Protestates occupant Augustani episcopi oppida. 292
Protestantes scribunt ad Bauariæ ducem, ne ipsos oppugnet. 294
Prussiæ ordo mutatur. 79
Prussiæ magister respondet legato Polono. 339
Quatuor eclypses uno anno. 242
Quæstionum de religione, formula. 457
Querela de rege Galliæ. 227
Quidam Imperij principes ad pontificem scribũt in gratiam Sabaudiæ ducis. 245
Reformatio conscripta iussu pontificis à Cardinalibus & archiepiscopis. 180
Reformatio edita Augustæ. 358
Reginaldi Poli liber contra regem Angliæ. 163
Reginaldus Polus Cardinalis uenit in Galliam. 163
Regis Monasterienſis supplicium. 157
Regina Mariam Cliuensem incusat 233
Regnum Neapolitanum uectigale Ecclesiæ Romanæ. 11
Religio mutatur in Anglia. 332
Religio pontificia restituitur in episcopatu Colonienſi. 314
Responsum protestantiũ ad legationẽ Clemẽtis. 129
Reuchlinus uexatur à Theologis. 22
Richardus Morisinus. 436
Richardus Treuericus moritur. 118.
Roma capitur ab exercitu Cæsaris. 87
Rumor spargitur, Cæsarem moliri bellum. 267
Rusticorum seditio per Germaniam. 62
Sabaudiæ dux Galliæ regem iterũ accusat in comitio Spirensi. 247
Sabaudiæ dux Carolus moritur. 456
Sacerdotes fiunt mariti Argentinæ. 51
Salernitanus deficit à Cæsare. 428

INDEX.

Sanpaulum oppidum Galliæ expugnatur à Cæsarianis. 179
Saxo conuocat protestantes Smalcaldiam. 113
Saxo scribit ad electores collegas, de electione Romanorum regis. 114
Saxo protestatur de electione Ferdinandi. 114
Saxo recusat fœdus Tigurinorum. 119
Saxo & Lantgrauius scribunt Moguntino & Palatino de interceßione. 122
Saxo agit cum Ferdinando Viennæ de Cameræ iudicio. 144
Saxo & Lantgrauius scribunt Cæsari de bello, seque purgant. 288
Saxo & Lantgrauius edunt scriptum publicum, ut sese purgent. 289
Saxo & Lantgrauius respondent literis proscriptionis. 299
Saxo elector petit à socijs, ne deseratur. 307
Saxoniæ dux domum reuertens, nonnullos in itinere mulctat. 310
Saxo elector acerbè scribit consiliarijs Mauricianis. 311
Saxo elector obsidet Lipsiam. 314
Saxo scribit Argentinensibus, ut sint firmi. 315
Saxo cũ Bohemis agit de renouando fœdere. 318
Saxoniæ dux elector capitur. 320
Saxo constans in religione. 321. 351
Saxonica & Virtembergica fidei confeßio. 391
Saxoniæ dux elector, liberatur. 425
Saxoniæ dux liberatus domum redit. 435.
Saxo munit denuò Gotham. 438.
Saxoniæ dux transigit cum Augusto duce. 452
Saxoniæ dux moritur, & uxor. 452
Schertelinus capit Erebergum arcem. 292
Schola Vittembergica scribit ad Leonem pro Luthero. 5
Scotiæ rex ducit uxorem Galliæ regis filiam. 163
Scotiæ regina moritur. 178
Scotiæ rex moritur. 232
Scotiæ reginula deducitur in Galliam. 362
Scriptum Gallicum in mercatores pontificios. 137
Scripta inuectiua principum. 190
Scriptum ducis Cliuensis, de Geldria. 191
Scriptum Galliæ regis de Hæresiarchis. 367
Scripta aduersaria de bello Parmensi. 397
Scriptum in Paulum pontificem. 370
Seditiones per Hispaniam. 39
Seditio per Angliam. 188 162 451
Seditio orta Genuæ. 313
Seditio Rupellæ in Gallijs. 233
Seditio Gandauensis. 193
Seditio per Aquitaniam. 360.
Seditio Neapolitana. 326
Smalcaldici renunciant Cæsari fidem & officiũ. 295
Smalcaldici ueniunt ante Ingolstadium, ubi Cæsar erat cum exercitu. 298.
Smalcaldici solicitant Bohemos. 299
Smalcaldici Donauerdam repetunt. 303
Smalcaldici discedunt. 310
Senenses eijciunt Hispanicum præsidium. 435
Sententia pontificis ad concilium. 309.
Seruetus exuritur Genuæ. 450
Seßio Tridenti. 398.409 401
Sigismundi Poloni progenies. 340
Signa præcedentia mortem Mauricij. 444.
Sol obscurus & pallidus. 320
Solimannus Turca Belgradum capit. 39
Stephani Vintonienßis episcopi liber in Bucerum. 253
Sudor morbus per Germaniam. 97
Sueuiæ ciuitates reconciliantur Cæsari. 318
Sueuiæ ciuitates intercedunt pro Noribergicis. 426.
Supplicia per Angliam. 206 452
Supplicia per Angliam, propter dogma. 460
Supplicia Lugduni. 445.
Syluester Prierias scribit in Lutherum. 2
Synodi prouinciales per Germaniam. 362
Synodus episcopi Moguntini. 365
Synodus Tridentina cauet Germanis, frigidè. 398
Synodus prouincialis, Coloniæ. 162
Tentatur conciliatio apud Saxonem. 120
Theologi Louanienses & Colonienses damnant Lutherum. 21
Theologi Parisini damnant Lutherum. 36
Theologi Parisini conueniunt Meloduni, religionis causa. 256
Theologi Mauriciani ueniunt Noribergam. 410.
Theologi Vuirtembergici & Argentinenses ueniunt Tridentum. 412
Theologorum protestantium epistola ad legatos Cæsaris. 414
Theologi protestantium abeunt Tridento. 435.
Thomas Viatus author seditionis, 452
Thomas Viatus capitur. 452
Thomas Aquinas, totus pontificius. 2
Thomas Muncerus seditiosus. 65
Thomas Cantuariensis comburitur. 185
Tigurini respondent Heluetijs de religione. 55
Tigurini statuas remouent. 57
Tigurini scribunt ad Heluetios. 60

Treuirensis abit Tridento. 411
Treuirensis et alij principes agũt cũ Luthero. 33
Tripolis Africæ, amissa. 393
Turca ruit in Vngariam. 83
Turca Viennam obsidet. 97
Turca Budam capit. 218
Turcæ capiunt Strigoniã, Albam regalẽ, Quinquecclesiam. 240
Turca filium suum interficit. 450
Veneti pacem cum Turca faciunt. 134
Venetorum edictum de libris prohibitis. 355
Venefici emissi à pontifice. 299
Vergerius solicitat Saxonem de concilio. 140
Vergerius deficit à pontificatu Romano. 361
Viatus decollatur Londini. 453
Vicecomitum & Sfortiarum familia. 158
Vlmenses reconciliantur Cæsari. 311
Vlma obsidetur. 421
Vngari auxilia petunt in Turcam. 248
Vlrichus Zuinglius docet Tiguri. 18
Vlrichus Huttenus moritur. 50.
Vlrichus dux Vuirtembergensis ejicitur. 131
Vogelsbergius decollatur Augustæ. 346.
Vintonienſis episcopus asseruatur custodia. 352
Vintonienſi episcopo abrogatur dignitas. 388.
Vintonienſis, Angliæ cancellarius. 446
Vintonienſis legatio Romæ. 446
Vuirtembergica doctrinæ confessio, excusa. 412
Vuirtembergicus dux mittit legatos Tridentum. 411 400
Vuirtembergici petunt audiri, Tridenti. 402
Vuirtembergici legati sua postulata exponunt Tridenti. 409
Vuittembergica schola intercedit pro Luthero ad Fridericum ducem. 9
Vuittemberga deditur Cæsari. 322
Vulgus Gallicum precatur Latinè. 185
Zuinglius occumbit. 122

FINIS.

Series chartarum.

a ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt uu xx yy zz. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III KKK LLL MMM NNN OOO PPP QQQ RRR SSS TTT VVV XXX YYY ZZZ. aaa bbb. Omnes duerniones, præter bbb ternionem.

ARGENTORATI
Excudebat Vuendelinus Rihelius. Anno
M. D. LV.

Omnes ductriones, præter bbb terniones.

ARGENTORATI
Excudebat Vuendelinus Rihelius.
M. D. LV.

C.